152.G.18

Doppio

14 17

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
52 G
12
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
11. 6

6 . F . 13.

Digitized by Google

8.52.G.12

Digitized by Google

FABRITII PAVLVTII

FOROLIVIENSIS

PRIMI EPISCOPI

PLEBANI.

COMMENTARII

IN QVATVOR

EVANGELIA.



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ROMAE,

Ex Typographia Gulielmi Facciotti.

M. DC. XIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ex Legato Illustriss: Coccini.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

DE mandato Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici Fr. Hyacinthi Petronij Romani, vidi ego F. Franciſcus à S. Ioſeph Sueſſa Ordinis Minorum Diſcalceatorum Regularis Obſeruantiæ, Pœnitentiarius in Sacroſancta Eccleſia Lateranenſi Librum, cui titulus: *In quatuor Euangelia Commentarij*: Auctore Perilluſtri, ac Reuerendiſſimo D. Fabritio Paulutio Foroliuienſi Primo Epiſcopo Plebano, in quo nihil orthodoxæ Fidei, & Eccleſiaſticæ doctrinæ aduerſum, aut bonis moribus contrarium deprehendi; immò ſcopum litteralis ſenſus, quem ſibi præcipuum propoſuit Auctor, vt eſt inſecutus exactè, ità & aſſecutus fœlicitèr. Vndè valdè dignum arbitror, vt præfatus Liber prælo mandetur. Romæ die 6. Februarij 1619.

F. Franciſcus à S. Ioſeph Sueſſa Pœnitentiarius Lateranenſis.

Imprimatur. F. Gregorius Donatus Romanus, Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi P. Fr. Hyacinthi Petronij Romani, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ordinis Prædicatorum.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fr. Hyacinti Petronij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, legi librum *Commentariorum in quatuor Euangelia* à Perilluſtri, ac Reuerendiſſimo D. Fabritio Paulutio Epiſcopo Plebano conſcriptum, nedum quidquam in eo, quod vel fidei, vel moribus ſit aduerſum, ſed & bona faciliquè doctrina refertum illum repererim, dignum planè ipſum cēſeo, qui in lucē prodeat. Romæ die 5. Iulij 1619.

Ego D. Michael Ghiſlerius Clericus Regularis S. Theol. Profeſſor.

EGo D. Ioannes Franciſcus Palumbus, ex commiſſione Reuerendiſſimi D. Patris Hyacinthi Petronij, legi opus ſupèr Euangelia Perilluſtris, ac Reuerendiſſimi D. Fabritij Paulutij Epiſcopi Plebani, & nihil in eo reperi, quod fidei vel ſanctis moribus aduerſetur; imò vt optimam atque præclaram expoſitionem continens, dignum exiſtimo in lucem dari. Romæ die 5. Iulij 1619.

Ego D. Io. Franciſcus Palumbus Clericus Regularis S. Theol. Profeſſor.

Google

PAVLO V.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

FABRITIVS PAVLVTIVS EPISCOPVS PLEBANVS. F.

EVANGELIVM ex iniunĉto munere dum ad populum explico, tamquàm pòſt terga meſſorum Principum ex agro Dominico ſpicas legens, manipulum (Beatiſsime Pater) collegi haud ſinè multo ſudore. Diù ſiquidèm Moabitidi terræ cum inhæſiſſem, ad Bethlehemium agrum, vbì vera domus eſt panis, hoc eſt, ad Sacras literas non niſi contrita in forenſibus iudicijs, & anfraĉtibus legum ætate ſerus acceſsi. Quin etiàm in tempus incidi, cum peraĉta ferè iàm meſſe nequè Booz poſ-

ſet occurrere, qui vel integra permitteret metere, vel de induſtria iuberet à meſſoribus de manipulis proijci. Multo minùs ea vel ingenij felicitas, vel diuinæ lucis copia, & largitas adfuit, vt vltrò in ſinum Ruth puræ fruges congererentur. Perſeueraui tamèn in agro: &, ne ad momentum quidèm domum reuertens, quæ collegeram, adhibita curæ, iudicijquè virga cæcidi, & excuſsi, & modicum Ephi inueni. Hoc, quicquid eſt, Spiritus ille, qui vbi vult ſpirat, & diuidit ſingulis proùt vult, & ancipitem confirmat, impulit, opinor, vt in campum latiorem libèret ſpargere. Sed antè omnia ad S. V. pedes depono, ac ſtatuo, à qua miſſus ſum in hanc meſſem: primùm quidèm vt documento ſit creditum mihi talentum à me non planè humo defoſſum: deindè, vt Magno Patrifamilias, cui quàm poteſtate propinquus, tàm charus es merito, S. V. manibus oblatum, indè gratiam, quam ex ſe non habet, accipiat: prætereà, vt eiuſdem S. V. & munitum nomine, & imbutum, ac fœcundatum benedictione, cùm tutius ſit aduersùs nocentia, tùm fructus vberiores ferat: poſtremò vt per eam collecta ſemina ſpargantur felicitèr, per quàm clementèr eſt factum, ſparſæ vt ſpicæ colligerentur. Ergò munus exiguum

guum

guum ex voluntate magna, mequè pariter benignè ſuſcipe: Et ſacris tuis humilitèr procumbentem, reuerentèrque oſculum imprimentem veſtigijs, atquè Tibi pòſt longam in terris, æternam in cælo felicitatem precantem Apoſtolica benedictione dignare.

LECTORI.

HABES in quatuor Euangelia ordinatè, ac breuitèr digeſta, quod ipſe ſibi Auctor compoſuerat, Commentarium: ambigua auctoritatibus, & exemplis ſacris firmata: ad litteram, perſæpè ad mores elucidata. Quæ Patres, & interpretes ſacri habent, conſultò prætermiſſa: Tu illos, ſi voles, inſpicito: nos hæc damus rerum, & temporum ordine, non parùm forsàn ſacris ſtudijs profutura.

IN-

INDEX EORVM,
QVAE PER CAPITA IN EVANGELIIS PER ORDINEM CONTINENTVR.

DE Conceptione Ioānnis Baptiſtæ. Cap. 1. pag. 1
De Annunciatione Verbi. Cap. 2. 10
Quid Verbum caro factum. Cap. 3. 17
De Viſitatione Eliſabeth. Cap. 4. 23
De Ioannis Natiuitate. Cap. 5. 32
Dubium Ioſeph de Virgine. Cap. 6. 37
De Natiuitate Chriſti. Cap. 7. 41
De Chriſti Genealogia. Cap. 8. 42
De Annunciatione, & Adoratione Paſtorum. Cap. 9. 46
De Circunciſione Domini. Cap. 10. 48
De Adoratione Magorum. Cap. 11. 49
De Purificatione Beatæ Virginis. Cap. 12. 56
De fuga in Aegyptum, Innocentium cæde, reditu. Cap. 13. 61
De Manifeſtatione in templo intèr Doctores. Cap. 14. 66
De Ioanne Baptiſta baptizante, & prædicante. Cap. 15. 68
De baptiſmo Chriſti. Cap. 16. 76
De tentatione, & ieiunio Chriſti. Cap. 17. 82
Teſtimonium Ioannis Baptiſtæ. Cap. 18. 93
De legatione Iudæorum ad Ioannem. Cap. 19. 97
Tertium teſtimonium Ioannis Baptiſtæ. Cap. 20. 103
De Vocatione Andreæ, Petri, Philippi, Nathanaelis. Cap. 21. 105
De miraculo in nuptijs Canæ Galilææ. Cap. 22. 108
De deſcenſu in Capharnaum, & Ieruſalem. Cap. 23. 112

De

De baptiſmo diſcipulorum Chriſti. Cap. 24. 113
De carcere Ioannis Baptiſtæ. Cap. 25. 117
De itinere in Galilæam, & Samaritana. Cap. 26. 119
De filio Reguli ſanato. Cap. 27. 125
De via maris trans Iordanem, Galilæa Gentium. Cap. 28. 127
De Vocatione Petri, Andreæ, Iacobi, Ioannis. Cap. 29. 130
De expulſione dæmonis in Synagoga Capharnai. Cap. 30. 133
De ſocru Simonis. Cap. 31. 135
De ſcriba volente ſequi Chriſtum cum alijs. Cap. 32. 136
De tempeſtate ſedata. Cap. 33. 139
De dæmonijs expulſis in regione Geraſenorum. Cap. 34. 140
De Paralytico Capharnaita ſanato. Cap. 35. 144
De vocatione Matthæi. Cap. 36. 146
Quæſtio propoſita à Diſcipulis Ioannis. Cap. 37. 148
De filia Archiſynagogi, & Hæmorrohiſſa. Cap. 38. 150
De duobus cœcis, & dæmoniaco ſanato. Cap. 39. 154
De diſcipulis ſpicas Sabbato vellentibus. Cap. 40. 155
De habente manum aridam ſanato, & teſtimonio Iſaiæ. Cap. 41. 158
De electione Apoſtolorum duodecim. Cap. 42. 160
De ſermone Domini in monte. Cap. 43. 162
De Leproſo ſanato. Cap. 44. 181
De ſeruo Centurionis ſanato. Cap. 45. 183
De filio Viduæ Naim reſuſcitato. Cap. 46. 186
De legatione Ioannis Baptiſtæ ad Chriſtum ex carcere. Cap. 47. 187
De Conuerſione Magdalenæ. Cap. 48. 195
De Muto dæmoniaco ſanato, & blaſphemia, Cap. 49. 200
De parabola ſeminantis. Cap. 50. 209
De parabola zizaniorum. Cap. 51. 212
De parabola ſeminis ſensim creſcentis. Cap. 52. 213
De parabola grani ſinapis. Cap. 53. 214
De parabola fermenti. Cap. 54. 215
De parabolis theſauri, & margaritæ, Cap. 55. 216
De parabola ſagenæ miſſæ in mare. Cap. 56. 217
De Aduentu Chriſti in Nazareth. Cap. 57. 219
De miſsione Apoſtolorum. Cap. 58. 222
De Nece Ioannis Baptiſtæ. Cap. 59. 229
De reditu diſcipulorum, & Chriſti diſceſſu trans mare. Cap. 60. 233
Saturat Dominus quinque millia hominum. Cap. 61. 234

De

De tempeſtate ſedata, & Chriſto, & Petro ambulantibus ſuper aquas. Cap. 62. 237
De carne Chriſti, & ſanguine. Cap. 63. 240
De reprehenſione Phariſæorum in diſcipulos illotis manibus manducantes. Cap. 64. 246
De Chananæa. Cap. 65. 250
De Surdo, & Muto ſanato. Cap. 66. 252
De quatuor millibus ſatiatis. Cap. 67. 253
Phariſæi ſignum petunt de cælo. Cap. 68. 255
Cauendum à fermento Phariſæorum. Cap. 69. 256
Liberat cœcum. Cap. 70. 258
Confeſſio, & primatus Petri. Cap. 71. 259
De Paſſione, & abnegatione ſui cum Diſcipulis. Cap. 72. 264
De Transfiguratione. Cap. 73. 266
De Lunatico ſanato. Cap. 74. 271
De ſoluto tributo. Cap. 75. 275
De maiore in regno cælorum. Cap. 76. 279
De correctione fraterna, & parabola Regis dimittentis decem millia talenta. (vide errata) Cap. 77. 282
De diſceſſu è Galilæa. Cap. 78. 285
De decem leproſis. Cap. 79. 287
De Aduentu in Ieruſalem, & languido ſanato. Cap. 80. 289
De colloquio Chriſti cum Nicodemo. Cap. 81. 295
De verbis Chriſti pòſt ſanatum languidum. Cap. 82. 300
Continuatio dictorum Chriſti. Cap. 83. 309
De Adultera, Cap. 84. 314
De dictis Chriſti. Cap. 85. 316
De cœco nato. Cap. 86. 323
De bono Paſtore. Cap. 87. 329
De miſſione ſeptuaginta duorum Diſcipulorum, & reditu. Cap. 88. 332
De eo, qui incidit in latrones. Cap. 89. 336
Martha excipit Chriſtum. Cap. 90. 338
De orationis perſeuerantia. Cap. 91. 340
Obiurgatio Phariſæorum. Cap. 92. 341
De fermento, & Hypochriſi Phariſæorum, & confeſſione nominis Chriſti. Cap. 93. 344
De abijcienda ſolicitudine diuitiarum. Cap. 94. 346
De Galilæis occiſis à Pilato. Cap. 95. 351
De muliere inclinata. Cap. 96. 352
De regno Dei. Cap. 97. 354

Relatio

Relatio de Herode volente occidere Chriſtum. Cap. 98. 355
De Hidropico. Cap. 99. 356
De parabola cœnæ magnæ. Cap. 100. 358
Omnibus renunciandum. Cap. 101. 359
De Conuerſatione cum peccatoribus. Cap. 102. 360
De Villico iniquo, & Epulone. Cap. 103. 364
Interrogatio de regno Dei. Cap. 104. 369
De perſeuerantia orationis exemplo viduæ cum Iudice. Cap. 105. 371
De Phariſæo, & Publicano. Cap. 106. 372
De feſto Encæniorum. Cap. 107. 373
De libello repudij. Cap. 108. 375
De paruulis oblatis. Cap. 109. 381
De adoleſcente interrogante de vita æterna. Cap. 110. 382
De operarijs vineæ. Cap. 111. 389
De Lazaro. Cap. 112. 391
De Concilio. Cap. 113. 396
De aſcenſu in Ieruſalem, & petitione Zebedæorum. Cap. 114. 399
De Zacheo. Cap. 115. 402
De cœcis Iericuntinis. Cap. 116. 404
De parabola hominis regnum capturi. Cap. 117. 406
De cœna in Bethania, & vnctione Mariæ. Cap. 118. 408
De triumphali Chriſti ingreſſu Ieruſalem. Cap. 119. 411
Ingreſſu in templum, & eiectione. Cap. 120. 414
De Gentilibus Chriſtum videre cupientibus. Cap. 121. 420
De diſceſſu Ieruſalem in Bethaniam, & ficu arefacta. Cap. 122. 425
De regreſſu in Ieruſalem, & baptiſmo Ioannis. Cap. 123. 427
De parabola vineæ. Cap. 124. 430
De parabola nuptiarum filij regis. Cap. 125. 433
De cenſu ſoluendo Cæſari. Cap. 126. 435
Cum Sadducæis de reſurrectione. Cap. 127. 437
De maximo mandato. Cap. 128. 440
Interrogatio Chriſti cuius filius ſit. Cap. 129. 442
De vitijs Phariſæorum, & Scribarum. Cap. 130. 443
De Viduæ duobus minutis. Cap. 131. 448
De fine mundi. Cap. 132. 449
De Excidio Ieruſalem, & templi. Cap. 133. 454
De pſeudo Chriſtis cauendis. Cap. 134. 459
De ſignis Iudicij, aduentu Iudicis, Iudicio, & ſententia. Cap. 135. 460
De præparatione diei Iudicij propinqui poſt ſigna. Cap. 136. 466
De parabola decem Virginum. Cap. 137. 473
De parabola talentorum. Cap. 138. 475
De

De Concilio Sacerdotum aduerſùs Chriſtum. Cap. 139. 475
De cœna in Paſchate. Cap. 140. 477
De Sermone Domini in cœnaculo. Cap. 141. 492
De Petri negationis prædictione in ſermone inſerta. Cap. 142. 493
Continuatio Sermonis in cœnaculo. Cap. 143. 496
Continuatio Sermonis, Cap. 144. 501
Continuatio Sermonis in cœnaculo. Cap. 145. 506
Oratio Domini in cœnaculo. Cap. 146. 511
De Paſſione Domini, & ſepultura. Cap. 147. 515
De Chriſti Reſurrectione. Cap. 148. 551
De Aſcenſione Domini. Cap. 149. 574

IN-

INDEX PERBREVIS EORVM, QVAE IN EXPLICANDIS EVANGELIIS INCIDENTER OCCVRRERVNT.

LVCAS quid vltrà alios Euangeliſtas ſcripſerit. Cap. 1. pag. 3
Zacharias non fuit ſupremus Sacerdos. Cap. 1. 3
Cur Angelus potiùs Zachariæ, quàm Eliſabeth apparuerit. Cap. 1. 3
Zacharias turbatus aſpectu Angeli, non timore mortis: & ex quibus turbemur. Cap. 1. 4. & ſeqq.
Mortem imminere videntibus Deum, vel Angelum, vndè ortum habuerit. Cap. 1. 5. & ſeqq.
Angeli boni ſigna. Cap. 1. 6
Zachariam pro Meſſia oraſſe. Cap. 1. 7
Angeli non ſolent manifeſtare nomina. Cap. 1. 8
Angeli an mediatè, vel immediatè à Deo mittantur. Cap. 2. 11
Angeli qui mittantur. Cap. 2. 12
Matrimonium verum intèr Mariam & Ioſeph, etſi pactum expreſſum interueniſſet non conſummandi matrimonij. Cap. 3. 12
An Ioſeph cum Maria ad viſitandum Eliſabeth. Cap. 4. 24
Ioanni an datus vſus rationis. Cap. 4. 27
Et an illum retinuerit. Eod.
Ieremias an ſanctificatus in vẽtre. Cap. 4. 28
Deus occidere voluit Moyſen, quia non circuncidit Filium. Cap. 10. 48
Circunciſio Ioſue quomodò ſecũda. Cap. 10. 49
Oblatio in purificatione an pro matre, vel prole. Cap. 12. 58
Magi vbi inuenerint Chriſtum. Cap. 11. 54
An in ingreſſu Chriſti in Aegyptum idòla corruerint. Cap. 13. 63
An Ioannes ab Herode quæſitus ad necem. Cap. 13. 64
Cur Ioannes in deſerto tandiu. Cap. 15. 71
An Ioannes Baptiſta baptizatus à Chriſto. Cap. 16. 81
An dæmon ſemèl victus tentet. Cap. 17. 92
Moyſes non vidit eſſentiam diuinam. Cap. 18. 97
Dæmon an cognouerit Chriſtum. Cap. 30. 133 & Cap. 34. 142
Chriſtus habuit ſcientiam experimentalem. Cap. 45. 185
Maria Magdalena vna, non plures. Cap. 49. 204
De operibus ſupererogationis. Cap. 49. 205
De extrema vnctione. Cap. 58. 228
An antè confeſſionem Petri alij Chriſtum cognouerint. Cap. 71. 261. & Cap. 80. 293
Enoch, & Elias venturi tempore Antichriſti, non Ieremias, aut Ioannes Euangeliſta, aut alij. Cap 73. & 149. 270
Paradiſus terreſtris extat. Cap. 81. 298
Gratias gratìs datas ſtare cum peccato mortali. Cap. 86. 327. & ſeqq.
De libello repudij. Cap. 108. 375
Iudicaturi qui, & ſeſſuri. Cap. 110. 386. & ſeqq.
De conſiliarijs. Cap. 113. 397
An eiectio de templo vna, vel duæ. Cap. 120. 418
Iudas ſumpſit ſanctiſſimum Sacramentum. Cap. 140. 486
An corpora, quæ reſurrexerunt in Chriſti reſurrectione iterum mortua. Cap. 147. 548
An Sanctus Ioannes Euangeliſta, & Apoſtolus viuat beatus in cælo in anima, & corpore. Cap. 148. 572
An Enoch, & Elias fruantur viſione beatiſica in Paradiſo terreſtri. Cap. 148. 572

FABRI-

FABRITII PAVLVTII
EPISCOPI PLEBANI.
COMMENTARII
IN QVATVOR
EVANGELIA.

CAPVT PRIMVM.
DE CONCEPTIONE
IOANNIS BAPTISTAE.
Lucæ Capite Primo.

1 *QVONIAM quidem multi conati ſunt ordinare
narrationem, quę in nobis completę ſunt, rerum:*
2 ** ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi vide-*
3 *runt, & miniſtri fuerunt ſermonis: * viſum eſt
& mihi, aſſecuto omnia à principio diligentèr, ex or-*
4 *dine tibi ſcribere (optime Theophile) * vt cognoſcas
eorum verborum, de quibus eruditus es, verita-*
5 *tem. * Fuit in diebus Herodis, regis Iudeę, ſacerdos
quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor*
6 *illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth. * Erant autem iuſti ambo
antè Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine*
7 *querela, * & non erat illis filius eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſ-*
8 *ſiſſent in diebus ſuis. * Factum eſt autem, cum ſacerdotio fungeretur, in ordi-*
9 *ne vicis ſuę ante Deum, * ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt vt*

10 *incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini: * & omnis multitudo populi*
11 *erat orans foris hora incenſi. * Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à*
12 *dextris altaris incenſi. * Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit*
13 *ſuper eum. * Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam*
exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vo-
14 *cabis nomen eius Ioannem: * & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in*
15 *natiuitate eius gaudebunt: * erit enim magnus coràm Domino: & vinum, &*
16 *ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ: * &*
17 *multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum: * & ipſe præcedet*
ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, &
18 *incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. * Et di-*
xit Zacharias ad angelum: Vndè hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & vxor
19 *mea proceſsit in diebus ſuis. * Et reſpondens angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel,*
20 *qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. * Et*
ecce eris tacens, & non poteris loqui vſquè in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd
21 *non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. * Et erat plebs ex-*
22 *pectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo. * Egreſſus*
autèm non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd viſionem vidiſſet in tem-
23 *plo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. * Et factum eſt, vt im-*
24 *pleti ſunt dies officij eius abijt in domum ſuam: poſt hos autem dies concepit Eli-*
25 *ſabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinquè, dicens: * Quia ſic fecit mi-*
hi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

COMMENTARIVS.

DECREVERAT ab æternò Deus Omnipotẽs vnigenitum Filium ſuum in terras mittere ad lapſurum genus humanum redimendum. idquè poſt lapſum, promiſſionibus, pactis, iuramento, figuris, prophetijs, prædictionibus præſignificauerat, vt homines ſenſim componerentur ad fidem venturi. Et quia (inter alia) dictum erat Malach. 3. ***Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis***, ideò ſenes hos Zachariam, & Eliſabeth elegit, ex quibus is Angelus, ſeù præcurſor naſceretur, mundo admirabilis, omnibus maior, totquè prærogatiuis ornatus, vt exiſtimaretur Meſſias, ſicuti ergo præcedit Ieſum generatione terrena, ſic cenſui priùs de illo agere iuxtà ordinem Lucæ poſt eiuſdem præfationem. ***Quoniàm quidem multi conati ſunt***, aggreſſi, ***ordinare narrationem***, ordinatè, ſeù per ordinem narrare, ***quæ in nobis***, in quos fines ſæculorum deuenerunt, ***completæ ſunt rerum***, actionum Chriſti, qui omnia compleuit, ***ſicut tradiderunt nobis***, docuerunt nos, ***qui ab initio ipſi*** oculati teſtes ***viderunt*** in omni tempore, quo intrauit, & exiuit, operatus eſt inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſquè in diem, qua aſſumptus eſt à nobis act. 1. 22. ***& miniſtri fuerunt ſermonis***, euangelij prædicandi, quod Paulus miniſterium vbiquè nuncupat, ſcilicèt Apoſtolis, vel alijs, hoc ſubdit ad maiorem firmitatem, nàm publicè dicta magis attenduntur, &

cre-

Digitized by Google

creduntur, *viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter* ab eiſdem Apoſtolis, cum duo iungat, *qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, vt cognoſcas eorum verborum*, rerum, *de quibus eruditus es* voce, *veritatem* in ſcriptis. Ex his apparet eos, qui antè ſcripſerunt non cœpiſſe à principio, & multa omiſiſſe, quæ ipſe Lucas commemorat, & præſertim Ioannis, deinde Chriſti conceptuum annunciationes, viſitationem Eliſabeth, natiuitates Ioannis, & Chriſti, annunciationem ad Paſtores, Mariæ purificacionem, & præſentationem Chriſti in templo, & in eodem Chriſti (dum factus eſſet annorum duodecim) inuentionem, quæ ſingula præmittit, vltrà alia in progreſſu eius euangelij; hocquè eſſe motiuum ſcribendi in Luca. Item non videtur agere de pſeudo Euangeliſtis, quia verbis acerbis eos carperet, ſed de veris; qui non omnia tetigerunt, prout ipſe facit à principio.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, more prophætarum meminit in principio regnantis, ſub quo hæc geſta, quod Matthæus cap. 2. in Magis; & repræſentat iàm ablatum ſceptrum à Iuda, & mox implendam prophetiam Iacob. Geneſ. 49. 10. *Sacerdos quidàm nomine Zacharias de vice Abia* non ſupremus, quia de vice Abia, vt in partitionibus Dauidis. 1. Paralip. 24. 19. & in magno ſacerdotio nullæ vices, nequè manſiſſet extrà Ieruſalem in Montanis, quò Beata Virgo, nequè omiſiſſet Euangeliſta totus in honore Ioannis, & quia offerebat incenſum in Sancta, quod erat miniſterium inferiorum, ſummus enim Sacerdos ſemèl tantùm in anno introibat in Sancta Sanctorum, alij miniſtrabant in ſancta. Heb. 9. 6. & ſi fuiſſet ſummus, dixiſſet ſummus ſacerdos, non quidàm ſacerdos, & poſuiſſet nomen eius infrà. cap. 3. 2. vbi meminit Annæ, & Caiphæ, poſtquàm hæc facta ſunt tempore Zachariæ; & *vxor illius de filiabus* deſcendentibus *Aaron, & nomen eius Eliſabeth, & erant ambo iuſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis*, præceptis, *& iuſtificationibus* legalibus *Domini*. erant obſeruantiſſimi omnium, hanc iuſtitiam deſiderabant Paulus. Phil. 3. 9. hæc in iugalibus admirabilis, vt in Abraham, & Sara; Elcana, & Anna: defuit in Nabal, & vxoribns Iob, Tobiæ, & Vriæ: ſenum horum iuſtitiam commemorat Euangeliſta, vt amplificet famam Ioannis Baptiſtæ. *Sine querela:* ideò Paul. 1. Cor. 6. nemini dantes vllam offenſionem. Tit. 2. nihil malum habens dicere de nobis. Phil. 3. conuerſatus ſine querela, & Chriſtus ſic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, & Eccl. 45. dilectus Deo, & hominibus Moſes, & de Iudith; non erat qui loqueretur de illa verbum malum. Iudith. 8. 8. At id ex parte iuſtorum, qui prouident bona, non ſolum coràm Deo, ſed etiam coràm omnibus hominibus. Rom. 12. 17. ſiuè placeant, ſiuè non, vel ad tempus, vel vt plurimùm, vel apud bonos, vel iuxtà effectus, & paſſiones, vel per hyperbolem; vt in exemplo Chriſti, Moſis, Ioannis Baptiſtæ, Pauli, & Barnabæ acto. 13. & aliorum Sanctorum quouis tempore, qui vix euadunt linguas doloſas. *Et non erat illis filius*, nec fuerat, *eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis*, eſſent ſenes prouectæ ætatis: hinc miraculum deducere vult Euangeliſta, & quomodo iuſti erant antè Dominum, & ſi prole carerent, quod in illo ſæculo magnifiebat, & Abraham optauit. Geneſ. 15. 2. Rachel, & alij; in tentatione enim probatur iuſtus, vt Abraham. Geneſ. 22. Iob 1. *Factum eſt autem cum ſacerdotio fungeretur, in ordine vicis ſuæ antè Deum*, in templo, in quo Deus ſe manifeſtabat *ſecundum conſuetudinem ſacerdotij*, in miniſterio legali, & debito *ſorte exijt, vt incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini*, in Sancta, vbi erat altare thimiamatis; & *omnis multitudo populi erat orans foris* in atrio *hora incenſi* per Zachariam poſiti. *Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi;* de repentè in forma humana; Angelus potiùs Zachariæ in templo incenſum adolenti, quàm Eliſabeth apparuit, quia Dominus volebat viſionem hanc Populo innoteſcere, vnà cum alijs mirabilibus circà Ioannem factis, vt excitaretur in admirationem, & Ioannes Dominum enunciatu-

rus fieret maioris fidei, hæc enim omnia propter Ioannem; ſecundò quia caput mulieris vir, hinc ſolus Ioſeph, non Maria admonetur in ſomnis, vt ſecedat in Aegyptum, & ab Aegypto reuertatur Matth. 2. & priùs Abrahæ reuelatum de prole ex eo, & Sara futura, quàm Saræ, & ſi etiam poſtea Saræ, vt crederet, cum Abraham centenarius, ipſa nonagenaria, cui deſierant fieri muliebria, nec voluptati operam daret, vt ipſa excepit, ad quæ hi ſenes non dum deuenerant, & ſi in diebus ſuis proceſſiſſent, & Eliſabeth eſſet ſterilis; alioqui Sara, quæ riſit, minùs credidiſſet viro ſuo, vel humanum quid paſſa eſſet. Geneſ. 15. 17. 18. & ſic credidit Hebr. 11. 11. & aliquando apparentem, & agentem Angelum cum vxore Manue oportuit iterum viro ſuo apparere, & ſecum colloqui. Iud. 13. & nihilominus ex taciturnitate Zachariæ, & ex ipſius ſcriptura (qua veriſimile eſt indicaſſe omnia, prout nato puero pugillari prodidit nomen Ioannis) ſatis edocta fuit Eliſabeth, & credere potuit. Accedunt rationes aliorum hìc, cur Angelus apparuerit Zachariæ in templo; *& Zacharias turbatus eſt videns* Angelum, *& timor irruit ſuper eum*, ſolus ipſe vidit, non alius, ideò populus cognouit tantùm Zachariam viſionem vidiſſe; dicit enim Ambroſius intelligentias ſpirituales, quibus volunt ſe manifeſtare, nec ab alijs videri, vt in Balaam. Num. 22. Eliſeo. 4. Reg. 2. 7. 12. 16. & 6. Daniele. 10. Phitoniſſa. 1. Reg. 28. Stephano. act. 7. Magis. Matt. 2. Paulo, & ſocijs. act. 22. 9. 11. & Cæcilia cum Tiburtio, & Valeriano. Ex ſubita, & improuiſa apparitione Angeli Zacharias turbatus eſt non timore mortis, textus enim dicit *videns*; ex ſuperioris poteſtatis occurſu perturbamur, inquit Ambroſius, ſicut in his exemplis Daniel. 10. 8. non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quicquàm virium, & de ſocijs (licèt non viderint) terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum. & egregiè hi actus deſcribuntur Daniel. 5. in Balthaſſare potante in vaſis templi, viſa enim manu in muro ſcribente; tunc facies Regis immutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur; & in Tobia cap. 12. cumque audiſſent, à Raphaele, turbati ſunt, & timentes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. & Centurione. act. 10. qui viſo Angelo timore correptus. & ſocijs Heliodori, qui ruentes Dei virtute in diſſolutionem, & in formidinem conuerſi ſunt. 2. Mach. 3. & Daniel 7. in viſione quaſi filij hominis, Horruit ſpiritus meus; ego Daniel territus ſum in his, & viſiones capitis mei conturbauerunt me: & in viſione beſtiarum cap. 8. ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata eſt in me, & cap. 8. In viſione pauens corrui in faciem meam, & collapſus ſum pronus in terram. Ioanne. Apoc. 1. & cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tamquàm mortuus. Mulieribus introeuntibus ſepulchrum. Marc. 16. quæ viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt, imò & ſi Angelus dixerit, nolite expaueſcere, tamen exeuntes, fugerunt de monumento, inuaſerat enim eas timor, & pauor, & nemini quicquàm dixerunt, timebant enim. Paſtoribus, quibus Chriſti natiuitas annunciatur ab Angelis, qui timuerunt timore magno; & dicebat Iob cap. 7. terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. At Virgo non expauit ad apparitionem Angeli, ſed turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, &c. Luc. 1. Quinimò ne dum ad apparitionem Angeli, ſed hominis de repentè nobis occurrentis ſolemus timere. Sic obſtupuerunt audientes, & videntes Petrum act. 12. ex carcere eductum, Angelum eius, non ipſum exiſtimantes; vel ſi modo inſolito; hinc diſcipuli Luc. 24. conturbati, & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre, dum ianuis clauſis ſtetiſſet Ieſus in medio eorum. Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt Matth. 14. Mar. 16. Turbamur, & ad vocem Dei. Abacuc. Domine audiui auditionem tuam, & timui. Dauid. vox Domini in virtute, &c. vox Domini confringentis cedros, &c. Et primi parentes. Gen. 3. cum audiſſent vocem Domini deambulantis, abſcondit ſe Adam, &c. & vocem tuam audiui, & timui, eò quod nudus eſſem, & abſcondi me, & ad

can-

eandem vocem terrentur diſcipuli in Monte Tabor, & ad vocem Chriſti, ego ſum, miniſtri abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Ioan. 18. 6. Quin & ad aſpectum Principis, vnde Thecuitis ad Dauid. 2. Reg. 14. ſicut enim Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex. Et Regina Heſter. cap. 15. ad Aſſuerum, vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ, valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratia, Et Eliſeus ad Ioram. 4. Reg. 3. viuit Dominus exercituum, in cuius conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Ioſaphat Regis Iuda erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem, & ſi is potiùs ex reuerentia. Timent & mali bonos, vnde Herodes metuebat Ioannem ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, &c. Mar. 6. 20. & impij dicunt, diſsimilis eſt alijs vita illius. Sapien. 2. 15. & Petrus exi à me Domine, quia homo peccator ſum, inuaſerat enim eum timor. Et Sareptana ad Eliſeũ, quid mihi, & tibi vir Dei, ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. Ex loco oritur timor, Vndè Iacob Geneſ. 28. videns in ſomnis ſcalam, &c. pauenſquè quàm terribilis eſt locus iſte, &c. Ex malo nuntio cadimus, & proſternimur. ſic Saul. 1. Reg. 28. 20. Nabal. 1. Reg. 25. 37. Achior. Iudith 6. 5. Ex relatione euentus magni timemus, prout Geneſ. 27. audito ab Iſaac quomodo Iacob ſubripuerat benedictionem Eſau, & pauit ſtupore vehementi, & vltra quàm credi poteſt admirans; & in eodem Iacob. Geneſ. 45. audito quòd viueret Ioſeph: Ex viſu rei inſolitæ, ſic Nabuchodonoſor. Dan. 3. 91. 93. viſo in fornace quarto ſimile Filio Dei obſtupuit, & ſurrexit properè. Et ad miracula Chriſti, admiratæ ſunt turbæ. Narrante Paulo de Iudicio tremefactus eſt felix. Audientes nomen Dei tremunt; vti nautæ dicente Iona, Hebræus ego ſum, & Dominum Cæli, & terræ ego timeo, qui fecit mare, & aridam; timuerunt viri timore magno. Ionæ 1. Quin imò adeò poſsidet is timor hominẽ, vt quaſi à mente alienet, & nil aliud admittat, ſic in Apoſtolis conturbatis ex viſione Chriſti ambulantis ſuprà mare. Marc. 6. & alijs exemplis ſupradictis. Nec moueant exempla Gedeonis, & Manue; quia poſtquàm Angelus euanuit, de morte cogitarunt, non in illo actu, cum eum tunc non agnouerint, vndè interceſsit tempus, quo cogitatio mortis potuerit ſuccedere. Secùs in Zacharia, ob modicum temporis ſpatium, quo mens perturbata aliud admittere non potuit, nam apparet Angelus, tunc turbatur, illicò Angelus remouet timorem dicens, ne timeas Zacharia. Nec dicas poſtquàm loquutus eſt Angelus ſubortum timorem mortis. Nam reſpondeo Lucam loqui à principio, & de hoc certi ſumus, *& turbatus eſt Zacharias videns*, non audiens, quòd verò alius timor ſucceſſerit, non dicit Euangeliſta, neque nos diuinare debemus, nec præſumitur, cum Angelus eſſet bonus, & dixerit ne timeas Zacharia, quibus verbis timorem ſuſtulit. Ad hæc, ea dixit Angelus nempè Meſsiam citò adſtiturum, naſcituram ex eo prolem, quæ excludebant timorem omnem ſuccedentem, & maximè mortis, prout idem veriſimile in Tobia ſcilicet non apprehenſum ab eo, & ſuis timorem mortis, quia experti erant Angelum ad eos curandos miſſum; & licèt à principio nõ crediderit Zacharias, ſatis fuit nunciari ſibi ea, quæ ad vitam, non ad mortem inferebant, & hoc potuiſſe attendere, ne timore mortis opprimeretur. Propterea prudenter cõſolata eſt vxor Manue virum ſuum non cogitantem, ſi Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum, & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc omnia, neque ea, quæ ſunt ventura dixiſſet. Præterea verſabatur fortè inter idiotas prouerbium, videntem Angelos, vel Deum, moriturum, non autem inter legis peritos, & ſapientes; vel veriùs nullum habet fundamentum, nam non legitur hoc contigiſſe, quando enim cunctus populus Exod. 20. videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem, aliaque concomitantia, & perterrefacientia, (vltra conteſtationem factam, omnes qui tetigerint montem, morte morientur) perterriti, ac pauore concuſsi ſteterunt procùl dicentes Moyſi, loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, quod repetitur. Deut. 4. 33. 5. 23. non tamen quiſquàm mortuus; & Deut. 5. 24. di-

citur, probauimus hodiè, quòd loquente Deo cum homine vixerit homo, & Moyſes illum animar dicens nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis; & ſi fortè poſſet dici eminus viſionem illam apparuiſſe populo, ideò neminem mortuum. Eminus enim viſiones huiuſmodi non turbant, ſed cominus. Hinc, & Dauid videns Angelum Domini ſtantem inter Cælum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Hieruſalem, non expauit ex viſione Angeli ſimpliciter, ſed gladio armati, ita vt non præualuerit ire ad Altare, vt ibi obſecraret Deum, nimio enim fuerat in timore perterritus videns gladium (nota) Angeli Domini. Iacob, quando vidit caſtra Dei à longe, Eliſeus, & ſeruus videntes exercitum Angelorum, Abraham vocatus ab Angelo non turbantur. At apparuerunt Angeli punituri Heliodoro, Dauidi, idquè re præſtiterunt, & tamen hi ſeruati ſunt, & alij, qui eos viderunt. Et ſi velimus hunc timorem fuiſſe ab Adam, cui prædictum erat, in quacunque die comederis, morte morieris, & ex eo deriuatum hoc axioma, ſcimus illum, & Euam ſeruatos eſſe. Si à Iacob, qui poſt luctam cum Angelo voluit benedictionem, quaſi ſibi timens, & fuit benedictus, & ſecurus redditus, erat enim benedictio imprecatio pacis, qua obtenta dixit, vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea, ideſt vita mea, iuxtà illud, da mihi animas, cætera tolle tibi; Si à Manue, & Gedeone, neque his quicquàm mali illatum. Si ab illis verbis non videbit me homo, & viuet; at ea intelliguntur neminem adhuc viuentem poſſe Deum, ideſt Dei eſſentiam videre Auguſt. tract. 75. in Io. & Moſes poſteriora vidit. Exod. 33. Elias in ſibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19. ideò Io. 1. 18. Deum nemo vidit vnquàm, & 1. Timot. 1. 17. Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, & 6. 18. lucem habitat inacceſsibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt. Cum ergo Zacharias eſſet Sacerdos obſeruans omnes iuſtificationes, & ſciens hæc, non eſt veriſimile ex cogitatione mortis timuiſſe. Poſſet etiam dici non videri certum, quòd à principio Zacharias cognouerit Angelum eſſe, quia & ex aduentu hominis id ei contingere potuit, vt ſuprà in exemplis diximus, præſertim quia tempore orationis nulli licebat ingredi. Leuit. 16. 17. ideò populus orans erat foris, & tantò magis excludi timorem mortis; licèt ex prouidentia Dei velint aliqui id ei innotuiſſe, & quandò Angelus locutus eſt timorem eijciens, facilè illum cognouiſſe, & certò, poſtquàm de conceptione Eliſabeth locutus eſt, alioquin vti incredulus taciturnitate non eſſet mulctatus, neque Angelus tot verbis admonuiſſet qualis ipſe eſſet; *ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua.* Hoc ſignum Angeli boni, Gedeoni dixit Dominus, pax tecum ne timeas, non morieris, quod ipſe vanè conceperat. Iacob benedixit Angelus in eodem loco. Tobiæ & ſuis dixit Angelus pax vobis, nolite timere. Danieli, noli metuere. Super Ioannem poſuit dexteram ſuam dicens, ego ſum primus, & nouiſsimus; Apoſtolis, & mulieribus, pax vobis, nolite timere. Manue nil dictum, quia iàm Angelus diſceſſerat, & vxor prudens illum ſubleuauit, nec indiguit nouo miraculo, ſeu verbis. Aliud ſignum eſt bonorum annunciatio, vt dixit vxor Manue, & contigit in præmiſsis exemplis. Tertium humilitas, vt in Beato Rufino, quem præmonuit Diuus Franciſcus quomodo agnoſceret diabolum ſibi apparentem in forma Crucifixi; in vita Beati Philippi Nerij Franciſco Ferrarienſe, cui apparebat diabolus in forma Sanctiſsimæ Virginis, transfigurat enim ſe in Angelum lucis, & humilium impatiens in ſuperbiam dilabitur, & manifeſtus fit, & deluditur. Conſolatur autem Zachariam tribus modis, primò verbis illis, ne timeas, ſecundò vocando ex nomine; quod fecit etiam cum Maria; ne timeas Maria, quomodo vſus eſt & Deus cum Moſe oſtendens quanti eum faceret dicens, noui te ex nomine, & Iſaias gratus, cap. 49. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, & cap. 43. vocaui te nomine tuo; & Ieremias cap. 1. priuſquàm te formarem in vtero noui te, &c. dicimus & nos Principem impertiri honorem illi, quem nomine proprio vocat; tertiò annunciando exauditam

eſſe deprecationem ſuam, quo ſolo vſus eſt Angelus cum Cornelio. act. 10. quod contigit Tobiæ, & Saræ. Tobiæ 3. in illo tempore exauditæ ſunt preces amborum,&c. quod firmauit & Angelus Tobiæ 12. quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino. ***Exaudita eſt deprecatio tua*** pro Meſsia. Non enim eſt veriſimile Zachariam oraſſe pro prole, tùm quòd Eliſabeth erat ſterilis, & ambo proceſſerant in diebus ſuis, tùm quòd pro ſua ſola prole miſſus non eſſet Gabriel in templo, quia id ſaltem domi fieri poterat, tùm quòd ipſe excipit, ***vnde hoc ſciam, ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis;*** quaſi aliud cogitans quàm prolem. Nec obſtat Annam ſterilem oraſſe, Iſaac pro Rebecca, Iacob pro Rachele ſterili, quia ſterilitate tantùm grauabantur, erant verò illæ iuuenes, & viri earum, & exprimitur; at hic ipſa ſterilis, & ambo ſenes, & habemus clara verba Zachariæ in contrarium. Non obſtat Abraham, & Saram ferè centenarios genuiſſe, quia non legitur ipſos oraſſe Dominum pro prole, de quo quærimus, ſed tantùm Abraham dixit non dediſti mihi ſemen Geneſ. 15. 3. imò vltrò dicente Deo. Geneſ. 17. Sara vxor tua pariet tibi Filium, cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit dicens in corde ſuo, putaſne centenario naſcetur Filius? & Sara nonagenaria pariet? Et cum id repeteretur Saræ. Geneſ. 18. riſit poſt oſtium tabernaculi dicens, poſtquàm conſenui, & Dominus meus vetulus eſt voluptati operam dabo? Nec placet aliquando oraſſe Zachariam pro prole, & nunc exauditas eius preces, quia cum Angelus dicat, exaudita eſt deprecatio tua, loquitur de præſenti, non præterita; ſic enim in dubio verba ſunt intelligenda. Vndè placet opinio illa deprecationem exauditam pro Meſsia mittendo, quæ erat in diebus illis frequens apud omnes, & eò magis credendum apud Zachariam iuſtum, & legis obſeruatorem; & ſi Angelus præmittit de prole, id facit, quia erat de connexis, & ſine hac explicare non poterat de Meſsia venturo, quòd erat principale. Dicamus igitur quod addens & prolem, operatus eſt Deus ſecundùm regulas ſuas, vt ſemper abundet in gratijs ergà benè petentes, vnde Chriſtus, quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis; Ezechias orat pro ſalute, & prorogatione vitæ, & Deus illum ſanat, & addit victoriam contrà inimicos. Salomon ſapientiam, addit omnem gloriam, & diuitias. 3. Reg. 3. Promittit Deus Abrahæ prolem ex Sara, & eundem ſuper Iſmaele exaudit. Seruus petit dilationem, Dominus dimittit debitum. Latro dicit memento mei, Chriſtus hodiè mecum eris in Paradiſo. Petamus ergo vt accipiamus, ne condemnemur, cum Achaz admonito nolente petere. ***Et vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.*** Huic, Ioſiæ, Iſaac nomen inditum, Abrahæ, & Saræ mutatum: Iacob, Iſrael, Simoni Petrum additum, quæ omnia myſterium important. ***Et erit gaudium tibi, & exultatio***, ſenes enim plùs lætantur in filijs in ætate ſenili natis. Geneſ. 37. 3. ***& multi in natiuitate eius gaudebunt***, prout factum videbimus; ***erit enim magnus coràm Domino***, magni fiet à Domino, ***& vinum, & ſiceram non bibet***; ſed cur non iubetur patri, vel matri ne bibant, prout iuſſum fuit matri Samſonis? Quia Eliſabeth erat ſenex, & fuiſſet indiſcreta iuſsio, Dominus enim diſcretè agit; vel quod dicit in matre Samſonis, intelligit de filio, prout cum Manue ſe explicat, ideò Samſon Nazaræus ab vtero. ***Et Spiritu ſancto replebitur adhùc ex vtero Matris ſuæ***, mirabilitèr, ecce quomodo magnus coràm Domino; ***& multos filiorum Iſrael cõuertet ad Dominum Deum ipſorum*** ſua prædicatione, & baptiſmo; ***& ipſe præcedet ante illum***, Deum incarnatum ***in ſpiritu, & virtute Eliæ***, vt alter Elias zelatus pro Deo, ***vt conuertat*** (explicat ſuperiora) ***corda patrum*** ſapientum ***in filios***, ità vt & filij prudentes euadant; ſed meliùs declarat, ***& incredulos***, filios ſcilicèt, ***ad prudentiam*** patrum ***iuſtorum*** credentium; vult dicere; vt reducat populum Iſrael cuiuſquè ætatis ad Meſsiam acceptandum, & fidem in illum, & fiant patres, & filij vnanimes, concordes in fide, prout act. 4. 32. multitudinis autèm credentium erat cor vnum; firmatur is intellectus ex Malach. 4. 6. ex reciprocatione patrum ad filios, & filio-

rum

rum ad patres; non enim intenditur ibi, niſi hæc vnio ad fidem, ſicut in alia phraſi vnionem denotante, ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, erit mihi in populum, & ego ero ei in Deum; & conuertimini ad me dicit Dominus, & ego conuertar ad vos, quaſi vnum erimus, pax erit intèr nos; nec Zacharias aliud intendit dicendo, & tu puer propheta, &c. præibis enim antè faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſsionem peccatorum eorum; nequè Iſaias c.40. dicens de eo, vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei veſtri, omnis vallis, &c. nequè Matth. 23. in fin. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pul los ſuos, vbi dixi; nequè Ioan. 11. 52. vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum; nam Elias, & Enoch non venient niſi ad fidem propagandam, quod erit *parare Domino plebem perfectam*, quæ verba declarant ſuperiora; vnde intellectus de cordibus patrum antiquorum in filios non videtur accomodatus, cum agatur de agendis per Ioannem circa patres, & filios extantes, vel futuros, non mortuos, & videmus Ioannem hoc argumento vſum non eſſe, imò dicebat, & nolite dicere patrem habemus Abraham, &c. & tollitur penitùs ex loco Malachiæ vt ſuprà expoſito, *Et dixit Zacharias ad Angelum. Vnde hoc ſciam?* non dubitauit poſſe fieri à Deo dicta per Angelum, non de perſona Angeli; ſed de veritate dictorum propter ſe, & vxorem, vt ſubijcit, ideò petit aliud ſignum, non credens Angelo de ſigno dato, propterea Angelus dixit, eò quod non credidiſti verbis meis, & ſola incredulitas mulctatur, non priuatur promiſsis; cauſam non credendi à principio aduentum Meſsiæ ab Angelo pronunciatum, & à Zacharia petitum adducit, quia ſignum, quod allegas eſt admodum inueriſimile, *ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis*, propterea alio ſigno vtere, *& reſpondens Angelus dixit ei. Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum*, ità & Raphael cum Tobia, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Tobiæ 12. Non ſolent Angeli niſi ferè coacti manifeſtare qui ſint; hinc nota ſunt trium tantùm nomina; imò Iacob Geneſ. 32. 29. petenti quo appellaris nomine, reſponſum, cur quæris nomen meũ, & Gedeoni tantùm indicauit ſe Angelum: Manue interroganti de nomine reſpondit, quid quæris nomen meum, quod eſt mirabile? ſed fortè id, vt omnia Domino referantur, cuius ſunt adminiſtratorij ſpiritus Heb. 1. ſponſi enim amicus gaudet de bono ſponſi, nec quicquàm ſibi tribuit; Hinc Ioanni ab Angelo dictum Deum adora. Apocalyp. 19. & 22. & fortè hac de cauſa neque Petrus agnouit Angelum eſſe, qui de carcere illum eduxit, & ideò in laudes Dei prorumpens, nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum; *& miſſus ſum* à Deo *loqui ad te, & hæc tibi euangelizare*, quaſi & mihi, qui aſto ante Deum, & ſi non mihi, Deo ſaltem mittenti credere debueras; ſed quia non credidiſti, *ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo, quòd non credidiſti verbis meis, quæ* (tua incredulitate non obſtante, nam Deus non recedit à donis ob aliorum impietatem, vel demeritum, vt in Achaz nolente petere) *implebuntur in tempore ſuo* à Deo præfinito. *Et ecce eris tacens in* pœnam incredulitatis, non in ſignum, quia iàm credidetat verbis poſtremis Gabrielis, ideò dicit, quia non credidiſti, non quia non credis, ſigna enim infidelibus non fidelibus data, & ſi perſtitiſſet in incredulitate, dixiſſet, quia adhuc non credis, dicendo ergo quia non credidiſti, excluditur ſignum, non enim operatur Deus miracula abſque neceſſitate; inficiari tamen non poſſumus, quin pœna hæc eum tutiorem non reddiderit, prout confirmata fides Mariæ ab exemplo Eliſabeth, alioquin eo non vſus eſſet Angelus. Confirmat priùs Angelus, quæ nunciauit; poſtea corrigit: ità Chriſtus Thomæ. Ioan. 20. 27. infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & fies ſecurus, poſtea ſubiungit: noli eſſe incredulis, ſed fidelis; & Simoni duo debitores, &c. & finita parabola tranſit ad correctionem, vides hanc mulierem, &c. Hæc cum bonis, cum malis acerbè Moſes, Ioannes, Chriſtus; Generatio praua, atque peruerſa hæccine reddis Domino popule

pulſe ſtultè, & inſipiens. Serpentes, Genimina viperarum. Generatio praua,& incredula. *Eris tacens.* Sic Eliſeus Principi non credenti. 4. Reg.7. & Micheas Sedechiæ pſeudoprophetæ. 3.Reg.vlt. Ieremias Sedechiæ Regi. Dum punitur ſtatim error iuſti,eſt beneficij indicium, etenim (2. Machab. 69.) multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere magni beneficij eſt indicium; nec tamen Zacharias in tribulatione derelictus,ſed certus redditus adimplenda, quæ dixerat *tempore ſuo, Vſquè in diem, quo hæc fiant.* Sic cum Nabuchodonoſor ab hominibus eiecto donec ſciret, quòd dominaretur excelſus in regno hominum, & cuicunquè voluerit det illud Dan. 4. Sed Deus cui omnia ſeruiunt, & ex malo ſcit bonum carpere, prout iuſtis omnia cooperantur in bonum, vſus eſt taciturnitate Zachariæ, ne antè tempus ab eo præfinitum alijs inſtans Verbi in carnem aduentus propalaretur, primò Virgini annunciandus. *Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur, quòd tardaret ipſe in templo; egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd viſionem vidiſſet in templo, & ipſe erat innuens illis*, quæ ei accidiſſent, *& permanſit mutus* iuxtà verbum Angeli. Hinc Ioanni Baptiſtæ maior fides. Præſtolatur Populus, prout 1. Reg.9. expectabat Samuelem, nequè enim cõmeſturus eſt populus, donec ille veniat, quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt, qui vocati ſunt, quod obſeruat Chriſtus in plebe; ecce iam triduò ſuſtinent me, & Raphael Tobiæ 12. quando orabas, &c. & Angelus Centurioni. acto. 10. orationes tuæ, &c. Moræ impatientes fornicantur. Sic populus Exod. 32. fac nobis Deos, qui nos præcedant, Moyſi enim huic viro ignoramus quid acciderit; & Saul offerens holocauſtum non expectato Samuele. 1.Reg.13. Non ſcandalizatur populus, ſed credit viſionem vidiſſe. non ſic Barbari de Paulo acto. 28. & Iudas de nuru. Geneſ. 38. Deus verò non ſic iudicat, prout hi, vt exemplo illius non iudicemus temerè, vel eum arguamus, exempla ſunt in Adam, Caino, quos vocauit, in ædificantibus turrim, & Sodomitis, quos deſcendit viſurus. *Et erat innuens illis*, ſi in via cum populo, quid non cum Eliſabeth domi tot diebus? *Et factum eſt vt impleti ſunt dies officij eius, abijt in domum ſuam*, tunc ſecedebant Sacerdotes, nec cum vxoribus verſabantur, quid nunc noſtri offerentes munditiam ipſam? Si Achimelech daturus panes propoſitionis quærit an mundi ſint pueri, maximè à mulieribus. 1.Reg.12. Non diſcedit niſi impleto miniſterio, prout Apoſtoli nolentes diſtrahi, non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. act.6.2. primùm ergo miniſterio iniuncto ſatisfaciendum prout Vrias. *Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius* iuxtà verbum Angeli, *& occultabat ſe menſibus quinque*, dum adhuc venter non intumeſceret, nemini reuelabat ſe concepiſſe, ideò & latuit Mariam; at non ex verecundia, quia, vt dicit Angelus Raphael, opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt, & quia honor Eliſabeth, quòd Deus ab ea abſtuliſſet opprobrium ſterilitatis, vt ipſa dicit, & Rachel. Geneſ. 30.23. Sara. Geneſ. 21.6. Anna 1.Reg.1. exultantes pro partu, ſed quia adeò ſeni nulla fides eſſet adhibita, prout Sara de ſe dicebat. Geneſ. 21.7. quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iàm ſeni? vel ex humilitate, quam & oſtendit cum Maria. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? & à Domino omnia recognoſcens, quia ſic fecit mihi Dominus; vel ex myſterio, vt conceptio illius occulta Angelo Mariæ annuncianti daret argumentum, & aduentus Meſſiæ inſtans, quem Deus nolebat adhuc publicari, non deprehenderetur, *dicens*; poſtquàm non poterat ſe occultare, *quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines*; ſterilitas enim tunc ſic reputabatur, proptereà Sara, Rebecca, Rachel, Anna filios expetebant.

CAPVT II.

DE ANNVNCIATIONE VERBI.

Luc. 1.

1 *IN mense autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*
2 *in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, * ad virgi-*
nem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo
3 *Dauid, & nomen Virginis Maria. * Et ingreſſus*
Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus te-
4 *cum: Benedicta tu in mulieribus. * Quæ cum audiſſet,*
turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta
5 *ſalutatio. * Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam*
6 *apud Deum: * ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius*
7 *IESVM. * Hic erit magnus, & Filius Altiſsimi vocabitur, & dabit il-*
li Dominus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æter-
8 *num, * & regni eius non erit finis. * Dixit autem Maria ad Angelum: Quo-*
9 *modo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? * Et reſpondens Angelus dixit*
10 *ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Ideo-*
11 *què, & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. * Et ecce Eliſabeth*
cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt il-
12 *li, quæ vocatur ſterilis, * quia non erit impoſsibile apud Deum omne verbum.*
13 ** Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum*
tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

COMMENTARIVS.

IN menſe autèm ſexto conceptionis Ioannis propter Chriſtum completæ, vt & inventre inciperet eius teſtimonium, in quo vſquè ad finem vitę etiam in carcere (mittendo diſcipulos) perſeuerauit. *Miſſus eſt Angelus Gabriel*, cui hæc nota, cum Danieli,& Zachariæ iàm illa detuliſſet. conueniebat mitti Angelum puriſſimum puriſſimæ Virgini, & de præcipuis, magna, cæleſtia, & diuina; quibus homo impar erat, & ineptus, nunciaturum; ſolet à Principe mitti nuncius gratus Principi,ad quem mittitur. *A Deo.* Ob ſuam miſericordiam, quia nullus meruit incarnationem. Cum autèm benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit,&c. Tit.3.4. *A Deo.* Si

Ga-

Gabriel primus eſſet cæleſtium, poſſemus dicere, à Deo immediatè, quia ab alio ſuperiore non illuminaretur; at quia non reputatur primus, vndè illuminatur à ſuperioribus iuxtà doctrinam Dioniſij de cæleſ. hierarch. cap. 7. ideò non poſſumus iuxtà hanc regulam dicere, miſſum fuiſſe immediatè à Deo, ſed mediatè illuminatus à ſuperioribus ſubſtantijs, & qui vellet ſecùs dicere, neceſſe haberet probare, Deum receſſiſſe ab illa regula, & ſubordinatione, quod probari non poteſt. Id autèm non probatur ex verbis (miſſus à Deo) quia omnes Angeli in miniſterium miſſi dicuntur à Deo, non ab alio mitti; ſunt enim adminiſtratorij ſpiritus Dei. Heb. 1. in fin. vndè exprimitur hic, quod neceſſariò intelligebatur abſquè expreſſione; & taciti, & expreſſi idem iudicium, vndè ſiuè dicatur à Deo, ſiuè non exprimatur, ſemper intelligitur miſſio facta à Deo. Habemus in ſimili. Tob. 12. 14. dictum à Raphaele (miſit me Dominus) & tamen nemo dixit ex eo probari miſſum eſſe Raphaelem à Deo immediatè, & non via ordinaria per illuminationem ſuperiorum; & Gen. 19. 13. dicũt Angeli. Delebimus enim locum iſtum, eò quòd increuerit clamor eorum coràm Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos; nàm non poſſumus tutò dicere hos immediatè miſſos. ſic Ioan. 1. Fuit homo miſſus à Deo, & tamèn per Angelos, non per Deum factam credimus miſſionem; imò antiquitùs Angeli repreſentabant perſonam Dei, & dicebant ſe Deum; & ſic cum maiori auctoritate comparebant. Dicebat Deus, mitto, miſi, mittam Angelum meum, & tamèn nemo dixit receſſum fuiſſe à regula Dioniſij, quæ alioqui deſtrueretur, ſeù limitaretur, ſed, vt dixi, hoc nihil refert: tàm enim dicitur mitti à Deo qui mediatè, quàm qui immediatè; ſiuè reſpicias creaturas, ſiuè Deum ipſum; nàm quoad creaturas ſatis eſt Angelnm eſſe, & probauit Zacharias incredulus. Luc. 1. quò verò ad Deum nedum minor, ſed maior eſt illius maieſtas mediatè agere, prout & videmus apud nos conſiderari in Principibus terræ, & ſi quid importaret, reuelaret Deus quandò immediatè, & quandò mediatè mitteret; quæ enim ad gloriam ſuam ſpectant vult omnibus innoteſcere. Io. 2. 11. alioquin vana eſſent, & ſinè fructu, at id nunquàm præſtitit neque antiquitùs, neque in lege Euangelica, ergò nec probatur factum. Si putas id probari ex negocij magnitudine; at quandò Gabriel miſſus fuit ad Danielem cap. 9. 21. reuelatum tempus aduentus Meſſiæ, quandò ad Zachariam pro eadem cauſa. Luc. 1. quæ eſt eadem materia nunciorum, non dicimus tunc Gabrielem à Deo miſſum immediatè, ergò nequè dum miſſus ad Virginem; imò non attenditur materia, vt Angelus dicatur à Deo miſſus, quia Raphael dicitur miſſus à Domino, & tamen materia non erat adeò grauis. Prætereà non potes arguere à magnitudine myſterij, quia diuinare eſſet ob hanc cauſam receſſum à regula, ſed tantùm ex verbis (miſſus à Deo) quæ tamen, vt dixi, non probant. Inſupèr non videtur id factum ex negocij magnitudine, non reſpectu Dei, quia (ſecundùm hominem) magis ſeruatur eius maieſtas, ſi per illuminationem ſuperiorum potentiarum fiat miſſio, quàm ſi immediatè, non reſpectũ noſtri, quia non reuelauit Deus, qui tamen nihil facit, quod ſeruis ſuis Prophetis non reuelet, non etiàm reſpectu negocij; ſeù myſterij, quia idem eſt mitti mediatè, vel immediatè; nàm ſemper recurritur ad principalem mittentem Deum; non reſpectu Angelorum, inter quos cenſendum ſeruatum illum primum, & ordinarium modum. Ad hæc negocij magnitudo explicabatur ex perſona nuncij, & rei, quæ annunciabatur, & hoc ſatis erat. Non etiam poteſt hic conſiderari meliùs fuiſſe immediatè rem hanc tractare; id enim ſolent Principes nuncios in arduis mittentes, quæ nolunt propalari ad vitanda impedimenta; nàm in cælo abſonum eſt putare, vel abſconditorum reuelationem, vel impedimentorum obiectionem. Prætereà (vt aliàs tenui) myſterium incarnationis conſtat Angelis innotuiſſe, quandò Deus dixit ſerpenti: inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tunm, & ſemen illius. Geneſ. 3. & per Angelos reuelatũ Prophetis. Iacob de tempore dixit; non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt. Geneſ. 49. Iſaias, ecce Virgo concipiet. Gabriel Angelus reuelauit Danieli, poſt

pòſt hebdomadas ſeptuaginta duas Meſſiam venturum. Daniel.9.21. & ſi Deus nihil facit, quod Prophetis ſuis non reuelet, quomodò ignotum Angelis, per quos reuelat Prophetis? & ex his non videtur receſſum à regula, & fit etiam clarum nuntium Virgini à Gabriele apportandum omnibus cæleſtibus veriſimiliter innotuiſſe, cum iàm myſterium eſſet & hominibus manifeſtum per Angelos; Dum verò dicitur, aſſiſtentes Angeli non mittuntur, alij miniſtrant, ſeù mittuntur, non videtur procedere, quia Gabriel vnus eſt ex aſtantibus, vt ipſemet dicit Zachariæ. Luc.1. ego ſum Gabriel, qui aſto antè Deum; & Raphael. Tobiæ 12. ego ſum vnus ex ſeptem, qui aſtamus antè Deum, & tamèn Raphael ad Tobiam, Gabriel ad Danielem, Zachariam, & Virginem miſſi, & in Apoc. ſunt alia exempla aſtantium miſſorum. An verò Virgo tunc cognouerit eſſentiam Angeli? credo, non vidiſſe eſſentiam Angeli, quia nihil referebat ad myſterium, de quo agebatur; ſufficiebat enim cognoſcere illum eſſe Angelum, prout cognouit, non ergò extranea miſcenda. ex S.Thom. 3.par. quæſt. 30. art. 3. *In Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*. Singula deſcribit in re grauiſſima. *Nazareth*. hic concipitur, quia Nazarenus vocandus erat. Matth. 2. & ibi tutiùs nutriendus, quàm in Iudæa, & quia ex Galilæa congregandi Apoſtoli; Natiuitas verò Bethleem reſeruatur, vt prophetiæ adimpleantur. *Ad Virginem deſponſatam viro*; hoc ad Mariæ ornamentum; & ob alias rationes, quæ apud aliòs, & illa ratio, vt partus celaretur diabolo non videtur procedere, quia Deus eidem illum celare poterat abſquè deſponſatione; nec argumenta Abulenſis, & Scoti vrgentia videntur tolli, cùm reſponſiones fundentur in voluntate Dei, qua præſuppoſita, ceſſat ratio deſponſationis ſola, & erit ad hominem, non ad dæmonem. Poſſet fortè dici mediatè illa id factum à Deo, & tunc iungenda ſimul deſponſatio, & Dei beneplacitum volentis per illam diabolum decipere.

Matrimonium autem fuit verùm inter Mariam, & Ioſeph; ideò vir; & coniux nuncupantur. Matth. 1. & alibi; hincquè cenſendum omnia interueniſſe, quæ ad tale coniugium firmandum requirebantur, & abfuiſſe, quæ illud poſſent impedire, vel votum, ſi quòd erat, quia ſimplex, vel quia etſi ſolemne, tunc non impediebat cum hoc ſit de iure nouo canonum, & contrà votum (ſi factum) non ibat propoſitum virginitatis retinens, vel intentio non conſummandi matrimonium, quæ interceſſiſſe præſumitur (nàm ſi cum Angelo, quomodò fiet iſtud, quoniam virùm non cognoſco, cauens virginitati, quid cum viro?) quia non obſtat. cap. commiſſum. de ſponſali. vel pactum expreſſum caſtitatis ſeruandæ, quia de hoc, & alijs nihil habemus in ſcriptura. Sed ex aduersò conſiderandum Virginem in ſuis operibus ductam à Spiritu ſancto, & ſempèr immaculatam fuiſſe, nec feciſſe opera vana; Vndè videntur hæc excitari gratis, & ſinè fundamento; Imò etſi pactum expreſſum non conſummandi matrimonium interceſſiſſet inter eam, & Ioſeph (de quo non conſtat, vt dixi) tamen crederem matrimonium tenuiſſe. cap. commiſſum. de ſponſali. vbi clarè propoſitum non conſummandi matrimonium non officere, quin matrimonium non contrahatur. Nec dicas, ſecùs eſſe quandò deducitur in pactum, quod non habemus ex illo textu; nàm tu hoc nullibi probas, & vrgeris d. cap. commiſſum, quia cum duorum conſenſus requiratur in contractu matrimonij, ſi ex parte vniùs deficeret, vtiquè matrimonium nullum eſſet, & tamen in cap. commiſſum. deficit conſenſus vnius in bono prolis, & eo non obſtante determinatur matrimonium tenere; vndè eò magis procedit ſi ambo exprimant, quia maiùs eſt amborum conſenſum intercedere, quàm vnius tantùm, & in dubio taciti, & expreſſi idem iudicium. Præthereà, copula eſt ex his, quæ ſubſequuntur; nàm conſenſus, non copula matrimonium facit, ergò copulæ ſubtractio matrimonium non irritat; Et ex illo textu, & fundamentis cognoſcitur prolem non eſſe de ſubſtantia matrimonij, & ſi ſit de bonis matrimonij. Sed omnis difficultas tollitur ex cap. conſultationi. de frigid. & malefi. vbi matrimonium ſcientèr contractum cum muliere clauſa impotente commiſceri maribus tenet, nec reſcinditur, diciturquè talem ſi non in vxorem,

rem, in ſororem habendam. Non obſtat textus cap.fin.de cond.appo. quia ibi de conditione turpi, nempè de impedimento dando, ne proles ex copula ſecutura naſcatur; & ab exemplis propoſitis de conditionibus turpibus cognoſcimus textum de his ſolis agere, non autèm de conditione honeſta,& permiſſa, quæ eſt copulæ ſubtractio, vt in d. cap. conſultationi. & cap. commiſſum. & cap. fin. de cond. appo. congruunt cap. ſolet; & cap. aliquandò. 32. quæſt.2. ex quibus deſumptum. d.cap.fin. in quibus habetur, quòd ſi qui non cauſa prolis iungantur, dummodò non egerint malis artibus, ne naſcatur, matrimoninm contrahunt, ità vt non ſola conuentio caſtitatis, ſed prohibitio prolis vitioſa interuenire debeat ad matrimonium impediendum, & verbum contrà ſubſtantiam in d.cap.fin. appoſitum, intellige contrà naturã matrimonij ex gloſſ. in d. cap. ſolet. in ver. nolint, facit, quia ſi hæc conditio ratione prolis reputaretur illicita, nunquàm, etiam poſt matrimonium, permitteretur illius vſus; at poſſunt coniuges inuicem copulæ renuntiare. 1.Cor.5.7. poteſt ſponſus quilibet religionem profiteri antè conſummationem, & recedere, ergò neque vitiatur matrimonium, ſi à principio de caſtitate ſeruanda caueatur; è conuerſo illa impediens prolem ſicut irritat contrahendum,ſic neque licet in contracto;& nunquàm. Illud certè mirum eſſet, ſi quod liceret mihi de iure, nempè recedere à matrimonio contracto antè copulam; itèm contrahere cum propoſito ingrediendi religionem, illudquè non conſummandi, & copulæ renuntiare poſt conſummationem, & cum arcta contrahere, vt patet ex prædictis, & non liceret id in pactum deducere; quæ enim quæſo diuerſitas rationis dari poteſt? vndè gloſſ. in cap. infidelibus. dicens non contrahi matrimonium inter infideles cauentes de libello repudij non videtur tenenda, ſi concedit permiſſum eſſe inter eos repudium, quia quod fit lege permittente non inducit nullitatem, ad l. Gracchus. Si dicis,in caſibus prædictis iàm matrimonium habuit effectum,nimirum ſi poſt illud licent pacta; at impeditur matrimonium à principio ex pacto expreſſo; reſpondeo id tolli ex cap. commiſſum. & cap. conſultationi. in quibus à principio propoſitum non conſummandi inerat. Dices, in quo ergò firmabitur matrimonium? in conſenſu, & in indiuidua vitæ conſuetudine,vt de hoc Beatæ Mariæ, & Ioſeph. ex Chriſoſtomo cap. Beata Maria. & cap. priuſquàm. 27.quæſt.2. & vt in d. cap. conſultationi. & prout in ſenibus non valentibus ſe cognoſcere, quibus aliòqui matrimonia eſſent interdicta.

Cui nomen erat Ioſeph. vt poſſit quiſque certus fieri, omnium uomina pandit, *de domo Dauid*,ex qua oriundus Meſſias.Io.7.42. & hæc verba ſeruiunt Virgini, & Ioſeph, *& nomen Virginis Maria*, de eadem familia, quia cõnubia inibant inter contribules eoſdem. Sed cur tot præmiſſa in Maria deſignanda? vt cognoſceremus qualis hæc, cuius omnia nota cæleſtibus, nec poſſet alia fingi, & illam non Deam, ſed ex hominibus deſcendere, & conſequentèr Chriſtum ex ea carnem ſumpſiſſe, nec è cælo delapſam, & hoc non contentus Deus voluit conſeruari, & ſcribi genealogiam ipſius nedum ab Abraham, ſed etiam ab Adam, de qua Lucas, vt ſciremus hæc omnia mirabilitèr ab eo conſeruata propter ſe ipſum, vt eſſet eò magis nota carnis aſſumptio, quò ad Adam vſquè genealogia protenditur. *Et ingreſſus Angelus ad eam*. Præſuppoſito iuxtà Athanaſium, media nocte id factum eſſe, non eſt veriſimile Angelum gradientem more humano aperto oſtio ingreſſum eſſe, quia illa non eſt hora, qua oſtium præſumatur fuiſſe apertum.Vndè cum Bernardo ſentio ingreſſum eſſe oſtio clauſo,& fortè vtitur Euangeliſta verbo *ingreſſus eſt*, & abſtinet ſe à verbo apparitionis, quia apparitiones ſolent terrere; vt in Zacharia; & in Virgine Angelos ſuperante id non euenit, proptereà ſubdit non in apparitione, ſed in ſermone Angeli, ſeù dictis turbatam eſſe. *Dixit Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Salutat Virginem,prout ſolemus domos amicas intraturi, iuxtà illud Domini, in quamcumque domum intraueritis, primùm dicite pax huic domui, & beneuolentiam. & attentionem captat ſubdens, *gratia plena;* acceſſit enim annunciaturus maternitatem diuinam, nec aliud

intendit, & cum ſciat gratia plenam, Dominum eſſe ſecum, benedictam inter mulieres, non videtur aliud imprecatum, ſed prout erat nuncupaſſe; ex his enim laudibus veris cumularis, & indiſtinctis attentam reddit, excitat, erigit, præparat ad conſenſum antequàm nuntium explicet. Et proptereà non poteſt inferri, gaudendum ei eſſe ob propriam, & communem ſalutem, quam nondum expreſſit. Vel quòd vtatur verbo (Dominus) ad inflammandum eam magis ad obedientiam, cum in Virgine non eſſet hæc virtus requirenda, ſi plena gratia; & cum ſint ſalutationes, ideò præmittit, *Aue*, & laudes, quarum aliquæ vſitatæ in ſacra Scriptura, vti Angeli cum Gedeone; Booz cum Meſſoribus, Abigail, Rachele, Iudith, Ruth, & Angelus hìc in explicatione nuntij præſtet quæ ſunt ſui muneris; ſed quòd non ſit niſi ſalutatio, nec egrediatur ad aliud, euangeliſta dicit clarè, *& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Gratia plena*, non intendit hic dicere gratam eſſe Deo, quia ſubiungit inueniſti gratiam apud Deum, quæ verba id ſignant; vndè intelligenda hæc de gratiæ abundantia, quæ tamen admitteret multiplicationem, ſeù angumentum. *Benedicta tu in mulieribus*, abundans ſuprà omnes, in omnibus; benedictio enim pro abundantia, Geneſ. 26. 12. 2. Cor. 9. 7. Salutatio hæc tota non aliud, quæ parem non habet cum alijs in ſcriptura factis, quia numquàm vni tot dicta, ſed meritò hæc omnia Matri Dei electæ. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius*; non igitur proptèr Angeli ingreſſum, ſed cum audiſſet, *& in ſermone eius*, nempè proptèr nimias laudes ipſa humilis, non proptèr fœcunditatem, nec timens virginitati, quia nondum Angelus ſe explicauerat, ſed in ſimplici ſalutatione verſabatur, & propterea ſubditur, *& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quæ noua erat, ex qua ab exemplo non poterat ad prolem inferri, & cogirabunda permanſir expectans prudentèr priùs ſalutationis, & nuncij explicationem antequàm reſponderet iuxtà ſapiētem. Eccleſ. 11. 8. & Prouer. 18. 13. aliòquin Angelus explicando, prout fecit, *ecce concipies*, duplicaſſet nuncium, quod non eſt veriſimile, & quandò expreſſit, ſubdit illa, *quomòdo fiet iſtud*, non magnitudine rerum explicatarum poſteà deterretur, ſed cautè reſpondet virginitati conſulens, & quia turbata fuit in primo ſermone, non in cogitatione, vel explicatione, quæ ſucceſſit; & quòd ignoret quid vellet inferre Angelus, clarè dicit Euangeliſta, quia cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio; ideò non poteſt dici ſubijſſe timorem virginitatis perdendæ, cum nondum decreuiſſet quà tenderet ſalutatio; Si tamèn vellemus intellexiſſe Virginem verba, benedicta tu in mulieribus, fœcunditatem includere, poſſet defendi contraria opinio, & dici ſupèr alias mulieres in fœcunditate, quia Deum paritura abſquè ærumnis, & doloribus Euæ, alijſquè inflictis. Geneſ. 3. ſed prima magis placent. prænoſcens Angelus Mariam in ſermone turbatam explicat quod habebat in mandatis; *ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum. Eccè concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur*, erit, *& dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*, integram ſpiritualem, *& regnabit in domo Iacob*, qui, & Iſrael, Vndè Chriſtus Rex Iſrael dictus à turbis acclamantibus, & Nathanaele, ſupèr omnes tribus, & totum mundum, data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, & Pſalm. 2. poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, *in æternum, & regni eius non erit finis*, hìnc turbæ, nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Io. 12. 34. & Daniel poteſtas eius, poteſtas æterna, & habetur. 1. Cor. 15. 25. Hìnc tanta tibi laus ò Maria. Turbari eam voluit Deus, vt ab Angelo opportunè diſceret nuntium: ſic Deus permiſit hæſitare Petrum ſupèr viſione lintei, vt à viris à Centurione miſſis certus fieret, quò tenderet viſio. act. 10. *Inueniſti gratiam apud Deum* (ſecundùm aliquos) maternitatis Dei, quam concedendam nouerat fœminæ de domo, & familia Dauid, vt hac de cauſa virgo eſſe voluerit, præter aliarum conſuetudinem, quòd Dei Matrem Virginem eſſe debere in Iſaia cap. 7. 14. legiſſet. At obſtant huic intellectui verba. *Turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, & quo-*

modò

modò fiet iſtud, quoniàm virum non cognoſco, & quia vouetat virginitatem exaltata, ad tantàm cognitionem Dei, cui magis in virginitate placituram ſe cognouit, deſponſatio Ioſeph, ſuprema humilitas Virginis, quæ ſola meruit coronari, & ſolam ancillæ ſuæ reſpexit Dominus magna faciēs, & verba Angeli, *quia non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum*, & exemplum Eliſabeth adductum, & dictum Eccleſiæ cum eſſem paruula placui Altiſſimo. Adde verba *ecce concipies*, &c. quæ videntur innuere quãtùm diſtaret ab hoc Virgo, nullum enim horum cadit in quærente gratiam inuenire pro maternitate. Vndè ſtandum quòd inuenerit gratiam, grata fuerit Deo, prout de Dauid. 1.Reg.13.14.16.13. Pſalm.88. 21. acto.13. Noe. Geneſ.6.8. Moyſe.Exod.33. 12. & ijs excellentiùs;& quòd inuentio gratiæ ſit generalis, non reſtricta conſtat, quia ex generalitate infert Angelus, *ecce concipies*, &c. ecce enim eſt illatiuum, & inuentio gratiæ eſt ex parte Dei, quatenùs dicit perfectionem, vt hic, ſic in baptiſmo, & transfiguratione,hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, poſt Iſai. 42. & non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Illud autèm crederem cum alijs teneri poſſe, inuentam tunc Virginem rogantem pro verbo incarnando, ſi enim id in Zacharia tentum,quantò magis in Virgine? *Dixit autèm Maria ad Angelum. Quomodò fiet iſtud quoniàm virum non cognoſco?* Tanta erat humilitas Virginis, vt neque hoc dictura, niſi verbis Angeli, grauitateque, & neceſſitate negotij vrgeretur, & nihilominùs, nec virginitatem vouiſſe explicat, nec virtutem hanc ſuam commendat,ſed ſimplicibus verbis veritatem refert, *virum non cognoſco*, non licèt cognoſcere, prout Geneſ.3.de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur, ideſt, veſci nobis licèt. Vel fixum eſt mihi in animo non cognoſcere. Sic Ioannes Baptiſta coactus ab interrogantibus miſſis, quid de te ipſo dicis, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos? ponit laudem ſuam ego vox clamantis in deſerto, &c. fortè aliàs non dicturus, maius enim miniſterium non dabitur,vndè Chriſtus Apoſtolis. ſicut miſit me pater, & ego mitto vos. Sic Dauid de Vrſo, & Leone à ſe occiſis cum Saul, vt fidem acquirat ex neceſſitate. 1.Reg.17.35. Si dictum de Ioanne, quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? qui non fuit motus, nec declinauit, vt mentiretur ſe dicere talem, qualis non erat, quod neque talem reddidiſſet, eò magis de Virgine, quæ ad tanta ei verè à Deo oblata ſtat, non mutat propoſitum, vult priùs rem penitùs intelligere, antequàm annuat. Interrogat de modo, vt ſalua ſit virginitas, cui timebat, & ex reſponſione Angeli certum apparet, quia de modo tantùm reſpondet,reſponſio enim conformis eſſe præſumitur interrogationi. Si dixeris ex dictis Angeli cognouit parituram eſſe Meſſiam, hunc autèm ſciebat ex Virgine naſciturum iuxtà Iſaiam. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, ergò quærebat tantùm de modo, quo virgo conceptura erat, & tùnc non timebat virginitati. Reſpondeo, ratio per eam reddita, *quoniàm virum non cognoſco*, includere videtur timorem virginitatis ammittendæ;Vndè ex magna ſolicitudine conſeruandæ virginitatis interrogat adhùc ignara, an Iſaiæ dictum in ea eſſet adimplendum, ſempèr humilitèr de ſe ſentiens,aliòquin dicendum fuit. Sum ne ego illa Virgo, de qua Iſaias? vel ſic: Etiàm ſi dixiſſet Angelus eam concepturam, & parituram Meſſiam; potuit non cogitare de vaticinio Iſaiæ:Vel ſi cogitauit, excepit, modo vſitato in me fieri non poteſt, quia nec cognoſco, nec cognitura ſum virum;queſò ergò dicas mihi quomodò fiet iſtud, nec enim Iſaias explicuit modum,nec alibi in ſcriptura de modo conſtat;prudentèr ergò ab annunciante, & veriſimilitèr informato petit de modo edoceri; primum humilitati, ſecundum prudentiæ Virginis tribuendum. Abſit autèm vt dicamus finxiſſe ſe ignorare quod ſciebat, omnis enim labes, omnis macula abſuit. Nec repræhenduntur Abraham. Geneſ.15. 8. Ananias. act. 9.13. Petrus. act. 10. 14. Paulus. act.22.19. reſpondentes, & de modo ſoliciti. *Et reſpondens Angelus dixit ei, Spiritus ſanctus* tertia perſona in diuinis *ſuperueniet* deſcendet *in te,& virtus Altiſſimi* Dei Patris *obumbrabit tibi*. Mihi enim magis placet *hac verba, & virtus Altiſſimi*

Digitized by Google

obumbrabit tibi, intelligi de Deo Patre, prout quandò nominatur Deus altiſſimus, vel in altiſſimis habitare de illo intelligitur, & ne longiùs abeamus, in præcedentibus cum dixit, *filius Altiſsimi vocabitur*, intelligitur de Deo Patre, ideò cur hìc etiàm non debeat de eodem intelligi, non video; eò magis quia ſubdit, *vocabitur filius Dei*, ideſt patris, vt etiàm ſuprà dixerat, & non eſt dubium loqui de incarnato. Et cum in incarnatione duo ſint, vnum abſquè hominis miniſterio concipi, hoc tribuitur Spiritui ſancto, qui ex puriſſimis Virginis ſanguinibus coagulauit fœtum, & illud eſt, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te;* aliùd hypoſtaſis naturæ diuinæ cum humana eodem inſtanti, & hoc quia eſt actus potentiæ tribuitur Patri, & proptereà *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Nec dicatur verba *virtus Altiſſimi*, intelligi de eodem Spiritu ſancto, qui virtus Dei dicitur, nàm ſi de eodem Spiritu ſancto intellexiſſet, non erat repetendum *virtus Altiſſimi*, ſed ſufficiebat dicere, *& obumbrabit tibi*, diſtinguendo igitùr hoc ab illo, de diuerſis perſonis loquitur. Præthereà non rectè dicitur Chriſtus Filius Spiritus ſancti, ſed Dei Patris, ideò vt hæc adaptentur, neceſſe eſt dicere hanc operationem tribui Patri, cui datur potentia. Hìnc, & in transfiguratioue, & in baptiſmo verba, hic eſt filius meus dilectus, quæ ad incarnatum referuntur, patri aſſignantur, & Chriſtus in Cruce, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum; & alibi milliès, & ſi fit mentio Filij, & Spiritus ſancti, cur excluditur Pater, qui ex prædictis verbis poteſt includi? Imò ipſa Virgo in Cantico dicit, quia fecit in me magna qui potens eſt, & potentia tribuitur Patri, vt tamèn ſempèr meminerimus, omnia opera ad extrà communia eſſe toti Trinitati. Loquitur in ordine priùs de Spiritu ſancto, quia caro erat priùs formanda, deindè à diuinitate aſſumenda ſecundùm noſtram capacitatem, licèt hæc omnia in inſtanti, & puncto facta ſint. *Obumbrabit*, ergò, ideſt aptam, habilem te reddet ſua protectione, & vmbra, vt verbum concipere poſſis. Loth Geneſ. 19.9. pro Angelis dixit, ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei; & in Pſalmo. Scapulis ſuis obumbrabit tibi. *Ideòquè & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*, ideòquè Patre, & Spiritu ſancto concurrentibus, & operantibus quod naſcetur ex te ſanctum, à Patre, & Spiritu ſancto effor matum ex tuis ſanguinibus, *vocabitur*, erit, *Filius Dei* ſecunda perſona in diuinis. infert Angelus ex dictis, ex quibus comprobauerat quod antè dixerat; *hìc erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Et eccè Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit Filium in ſenectute ſua, & hìc menſis eſt ſextus illi*, res eſt manifeſta, quam refero, tumet venter, *quæ vocatur*, eſt, *ſterilis*, natura, *quia non erit impoſsibile apud Deum omne verbum*, factum, at ne dum ad confirmationem dictorum, & fidei Virginis, ſed etiàm vt eam inducat ad viſitationem, quæ illicò ſequuta eſt, mira quæ ſubijciuntur parituram hæc dixit Angelus; quia aliàs hoc exemplo non vteretur; *Dixit autèm Maria. Eccè ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, obſequentis, & obedientis verba ſunt hæc, tùm quòd id agebat Angelus, tùm quòd ancillam ſe dicit, tùm quòd vtitur verbo *fiat*, quaſi in Deo omnia remittens, & ſicut dixerat *quomodò fiet iſtud*, ità nunc, *fiat mihi*. Et conſenſu dato, ſtatim perfecta fuit incarnatio, nempè verbum caro factum eſt, ità vt caro illa ſuppoſitum diuinum habuerit, nunquàm aliud, *& diſceſsit ab illa Angelus*, non ad alia digrediens, ſic licet obſeruare in quauis Angelorum miſſione.

C A-

CAPVT III.

QVID VERBVM CARO FACTVM.

Ioan. 1.

1 IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,
2 & Deus erat verbum. * Hoc erat in principio apud
3 Deum. * Omnia per ipſum facta ſunt: & ſinè ipſo fa-
4 ctum eſt nihil, quòd factum eſt, * in ipſo vita erat, &
5 vita erat lux hominum: * & lux in tenebris lucet, &
6 tenebræ eam non comprehenderunt. * Fuit homo miſſus à
7 Deo, cui nomen erat Ioannes. * Hic venit in teſtimo-
nium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.
8 * Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. * Erat lux ve-
9 ra, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, * in mun-
10 do erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.
11 * In propria venit, & ſui eum non receperunt, * quotquot autèm receperunt
12 eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius:
13 * qui non ex ſanguinibus, nequè ex voluntate carnis, nequè ex voluntate vi-
14 ri, ſed ex Deo nati ſunt. * Et verbum caro factum eſt, & habitauit in no-
bis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gra-
tiæ, & veritatis.

COMMENTARIVS.

IN *principio*, temporis, de quo Moyſes, in principio creauit Deus cælum, & terram neceſſariò, quia antè aliud principium non datur, ſed ſola æternitas, vndè dicit tempus primum, quo creata ſunt omnia. *Erat*, iàm, *Verbum*, ſecunda perſona in diuinis, quæ ex Maria carnem aſſumpſit, ſic Ioannes, vt tolleret hæreſes Cherinthi, & Ebionis negantium antè Mariam extitiſſe, & Ioannes Baptiſta. Hic eſt, qui pòſt me venit (natus ex Maria Virgine) qui antè me factus eſt, quia prior me erat, & ipſe, antequàm Abraham fieret, ego ſum (à Patre ab æterno) genitus, & oſtenderet æternitatem Verbi incarnati, ſi enim erat in principio temporis, ergò in æternum, quia antè illud non datur niſi æternitas, & & æternitas à Verbo, *erat*, non à Verbo, *in principio*, ſecundùm hunc intellectum demonſtratur. Et is intellectus eſt idem cum illo S. Hilarij. Non videtur autèm poſſe dici hìc in principio, ideſt in Patre, nàm dictio, *principium*, non importat Patrem, nec concludit argumentum, pater eſt princi-

pium in Trinitate, ergò dicendo *in principio*, intelligit de Patre; nàm Verbum, *in principio*, aliud poteſt importare. Secundò, neque de Patre adhùc agit Ioannes, qui aſſumpſit loqui de Verbo, aliòquin neceſſarium erat de illo prȩmittere verbis prȩciſis, cum Deus vti Pater apud Hebræos non eſſet agnitus, ſed tanquàm Deus ſimplicitèr, vel ſaltèm non ità diſtinctè. Tertiò, quia Verbum (*in principio*) dicit tempus, ſeu initium temporis, in æternitate autèm non datur principium, ergò non importat Patrem æternum. Quartò, quia ſubijcit de Patre ſub nomine Dei, *& Verbum erat apud Deum*, ergò non cenſetur in dictione, *in principio*, de Patre egiſſe, ne bis idem repeteret. Non videtur etiàm poſſe dici, *in principio*, ideſt in æternitate, nàm quomodò æternitas, ſi das principium, quomodò ex principio æternitas, quæ principio caret? Secundò ſi dictionem, *in principio*, refers ad æternitatem, textui addis; nàm Ioannes neceſſe habebat ad probationem æternitatis, & deitatis verbi probare illud extitiſſe antè principium rerum creatarum, de quo Moſes, ſi ergò illa refers ad æternitatem, plùs dicis, quàm Ioannes. Tertiò dictio, *erat*, importat æternitatem, & hanc habemus abſque vlla impropriatione Verbi, *in principio*, ergò non ſunt verba illa, *in principio*, impropriandа, ex proprietate verò non important æternitatem, præſertim quandò non conſtat de mente proferentis. Quintò verba, quæ ſequuntur, *hoc erat in principio apud Deum*, ſcilicèt vnà cum eo cooperans, & ideò ſubdit *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*; intelliguntur de principio illo creaturæ, in eadem autèm phraſi eadem verba non ſunt interpretanda diuerſimodè, cum non habeamus rationem diuerſitatis. Non obſtant verba ab initio. Eccleſ. 24. nàm determinantur à ſequentibus, & antè ſæcula. Michææ. 5. 2. quia verba, ab initio, determinantur à verbis ſequentibus, à diebus æternitatis. Non placet *in principio*, ideſt in ſapientia; nàm dictio, *in principio*, ſapientiam non importat, & verba, in principio. Sap. 8. 43. nihil probant, quia dicitur, Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm quicquàm faceret à principio, ideſt quandò creauit omnia, & ſic diſtinguit ſapientiam ab illo tempore; Prætereà ſi *Verbum*, quis dubitat ſapientiam eſſe, & cur illi hoc epitheton? nec congruit locutio, in ſapientia erat verbum. Non placet, *in principio*, ideſt in principij loco, ſeù dignitate erat Verbum, quia non poterat dare illi maiorem dignitatem ea, quam ſubdit, *& Deus erat Verbum*, & Ioannes æternitatem illius intendebat probare. *Et Verbum erat apud Deum*, notum, ne diceres vbi erat, ſi antè has res creatas, de quibus Moſes, erat & *Et Deus erat Verbum*, conſequentèr, quia nihil extabat extrà Deum. *Hoc Verbum*, quòd ſcilicèt dixi apud Deum fuiſſe, & Deum eſſe, nunc explico tale in principio *apud Deum*, Patrem, *erat*, vnà cum eo operans, vndè dicebat Pater meus operatur, & ego operor. Ioan. 5. hinc opportunè ſubdit. *Omnia per ipſum facta ſunt*, à Patre, *& ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt:* Affirmatiuæ ſubdit negationem, vt magis comprehendat, & ne per hyperbolem videretur prima verba apponi; ſimilis locus. Exod. 14. reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis; alius Luc. 1. 20. Eris tacens, & non poteris loqui, &c. & placet mihi connexio hæc verborum, vt etiàm infrà. Sed cur tanta diligentia? vt oſtendat vnum eundemquè Creatorem fuiſſe, non plures, & per ipſum omnia. Et ſic ipſum non eſſe creaturam, quod intendit Ioannes. *In ipſo*, etiam, incarnando, *vita erat*, ſpiritualis, & æterna, quia pòſt lapſum credentes in eum vitam, quam per peccatum amiſerant, inueniebant, & ſaluabantur, & ſic omnia viuificabat, ſicùt Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult viuificat. Ioan. 5. 21. & ad hunc effectum, *vita hæc, erat lux hominum*, qua homines, qui ex peccato etiàm cœcitatem contraxerant, illuminabantur, & dirigebantur in Deum, & ad credendum in eum. Vndè agnus occiſus eſt ab origine mundi, nemò nouit Patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Is intellectus ſempèr mihi placuit, alij non placuerunt.

Et

Et lux in tenebris lucet, incarnato Verbo, etiàm nunc, quia per Apoſtolos lux mundi dictos, & portantes nomen ſuum per mundum, vt de Paulo dicitur, & eorum ſucceſſores ſempèr lucet, & lucebit, & nihilominùs admirans Ioannes, ***tenebræ eam non comprehenderunt***, licèt in propria venerit, in mundo eſſet, & ſtaret medius intèr eos, vt dixit Ioannes Baptiſta, & pertranſiret benefaciendo, & ſanando omnes, & tenebrarum eſſet lucem expectare; adeò obcæcauerat eos peccatum; vel, & lux in tenebris lucet adeò lucida lux, & communicabilis, vt & in tenebris luceſcat per incarnationem, ***& tenebræ***, homines obcœcati, ***eam non comprehenderunt***, non cognouerunt. ***Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine***; Chriſto incarnato, vt omnes, ad quos miſſus, crederent per illum annunciantem; eccè officium Ioannis, de quo Angelus, & ſic intellectus datus ad verba, vt conuertat corda patrum ad filios, magìs firmatur. Vndè non defuit Deus manifeſtationi lucis. ***Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine***, iàm orto, ſeù incarnato, ne putes eum Meſſiam, prout populus. Luc. 3. homo fuit, non Deus, & homo, qui Meſſias, homo, non Angelus ſubſtantia, ſed officio, eccè ego mitto Angelum meum. Malach. 3. Mar. 1. ***Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum***, redit ad verbum; ***erat***, illud iàm incarnatum, cum opponat lucem hanc lucernæ Ioannis, ***lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum***, peccato obnoxium, & tenebroſum ex ignorantia, maximè pòſt incarnationem, ſeù manifeſtationem in carne: ***In mundo erat***, in carne, ***& mundus per ipſum***, Verbum, ſeù lumen, ***factus eſt***, vt ſuprà dixi, & tamèn ***mundus eum non cognouit***. Multi intelligunt hæc de verbo non incarnato, alij de incarnato, & hoc placet, quod infràſcriptis corroboratur. Primò ex contextu, in hoc enim Euangelio Ioannes intendit docere diuinitatem, æternitatem, & incarnationem Verbi, cœcitatem hominum, qui illud non receperunt, licèt à magnitudine, luce, vita, Ioannis teſtimonio, conuerſatione, doctrina, miraculis illud cognoſcere debuerint, & allicere contumaces, & moroſos ad credendum: Diuinitatem, & æternitatem oſtendit vſquè ad illa verba, ***& lux in tenebris lucet***, à quibus incarnationem incipit, & proſequitur vſquè in finem, & mixtim cœcitatem hominum, quos ad illius receptionem inuitat, & ne dicere poſſent non cognouimus illud, proptereà dicit in tenebris luxiſſe, manifeſtum redditum à Ioanne à Deo ad hoc miſſo, vt omnes crederent. Euellit poſtmodum incidentèr per parentheſim opinionem de Ioanne ortam in populo, quòd eſſet Meſſias ſubdens, ***non erat ille lux***, ſed teſtis lucis. Illud Verbum incarnatum, erat lux vera, & ne dicerent erat apud patrem nobis incognitum, imò, & in mundo erat, ſcilicèt incarnatum, qui mundus licèt per ipſum factus ſit, ingratus tamèn eum non cognouit, ſed nedum mundus, at in propria venientem ſuimet non receperunt, vt oſtendat maiorem cœcitatem, & tamèn hæreditas ſua Iſrael, cui promiſſus, ad quem miſſus, cum quo commoratus, educatus, imò quia hic eſt hæres, venite occidamus eum, ad quam parabolam fortè alludit Ioannes; at quanti referebat illum recipere, & ſic ad fidem allicit, nàm ***quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri***, ad finem clarè explicat de Verbo incarnato dicta ſub nomine, vitæ, & lucis, ***caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus, &c.*** quod & in epiſtola ſua prima deducit. Secundò quandò Ioannes loquitur de verbo nondum incarnato, dicit, hoc erat in principio apud Deum, & ſic loquitur de illo vti æterno antequàm mundus fieret. Dum ergò hìc dicit, ***in mundo erat***, loquitur de incarnato, tùm quòd veriſimilè non eſt idem repetijſſe, tùm quòd verba, ***erat in mundo***, non poſſunt importare æternitatem, quia Verbum, ***erat***, eſt hìc præteritum, prout, & ſuprà ***erat lux vera***, vt diximus, loquitur enim Ioannes de illo, qui iàm corpore in cælum aſcenderat, tùm quia mundus factus eſt in principio, de quo Moſes. Si dicis erat in mundo vti Deus, fateor, quia ſcriptum eſt, ego cælum, & terram impleo; ſed ſi ſic intellexiſſet, dixiſſet in mundo eſt, non au-

tèm

Digitized by Google

tèm erat, proût quandò voluit denotare permanentiam verbi incarnati dixit, *& Verbum caro factum eſt*, quia quod ſemèl aſſumpſit nunquàm dimiſit, at non ſic de permanentia corporali in mundo, cum aſcenderit corporalitèr in cælum. Si dicis dixerat eſſe apud patrem, non in mundo proût hìc, reſpondeo ſatis ibi id expreſſerat tùm nominando eum Deum, qui eſt vbiquè inuiſibilis, tùm prædicando illum, per quem omnia facta ſunt, dicendo ergò conſecutiuè, *in mundo erat*, intelligit nouo modo per incarnationem, præſertim quia intentio Ioannis non erat oſtendere Verbum inuiſibile fuiſſe in mundo, ſed exiſtentiam ſuam, & æternitatem antè res creatas, de quibus per Moſem, & in mundo incarnatum, & viſibile. Tertiò præcedunt hæc verba *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quæ quidèm intelliguntur de hominibus naſcentibus, & viſibilibus, ſubdens ergò *in mundo erat* intelligit de Verbo itidem viſibili. Quartò ſi non intellexiſſet de incarnato, non rectè ſubdidiſſet, *& mundus eum non cognouit*, id enim eſſet ſinè efficacia, & emphaſi vlla, & verba eſſent ſuperflua tàm enim erat inuiſibile eo tempore iuxtà contrariam opinionem, quò antè mundum. Quintò ſicuti Ioannes intellexit de Verbo incarnato cum dixit, *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, ità videtur dicendum & hoc loco, dum idem repetit, *in mundo erat, & mundus eum non cognouit*, cum nihil ſit diſſimile. Sextò. Semper Ioannes maiori cœcitate, & contumacia notat homines; quòd ſi prima verba *lux in tenebris lucet* de incarnato, hæc ſubſequentia de non incarnato intelligantur, contrariùm ſuccedet. Septimò, verba ſuperiora de incarnato, inferiora de incarnato, ergò & hæc media. Octauò ſi verbum, *erat*, hìc non importat æternitatem, cum annexum ſit mundo, qui aliquandò non fuit, nec minùs importat præſens, quia ſi de præſenti loqui voluiſſet, expreſſiſſet, & congruebat, quia ſi de præterito, non de præſenti tàm erat inuiſibile in mundo antè, quàm pòſt incarnationem; cum ergò dixit, *in mundo erat*, intelligit non fuiſſe in mundo de illo tempore, de quo verba facit, ſed de tempore, quo in carne verſabatur in mundo; patet, quia per verba de præterito ſubdit, *& mundus eum non cognouit*, ergò & in antecedentibus loquitur de præterito, cum ſit eadem oratio, & clauſula. Accedit quòd proſequitur per verba de præterito *in propria venit, ſui eum non receperunt, habitauit in nobis, quotquot receperunt, vidimus*, non videmus, hæc enim important, ac in mundo erat, & quandò loquitur de exiſtente, & permanſuro dicit, *& Verbum caro factum eſt*. Nonò intentio Ioannis erat patefacere cœcitatem hominum in non recipiendo Verbum, ſed hæc meliùs oſtenditur applicando verba hæc ad Verbum incarnatum viſibile, quàm ad non incarnatum inuiſibile, & verba capienda ſunt in ſenſu potiori. Decimò ſi Ioannes intellexiſſet de inuiſibili, & nondum incarnato, cur tàm apertè mundum totum arguiſſet è nàm notus in Iudæa Deus in Iſrael magnum nomen eius, quòd ſi Deus, vix in Iudæa cognoſcebatur, quomodò agit de inuiſibili? & Chriſtus dixit Samaritanæ, ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, &c. & alibi ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Et Ioannes Baptiſta. medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, & fortè ad hoc alludit Euangeliſta, & ſi Diuus Chriſoſtomus velit, aliquos etiàm verbi cognitionem habuiſſe, qui tamèn pauci fuerunt, vt ſub nomine mundi non veniant, cum ergò mundum arguat, non eſt veriſimile loqui de inuiſibili, & nondum incarnato, cum adhùc mundus non habuiſſet illius notionem, quam poſteà habuit, ſed de incarnato, & manifeſto, in primo enim ſinè cauſa id faceret, in ſecundo facit cum maximà, quia ſufficientèr ſe exhibuit cognoſcendum, & de æterna vita agebatur, ſcilicèt de Dei, & Ieſu Chriſti miſſi cognitione, vt homines oſcitantes eſſe non deberent. Vndecimò ſi hæc verba, *in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt* capiantur pro inuiſibili, & antè incarnationem vtiquè erunt communia toti Trinitati, ſed Ioannes agit tantùm de verbo, ergò de illo ſtrictè ſunt intelligenda, & iàm incarnato, cum alitèr de illo ſolo intelligi non poſſint. Duodecimò in Scriptura

ſacra,

ſacra, quandò ſit mentio verbi in mundo exiſtentis, ſempèr intelligimus de verbo incarnato, ſic Iſaias, ſurge illuminare Ieruſalem,quia venit lumen tuum,&c. Zacharias, illuminare his,qui in tenebris, &c. Simeon, lumen ad reuelationem gentium, ergò & Ioannes ſic intellexit. De ſolo autem Deo inuiſibili dicimus,quò ibo à Spiritu tuo,&c. Decimotertiò ex verbis infrà cap.9.5.quandiù ſum in mundo lux ſum mundi. Decimoquartò ex 1. Timoth.1. 15. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum,&c. non competit autèm ei ſecundùm diuinam naturam in aliquo loco eſſe, ſed ſecundùm humanam. S.Thom.in commen.d.Epiſt. Reſtat reſpondere obiectis. Ad primum,quòd verba non referuntur ad lucem, ſed ad Verbum, quia dicitur eum, non eam non cognouit. Reſpondeo primò referri ad lumen, ſecundò non ea de cauſa verba hæc intelligenda eſſe de inuiſibili, & nondum incarnato, ſed mutauit Euangeliſta, quia incongruum videbatur dicere mundum per lucem factum, proptereà refugit ad Verbum, cum quo meliùs congruebat, & cum de verbo præmiſiſſet, neceſſe fuit ſubiungere dictum eiuſdem generis, & iuxtà hunc morem ſæpius mutauit Euangeliſta, ſuperiùs enim modò lucem, modò lumen nuncupauit, modò Verbum repetijt, dùm dixit, ***erat lux vera***, ſcilicèt Verbum, vndè non mirum ſi hic quoquè idem repetat. At hæc parum referunt, ſufficit dum dicit ***in mundo erat***, poſſe de incarnato intelligi, & Euangeliſtam ſtare in eodem tractatu, & materia, quæ attendenda magìs, quàm verba. Ad ſecundum,quia dicit mundus ***per ipſum factus eſt***,&id conuenit verbo ratione diuinitatis tantùm. Nàm reſpondeo conuenire, & etiàm prædicari de verbo incarnato, non ratione Principij, ſed ratione idiomatum communicatorum, pater meus operatur, & ego operor. Et cum ſemèl dixerit Ioannes de nondum incarnato, ***omnia per ipſum facta ſunt***, veriſimile eſt, vt fugiamus repetitionem, hæc dixiſſe de iàm incarnato, ratione communicationis prædictæ. Ad tertium, quòd ad Chriſtum in ſua humanitate agnoſcendum parùm referebat, quòd mundus ***per ipſum factus eſſet***. Reſpondeo,quòd imò congruebat ad maiorem cœcitatem, & ingratitudinem mundi aperiendam,quæ erat alia Ioannis intentio, & Iſaias. cap.13. eodem argumento vſus eſt, cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autèm me non cognouit, & populus meus non intellexit: & ex præmiſſis rectè hoc deducit Euangeliſta, dixerat enim ***omnia per ipſum facta ſunt***. Ad quartum, quòd iàm dixerat tenebras lucem non comprehendiſſe, quæ verba intelliguntur de incarnato; Reſpondeo, repetijt, & ſubdit hoc Euangeliſta pro maiori exaggeratione, & cœcitate mundi, & ſumpſit nouam occaſionem repetendi, quia præmiſerat, ***illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum***, vndè ad aggrauandum magìs dicit, in eodem mundo viſibile ***erat Verbum, &c.*** & ſi de inuiſibili hic intelligeretur, multò minùs diceret, quàm ſuprà dixiſſet, nàm peiùs eſt, non cognouiſſe viſibile, quàm inuiſibile, & tamèn in ſubſequentibus ſolemus reſeruare maiora, & quæ magis ſtringunt, & arguunt, & ſic obſeruat Euangeliſta in hoc ſuo principio Euangelij ſubdens, ***in propria venit, & ſui eum non receperunt***, quod magis aggrauat. Ad quintum de verbo, ***erat***. Reſpondeo Euangeliſtam præmiſiſſe id Verbum ad ſignificandam æternitatem Verbi, hic autèm referre ad tempus, quo erat in carne. Ad ſextum verba ***in propria venit***, ſatis verificari in incarnato, & id ſufficere. Reſpondeo Ioannem ad maiorem elucidationem ſubiungere verba hæc, ***in propria venit***, & hoc facere pro hac opinione. Aùt in primo totum mundum arguiſſe, in ſecundo Iudæam maiori reprehenſione dignam, & proùt hæc verba, ***in propria venit***, intelliguntur de incarnato; ità & antecedentia ad eundem finem prolata, at mundum leuiori, Iudæam fortiori argumento perſtringere. Ad vltimum, quòd verba, ***lux in tenebris lucet, & erat lux vera***, ſunt intelligenda de nondum incarnato. Reſpondeo, quòd id nullo modo defendi poterit, & eſt contrà ſenſum communem, neque poſſent annecti verba ſubſequentia, ***fuit homo miſſus à Deo***, qui teſtimonium dare debuerat de incarnato, non autèm de nondum incarnato, de viſibili, non de inuiſibili, vt etiàm

ex

Digitized by Google

ex euentu dignoſcitur, & hoc non omnia, quæ diximus, ſed vnum argumentum tantùm reſpiceret. *In propria venit.* In Iudæam, ad quam miſſus fuerat, in hæreditatem ſuam, *& ſui*, quibus promiſſus fuerat, *eum non receperunt*, imò dixerunt hic eſt hæres venite occidamus eum, & Sap. 2. morte turpiſſima condemnemus eum. Vndè Pſalm. 68. dicit. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ, & Iſaias prædixerat. Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini, Meſſias, cui reuelatum eſt? quem refert Paulus. Rom. 10. & cauſam adducit ipſemet. Ioan. 7. non poteſt mundus odiſſe vos, me autèm odit, quia teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt, & ſubditur eodem Pſalmo, quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſupèr me, & deſpicientes, & deridentes omnia opera eius dicebant. Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. In Belzebub principe Dæmoniorum eijcit dæmonia. *Quotquot autèm*, prædeſtinati, ſiuè ex mundo, ſiuè ex ſuis, dicit enim, *quotquot*, ad omnes prædictos comprehendendos, *receperunt eum. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, & hæredes. Rom. 8. per fidem, & opera bona, ideò ſubdit, *ijs, qui credunt in nomine eius*, in eum, & hi, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, non humano modo iuxtà illud; caro, & ſanguis non reuelauit tibi, idest non accepiſti ab homine, *ſed ex Deo* prædeſtinante, & adoptante eos in filios, *nati ſunt*, ſeù vt ex 1. Pet. 1. 23. renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per Verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Caro enim, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. 1. Cor. 15. 50. Alij dicunt nati ex Deo mediante baptiſmo, & propterea iuſſit Apoſtolis, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, id enim fuit vltimum remedium, quod attulit Chriſtus in mundum, licèt anteà ſufficeret fides in venturum, quæ ſignis, proteſtationibus, ſeù ſacrificijs oſtendebatur, & pòſt Abraham circumciſione ad ſalutem conſequendam; hinc ad Nicodemum, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3. at in idem recidit vterque intellectus aliquo modo, ſed primus latior, & magis comprehendens, & conformior Paulo. Rom. 8. vbi de filiatione, & prædeſtinatione; baptiſmus facit nos filios, at ignoramus, an perſeueraturi, ex prædeſtinatione habemus perſeuerantiam, & de perſeuerantibus loquitur Ioannes: Tamèn & is ſecundus intellectus concordat cum Paulo. Galat. 3. 26. omnes enim Filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quicunquè enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, &c. *Et Verbum caro factum eſt*, omnia hæc data, quia *Verbum caro factum eſt* ſecundùm aliquos; at credo exprimere clariùs, quod de verbo incarnato dixerat modò ſub nomine vitæ, modò lucis, & luminis, quod *in mundo erat, in propria* venerat, nempè illud *Verbum caro factum eſt*, & ſic ſeruauit Ioannes in præcedentibus, *in principio, &c.* & ipſum *vita erat, &c. erat lux vera*, & hinc benè annectit, *& habitauit in nobis, & vidimus, &c.* quod primo intellectui minùs rectè; quinimò cum phraſis, & clauſula præcedens ſit perfecta, & dicatur datum recipientibus eum ſcilicèt credentibus in eum *Filios Dei fieri*, nullo modo poteſt adaptari, vt poſteà dicatur, & pro quia *Verbum caro factum eſt*, cum iàm cauſam aſſignauerit, & de verbo recipiendo dixerit, & non congruat effluxio in clauſulam ſequentem. *Verbum caro factum eſt*; caro ad humilitatem, & exinanitionem maiorem oſtendendam, ſpiritus meus non permanebit in homine, eò quòd caro eſt. Verbum caro diuina, & humana natura in vno verbi ſuppoſito. *Et habitauit in nobis*. pòſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. & Ioannes Epiſt. 1. quod fuit ab initio, &c. *& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre*, ne putares, quia dicit carnem factum, dimiſiſſe quod erat, cum tantùm aſſumpſerit quod non erat, vel minùs crederes aſſerenti de verbo, propterea ſubdit habitaſſe, vidiſſe, &c. in monte Tabor in transfiguratione, in patratione tot miraculorum manifeſtantium gloriam ſuam, ſed ſignantèr in reſurrectione virtute propria, de qua Paulus. Rom. 1. qui prædeſtinatus, demonſtratus

Digitized by Google

tus Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis in reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti; *plenum gratiæ, & veritatis*, ideò vita erat, *erat lux vera* de primo Paulus. Coloſ. 2. 9. in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr, de ſecundo ipſe, ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Ego ſum via, veritas, & vita, & infrà cap. 8. 32. ſi manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

CAPVT IV.

DE VISITATIONE ELISABETH.

Luc. I.

1 *EXVRGENS autèm Maria in diebus illis abijt in*
2 *montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iudæ: * Et in-*
trauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth.
3 ** Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eli-*
ſabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta eſt Spi-
4 *ritu ſancto Eliſabeth: * & exclamauit voce magna, &*
dixit: Benedicta tu intèr mulieres, & benedictus fructus
5 *ventris tui. * Et vndè hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?*
6 ** Eccè enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in*
7 *gaudio infans in vtero meo, * & beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea,*
8 *quæ dicta ſunt tibi à Domino. * Et ait Maria:*
9 *Magnificat anima mea Dominum: * & exultauit ſpiritus meus: in Deo*
ſalutari meo.
10 ** Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: eccè enim ex hoc beatam me dicent*
omnes generationes.
11 ** Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.*
12 ** Et miſericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.*
13 ** Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*
14 ** Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.*
15 ** Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.*
16 ** Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.*
17 ** Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham, & ſemini eius in ſæcula.*
18 ** Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus: & reuerſa eſt in do-*
mum ſuam.

CA-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

EXVRGENS *autèm Maria in diebus illis abÿt in montana* abſquè Ioſeph veriſimilitèr, qui aliàs non dubitaſſet de conceptu Mariæ ſi interueniſſet congreſſui cum Eliſabeth, & eadem de cauſa præſumendum eſt nunquàm acceſſiſſe ad domum Eliſabeth, dum ibi permanſit Maria, præſertim quia ipſa ibi non indigebat miniſtro, vel ſocio, quia factus eſſet certus de vtero tumente antequàm illa domum reuerteretur, vel viſu proùt poſteà contigit, vel auditu. Et hanc ſententiam tenent hìc Toletus dicens contrariam recentiorum nullo modo recipiendam eſſe, & Baradd. Toſtatus in 1. cap. Matth. in ver. Ioſeph autèm vir eius. pòſt quæſt. 33. Hier. Guadalupen. in Luc. fol. 270. dum vult Virginem licentia obtenta à Ioſeph abijſſe. Hæc opinio comprobatur. Primò, quia Ioſeph nunquàm legitur comitem fuiſſe Virginis niſi ex neceſſitate, vel ſoluturus cenſum, vel viſitaturus templum, vel monitus ab Angelo; in viſitanda autèm Eliſabeth nulla neceſſitas. Secundò, quandò Ioſeph fuit comes Virginis, Euangeliſtæ dixerunt, proùt Luc. 2. 4. 4. 49. Matth. 2. 14. 21. & dicimus Ioſeph non interfuiſſe nuptijs, nec quandò itum in Capharnaum, & indè in Ieruſalem, quia de eo nulla mentio, idem ergò hic, cum Euangeliſtæ de eo nihil proferant; à conſuetudine enim ſcriptoris argumentamur. Dices, nullibi mentio Ioſeph in adoratione Magorum, imò dicitur: inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & tamèn creditur ibi interfuiſſe; at illud ibi veriſimilitèr, quia erat in eodem loco cum Maria, & ibi manſit vſquè ad purificationem, quo tempore illam comitatus eſt, quæ hic non concurrunt, imò ſilentium, & coniectura contraria ex ſuſpicione in Virginem. Tertiò, ſi iuiſſet, fuiſſet factus certus Mariam grauidam ex Spiritu ſancto, & non dubitaſſet, proùt dubitauit. Matth. 1. hoc autèm cognouiſſet ex congreſſu Mariæ cum Eliſabeth in prima ſalutatione, in qua id apertum fuit, cui inueriſimile virum comitem non interfuiſſe, præſertim cum ex feſtinatione Mariæ ad viſitandam Eliſabeth, & ex viſitatione ipſa data eſſet occaſio interrogandi, & nouiſſet concepiſſe Eliſabeth; vndè eò magìs & ipſe optaſſet illam videre in primo congreſſu, & gratulari ſecum. Dices non interfuiſſe ſalutationi illi; imò Viguer. in inſtitutionibus. cap. 20. §. 9. dicit Ioſeph tunc cognouiſſe de conceptione Mariæ: & alij eiuſdem opinionis quòd Ioſeph Virginem comitatus ſit, id non negant. Caietan. S. Bonauent. Salmeron. Soarez. Sed eſto. at ſi iuit ſecum, permanſit etiam ſecum in ea domo vſquè ad natiuitatem, & circumciſionem Ioannis incluſiuè, & hanc opinionem tenet S. Bonauent. in medit. cap. 5. quo tempore facta ſunt tot mirabilia, quorum fama diuulgabatur per omnia montana, & Canticum Zachariæ de Meſſia, & tunc ferè impoſſibile eſt, vt ad aures Ioſeph hæc non fuiſſent delata, & ab eo viſa; ſi enim ſciuit Zacharias mutus, & ſurdus, qui non interfuit ſalutationi primæ; quid Ioſeph audiens, & loquens? His victus negabis permanſionem hanc diuturnam Ioſeph; quia fuiſſet oneri Zachariæ, & quia dimiſiſſet longiori tempore artem, ſeù officinam ſuam, ex qua ſibi victum parabat, & ego dico. Primò aliàs & artem longo tempore dimiſiſſe, dum itum ad Bethleem, ad templum, in Aegyptum, & in reditu. Secundò, ſicut non erat oneri Virgo; ità nequè vir eius, præſertim quia Zacharias vnus ex primis Sacerdotibus erat diues, vt dicit S. Bonauent. in medit. cap. 5. Tertiò, ex obiectis infero Ioſeph non eſſe comitatum illam, poſtquàm nulla inerat neceſſitas, & ne artem ſuam dimitteret, & videtur conceſſu facilius non aſſociatum eſſe, quàm poſtquàm aſſociatus eſt, illam dimiſiſſe. Sed eſto, non permanſit; at ſaltèm illicò non diſceſſiſſet vel inſalutata Ealiſabetta, & Zacharia, vel non ſumpto cibo ad ſe reficiendum; in qua-

uis autèm parua mora temporis,& congreſſu cum Eliſabeth cognouiſſet ex vtero tumenti eam grauidam, cum eſſet in ſextò Menſe. Luc. 1. in congreſſu verò cum illis, & congratulatione credēdumne ipſos ſcientes (de Eliſabeth clarum, de Zacharia ex Cantico) conceptionem Virginis, & Meſſiæ, qui expectatus erat cunctis gentibus, & erat in òre omnium, aliquid non dicturos? non gratulaturos ſecum? gaudium hoc non participaturos, præſertim Ioſeph eadem repetente cum eis ob conceptionē Eliſabeth? hæc inueriſimilia, & daretur in eis magna ruſticitas, quæ nullo modo credi poteſt. Sed eſto, illicò diſceſſit, & nullum horum interuenit, at ſicut vis illum aſſociatum eſſe in eundo, nonne vis & in reditu idem præſtitiſſe? & verè non potes alitèr dicere, ſi non vis modò vnum, modò aliud ad tuam intentionem fundandam aſſerere; ſi autèm in reditu comes fuit, & mirabilia illa tunc facta, quia illa diſceſſit Ioanne circumciſo, ergò Ioſeph tunc ſciuit conceptionem Mariæ ex Spiritu ſancto vtero tumente pòſt tres menſes, cum id ab Eliſabeth, à Zacharia loquela recepta, diſcere potuerit, & didiciſſe eſſet veriſimile, malè ergò dixit Euangeliſta Matthæus illum dubitaſſe, ſi ſciebat, vel dandum miraculum, vt tùnc Ioſeph hæc fuerint occulta; vndè in magna hæc abſurda incides. Imò & in aliud maius, quia ſi ibi fuit hac vltima vice, & vidit vterum Virginis tumentem, tùnc in domo Eliſabeth dubitauit, non in domo propria; at communis eſt Patrum in domo propria dubitaſſe, ibiquè ab Angelo monitum fuiſſe ex contextu. Matth. 1. aliòquin quomodò ipſa redijt in domum ſuam, ideſt viri? quomodò eam reduxit ad domum ſuam ſi dubitabat? nequè adhùc ab Angelo monitus erat? ergò ibi non fuit ſecum pro reditu, ſi non pro reditu, nequè prima vice dum iuit. Quartò erat Chriſtus in paternis, & cæleſtibus ibat mundaturus Ioannem præcurſorem ſuum, eumdemquè Spiritu ſancto cum matre repleturus, nimirum ſi patre putatiuo tùnc carere voluit, matre etiàm cariturus ſi fieri potuiſſet: vndè dum eſſet duodecim annorū in eiſdem paternis verſans: inſcio vtroquè carere voluit, in Ieruſalem remanens. Quintò dicit textus. *Exurgens Maria* pòſt Salutationem Angelicam, & verbi conceptionem, *abijt in montana cum feſtinatione*, ex quibus verbis colligimus celerem eius abitum, & greſſum, non potuit autèm de facili Ioſeph relinquere domum vacuam, & artem ſuam, ex qua victum ſibi quærebat, dimittere, vel res ſuas, ſeù negotiola illicò componere, præſertim quia Maria Spiritu ſancto edocta fortè ei dixit ſe diù apud Eliſabeth manſuram, & vſquè ad partum, non enim veriſimile inſcio Ioſeph, imò & eo de cauſa viſitationis non informato Mariam diſceſſiſſe, & fortè etiàm Ioſeph non erat itineribus aſſuetus. Sextò matrimonium intèr ipſum, & Mariam antè paucos dies initum fuerat; credo enim Deum Virgine deſponſata illicò incarnatum eſſe, cum non tardet in communicando ſe vaſibus aptis, & adſit tempore opportuno: Vndè ſicut antè matrimonium de recenti contractum Maria erat libera, ſic non putauit neceſſariam tùnc eius aſſociationem. Septimò vno verbo dicamus, ſic Deus diſponebat vt conſequentèr dubitaret Ioſeph, & deindè crederet, & teſtis fieret eius virginitatis ab Angelo monitus, de qua non potuiſſet ita certò atteſtari, ſi interfuiſſet congreſſui Eliſabeth, & Mariæ; quia quoad Mariam, à ſibi ſuſpecta, quoad Eliſabeth à fœmina Mariæ cognata, didiciſſet; at hìc ab Angelo, cuius irrefragabile teſtimonium. Vndè Paulus. Galat. 1. 8. Angelorum teſtimonium præfert teſtimonio hominum; ideoquè, & Natiuitas, & Reſurrectio, & Aſcenſio per Angelos. Hìnc nequè Maria, nequè alio homine vſus eſt Deus ad Ioſeph certiorandum; Angeli ergò ore non hominum, myſterium huiuſmodi magnum promendum erat, & Ioſeph vt eſset certus. Dices, tenendo hanc opinionem Ioſeph non fuiſſe comitem Virgini, incidimus in hoc abſurdum, quia aliqua ſaltem mulier illi comes fuit; non enim veriſimile ſolam Virginem abſquè comite iuiſſe, vt ex Toleto; & iuxtà dicta interfuit ſalutationi, & particeps facta eſt tanti myſterij antequàm Ioſeph. Reſpondeo, primò poſſem negare hanc aſſociationem recentioribus de Vita Beatæ Virginis, dicentibus etiamſi iuiſſet ſola conſultum pudori Virginis ex geſtis cum Eliſa-

C beth,

beth, Angeli cum Ioſeph, & retentione ipſius à viro domi. Sed quia ſum in contraria opinione, & loquimur de honeſtate in eundo, non de defenſione, & nunquàm legimus Virginem ſolam iuiſſe. Ideò ſecundò reſpondeo nihil poſſe affirmari, cum Euangeliſtæ id non dicant. Solùm enim Eliſabeth, Ioannem in ventre, Zachariam faciunt myſterij huius participes. Vndè diuinamus in alijs. Tertiò, non vrgete argumentum, quia ad intima fuiſſet admiſſus vir Virginis cognatæ, ad quæ non extranea mulier, ſeù alius. Quartò ex his nullum dari inconueniens, quia dixit Chriſtus. Luc. 10. 23. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, dico enim vobis quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Vndè Ioannes, Eliſabeth, & Zacharias cognouerunt, potuerunt & alij cohabitantes domiſcire, quod ignorauit Ioſeph ad tempus, donèc placuit Deo omnia facienti in numero, pondere, in menſura id ei reuelare. *Cum feſtinatione* timebat enim ſerò acceſſiſſe ad illam ſex menſibus prægnantem, quòd fortè ad eius iter accelerandum Angelus addidit. *In Ciuitatem Iuda*, Hebron iuxtà aliquos, quibus tamèn obſtant dicta per Arandam. cap. 37. dum vult propè Ieruſalem domum Zachariæ fuiſſe, *& intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth*, nullum verbum de Zacharia, quia tùnc nihil cum eo actum memoria dignum, & propoſitum Euangeliſtæ eſt explicare maiora, & illuſtriora, & verſari circà perſonas maiores. Sed cur non potiùs Eliſabeth ad Mariam? at ignorabat quod euenerat Mariæ; & ſi ſciſſet fortè impotens erat ad tantum iter, & ſe occultabat menſibus quinque ob ſenectutem. Humilitas verò Mariæ detegitur, quæ Deo grauida non dedignatur cognatam ſenem viſitare, quod admirata Eliſabeth, *vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* ſed Domina ſine modò nos implere omnem iuſtitiam, proùt Chriſtus ad Ioannem. Prætereà gerebat in vtero eum, qui venerat peccata remiſſurus, & quaſi impatiens illud à Ioanne remouere, & hoc ei priuilegium ſingulare conferre, proùt ſolent Reges cum ſuis intimis familiaribus, quos infirmos viſitant, ſuggeſſit Mariæ vt præueniret, & cum feſtinatione accederet, fecit quod dicturus, & facturus erat ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, & veni miniſtrare, & non miniſtrari. Intendit, & manifeſtam reddere Eliſabettæ, & Zachariæ matrem ſuam, vt in Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moſe, quos educens reddidit mundo illuſtres; quòd ſi Eliſabeth Mariam viſitaſſet pluribus quàm par erat, quæ & Ioſeph celabatur, res manifeſta fieret. At non credo viſitaſſe Eliſabeth ſecum quæ ei euenerant communicatura, cum eadem Ioſeph cui magis id ab ea deberi videbatur celauerit, & priùs ab Eliſabeth deprehenſa fuerit Spiritu ſancto reuelante. Sed cur huius rei tanta memoria? quia prima actio Chriſti incarnati, & apparens ſingularis ob gratias Ioanni collatas, quia dimittendo peccata prodidit ſe Deum, & ipſe à Ioanne in vtero exiſtente agnitus, & adoratione ſalutatus fuit, & voluit memoriam conſeruare vnguenti per Magdalenam ſuper caput eius effuſi, quantò magis huius facti maioris? *Et factum eſt*, contigit. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth*, dicit de Eliſabeth audiente quia de illa apparuit palàm, *exultauit infans in vtero eius*, Spiritu ſancto repletus, proùt Angelus dixerat, & peccato originali mundatus, cum quo Spiritus ſanctus ſtare non poterat, & vſu rationis dotatus, vt dicam, & conſequentèr *repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*, cuius corporis pars fœtus, *& exclamauit voce magna* non valens ſe continere, quin effunderet de eo quod receperat, *& dixit, Benedicta tu inter mulieres*, ſuprà omnes mulieres, *& benedictus fructus ventris tui*, non ab homine, ſed ex tuis ſanguinibus coagulatus, ideò dicit ſtrictè *ventris tui*, & Virginem declarat, *& vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* nulla maior laus, & comprobans ex miraculo quod dicebat, ſubdit; *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis*, quaſi infans, & illam audiens, *exultauit in gaudio* feſtiuus *infans in vtero meo, & beata quæ credidiſti*, Deo, per Angelum annunciantem, *quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino*, fidelis enim, & verax Dominus. Hæc dicit non Virginem in-

informans, vel confirmans, ſed congratulans ſecum ſupèr his, quę perficienda erant, Dominus autèm dicendo ſe obligauerat, ego Deus, & non mutor, & ſic intellige, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Geneſ. 15. proùt dixi in Epiſt. ad Rom. Quod autèm Ioannes in vtero tùnc vſu rationis dotatus fuerit clarum eſt. Primò, quia dicitur ab Angelo Spiritu ſancto replebitur adhùc in vtero matris ſuæ, ſi enim ſic repletus fuit, vtiquè intellexit repletionem in ſe factam; ergò vſum rationis accepit. Secundò, Verbum (replebitur) denotat magnam abundantiam Spiritus ſancti ſuperuentutam, vt in Stephano pleno Spiritu ſancto. act. 7. Apoſtolis repletis Spiritu ſancto. act. 2. vndè aptum eſt importare, & comprehendere multa nedum ſanctificationem, ſeù emundationem à peccato originali, ideò dicamus & vſum rationis. Tertiò, repletus fuit tùnc cum Chriſtus illum, Maria Eliſabeth viſitauit, & repletio ſua redundauit in matrem ſuam Eliſabeth, ità vt cognouerit matrem Dei, ſi illa, de qua minùs, cognouit Verbum in Maria incarnatum, ergò & Ioannes de quo magis, propter quem hæc facta. Quartò, intentio Chriſti inducentis Mariam ad viſitationem fuit, vt manifeſtaretur in vtero, volebat enim manifeſtari Mundo; proùt natus illicò per Angelos, ſtellam; at nulli conuenienriùs, quàm Ioanni præcurſori Spiritu ſancto replendo, ergò datus Ioanni vſus rationis, vt illum cognoſceret, aliàs ad quid viſitatio, ſi à viſitato cognoſci non debuerat? Quintò, quia ſi exultauit in vtero, ergò illum cognoſcens, ergò ratione præditus, non more belluæ, quia repugnat officio, & prærogatiuis Ioannis, & quia das miraculum, & potiùs abſquè miraculo in pleno Spiritu ſancto actus prudens præſupponendus. Sextò, id Eliſabeth indicauit, dicens *eccè enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Verbum enim exultauit, denotat quandam applicationem animi, vt in Chriſto, exultauit Spiritu; Abraham exultauit, vt videret diem meum, cui ſi addas in gaudio (vt obſeruauit Caietanus) redditur res indubitata. At cur non antè, vel pòſt vocem, ſed in prolatione vocis Mariæ exultat in gaudio? & ſi in ea exultatione in gaudio auctor eſt Matri, vt agnoſcat Matrem Dei, quomodò non ille? Vrget quia eadem Eliſabeth dat pro ſigno Mariæ hanc exultationem, ne miretur ſi ab ea cognita fuerit. Septimò, Dei perfecta ſunt opera. Deut. 32. perfectius erat opus tradere vſum rationis, ergò præſumendum datum eſſe; præſertim in hac prima actione Chriſti pòſt incarnationem. Octauò, conuerſari debuit Meſſias, cuius delitiæ eſſe cum filijs hominum, cum Ioanne per tres menſes, vndè non eſt præſumendum tamquàm cum bellua conuerſatum fuiſſe. Nonò, mundatur quiſque natus in baptiſmo, quod eueniſſet Ioanni in ventre, at maius quid præſumendum eſt ex acceſſu Chriſti ad illum, dicamus ergò huic vſum rationis datum. Decimò, Zacharias loquitur cum Ioanne nato vti ratione prædito, & tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis. Vndecimò, adhùc puer erèmum petijt, quod denotat præueniſſe vſum rationis. Duodecimò, quia Angelus dictus. Malach. 3. eccè ego mitto Angelum meum. Tertiodecimò, ad quid exultauit infans in vtero? ſi dicis more belluæ, quid expediebat Chriſto, vel Ioanni? Ioanni nihil, Chriſto melius erat aduocare belluas, & permittere vt exilirent, & ſaltarent, & ſic manifeſtaretur; ne demus hæc abſurda, & actus reddatur vanus, dicendum Ioannem ratione præditum Saluatorem cognouiſſe poſtquàm de ſola manifeſtatione Ioanni facienda agebatur. Adde, retulit hoc pro miraculo Eliſabeth, & volumus actum fuiſſe belluinum? Abſit, magnum fuit Sacramentum, quod in ea admirationem peperit, quam illicò protulit; præterea de magnis magna comminiſcenda, non abiecta, ſi Ioanne nullus maior, cur illi actus belluinus ergà Chriſtum? Quartodecimò, per quandam proſopopeiam cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui. Iſai. 1. cur hoc negatur in Ioanne? Concludo Ioannem agnouiſſe Dominum in Spiritu, non enim illum oculis vidit, vndè dixit, & ego neſciebam eum, ſcilicèt facie.

Sed an illum vſum rationis retinuerit? & videtur, ſi enim beneficia principum ſunt manſura, multò magìs Dei, ego ſum Deus,

& non mutor, ſinè pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Rom. 11. 22. & 29. & omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Iacob. 1. apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; nec tolluntur niſi peccato ſuperueniente, vt apud Ezechielem; nec eſt veriſimile quem ratione dotauerat, in pecudem iterum immutari permiſiſſe, & ideò credo etiam corpora, quæ dormierant excitata fuiſſe ad perpetuam immortalitatem, & quia vt infrà dicitur, confortabatur ſpiritu, quod ſinè vſu rationis fieri non potuit, nequè adeò puer ſeceſſiſſet in deſertum, nec pater cum eo loquutus eſſet vti ratione prædito. Et tu puer, &c.

Sed an Ieremias ſanctificatus in ventre? & videtur. Ierem. 1. 5. Sed credo contrarium, nàm idem dicendum eſſet de Iſaia, qui cap. 49. Dominus ab vtero vocauit me, &c. & de Samſone ab vtero Nazareo. Iud. 13. & 16. 17. & de Paulo. Gal. 1. ſegregato ab vtero matris, & tamèn de his nec ſuſpicamur. Secundò, & ſi ſanctificatus fuiſſet in vtero ad quid in anno trigeſimo ſe puerum nuncupare? ad quid dicere ei, hodiè conſtitui te, &c. ad quid tangere os eius, qui tactus denotat abſolutionem ab iniquitate, & mundationem à peccato. Iſai. 6. 7. non enim his tùnc indiguiſſet, ſi in ventre fuiſſet ſanctificatus; & ſi dum tangitur Ieremias non dicatur ei, quod dictum fuit Iſaiæ, ſed eccè dedi verba mea in ore tuo; at ſi ſanctificaſſet in ventre, vtiquè & ibi verba dediſſet. Hinc non ſunt adhibita hæc externa ſanctificato Ioanni, cui tantùm factum verbum in deſerto, & venit prædicans, &c. & in ventre nouit miſſionem ſuam, dixit enim pater ſuus, & tu puer Propheta, &c. præibis enim, &c. Tertiò, ad quid, ſi ſanctificatus; dicit ipſe. cap. 15. 10. Væ mihi mater mea quarè me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? Et apertiùs. cap. 20. 14. vbi maledicta dies, in qua natus ſum, &c. vſquè ad finem. cap. non enim ſunt verba ſanctificati, & à peccato in ventre matris mundati, ſed in peccatis enutriti, proùt Iob. 3. maledicentis diei ſuo. At non ſic de Ioanne Baptiſta; qui proùt in vtero exultauit, ſic omnes in natiuitate eius gaudebant, eratquè omnibus exultatio, & gaudium, repletus eſt Spiritu ſancto in vtero, in natiuitate dicebatur, quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini èrat cum illo, puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu. Luc. 1. Nec dicas maledicit Ieremias peccato proùt Iob, non diei natiuitatis. At verba contrarium exprimunt, & ſi liber eſſet ab illo, non conquereretur ſuper eo. Quartò, Iſaias non fuit Ieremia inferior, imò primus in dictis reputatur Iſaias intèr Prophetas, ſicùt eſt ordine, & Eccleſ. 48. 26. Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei, & dicitur communitèr alius Euangeliſta, & tamèn is non ſanctificatus in vtero, non enim video cur huic non illi ſanctificatio in ventre conceſſa, & ſi hoc non ad nos. Quintò, conſidero hæc priuilegia magna veriſimilitèr reſeruata Euangelio, ſeù Chriſto, quo tempore exuberans flamma Spiritus ſancti effulſit, & aquæ exuberantes emanarunt, non diebus illis tenebroſis, & aridis ſub lege Moſis, in quibus panis arctus Verbi Dei, & aqua gratiæ breuis, parua, & vni Ieremiæ. Sextò, non fuiſſet hoc præcipuum Ioanni communicatum, ſanctam Mariam in diſputationibus non includimus. Septimò, quæ vrgebat neceſſitas ſanctificationis ab vtero in Ieremia, Propheta ordinario? quænam miſſio maior cœteris? quæ in Ioanne concurrebat. Octauò, Ioannes annuntiatur & ab Angelo, & à Gabriele, & dicitur clarè replebitur Spiritu ſancto adhùc ex vtero matris ſuæ, tot ſæculis antè prænuntiatur à Prophetis, tot miraculis natiuitas eius decoratur, & nihil horum in Ieremia. Nonò. ſanctificatus Ioannes ex aſſiſtentia, & viſitatione Chriſti in vtero materno exiſtentis, non patientis peccatum, idne Ieremiæ? Aderat ne mater Ieremiæ viſitanda, & Spiritu ſancto implenda proùt in Ioanne? Decimò, Ioannes quinque annorum ſeceſſit in deſertum, hæc ne cognitio Ieremiæ? hoc, vel ſimile factum ſubſequens? Vndecimò, quomodò Ioanne non ſurrexit maior intèr natos mulierum, & verbum, ſurrexit, capit omne tempus antecedens, ſi Ieremias ſanctificatus? non enim conſiderauit maioritatem in officio, ſed in puritate, quod di-

gno-

Digitized by Google

gnoſcitur ab exceptione, qui autèm minor eſt in regno cælorum eſt maior illo. Duodecimò, ſi hæc puritas à ventre ex cauſa miſſionis danda, potiùs repetenda in Enoch, & Elia venturis in Antichriſtum, & ad maiora, quàm Ieremias reſeruatis, & Elias erat in maiori honore penès Iudæos; quandò enim interrogarunt Ioannem dixerunt Elias es tu? non Ieremias,& præferunt eundem Eliam ordine dum interrogati diſcipuli reſpondent, alij Eliam, alij Ieremiam, & ſic turbæ. Ad verba, antequàm te formarem in vtero noui te, & antequàm exires de vulua ſanctificaui te, reſpondeo illa dici reſpectu Dei præeligentis, & præordinantis, ac prædeſtinantis ab æterno, non autèm quòd in vtero hæc facta, prout in Ioanne, pro quo eſt textus clarus, & factum. Vel eſt phraſis Scripturæ, vt Pſalm. 21. in te proiectus ſum ex vtero. 57. alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero. 70. de ventre matris meæ tu es protector meus, & Oſee 9. 11. gloria eorum ab vtero. Vel eadem verba, ſanctificaui te, declarantur per ſubſequentia, prophetam in gentibus dedi te, hæc enim eſt ſanctificatio, & magis declarantur per verba illa. Eccleſ. 49. 9. qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta, ſi enim ſanctificatus eſſet in vtero, vtiquè non omiſiſſet id auctor intentus laudibus Ieremiæ, & quia eadem verba, ſic in alijs capiuntur, vt in Iſaia, & Paulo, & Samſone. Vel ſanctificaui te, ſegregaui te mihi, quod enim Domino offertur dicitur ſanctum, ſanctum Domino vocabitur, & Iſai. 13. ſanctificatis meis, & 1. Corin. 1. ſanctificatis; eſt pulcher textus. Exod. 13. 2. ſanctifica mihi omne primogenitum, quod declaratur verſ. 12. ſeparabis omne, &c. & alius 2. Machab. 26. qui feciſti patres electos, & ſanctificaſti eos, ideſt ſegregaſti, ſeparaſti ab alijs, ſic quem pater ſanctificauit, ideſt ſegregauit. Io. 10. 36. Vel præparaui, ſeù deputaui, ſic illud. Iſa. 13. & Zach. 7. nunquid ſanctificare me debeo, & Leuit. 22. in fin. ego Dominus, qui ſanctifico vos. Concludo probabilitèr teneri poſſe ex prædictis Ieremiam non fuiſſe in ventre ſanctificatum, & verba illa tendere ad manifeſtationem electionis ſuæ in prophetam iuxtà conſuetudinem omnium prophetarum bullas ſuæ electionis (vt ita dicam) producentium, vt fidem acquirant dictis per ipſos, ſicuti Ioannes fecit dicens, ego vox clamantis in deſerto, &c. & qui me miſit baptizare, ille mihi dixit, ſupèr quem videris, &c. Paulus Rom. 15. 19. & Chriſtus dedit. Marc. vlt. Et nihil ad rem faciebat, & ſi ſanctificatus in vtero, quòd ipſe hoc reuelaret, proùt neque Ioannes hoc reuelauit, nec ſolent viri ſancti reuelare eorum ſecreta, & magnalia, niſi quatenus expedit negotio, pro quo mittuntur, imò dicunt ſecretum meum mihi, &c. Hinc credendum Ieremiam loqui iuxtà ſuprà dictas interpretationes datas ad eius verba conformes verbis aliorum de ſe loquentium, præſertìm Sancti Pauli. Hæc opinio viſa eſt mihi probabilis, tamèn contraria eſt multorum Patrum, & etiàm à recentioribus tenta, nempè Ieremiam fuiſſe in ventre ſanctificatum à Deo, vas vnum in honorem, aliud in contumeliam fabricante; & hæc eſt communis: ſed vtriuſque opinionis ſectatores, & eorum dicta referuntur hic à recentioribus, quos ego ommitto, ne actum agam.

Et ait Maria, ex exuberantia Spiritus ſancti in alijs ex eius voce, eò magis in ea operantis, verbis Eliſabeth quaſi à pſalte excitata, & Spiritu ebria, conuerſa ad Deum, Eliſabethquè ſignificans omnia à Deo recognoſcere, proùt diceremus nos laus Deo, gratias Deo. ***Magnificat***, laudat, extollit, ***anima mea Dominum***, ſic Nabuchodonoſor, nunc igitur laudo, magnifico, glorifico regem cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare; prorupit Virgo felicitèr in has laudes, quia opera Dei reuelare honorificum dixit Raphael ad Tobiam. *Dominum*, Trinitatem, non enim video cur filium tantùm, cum tota Trinitas operata ſit, vndè ad potentiam, quæ patri tribuitur, alludens, dicit infrà, *quia fecit in me magna qui potens eſt*. Dominum ergò, non ſe extollit. *Et exultauit ſpiritus meus*, affectus meus, quo teneor præ gaudio, *in Deo ſalutari meo*, in ſanctiſſima Trinitate. Tit. 3. Cum autèm apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, nec enim mutat à primo verſiculo, & Paulus

etiàm dicit, qui dilexit me, & tradidit ſe ipſum pro me. Gal. 2. 20. & pluriès in ſingulari Deo meo, & ſalutari meo, à quo ſolo habetur ſalus. *Quia reſpexit*, dat cauſam cur magnificet, & exultet, *humilitatem*, abiectionem *ancillæ ſuæ*, alij virtutem; at non credo, quia non dicit humilitatem ſimplicitèr, ſed ancillæ ſuæ, & vtitur infrà verbo, humiles pro abiectos, quæ enim humilitatis virtus in eo populo? & quia non ſe laudaſſet, & reſpexit ad verba, ecce ancilla Domini, prout Abigail. 1.Reg. 25. 4. & Lia. Geneſ. 29. 32. vidit Dominus humilitatem meam, ideſt abiectionem; quia Iacob vir ſuus eam deſpiciebat præferens Rachelem; at quantò ſe plùs abijcit, plùs virtutem humilitatis ex facto exerit; *ecce enim ex hoc*, ab hoc tempore, *beatam me dicent omnes generationes*, vt quò fui humilior, maior euadam in ore omnium, hoc dicit ad maiorem Dei gloriam. Sic Lia. Geneſ. 30. 13. beatam quippè me dicent mulieres; & in Virgine quotidiè verificatur ex lectione Euangelij: beatus venter, qui te portauit. *Quia fecit in me* (ecce ratio cur beata dicenda) *magna*, & inexplicabilia ille, *qui potens eſt* in matrem Dei me eligendo, non explicat quis ille ſit ob humilitatem, & quia iàm Eliſabeth explicauerat, at extollit à potentia, & à ſanctitate. *Et ſanctum nomen eius*, quod ſic celebratur in cælo. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Apoc.4. Iſai.6. Dixerat, qui potens eſt, potentia verò tribuitur Patri, vndè verba, *& ſanctum nomen eius*, eidem, vel Sanctiſſimæ Trinitati, quod magis placet; Sanctum verò. Sanctitatis fons, à quo alij hauriunt, Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum, dicit Dominus. *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*, laudauit à potentia, nunc à miſericordia, & in his duobus verſatur in toto cantico; nam ſanctitas tantùm ad notionem. Hic incipit loqui ad litterã de beneficijs collatis populo Hebręo vſquè ad verſ. Suſcepit. prout, & de his loquitur Zacharias in ſuo cantico, vtitur enim verbis temporis præteriti, fecit, diſperſit, depoſuit, exaltauit, impleuit, dimiſit, & in alio populo non poſſunt hæc omnia verificari, tùm quòd non leguntur alij populo hæc beneficia collata, tùm quòd timentibus, & perſeuerantibus collata ſunt, & non erat, qui Dominum timeret, ſeù coleret, niſi populus hic; Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius, & Dauid. Pſalm. 102. miſericordia autèm Domini ab æterno, & vſquè in æternum ſupèr timentes eum, ideſt colentes eum, ſic, & Pſalm. 25. qui timetis, ideſt colitis Deum. Laudate eum, & Ionas, Deum, qui fecit cælum, & terram, ego timeo, ideſt colo, Gentiles verò colebant idòla iuxtà illud, ſimulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Miſericordia verò apparuit à principio cum ſegregauit eum ſibi in populum peculiarem, vndè Moſes, non eſt alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis, & cum in Aegypto illum defendit, ac protexit, & quamuis miſericordia Domini plena ſit terra, tamèn in eo populo magis elucebat. Accedit quòd & in verſ. ſuſcepit, loquitur de populo hoc, ad quem miſſus Chriſtus, ergò in antecedentibus de eodem loquitur, præſertim cum procedat continuatiuè, nondum enim venerat tempus Oſee vocandi non plebem meam dicit Paulus. Roman. 9. 25. & ideò Dauid. Pſalm. 20. In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi, & Pſalm. 43. Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annunciauerunt nobis, opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos, afflixiſti populos, & expuliſti eos, nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Nequè dici poteſt agi hìc de dæmonibus, tùm quia nondùm erant debellati, cum id in morte Chriſti tantùm perfectum ſit, vndè Dominus nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mũdi eijcietur foràs, & quomodò inſidiaſſet calcaneo eius? Geneſ. 3. Aut de eiectione hominis è Paradiſo, quia quomodò correſpondet eodem tempore *exaltauit humiles? Fecit potentiam in brachio ſuo*, liberando populum ſuum à ſeruitute

Digitized by Google

tute Aegypti in tot prodigijs, & mirabilibus. Vndè Moſes dicit. Memento quòd ſeruieris in Aegypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus in manu potenti, & brachio extento. Et in cantico, Dextera tua, Domine, magnificata eſt in fortitudine,&c. & Iethro, Raab, Gabaonitæ audientes contremuerunt, Aegyptij ſuperbi confidentes in eorum fortitudine, & indurato corde, nolentes Domino obedire in dimittendo populum proſtrati ſunt, & abſorpti; Moſes in cantico. Exod. 15. 15. vndè. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, ideſt eorum. Aduerte licèt verbum, brachium. Iſai. 52. & 53. intelligatur pro Meſſia,hic tamèn non quadrat. *Depoſuit potentes de ſede*, in ingreſſu terræ promiſſionis,vt in libro Ioſue;*& exaltauit humiles*, Hebræos ex ijs, quæ paſſi erant in Agypto, & in deſerto. *Eſurientes*, Hebræos, *impleuit bonis*, introducendo in terram melle, & lacte manantem, *& diuites*, qui in ea morabantur, *dimiſit inanes*, vacuos. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*. Tandem ad cumulum omnium beneficiorum, ſuſcepit Iſraelem incarnando, ſic enim & Eliſebetta dixerat de verbo incarnato nuncupando eam Matrem Dei, tùm quod hæc eſt promiſſio facta Abrahæ, & ſemini. Zacharias verò, ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum eius. *Recordatus miſericordiæ ſuæ*,quod tendit ad maiorem miſericordiam, quid enim eſt homo, quòd memor es eius? Sic Daniel prandium recipiens dixit recordatus es mei,&c. recordatus autèm miſericordiæ ſuæ,ex qua tamèn miſericordia ſe obligauerat, ſic volens benignus Deus, ideò ſubdit, *ſicut locutus eſt*, promiſit etiàm cum iuramento,*ad Patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſæcula*, donèc durabit generatio iuxtà promiſſa, Dixit miſericordiæ ſuæ, quia fuit merum opus miſericordiæ, quam nullus hominum meruit. Poſſet ſicut canticum Zachariæ intelligi & hoc canticum Virginis ſpiritualitèr, & quòd loquatur de Incarnatione Verbi tantùm, proùt illud, & ſic timentibus eum, quia ſeruiuit, & iuſtis mortuis,& proſequatur ſpiritualitèr effectus redemptionis vſquè ad verſ. Suſcepit, cui redemptioni verſus omnes benè accomodantur, & quod Zacharias præmiſit,ipſa ordine retrogrado dixerit.

Manſit autèm Maria cum illa quaſi menſibus tribus, à principio fortè non credidit tantam moram facturam, ſed viſis tot mirabilibus,exultatione infantis,repletione Spiritus ſancti, reuelatione facta Eliſabeth,cantico ſuo tandiù manſit. Vel inſtinctu filij,qui delectabatur præſentia Ioannis à peccato mundati; deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, & volebat magìs implere Ioannem, quia Sanctus cum Sancto eſt;& ſi ad ſimplicem ſalutationem tot facta, quid per conuerſationem trium menſium? & ſi arca Dei in domo Obededom tribus menſibus manente, benedictum eſt illi, & domui ſuæ. 2. Reg. 6. 10. quid ex manſione Domini in hac? qui ſolùm conuiuans in domo Zachei ſalutem illi attulit? Vel quòd illi viri ſancti coegerint eam, proùt diſcipuli Chriſtum coegerunt, & Sunamitis, quæ tenuit Eliſæum. Vel vt præſens eſſet natiuitati Ioannis, quem optabat natum videre, & cognoſceret alia mirabilia in circumciſione eius, loquelam reſtitutam, nomen conforme, canticum Zachariæ. Nec credatur tantam moram contraxiſſe ex aliqua familiari neceſſitate, quia Ioſeph ſolus ſuo artificio ſubminiſtrabat neceſſaria, nec legitur vnquàm id eueniſſe, & parū ipſa conſummabat victu tenui contenta, & ſcimus cur ad Eliſabettam acceſſerit. Vel vt famularetur Eliſabettæ, quia cum Zacharias eſſet Sacerdos intèr primos,non eſt veriſimile defuiſſe obſequia Eliſabettæ eius vxori, & poſtquàm peperit, vicini, & cognati acceſſerunt gratulaturi, cur & non famulaturi ſi opus fuiſſet? nequè id paſſa eſſet Eliſabeth, cum vix admiſerit viſitationem dicens, vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Prætereà ex geſtis apparet intentum principale Spiritus ſancti fuiſſe, vt ſanctificaretur Ioannes, & alia mirabilia ſequerentur; non enim hæc ad redemptionem ſpectantia vilia, & abiecta,ſed magna,& præclara ſunt. Vltrà quòd ſi acceſſiſſet famulatura, ad quid diſcedere pòſt dies octo à partu? tunc enim magìs neceſſarium fuiſſet obſequium. At ſi tandem famulata eſt, & paſſa eſt Eliſabeth proptèr coniunctionem, & familiaritatem, & pòſt dies

dies octo non indiguit, magna fuit humilitas Mariæ imitatricis filij, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare etiàm lauando pedes diſcipulorum. Hinc etiàm colligo Virginem, vt dixi, permanſiſſe donèc Ioannes circumciſus fuit, tùm quia apud Hebræos erat dies ſolemnis, & magni concurſus, hinc dicit textus, venerunt circumcidere puerum, tùm quia non eſt veriſimile, vel antè partum, vel illicò pòſt partum, non expectatis tot mirabilibus, quæ ſubſecuta ſunt, nempè natiuitate, loquela reddita, nomine impoſito, Cantico Zachariæ, diſceſſiſſe. Nec placet illorum opinio, quòd diſceſſerit antè partum, vel illicò pòſt, ne ex tumultu ob frequentem conuentum adeuntium diſtraheretur, nàm non eſt credendum illum fuiſſe, qui tantum præbere poſſet impedimentum, & ſi fuiſſet, anima Virginis adeò erat vnita Deo, vt nunquàm recederet, vel diſtractionem pateretur, & interuenit ad nuptias, ad feſtum in templo, vbi erat tantus concurſus; & in ea domo fortè non deerat thalamus, ad quem ſecederet, & ſi dicit Eliſæus, viuit Deus, in cuius conſpectu ſto. & Paulus, noſtra conuerſatio in cælis eſt, quid de Virgine? Nec obſtat, quòd Euangeliſta prius dicat, manſit quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam, antequàm agat de natiuitate Ioannis, quia explicuit ſe de geſtis à Maria, ne iterum ad illam recurreret, & per præoccupationem de illa loquutus eſt. Nec immorandum in præciſo tempore, quo manſit, quia nequè curauit Euangeliſta dicens quaſi menſibus tribus. At in diſceſſu tantæ Virginis, lachrymati ſunt illi viri ſancti, proùt fit in diſceſſu carorum, ſic diſcedente Elia, Eliſæus pater mi, pater mi. 4.Reg.13. & ab inuicem Dauid, & Ionathas. 1.Reg.20.41. & Paulo, magnus enim fletus factus eſt omnium. Act.20.37. Ad obiecta ſatis reſponderunt alij.

CAPVT V.

DE IOANNIS NATIVITATE.

Luc. I.

1 *ELISABETH autèm impletum eſt tempus pariendi,*
2 *& peperit filium.* * *Et audierunt vicini, & cognati eius*
quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum il-
3 *la, & congratulabantur ei.* * *Et factum eſt in die octa-*
uo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum
4 *nomine patris ſui Zachariam.* * *Et reſpondens mater*
eius, dixit: Nequaquàm, ſed vocabitur Ioannes.
5 * *Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua qui vocetur hoc no-*
6 *mine.* * *Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum.* * *Et poſtulans*
7 *pugillarem ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt vniuerſi.*
8 * *Apertum eſt autèm illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens*
9 *Deum.* * *Et factus eſt timor ſupèr omnes vicinos eorum: & ſupèr omnia mon-*
10 *tana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.* * *& poſuerunt omnes, qui audie-*

rant

Digitized by Google

rant in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domi-
11 *mini erat cum illo.* * *Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto, & pro-*
phetauit, dicens:
12 * *Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit, & fecit redemptionem*
plebis ſuæ.
13 * *Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.*
14 * *Sicut locutus eſt per os ſanctorum: qui à ſæculo ſunt prophetarum eius.*
15 * *Salutem ex inimicis noſtris; & de manu omnium, qui oderunt nos.*
16 * *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamen-*
ti ſui ſancti.
17 * *Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe*
nobis.
18 * *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati; ſeruiamus illi.*
19 * *In ſanctitate, & iuſtitia coràm ipſo: omnibus diebus noſtris.*
20 * *Et tu puer, propheta Altiſsimi vocaberis: præibis enim antè faciem Domi-*
ni parare vias eius.
21 * *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſsionem peccatorum eorum.*
22 * *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos, oriens ex alto.*
23 * *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos*
pedes noſtros in viam pacis.
24 * *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis vſquè*
in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

COMMENTARIVS.

E*LISABETH autèm impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium, & audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit*, magnam reddidit Dominus *miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei*, eccè quomodò iuſti hi ſenes, ex quorum gaudio gaudebant alij, qui ſolent inuidère, ſic autèm loquitur Euangeliſta impletum tempus pariendi, quia fecerat mentionem nouem menſium, ſex antè viſitationem Virginis, trium pòſt; *Et factum eſt die octauo*, circumciſioni præfinito, *venerunt*, domum Zachariæ; hoc enim innuit verbum, venerunt, *circumcidere puerum* ad puerum circumcidendum, *& vocabant eum nomine patris ſui Zachariam*; fortè credentes Zachariam ſenem inutilem ex taciturnitate redditum, & citò defuturum renouandum eſſe, eſt enim diuinare, quòd imponerentur filijs nomina Patrum, & fortè in Scriptura ſacra vix aliud exemplum inuenies, quàm Tobiæ, & fortè is etiam illud nomen impoſuit captiuus, & timens parùm ſuperſtitem forè. *Et reſpondens mater eius dixit nequaquàm, ſed vocabitur Ioannes*, hoc nomen pueri didicerat à Zacharia per Scripturam, non enim ſunt cumulanda miracula, quandò alio modo res poteſt ſuccedere, & eſt veriſimile Eliſabettam videntem virum mutum voluiſſe ſcire cauſam, nec ipſum ei denegaſſe, ſed ſcripſiſſe, proùt ſolent muti noſtri temporis, & proùt ipſe fecit nato Ioanne, imò & Mariam omnia cognouiſſe eodem modo. Si enim exiens de templo innuebat populo; quid Eliſabettæ, & Mariæ? Sed ſi Eliſabeth nouerat, quæ erant ge-

ſta,

ſta, cur non dixit quomodò res ſe haberet? fuit prudentis mulieris deferre viro. Vel non acquieſcebant dicto matris, ideò *& dixerunt ad illam, quia nemo eſt in cognatione tua* (hinc qui venerant erant cognati) *qui vocetur hoc nomine. Innuebant autèm Patri eius*, nedum muto, ſed vt ſurdo, aliòquin non egiſſent nutibus, ſed voce, *quem vellet vocari eum, & poſtulans*, nutu, *pugillarem ſcripſit Ioannes eſt nomen eius, & mirati ſunt vniuerſi* ſupèr nomine nouo in cognatione. *Apertum eſt autèm illicò os eius, & lingua eius* iuxtà verbum Angeli, *& loquebatur benedicens Deum*; eccè iuſtitia viri in gratias erumpentis. *Et factus eſt timor Domini ſupèr omnes vicinos eorum*, ob hæc miracula; ſic timuit Petrus ex captura piſcium, exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Populus, qui dixit Moyſi loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Exod. 20. Viſo facto chore fugerunt dicentes ne fortè & nos terra deglutiat. Num. 16. Timuit & ex præcedentibus quinquagenarius tertius. 4. Reg. 1. *Et ſupèr omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & poſuerunt omnes in corde ſuo dicentes, quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini*, protectio Domini, *erat cum illo*, puero Ioanne, hoc ſpectat ad aliud tempus; at totum hoc, vt Ioannes fieret præcurſor, & teſtis Chriſti omni exceptione maior, & omnes ei crederent de Meſſia, & eò vſquè ventum, vt ipſe à populo crederetur Meſſias. Luc. 3. *Et Zacharias pater eius*, quaſi ab ipſo Ioanne Zacharias, proùt mater Eliſabeth habeat quod ſequitur, *repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit*, cecinit, *dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael*, in populo Iſrael cognitus, Iſraelis protector. Sic mulier illa. Beatus venter, Domina, Magnificat. Nabuchodonoſor, nunc autèm magnifico, &c. *Quia viſitauit*, per incarnationem; hanc viſitationem non cognouit Ieruſalem ingrata, vndè Dominus, eò quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Luc. 19. 45. *Et fecit redemptionem plebis ſuæ*, captiuæ diaboli. Non temporalitèr proùt Iudæi falsò opinabantur, quod expreſſerunt diſcipuli; nos autèm ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael. Luc. 14. 21. & dum aſcenſurus eſſet; ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? acto. 1. in quam foueam ceciderunt & duo Apoſtoli petentes dexteram, & ſiniſtram in regno, ſed ſpiritualitèr. Vndè ipſe Pilato, regnum meum non eſt de hoc mundo, & Angelus, ipſe enim ſaluum faciet populum à peccatis eorum, & Ioannes, eccè Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quod perfectum eſt in morte, nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foràs, tùnc enim deleuit, quod contrà nos erat chirographum, Affigens illud cruci; & Zacharias vtitur præſenti pro futuro more prophetico, vel quia per incarnationem iàm erat cœpta. *Et erexit cornu ſalutis*, ſalutiferum nobis, ideſt potentiam ſalutarem, quæ in cornu ſignificatur iuxtà Abac. 3. 4. cornua in manibus eius, ibì abſcondita eſt fortitudo eius; ſicuti enim in belluis dicimus fortitudinem in cornibus reſidère, ità ad demonſtrandam Dei potentiam hoc verbo, cornu, vtitur, erexit ergò cornu ſalutis *nobis*, ideſt potentia ſua, quam erexit, dum enim belluæ cornu petunt erigunt ſe, vel caput, fecit nobis ſalutem, proùt & Domina. Fecit potentiam in brachio ſuo, ſi ſpiritualitèr intelligas, non ergò hic cornu pro Chriſto, ſeù Meſſia; proùt neque in Abacuc. Non hìc de regno, quia agitur de ſalute ſpirituali, & de incarnatione ſimplicitèr, hic enim verſiculus conſequitur primum viſitationis, & redemptionis, & ad idem tendit, ſed vbi fecit hoc? *in domo Dauid pueri ſui*, cui facta promiſſio ex ſuis Meſſiam oriturũ. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum prophetarum eius, qui à ſæculo ſunt*, ideſt antiqui, proùt Petrus. acto. 3. 22. Moyſes quidem dixit. Quoniam prophetam ſuſcitabit vobis Dominus de fratribus veſtris, &c. & omnes prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos. *Salutem*, ſpiritualem, *ex inimicis noſtris*, ſpiritualibus, dæmonibus, *& de manu omnium, qui oderunt nos*, repetit idem per diuerſa, eripiendo, ſic Paulus. Gal. 1. 4. gratia vobis, & pax à Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, &c. & Coloſſ. 1. 13. qui eripuit

nos

nos de poteſtate tenebrarum,& tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, &c. & 1. Theſſ. 1.10. Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura, & Chriſtus. Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras; tùnc enim eiectus ſententia contrà eum lata, hoc autèm, *ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris*, conuentam, quam dignatus eſt eis promittere, *& memorari*, recordari, proùt dixit Virgo, recordatus miſericordiæ ſuæ; *Teſtamenti* pacti, *ſui ſancti*, firmi, quia Deus fidelis, & verax obſeruans quodnam ſit ſubdit, *iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis*. Ierem. 11. 5. daturum me eis, dicit Dominus, & ſic à fortiori, & inſigniori, & vltima promiſſione recipit argumentum, non quoad Deum, quia ſempèr verax, & non mutatur, & intèr ſimplicem loquelam, & iuramentum non facit differentiam, ſed quò ad nos; & de pacto, & iureiurando non eſt agendum diſiunctiuè, aùt ex vno, & altero cauſæ eliciendæ, quia confunduntur, proùt confuſit Virgo in ſuo cantico; nunc enim agit de implemento ſubſecuto, vndè parum referebat nuncupare pactum, vel iuſiurandum. Paulus de hoc iureiurando. Hebr. 6. 13. Abrahæ namquè promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. *Vt ſine timore de manu*, poteſtate, *inimicorum noſtrorum*, dæmonum, *liberati*, libèriùs, arctiùs, *ſeruiamus illi*, in cuius victoris poteſtatem recidimus, vt qui vult nos totos. *In ſanctitate, & iuſtitia*, vndè Paulus, non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. 1. Theſſ. 4. 7. & apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo. Tit. 2. 11. *Coràm ipſo*, qui ſcrutatur corda, & omnes vias noſtras, & greſſus conſiderat verè, non fictè; ſic coràm Deo ambulabat Noe, & Eliſæus; viuit Deus, in cuius conſpectu ſto. *Omnibus diebus noſtris* nunquàm deficientes, ſerò datur merces, qua priuatur retrocedens Exechiel. 18. *Et tu puer*, Ioannes, ad intelligentem loquitur, *propheta Altiſſimi*, Dei, *vocaberis*, eris, ſed diuerſimodè ab alijs, qui de illo prædixerunt venturo; *praibis enim* tu *antè faciem Domini parare vias eius*, iuxtà verbum Angeli, & prædictionem Iſaiæ. cap. 40. *Ad dandam ſcientiam ſalutis* appulſæ, *plebi eius*, populo eius Hebræo, *in remiſſionem peccatorum eorum*, & ſic ſpiritualis, non temporalis, vndè prædicabat, pœnitentiam agite appropinquauit regnum cœlorum. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto*, quæ ſalus nobis ſic aduenit per miſericordiam Dei, ad quam demonſtrandam veram, ſummam, & internam vtitur commiſeratione modo humano quam quò viſcera commouentur, quod cognoſcitur ex vera matre collitigante coràm Salomone, cuius commota ſunt viſcera. 2. Reg. 1. & Geneſ. 43. 30. & Ioſeph, qui viſo Beniamin, feſtinauit, quia commota fuerant viſcera eius ſupèr fratre ſuo, & erumpebant lachrymæ, & introiens cubiculum fleuit. Hanc induit compaſſionem Chriſtus in carne, vndè Paulus, non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. Hebr. 4. 15. hinc deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, coractabatur, lachrymabatur, miſericordia mouebatur; baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor? fleuit naſcendo, in ſuſcitatione Lazari, ſupèr Ieruſalem, in cruce. *In quibus viſitauit nos* Deus illè, *oriens ex alto*, dignatus ad nos deſcendere è Cœlis. *Illuminare*, ad illuminandum, *his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent* fixi; proùt Pſal. 1. & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, imò mortui ſunt in peccatis, & ignorantia ſpiritualitèr, & verè, nàm tenebræ, & vmbra ſunt effectus, ſeù qualitates ex morte vera corporali hìc ad ſpiritualem applicatæ naſcentes, & Iob. 10. 22. terram miſeriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat in Apocal. 6. 8. datur equus pallidus. *Illuminare*, erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. & fecit quod potuit vt illuminarentur, ſed tenebræ eum non comprehenderunt. Ioan. 1. Zacharias vſus eſt dicto

cto Iſaiæ. cap. 9. populus, qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis, & Ioannes, medius autèm veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, quotquot autèm receperunt, ex tenebris, facti ſunt lux in Domino. Epheſ. 5. 8. nec non *ad dirigendos pedes noſtros*, affectus, actiones noſtras obliquas *in viam pacis*, æternæ, in regnum æternum, in cœlo enim pax perpetua; ideò Ioannes dicebat, parate viam Domini rectas facite ſemitas eius. *Puer autèm*, *Ioannes*, *creſcebat*, *& confortabatur*; fouebatur, *Spiritu* ſancto. Paulus omnia poſſum in eo, qui me confortat, *& erat in deſertis, vſquè in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael*, vſquè ad trigeſimum annum circà. creditur intèr alia ſeceſſiſſe, vt cum è deſerto exiret, eſſet maioris auctoritatis, & fidei, ſic contigit Moyſi moram trahenti apud ſocerum Iethro, quandò enim redijt fuit auguſtiùs exceptus, & hanc auctoritatem volens ſibi comparare Diuus Gregorius Nazianzenus dicit, licèt non ſim præcurſor, de erèmo tamèn venio. At qui adeò diſtulerat tandèm Deus conſolatus eſt hos ſenes tanto filio; ſed cur ſtatim ad deſertum illum retrudit? quia obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, in his, quæ Dei erant oportebat eſſe Ioannem præcurſorem electum, legimus & Annam obtuliſſe infantem puerum Domino; quem adeò exoptauerat, & iuſſum Abraham offerre Iſaac ſuum in ſenectute ei datum proùt & Ioannes his ſenibus, qui maiori dilectione in eum afficiebantur, vt de Iacob in Ioſeph habetur. Geneſ. 37. Miſcet Dominus iuſtis læta cum triſtibus. Marc. 10. 30. differt etiàm gratias ad ſui gloriam, vt magis petamus, & nobis fiant ſuauiores, ſic diſtulit Meſſiam, quam à principio promiſerat. Inimicitias ponam intèr te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius ipſa conteret caput tuum. Geneſ. 3. ſic Abrahæ diſtulit prolem, Iacob optatas nuptias Rachelis ad alios ſeptem annos. Populo Hebræo ingreſſum terræ promiſſionis annis quadringentis, & per quadraginta circumduxit per deſertum. Ioſeph principatum in ſomnio prædictum pòſt venditionem, ſeruitutem, carcerem. Dauidi regnum pòſt tot annos perſecutionis Saulis. Mardochæo principatum ex ſomnio prædictum pòſt multos annos, & aduerſa; in ſumma dicit ſuis: in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, expectantibus tamèn adſtat Deus, & cum ipſis eſt in tribulatione amans quos corrigit, & ipſis in Deum reſpicientibus, proùt Iacob, videntur dies pauci præ amoris magnitudine, cogitant mille annos antè Deum eſſe tamquàm diem heſternam, quæ præterijt, & tandem affluentèr dare omnibus, & non improperare; populus Zachariam expectans cognouit illum viſionem vidiſſe. Populus præſtolans Samuelem cum eo edit hoſtiam; at Saul non expectans condemnatur; populus non expectans Moyſem fornicatur antè vitulum.

Digitized by Google

CAPVT VI.

DVBIVM IOSEPH DE VIRGINE.

Matth. 1.

18 *CHRISTI autèm generatio ſic erat: Cum eſſet deſpon-*
ſata mater eius Maria Ioſeph, antequàm conuenirent, in-
19 *uenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. * Ioſeph au-*
tèm vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere:
20 *voluit occultè dimittere eam. * Hæc autèm eo cogitante,*
eccè Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph
fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam:
21 *quod enìm in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. * pariet autèm filium: & vo-*
cabis nomen eius IESVM: ipſe enìm ſaluum faciet populum ſuum à peccatis
22 *eorum. * Hoc autèm totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à*
23 *Domino per Prophetam dicentem: * Eccè Virgo in vtero habebit, & pariet fi-*
lium: & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum
24 *Deus. * Exurgens autèm Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domi-*
25 *ni, & accepit coniugem ſuam. * Et non cognoſcebat eam donèc peperit Filium*
ſuum primogenitum: & vocauit nomen eius Ieſum.

COMMENTARIVS.

C*HRISTI autèm generatio* ex Maria Virgine, *ſic erat*, vt dicam. *Cum eſſet deſponſata mater eius*, Chriſti, *Maria Ioſeph, antequàm conuenirent* ſimùl, dicit quod non eſt factum, non quòd poſteà factum, & vt poſſit ſequi, *inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto*, idèſt habebat in vtero de Spiritu ſancto. *Ioſeph autèm vir eius cum eſſet iuſtus*, omni virtute plenus, præſertìm manſuetudine, prudentia, & charitate, nec de facili moueretur, *& nollet eam traducere*, propalare, infamare; non accuſando vti adulteram, quia adulterium probare non poterat, imò præſumebatur ex Ioſeph ſuo viro, in cuius domo cohabitabat, eſſe grauidã; ideò Ioſeph in hanc cogitationem non venit, & quia pœna adulterij erat lapidatio, non infamia, à quã, non à lapidatione cogitabat eam eximere, ſed libellum repudij dando, & ad hoc ſolùm reſtringebatur propalatio, ſeù traductio; nàm cum Deut. 24. non liceret darẽ libellum repudij, niſi ob aliquam fœditatem, idèſt fornicationem; quæ ſic dimittebatur, infamiæ ſubdebatur, quod clarius fit ex verbis ſubiunctis, ſed *voluit occultè dimittere eam*, nàm ſi dabatur libellus repudij, non dimittebatur occultè, ſed publicè, quia liberum erat illi alteri viro nubere, & viro dimittenti aliam ducere, & hoc innoteſcebat cuique, verba ergò illa (*nollet eam traducere*) reſtringebantur quòd nollet eam repudiare iuxtà facultatẽ ſibi datam à lege, vt dixi; *voluit* ergò *occultè dimittere eam*. abſquè libello repudij, vel eam alibi tranſmittendo, vel recedendo ab ea, & in alias

D regio-

Digitized by Google

regiones digrediendo, vel alio modo, ità vt ſaluus fieret eius pudor, & fama. Ex his collige tùnc Mariam fuiſſe ad domum viri ſui Ioſeph conductam; præmiſſa enim concernunt in domo viri manentem, non apud ſuos ſtantem; ſi enim apud ſuos manſiſſet, poterat accuſari de adulterio, vel ſufficiebat Ioſepho dicere, & excipere; nolo domum meam hanc prægnantem ducere, quòd autèm talis ſit, venter tumens id manifeſtat; nàm & obiectio ſtupri liberabat virum illud probantem. Deut. 22. 13. vndè nulla alia fuiſſet in Ioſeph cogitatio; vel difficultas, quia tutus erat, & certus non poſſe per parentes oſtendi ſigna virginitatis, quæ ad id conſeruabantur d. cap. 22. & quia alijs innotuiſſet illam eſſe prægnantem, & ſi volebat occultè dimittere, ergò erat domi, quid clarius? ſi enim fuiſſet in domo paterna, non ſpectabat ad eum dimiſſio, ſed ad parentes de illorum domo. d. cap. 22. Vltrà quod credendum Virginem in domo viri fuiſſe, & matrimonium contractum, vt eò magis pudor eius ſeruaretur, & partus celaretur diabolo; hìnc appellatur Ioſeph vir eius. Non eſt bona interpretatio verborum (*nollet eam traducere*) idèſt domum ſuam conducere, quia vltrà grammaticam, ex qua clarum eſt intelligenda eſſe, nollet eam infamare, propalare, ſequentia verba id neceſſariò dictant, *voluit occultè dimittere*; dimiſſio enim præſupponit introductam iàm fuiſſe, præterea, ſi quia Iuſtus *nollet eam traducere*, ſed *occultè dimittere*, apparet voluiſſe quid minùs facere dimittendo occultè, quod non importabatur per verba antecedentia (*nollet eam traducere*) ſi autèm importarent reductionem ad domum, eſſet hoc quod intendebat facere quid maius, & contrarium intentioni Ioſeph; ideò illam interpretationem non recipiunt vllo modo. Non obſtant verba Angeli; *noli timere accipere Mariam, coniugem tuam*, quaſi extrà domum ſtantem; nàm cum habeamus ex alijs verbis (*noluit occultè dimittere eam*) Mariam eſſe domum viri conductam, verbum, *accipere*, intelligendum eſt pro retinere, non dimittere; accipiebat enim quam non dimittebat; & ſic ſtans in eodem verbo Euangeliſta ſubdit, *& accepit coniugem ſuam*, idèſt retinuit recedens à cogitatione de illam dimittendo; vna enim oratio, & vnum verbum declarantur per alia inſerta. Vel *accipere Mariam coniugem tuam* idèſt tractare eam ſicuti eſt verè coniungem tuam; & ſic accepit, tractauit illam vt talem. Non obſtant verba. Luc. 1. 56. & reuerſa eſt in domum ſuam, idèſt paternam; nàm hæc interpretatio non eſt bona, ſed dicendum reuerſam in domum viri; dicitur enim magìs domus ſua mulieris, quæ eſt domus viri, quàm quæ eſt parentum. Secundò collige Ioſeph verè ſuſpicatum eſſe malum de Virgine, quia cum eſſet iuſtus, *& nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*; ſi enim malum ſuſpicatus non eſſet, vt quid ad hæc deſcendere? cur cogitatio de illa non infamanda, ſeù propalanda, ſed fama eius conſeruanda? hæc enim ſunt de directò contraria malum non cogitare, & ad pœnas animum adijcere pro malo. Prætereà, ſi malum non cogitabat, cur ad eum mittitur Angelus admonens ne illam dimittat, ſed retineat, & certùm reddat non ex viro grauidam eſſe, ſed quod in ea natum eſt ex Spiritu ſancto eſſe? fruſtrà enim hoc adhibitum fuiſſet remedium extraordinarium, quod non ſolet Deus, & eo non vtitur, niſi in magna neceſſitate; fruſtrà certioratus qui malum non cogitabat, quæ nullo modo adſtruenda. Dices, myſterium ſuſpicabatur, quia iuſtus; At in contrarium eſt veritas; non enim eſt iuſti, & myſterium ſibi perſuadentis cogitare de Virgine non infamanda, ſed occultè dimittenda, & hoc modo iniuſtè punienda; falſa enim eſſet laus, imò tunc cogitatio debuerat eſſe de illa eò magis retinenda, & obſeruanda, & fouenda; probatur in eodem Ioſeph, qui poſtquàm didicit myſterium ab Angelo, Mariam retinuit, non ergò antè dimiſſurus, ſi antè ſciſſet; itèm quia iuxtà ſcelus apparens ignoranti digna erat quæ accuſaretur, vel repudiaretur, & tamèn Ioſeph elegit occultè dimittere, quod erat minus, ſi hoc tunc in illo, quomodò ergò ſi cogitaſſet de myſterio, ad hæc deſcendiſſet? Sed quomodò ſciebat myſterium, qui indiguit Angelo docente, & monente? ſuperflua enim fuiſſet reuelatio, & perſuaſio Angeli, quod non eſt dicendum. Quomodò ſciuit myſterium, qui angebatur timore, & cogitationibus? hæc enim oſtendunt illum myſte-

myſterium ignoraſſe; ſed quodnam myſterium excogitare potuit ne ex viro eſſet grauida (hic enim difficultas) quia clarè grauida oculis apparebat, & per tres menſes abſquè eo ſola abfuerat; ſi enim Ioſeph ſecum fuiſſet, non ignoraſſet quæ contigerunt in domo Eliſabeth; fortè quòd ex Spiritu ſancto? at huius myſterij nec capax Virgo Angelos præcedens antequàm ab Angelo edoceretur; petijt enim, quomodò fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? quomodò ergo Ioſeph, qui nequè exemplo moueri poterat, cum vna tantùm Virgo conceptura, & paritura ex Iſaia? Sed cur Deus celauit Ioſeph viro Mariæ, quod manifeſtauerat Ioanni in vtero, & Eliſabethæ, & Zachariæ? quia non intererat Ioſeph ſcire hæc, qui non erat electus ad horum manifeſtationem, proùt Ioannes præcurſor, cum quo egit Deus, vt ſolent Principes cum eorum nuntijs, quos ad alios deſtinant, nempè nedum illos informare, ſed etiam nouis titulis augere; ideò Ioanni præſtitit hæc priuilegia, & per quandam connexionem eius parentibus. Prætereà Deus diuidit dona proùt vult 1. Cor. 12. non vni omnia, nunquid omnes Apoſtoli, nunquid omnes Prophetæ, etiàm Matri non reuelauit ſe remanſurum in Ieruſalem quia non expediebat. Nec Deus reuelat diem iudicij vniuerſalis, quia non expedit, & interrogantibus de regno reſpondit, non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Act. 1. Reuelauit Ioſeph quandò fuit opportunitas temporis, & tulit neceſſitas, ipſe enìm omnia diſponit in tempore, numero, & menſura, expectauit donèc ſuſpicaretur, & fieret teſtis virginitatis Mariæ, quam ſi adulteram inueniſſet, non tuliſſet longiùs, ſic ad optimum finem permiſit lapſum Petri, infidelitatem Thomæ, & ex Chryſoſtomo hom. 4. in Matthæum, ne ſi antequàm tumeſceret venter ſciſſet, quid pateretur humanum, proùt Zacharias, faciliùs enim creditur, quandò res ipſa oculis ſubijcitur, sìc Deus per viſibile ſignum Iridis, voluit homines tutiores à diluuio reddere. Et vt magìs iuſti viri philoſophia clareſceret, & ibì docet quomodò Ioſeph virtus apparuerit, & Iob, & Tobiæ tentatorum, & Mariæ, & Ioſeph dum puerum Ieſum per tres dies quæſierunt, & Abraham per tres dies amariſſimè tentati pro filij immolatione; & virgo non reuelauit viro, quia Dei res agebatur non ſua, iamquè experta erat abſquè ſua opera Eliſabeth reuelatum eſſe conceptum, & res erat captu difficilis, & parum perſuaſibilis ab ea, contrà quam verſabatur ſuſpicio; ſic nequè Saul indicauit patruo de regno. 1. Reg. 10. 16. nequè Samſon parentibus de Leonis morte, & melle. Iudi. 4. 6. 9. nequè Abigail viro ſuo Nabal. 1. Reg. 25. 36. vſquè manè, quod fuit maximæ prudentiæ iuxtà ſanctum Bernardum dicentem correctiones fieri non debere de nocte.

At peccauit ne Ioſeph ex hac ſuſpicione? non? quia non erat hoc iudicium temerarium, facinus oculis ſubijciebatur, notorium erat, non poterat tergiuerſari, imprudentiæ argueretur ſi non vidiſſet, & obſeruaſſet, & tamèn dum iuſtus dicitur, omnibus virtutibus ornatus perhibetur etiàm prudentia, quæ enituit in mora, & cogitatione dimittendi occultè, non traducendi, vndè etiam veriſimilitèr more iuſtorum omnia Deo commendauit, & in eum repoſuit. *Hæc autèm eo cogitante* exequi, nempè illam occultè dimittere, *eccè Angelus Domini apparuit in ſomnis dicens, Ioſeph fili Dauid*, vocat eum filium Dauid, vt fidem maiorem habeat monenti, quò ab eo cognoſci nouit, *noli timere*, aperit ſecretum cordis ſui, vt magìs credat, & cognoſcat hoc à Deo emanare, *accipere Mariam*, retinere Mariam, vel accipere iàm à te quaſi animo dimiſſam, ſubdit enim, *coniugem tuam*, hinc verum matrimonium erat, *quod enìm in ea natum eſt*, conceptum eſt, non aliundè, aut ab alio viro procedens, *de Spiritu ſancto eſt*, opus eſt Spiritus ſancti; cauſæ ſuæ dubitationis verſantis circà fœditatem occurrit, vt sìc tutiùs credat; *pariet autèm filium* maſculum; hoc etiam aliquid erat ad illum mouendum: quomodò maſculus, qui nondum erat notus? *& vocabis nomen eius Ieſum*, ex hoc miniſterio illius affectum ad rem prouocat, quilibet enìm alicui negotio præfectus magìs ad illud afficitur, quàm ab eo alienus, & diſtans; *ipſe enìm ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; reddit cauſam nominis,

minis, & oſtendit illum Deum peccata dimittentem, vndè illi, quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Luc. 5. & ſtrictè ad Hæbreos, quia non erat tempus agendi tùnc de alijs occultis; vel à negotio, quòd tractabat, alienis. *Hoc autèm*, totum, quòd Virgo conciperet, *factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt* & promiſſum à *Domino* reuelante, *per Prophetam dicentem* Iſa. 7. 14. *eccè Virgo in vtero habebit*, ex ſe, non ex alio, *& pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus* qui pòſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hinc quandò Matthæus præmiſit, Chriſti autèm generatio sìc erat, voluit hùc peruenire, Chriſtum ex Virgine conceptum, & natum, & is fuit ſcopus, & propterea recenſet dubium Ioſeph, quod ad idem ſeruit. *Exurgens autèm Ioſeph à ſomno fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam*, receſſit à cogitatione ſiniſtra, *& non cognoſcebat eam*, docet quid non factum, non quòd poſteà cognouerit, & vt poſſit annectere, *donèc peperit Filium ſuum primogenitum*, & sìc ſtabiliat virginitatem Virginis, & quod in ea conceptum erat eſſe de Spiritu ſancto, & ad maiorem explicationem hæc addidit; non contentus primis verbis *antequàm conuenirent*, vt & intermedium tempus tutum reddat. Ad idem Lucas cap. 2. dicit enim, *vt profiteretur cum Maria deſponſata* (non cognita) *ſibi vxore pregnante*, & deſponſatam vocauerat cap. 1. 27. ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, ex quibus virginitas Virginis firmitèr, & tutò ab Euangeliſtis aſſeritur; & dicit etiàm ibi Lucas. peperit Filium ſuum, ex ſe ſola ſcilicèt, ſuiſquè puriſſimis ſanguinibus efformatum, & Paulus dicit, factum ex muliere, Gal. 4. *& primogenitum*, quem nullus alius ſecutus eſt. *Et vocauit nomen eius Ieſum*, ex Angelo. Quæſtio cur Deus per Angelum non aperuerit Virgini, proùt Ioſepho, conceptionem in ea peractam, proùt aperuit fiendam; videtur ſuperuacua; nàm quæ credidit Angelo nuncianti fiendam eſſe in ea; quæ conſenſum præbuit; quæ illicò concepit; credidit, & tuta fuit hæc omnia in ea perfecta; & inueriſimile eſt, eam non ſenſiſſe effectus productos in ſe à ſanctiſſima Trinitate, patre obumbrante, Spiritu ſancto fœtum ex puriſſimis eius ſanguinibus componente, Chriſto carnem ſumente, & induente, & cum hæc ſupereminentèr in ea fierent, & abſquè viro, conceptionem ſuam, non potuit niſi, proùt ab Angelo acceperat, diuinam, & factam eſſe exiſtimare, ſed ex Eliſabeth didiciſſet, à qua mater Dei appellata: Sed cur Deus tamdiù differt? ſatis eſt in tempore occurrere, & quandò nullum adeſt remedium, vt omnia ab eo recognoſcantur, sìc cum populo Pharaone perſequente, Dauide dùm à Saule circundatur, & alijs.

C A-

Digitized by Google

CAPVT VII.

DE NATIVITATE CHRISTI.

Luc. 2.

1 *FACTVM eſt autèm in diebus illis, exijt edictum à Cæ-*
2 *ſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* * *Hæ*
3 *deſcriptio prima, facta eſt à præſide Syriæ Cyrino:* * *&*
ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem.
4 * *Aſcendit autèm & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Naza-*
reth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Beth-
5 *lehem: eo quòd eſſet de domo, & familia Dauid,* * *vt*
6 *profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* * *Factum eſt autèm,*
7 *cum eſſent ibì, impleti ſunt dies vt pareret.* * *Et peperit Filium ſuum primoge-*
nitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat
eis locus in diuerſorio.

COMMENTARIVS.

FACTVM eſt autèm in diebus illis exijt edictum à Cæſare Auguſto. Romanum Imperium obtinente, Octauio dicto, *vt deſcriberetur* per capita, *vniuerſus orbis,* ſibi ſubiectus; nàm non totus ei ſubijciebatur. *Hæc deſcriptio prima*, generalis, *facta eſt*, per orbem vt ſuprà; antè enim bella prohibuerant, ſic & Dauid in pace deſcripſit, non bellis occupatus. 2.Reg.24. 1.Paralipo.21. Vel prima in Iudæa, quod apparet, quia multi recuſarunt ſoluere, vt ex Gamaliele. act. 5. 36. 37. *à præſide Syriæ*, ſub qua Iudæa, *Cyrino, & ibant omnes vt profiterèntur*, & ſic Gamaliel vocat hos dies profeſſionis. act.5.7. *ſinguli in ſuam Ciuitatem*, ex qua originem trahebant. *Aſcendit autèm & Ioſeph a Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quod eſſet de domo, & familia Dauid*, hæc ſic expreſsè, quia ex Dauid Meſſias expectabatur. Ioan. 7. *vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante*, quæ iuit pedes, non enim grauabatur fœtu. *Factum eſt autèm cum eſſent ibì*, aliquot diebus, non admiſſi ad profeſſionem præ multitudine, aliòquin poſteà fuiſſet eis locus in diuerſorio, ad quod alijs recedentibus, declinare poterant, *Impleti ſunt dies vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis* fortè ſecum allatis, *eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio,* vbi erant bos, & aſinus, iuxtà illud, cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſai.1.3. myſticè, nàm ad litteram eſt improperium non cognoſcentibus Dominum, proùt Ierem.8.7. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, &c. & in medio duorum animalium innoteſceris iuxtà

ſeptuaginta, nàm vulgata habet in medio annorum notum facies, intèr hæc enim animalia inuentus à paſtoribus dicitur, Sed fortaſſe quiſpiam dicet, quomodò concordabit hæc translatio ſeptuaginta cum verbis Euangelij, *& reclinauit eum in præſepio, & inuenietis infantem poſitum in præſepio, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & puerum poſitum in præſepio?* Reſpondeo verba translationis ſic intelligenda in medio duorum, ideſt plurium animalium; duo enim plures, ideſt in ſtabulo, in quo animalia plura erant veriſimilitèr tempore tanti concurſus in Bethleem, vt non fuerit eis locus in diuerſorio, in quo ſtabulo ſtans Ieſus ex ſpiratione, ſeù halitu animalium calefacto ſtabulo, & ipſe calefactus, & fotus fuerit, & ibi inuentus iuxtà Lucam in præſepio, & ſic verſio concordabit; inueriſimile enim Chriſtum natum in medio animalium poſitum, tùm quia periculo expoſitus fuiſſet, etſi nullum periculum, at ſecundùm hominem loquimur, eò magìs quia, vt dicam, animalia non erant propria, & alienis vſi non eſſent, & quia quaſi miraculum adſtruitur, vt animalia hæſerint puero eum calefactura, & fotura, quod & in pluribus animalibus minùs quadrat, & quia ſi fuiſſet poſitus in terra iuxtà ſolitum caularum humida, non fuiſſet calefactus, ſed humiditatem paſſus. Sed an bos, & aſinus, ſi aderant, eſſent propria, vel aliorum? dic aliena; de boue nulli dubium; nàm cur bouem à Nazareth itinere trium dierum diſtante à Bethleem conduxiſſent? non eſt is aptus itineri, nec indigebant tot pro cenſu, qui conſtabat duobus realibus ſecundùm aliquos. Hi erant pauperes, vndè turtures obtulerunt. De aſino etiàm inueriſimile, tùm attenta eorum paupertate, tùm quandò ſalutauit Eliſabeth, & amiſerunt puerum apparet eos pedites iuiſſe, & redijſſe. Vndè eo non indigebant. *Quia non erat eis locus in diuerſorio.* Sed cur non eis locus in diuerſorio? vel ob multitudinem, vel ob paupertatem, quia in tali concurſu cariùs locantur hoſpitationes, vel ſecundùm aliquos, quod non placet, ob frigidam Betleemitarum charitatem, ſed omnia ex diuina prouidentia adimplente dicta prophetarum. Naſcitur autèm in ſtabulo ad humilitatem, vndè etiàm exinaniuit ſeuſquè ad mortem Crucis.

CAPVT VIII.

DE CHRISTI GENEALOGIA.

Matth. I.

1 *LIBER generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abra-*
2 *ham. * Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem ge-*
nuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.
3 ** Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.*
Phares autem geuuit Eſron. Eſron autem genuit Aram.
4 ** Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem ge-*
5 *nuit Naaſſon. Naaßon autem genuit Salmon. * Sal-*
mon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed au-
6 *tem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid Regem. * Dauid autem Rex genuit*
Salo-

7 *Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* * *Salomon autem genuit Roboam. Roboam*
8 *autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa.* * *Aſa autem genuit Ioſaphat.*
9 *Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam.* * *Ozias autem ge-*
nuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.
10 * *Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon au-*
11 *tem genuit Ioſiam.* * *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmi-*
12 *gratione Babylonis.* * *Et poſt tranſmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Sa-*
13 *lathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.* * *Zorobabel autem genuit Abiud.*
14 *Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.* * *Azor autem*
genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.
15 * *Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan au-*
16 *tem genuit Iacob.* * *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt*
17 *Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* * *Omnes itaquè generationes ab Abraham vſquè*
ad Dauid, generationes quattuordecim: & à Dauid vſquè ad tranſmigratio-
nem Babylonis, generationes quattuordecim: & à tranſmigratione Babylonis
vſquè ad Chriſtum, generationes quattuordecim.

Luc. 3.

23 E*T ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Io-*
ſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, * *qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui*
24 *fuit Ianne, qui fuit Ioſeph,* * *qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Na-*
25 *hum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,* * *qui fuit Mahath, qui fuit Matha-*
26 *thiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda,* * *qui fuit Ioanna, qui fuit*
27 *Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,* * *qui fuit Mel-*
28 *chi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadam, qui fuit Her,* * *qui*
fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui,
29 * *qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Elia-*
30 *kim,* * *qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan,*
31 *qui fuit Dauid,* * *qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon,*
32 *qui fuit Naaſſon,* * *qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui*
33 *fuit Phares, qui fuit Iudæ,* * *qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ,*
34 *qui fuit Thare, qui fuit Nachor,* * *qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit*
35 *Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,* * *qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad,*
36 *qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech,* * *qui fuit Methuſale, qui fuit*
37 *Henoch, qui fuit Iared, qui Malaleel, qui fuit Cainam,* * *qui fuit Henos, qui*
fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

COM-

COMMENTARIVS.

L*IBER generationis Ieſu Chriſti Filij Dauid, Filij Abraham*. Hos nominat primos, quia Abraham facta eſt prima promiſſio, & Dauid vltima, intrà quas comprehenduntur factæ Iſaac, & Iacob; præmittitur autèm Dauid; tùm quia propinquior Chriſti aſcendentium, à quibus ſolent filij, & deſcendentes denominari; tùm quia erat in ore omnium Iudæorum Meſſiam à Dauidis familia oriturum. Ioa. 7. 42. tùm quia ſucceſſurus erat in regnum Dauid. Vndè Angelus ad Mariam, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, quæ regia dignitas non fuit in Abraham, & reintegrationem regni temporalem expectabant Iudæi; quæ tamèn ſpiritualis erat, & cauſam reprobandi Chriſtum ſumpſerunt, eò quòd non eſſet de Bethleem caſtello, vndè erat Dauid, & dixerunt Nicodemo ſcrutare Scripturas, quia à Galilæa Propheta non ſurgit. Ioann. 7. 52. ideſt ille, de quo Moſes. Deut. 18. Meſſias ſcilicèt, & in his nullam faciebant mentionem Abraham, cuius tantùm genus eſſe, & nemini ſeruiuiſſe gloriabantur. Ioan. 8. 33. quaſi gens ab alijs diſtincta. Sed cur Dauid facta eſt repromiſſio, & cur hæc notior? Reſpondeo, liberum erat Deo ex quauis tribuum duodecim, cum omnes ab Abraham, cui promiſerat, per Iacob deſcenderent, eligere vnam, ex qua Chriſtus carnem ſumeret, & quia nouerat decem tribus perituras, & in perpetuam captiuitatem Aſſirijs, & Perſis dandas (& ſi fortè aliqui, vel redierunt, vel non fuerunt ducti) & obliuioni tradendas iuxtà Oſeam. cap. 1. ob idololatriam, & hinc genealogia Abrahæ remanebat obſcura; cum in duabus tribubus remanſuris Iuda, & Beniamin Deus inueniſſet Dauidem ex tribu Iuda ſecundùm cor ſuum, placuit ei eundem ad regnum promouere, & eidem repromittere Meſſiam, ex eius progenie naſciturum, & ſic in Dauide clara reddita eſt promiſſio facta Abrahæ, & directa eſt virga deſcendentiæ, & genealogiæ Meſſiæ in tribu Iuda, ſicut Iacob prophetauerat, Geneſ. 44. 10. vndè Zacharias, & erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui, quam tribum tamèn repurgauit captiuitate Babylonica ſeptuaginta annorum, quibus tranſactis promiſit reuerſuram, vt per eundem Oſeam. cap. 1. ne de illa, ſicut de decem primis fieret iudicium; hinc eſt, quòd Euangeliſta mentionem claram facit huiuſmodi reuerſionis de captiuitate Babylonica; quia ergò notior erat, & recentior genealogia Dauid quàm Abraham, & ſpecificabatur tribus, & familia, ex qua Chriſtus naſceretur, propterea præmiſit *Dauid filij Abraham, &c.* Sed cur ex ſtirpe regia naſci voluit? vt oſtenderetur clara eius deſcendentia, & genealogia, Regum enim, & magnorum ratio habetur, & deſcribuntur omnia ad eos pertinentia fidelitèr, nec traduntur obliuioni, ſecùs in obſcuris, & infimis, licèt Deo aliæ viæ non deeſſent, & quia prophetiæ ſic adimplebantur, vt ex hoc cognoſceretur qualis erat, cum alioquin, & matrem veram, & patrem putatiuum humiles elegerit opinione hominum, non Dei, cum meliores habuerit. Cur autèm in genealogia ſolus Dauid Rex nominatur? quia eſt primus Rex ſtirpis Iudæ, & cum intentio Euangeliſtæ ſit deſcribere Chriſti genealogiam, & ipſi deberetur regnum Dauid non diminutum, vt in Roboam, & ſucceſſoribus, ſed integrum, vti in Dauid, & Salomone proùt dixit Angelus, dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, patris duodecim filiorum, à quibus duodecim tribus denominatæ, quæ ſignant vniuerſitatem hominum mundi, proùt & ſedes duodecim, in quibus ſeſſuri Apoſtoli, & iudicaturi duodecim tribus Iſrael, ideſt totum mundum, ideò ſolùm Dauid regem nominat, non alios. Sed cur in genealogia tot peccatores? cur non omnes boni? Reſpondeo

Digitized by Google

deo præordinatione facta, quòd vellet naſci èx linea regali, & Dauidica, ex cauſa prænarrata, non curauit quales forent aſcendentes, quia Deus reliquit hominem in poteſtate conſilij ſui. Et difficile eſt in poteſtate conſtitutum ob prædominium quod in alios, & leges retinet, & diuitias, quibus fouetur ad bonum dirigi finalitèr, iuxtà quod dixit Dominus. difficile eſſe diuitem intrare in regnum Cœlorum exemplo cameli. At eorum malitia Chriſtum non contaminauit, & ſi omnes fuiſſent boni, diabolus poterat ſuſpicari ex eis natum, vel naſciturum Chriſtum, quod Diabolo Deus voluit eſſe incognitum. At hinc veritas Dei, qui non deſtitit à promiſſis Abrahæ, & patribus ob deſcendentium impietatem, de qua Paulus. Rom. 3. *Iudam, & fratres eius.* Fit mentio ſpecifica Iudæ, ex quo deſcendit Chriſtus, & fratrum communitèr, tùm ne alius putaretur Iudas, tùm ob nobilitatem illorum, à quibus totidem tribus denominantur, conſtituentes populum Dei ſegregatum. ***Ruth, Raab, Thamar, Berſabea*** mentionem facit intentus narrationi verę genealogiæ, non vt oſtendat eas peccatrices, quod eſſet extrà rem, tùm quòd eas pœnituerat, & harum peccata non deteguntur. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, tùm quòd ſcriptura alibi earum peccata continet, & ſi ad hoc reſpexiſſet, non omiſiſſet tres reges iniquos, Ochoziam, Ioas, Amaſiam, quos odio Achab putat Diuus Hieronymus omiſſos in genealogia. Vel fortè quia reſtrinxit ſe ad quaterdecenas, & congruum viſum eſt omittere hos propinquos Athaliæ occupatrici regni, quam noluit inſerere, & illos ſilentio iuuoluendo congruentiùs illas ordinare. Imò fortè, ne putaremus nominatos fuiſſe ex alijs vxoribus ortos, vel quaſi indignos in genealogia Chriſti ſilentio inuoluendos fuiſſe. Hinc eſt quòd matres aliorum nominatorum non indicat. At illud certum ex nominatione harum peccatricum maiorem ſibi fidem comparaſſe. Vel nominat Raab, & Ruth gentiles, ne ſi non nominaſſet eas non facilè fides adhiberetur, cum eſſet inſolitum Iudæis eas accipere in vxores, ne auerterentur amore illarum à cultu Dei, proùt contigit Salomoni, Vel quia Salmon, & Booz alias vxores habuerunt, & in caſu dubio intelligimus, ex quibus vxoribus orti ſunt nominati. Sic nominat *Berſabea* eadem de cauſa, & addit *ex ea, quæ fuit Vriæ* ad maiorem intelligentiam, cum ſic alibi nominetur in ſcriptura. 2. Reg. 12. 9. 10. & eſt mos ſcripturæ quandoquè referre nomina priorum virorum ad maiorem cognitionem, vt in Abigail dicta vxor Nabal dum eſſet Dauid. 1. Reg. 30. 6. 2. Reg. 2. 2. & 3. 3. & vt aperiat miſericordiam Dei, qui maluit ex contrita (vt creditur) & pœnitente deſcendere, quàm alia vxore Dauidis, & ex ea, quæ fuit Vriæ, non erat, ne partus putaretur adulterinus. Nominat *Zaram, & Phares* gemellos, cum ſufficeret mentio Phares tantùm, vt intelligamus Iudam ſemèl tantùm cum nuru ſibi incognita concubuiſſe, & non pluriès, cuius meminit Scriptura. Geneſ. 38. 26. attamèn vltrà non cognouit eam; & ex illo concubitu illicito conceptum Phares, qui ſolus in genealogia Chriſti intrat, & quia hæc ratio non vigebat in Rebecca legitima, & vnica vxore Iſaac, propterea meminit tantùm Iacob, non Eſau, licèt fuerint & ipſi gemelli. Meminit *fratrum Iechoniæ*, vel quòd & ipſi regnauerint, & ſatis fuit eorum mentionem ſic facere iunctim, cum ſe ad quaterdecenas reſtrinxerit, & ſi ab eis non deſcendit Chriſtus; vel vt meliùs deſcribat qualis ſit is Ieconias, cum multi alij in ſcriptura nominentur, præſertim cum det principium in eo quaterdecenæ. *Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* Hùc tendebat Euangeliſta; *omnes itaquè generationes, &c.* numerat ad quater decenas, & punctum facit ad dictum numerum, ad primam Dauid, quia ei facta repromiſſio Meſſiæ, & eſt primus Rex in genealogia, ad ſecundam tranſmigrationis Babylonis, vbi tribus Iuda fuit captiua per annos ſeptuaginta, ne quis exiſtimaret eidem eueniſſe, proùt alijs decem tribubus. Sanctus Lucas facit genealogiam ordine retrogrado à Ioſeph cuius Filius Ieſus putabatur, à cuius baptiſmo incipit, & excurrit vſquè ad Adam, qui fuit Dei, fortè vt oſtendat nedùm promiſſionem de Chriſto patribus factam, ſed etiàm diuinam

præ-

præordinationem, quam explicauit Deus pòſt lapſum primi hominis dicens, inimicitias ponam intèr te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illi, ipſa conteret caput tuum. Gen. 3. quæ impleta eſt in Maria educente ſemen contriturum caput ſerpentis.

CAPVT IX.

DE ANNVNCIATIONE, ET ADORATIONE PASTORVM.

Luc. 2.

8 ET paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſto-
9 dientes vigilias noctis ſupèr gregem ſuum. * Et eccè An-
gelus Domini ſtetit iuxtà illos, & claritas Dei circum-
10 fulſit illos, & timuerunt timore magno. * Et dixit illis
Angelus: Nolite timere: eccè enim euangelizo vobis gau-
11 dium magnum. quod erit omni populo: * quia natus eſt
vobis hodiè Saluator, qui eſt Christus Dominus in ciui-
12 tate Dauid. * Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, &
13 poſitum in præſepio. * Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis
14 laudantium Deum, & dicentium: * Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax
15 hominibus bonæ voluntatis. * Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in
cælum: paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſquè Bethlehem, & vi-
16 deamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. * Et ve-
nerunt feſtinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum
17 in præſepio. * Videntes autèm cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de
18 puero hoc. * Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant
19 à paſtoribus ad ipſos. * Maria autèm conſeruabat omnia verba hæc, conferens
20 in corde ſuo. * Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes Deum in om-
nibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

COMMENTARIVS.

ET *Paſtores*. Qui exultauit ad currendam viam impatiens ſalutis humanæ illicò natus manifeſtari voluit per Angelos (quibus crederetur) paſtoribus claritate circumfuſis, hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Io. 17. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupèr gregem ſuum*, hìnc colligitur præſepe fuiſſe extrà Bethleem, quia ſi intrà non eſſent vocati paſtores extrà manentes, *& eccè Angelus Domi-*

Domini ſtetit iuxtà illos cominùs, *& claritas Dei*, magna, ex Angelo corruſcans *circumfulſit illos*, & *timuerunt timore magno*, à principio, *& dixit illis*, timentibus *Angelus, nolite timere*, & sìc dicendo timorem excuſſit, *eccè enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* de Iſrael nunc, proùt & cum Ioſeph, nàm hìc non alia explicanda pro nunc, *quià natus eſt vobis* hominibus, *hodiè Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid*, propè illam, nàm & ſuburbia veniunt ſub Ciuitate, *& hoc vobis ſignum* tutum, *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio*, at hæc vilia poterant videri, ſed atteſtatio Angeli præualet, & humiles ad humilem facilè ducti; hìnc cur paſtores ad præſepe, cùr hi primò euangelizati, cùr pauperes euangelizantur, ſi enìm ad diuites hæc delata, non credidiſſent, nec iſſent adoraturi, ideò Chriſtus, confiteor tibi pater, quià abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, & quod eius dicta comprobauit, *& ſubitò* his dictis, *facta eſt cum Angelo* annunciante *multitudo militiæ cæleſtis*, caſtra Dei dixit Iacob; sìc vidit Eliſæus, & puer, & Apoc. 19. ſequuntur in equis albis Chriſtum ad prælium, *laudantium Deum, & dicentium*. Apoc. 4. requiem dicuntur non habere in laude Dei, idèſt nunquàm ceſſare, *Gloria in Altiſsimis*, in cælis vbì habitat, *Deo*, à quo tantum bonum hominibus, *In terra pax hominibus*, allata, *bonæ voluntatis* Chriſtum acceptaturis, prædeſtinatis, vel beneplaciti, & beneuolentiæ Diuinæ, in quibus Deus ſibi complacet, proùt hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, complacuit animæ meæ. Matth. 12 18. sìc confiteor tibi pater, &c. quia sìc fuit placitum antè te. Matth. 11. 26. alibi in beneplacito tuo, ità vt intelligatur de prædeſtinatis, & de pace æterna, & immutabili, non ſecundum præſentem iuſtitiam, non enim complacet ſibi Deus in impijs, quos abominatur, nequè eſt pax impijs dicit Dominus, & ſi cum impijs pax, & complacentia, non diſtingueret dicens *hominibus bonæ voluntatis*, & non diceretur. Luc. 2. 34. eccè poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael. At in iuſtificatis etiàm pax datur ex fide generalitèr.. Rom. 5. 1. vndè & ſecundùm præſentem iuſtitiam ſtabit intellectus, niſi dicas hìc in prædeſtinatis tantùm ex præmiſſis, & pacem diuerſam eſſe. *Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli* in cælum reuerſi, *paſtores loquebantur ad inuicem*, ſe ſimùl cohortantes. *Transeamus vſquè Bethleem*, ad ſuburbia, *& videamus hoc verbum*, rem hanc magnam, *quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis* per Angelum, *& venerunt* Bethleem verſus *feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio* iuxtà verbum Angeli. *Videntes autèm cognouerunt* certò *de verbo, quod dictum erat illis* ab Angelo *de puero hoc, & omnes, qui audierunt* à paſtoribus, *mirati ſunt*, & *de his, quæ dicta erant à paſtoribus* euulgantibus *ad ipſos. Maria autèm conſeruabat omnia verba hæc*, omnia geſta, *conferens*, ruminans *in corde ſuo*, sìc Iacob audito ſomnio Ioſeph rem tacitus conſiderabat. Gen. 37. 12. *& reuerſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant* conformia *ſicùt dictum eſt ad illos* ab Angelo. Nota euangelizatur paſtoribus quia Abraham, Iſaac, Iacob, Dauidi paſtoribus promiſſio Meſſiæ facta, at paucis, ne pateret inſidijs Herodis, quæ inſtabant, ſi multis, tot tamèn qui poſſint alijs nunciare, hìnc vt tutos reddat, & promptos dicit gaudium magnum, quod erit omni populo, hac enìm de cauſa moti cœci illi ad nuntiandum, dicebantquè. Non rectè facimus, hæc enìm dies boni nuncij eſt, ſi tacuerimus, & noluerimus nuntiare vſquè mane ſceleris arguemur. 4. Reg. 7. 9. & paſtoribus quidèm ſimplicibus, qui illum non prodidiſſent, facilis credulitatis, in re difficili, puero ſcilicèt, & in præſepio ſtanti; at vigilantibus, propinquis, qui de facili poſſent verbum videre, intrepidis redditis, ne putaretur phantaſma quoddam, nevè opprimerentur timore ad capiendum myſterium. Sed quæ Dei potentia, quos primos eligit ſimplices, reddit Apoſtolos, qui alijs nunciant; quæ Dei conſuetudo, vt operantes ferè ſemper eligat, hos gregem cuſtodientes, Moſem gregem minantem, Sau-

lem

lem aſinas quærentem, Dauidem de pòſt fœtantes, Ruth ſpicas colligentem, Abacuch portantem prandium meſſoribus, Apoſtolorum alios piſcantes, alium ad telonium, quos in alios viros illicò immutet, vt expreſsè de Saule.

CAPVT X.

DE CIRCVMCISIONE DOMINI.

Luc. 2:

21 *ET poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum eſt nomen eius Ieſus, quòd vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in vtero conciperetur.*

COMMENTARIVS.

POſtquàm conſummati ſunt dies octo, octauo die, *vt circumcideretur puer*, tempus circumcidendi pueri, *vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Præcepit Deus homini, de omni ligno paradiſi comedes, de ligno autèm ſcientiæ boni, & mali ne comedas, quod vt cautiùs obſeruaret, pœnam adiecit; in quacunquè enìm hora comederis, morte morieris. Gen. 2. Adam præuaricatus eſt, & mortem incurrit, ſed Deus diues in miſericordia ab æternò præparauit remedium, nempè ſemen contriturum caput ſerpentis, vndè dixit ſerpenti inimicitias, &c. Gen. 3. & interìm in fidem eiuſdèm venturi, quem ſignis, ſeù ſacrificijs proteſtabantur, ſalutem hominibus dabat, proponens illum propitiatorem per Fidem in ſanguine ipſius, vndè Ioannes, Agnus occiſus eſt ab origine mundi, & non eſt aliud nomen ſub cælo datum, in quo nos oporteat ſaluos fieri, & is modus per multas generationes perdurauit, cum enìm adhùc non eſſet obliuioni tradita doctrina Adam inſtructiſsimi in rebus diuinis, vigebat & Fides, & ratio naturalis in homine. Vndè non fuit neceſſe, vt diſcurrit ſanctus Thomas 3. par. art. 2. q. 70. determinare tempus, vel ritum homini ad conſequendam ſalutem, ſed quiſque arbitrio ſuo Fidem declarabat; cum autèm ſucceſsiuis temporibus doctrina Adam euanuiſſet, ratio naturalis in homine ne dum inclinata, ſed ferè extincta eſſet, & tempore Noe omnis caro viam ſuam corrupiſſet, ità vt diluuio vniuerſali purganda fuerit, tempore Abrahæ idololatria vires ſumpſiſſet, & carnalis concupiſcentia vſquè ad vitium ſodomiticum creuiſſet, vt igne vrendum fuerit, præuidens Deus tempus opportunum ſegregandi populum, ex quo verbum carnem ſumeret, Abrahæ iuſſit ſecedere de terra, & cognatione ſua, & ſegregauit ſibi populum peculiarem, quem ſigno circumciſionis fidem in venturum continente, ſeù ſignificante, & referente in ea parte carnis magìs dedita rebellioni inſigniuit, & ab alijs populis diſtinxit, iubens: infans octo dierum circumcidetur in vobis, maſculus, cuius preputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. Gen. 17. ità vt Moſem occidere voluerit Deus, eò

quòd

Digitized by Google

quòd filium non circumcidiſſet; & cum intermiſſa eſſet circumciſio toto tempore peregrinationis quadraginta annorum per deſertum, Ioſue fixis iàm ſedibus omnem populum circumciderit. Hìnc Chriſtus cum eſſet ex populo illo, eiquè promiſſus, ne videretur legis tranſgreſſor, quam venerat obſeruaturus, vel tanquàm præputiatus recuſaretur, vel diceretur non eſſe de populo (sic Achior circumciſus dicitur appoſitus ad populum. Iudith. 14. 6.) licèt cum peccatum non feciſſet, non indigeret, voluit more peccatorum circumcidi. Sed cum legem adimpleſſet, dedit pinguius remedium per baptiſmum, de quo aliàs. Quia aliqui in hoc loco diſcurrunt ſuper Ioſue 5. vbi iuſſa ſecunda circumciſio, dic vno verbo ſecundam eſſe, quia prima iuſſa fuit Abrahæ, cum autèm per quadraginta annos eſſet intermiſſa, videbatur quaſi abolita, ideò neceſſaria fuit ſecunda iuſſio dicta ſecunda circumciſio, & ſecuta circumciſione, Dixit Dominus. hodiè abſtuli opprobrium Aegypti à vobis, quaſi cum præputio reputabamini Aegyptij. Sic & pòſt captiuitatem Babylonicam ſeptuaginta annorum datæ nouæ leges circà ſacrificia, & leuitas, & alios. Ezechiel 45. ***Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in vtero*** Virginis ***conciperetur***, huius ſolius meminit Euangeliſta, quia de hac ſola ſcribit ipſe, Matthæus de facta Ioſeph.

CAPVT XI.

DE ADORATIONE MAGORVM.

Matth. 2.

1 *CVM ergò natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus*
Herodis Regis, eccè Magi ab Oriente venerunt Ieroſo-
2 *lymam,* dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?*
vidimus enìm ſtellam eius in Oriente, & venimus ado-
3 *rare eum. * Audiens autèm Herodes Rex, turbatus eſt,*
4 *& omnis Ieroſolyma cum illo. * Et congregans omnes*
principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab
5 *eis vbi Chriſtus naſceretur. * At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: Sic enìm*
6 *ſcriptum eſt per Prophetam: * Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquàm minima*
es in principibus Iuda: ex te enìm exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.
7 ** Tùnc Herodes clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ*
8 *apparuit eis: * & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligen-*
tèr de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem
9 *eum. * Qui cum audiſſent regem, abierunt. & eccè ſtella, quam viderant in*
10 *Oriente, antecedebat eos, vſquè dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer. * Vi-*
11 *dentes autèm ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valdè. * Et intrantes domum,*
inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.

E *& aper-*

12 *& apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. * Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.*

COMMENTARIVS.

EPIPHANIA dicitur apparitio, ſeù manifeſtatio. Cur ſic ſe Chriſtus manifeſtauit? quia habuit hoc in mandatis à Patre, nàm non ſufficiebat veracem, & obſeruantem fuiſſe Deum in mittendo Filium ſuum in mundum promiſſum Patribus, niſi etiam innoteſcere feciſſet hominibus promiſſionem ſuam adimpleuiſſe, id verò præſtitit Chriſtus abundantèr, nàm non priùs iu vterum Virginis deſcendit, & illicò ducit eam ad Ioannem, cui ſe ipſum prodit & Matri, & Patri: non priùs natus, & Angelos mittit ad Paſtores, ſtellam ad Magos, in duodecimo anno ſtat in Templo inrèr Doctores, antè ſuſcepram prædicationem in trigeſimo anno à Patre, & Splritu ſancto in Baptiſmo à Ioanne ſuſcepto manifeſtus redditur, iterum ab eiſdem in Transfiguratione, in qua & arrham dedit tribus diſcipulis gloriæ ſuæ; in tota vita doctrina, & miraculis. Vndè in primo Canæ Galilææ Ioannes, manifeſtauit gloriam diſcipulis ſuis, vtquè ex his cognoſceretur, prædicta erant à Prophetis, quoàd doctrinam, dabo vobis Doctorem. Iſa. 55. quoàd miracula. Tunc aperientur oculi cœcorum, &c. & vt doceret hæc adimpleta Ioanni mittenti diſcipulos ſuos interrogatum: ru es, qui venturus es, an alium expectamus? renuntiarè fecit, cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me; sìc & impleuit omnia, quæ de illo prædixerant, præſertim ingreſſum triumphalem in Ieruſalem, vndè in Cruce traditurus ſpiritum, dixit, conſummatum eſt; sic in Cruce ex tot prodigijs, Reſurrectione, Aſcenſione, miſſione Spiritus ſancti, hinc eſt, quòd Euangeliſtæ ſempèr in ore habent, vt adimpleretur Scriptura, &c. Imò ea fuit cura omnia adimplendi, & ſe manifeſtandi, vt Ioanni recuſanti eum baptizare, excipientiquè, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? dixerit; ſine modo, decet nos implere omnem iuſtitiam, idèſt obſeruare, & adimplere omnia, verbum enìm, iuſtitia, sic hìc capitur, & Geneſ. 15. credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ad obſeruantiam, quia Deus verax, & sìc verba. Pſal. 50. vt iuſtificeris, Iuſtus, verax, obſeruans appareas, & aliàs dixit non veniſſe ſoluturum legem, ſed adimpleturum, & iota vnum, aut apicem non præteriturum à lege donèc omnia fierent. Quòd ſi non ſe manifeſtaſſet, liberi fuiſſent Iudæi à peccato, & omnis non credens in eum ex ore ipſius. Io. 16. ſi non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autèm excuſationem non habent de peccato ſuo; ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccàtum non haberent, nunc autèm & viderunt; & oderunt me, & Patrem meum. Si dicis non dixit ſe Meſſiam; primò multis ſe dixit, Samaritanæ, Nicodemo, primis diſcipulis. Io. 1. cæteris, principium, qui & loquor vobis, & Io. 5. 18. proptereà ergò magis quærebant eum Iudæi interficere, quià non ſolùm ſoluebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo, & intellexerunt, quandò dixit: Antequàm Abraham fieret, ego ſum: tùnc enim tulèrunt lapides, vt lapidarent eum vti blaſphemum; Verum eſt prohibuiſſe diſcipulis, ipſum raro admodùm id dixiſſe, & præſertìm non dixit, quandò petierunt, quouſquè animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus dic nobis palàm, ſed id quià ſciebat morti ſe ſubijcere, cuius hora nondùm venerat, proptereà tùnc voluerunt eum lapidare. Et quandò dixit coràm Caipha, recepit ſententiam mortis, cuius hora venerat.

nerat. Imò poſtquàm per crucem hinc abijt manifeſtari voluit nomen ſuum per Spiritum ſanctum miſſum, & per Apoſtolos ſuos, quos miſit in vniuerſum mundum. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis*, more prophetarum appoſuit dominantem, *ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam*. Vndè oriundi, & venerint incertum, ſed in diebus xiij. iter feciſſe, & ad Infantem adorabundos adſtitiſſe receptiſſimum eſt. Nec non veriſimile eſt, vt Fides venturi, & cognitio Dei propagaretur, ſicùt Abraham, qui hoc propolaret circumduxit, & captiuos Iſraelitas paſſus eſt. Tobiæ 13. 4. & in ſcripturis populorum narrauit; ſic & eodem Deo auctore inſtructos filios Abrahæ ex Cetura, ex quibus denominati Sabæi, aut Madianitæ, aut Meſopotamiæ habitatores, in ſuos hanc fidem diſſeminaſſe, & in poſteros deueniſſe, prophetiam etiàm Balaam apud eoſdem fuiſſe receptam, quibus motam Reginam Saba ad Salomonem acceſſiſſe, & hos Magos, vel anteceſſores, vel vicinos edoctos fuiſſe, & viſa ſtella Domino cooperante, & mouente, ad adorandum arripuiſſe iter. Si enim multifariàm, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, quos erexit ad Fidem, ſe manifeſtauit, nouiſſimè diebus iſtis, quibus loquutus eſt nobis in Filio. Heb. 1. ſigna, & mirabilia maiora effeciſſe non eſt dubitandum, is enim Deus eſt, qui nocte columna ignea, die nube obſcura, populum ſuum duxit: *Dicentes: vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*. Magi ſtella tracti nunciant Hebræis ortū Meſſiæ, Paſtoribus Angeli, quibus eorum maiores aſſueti, credentes alios edocent, ſic Deus inclinat ſe hominum captui; Intrant Ieroſolymam interrogantes; putant rem tantam (qua nulla maior) omnibus notam, proùt ſponſa, quæ ſponſum quærens vigilibus etiàm occurrentibus: nùm quem diligit anima mea vidiſtis? Cant. 3. 3. & filiabus Ieruſalem: adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum. Cant. 5. 8. etſi deciperetur, quia audit, qualis eſt dilectus tuus verſ. 9. diſcipuli euntes in Emaus; tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti ea, quæ facta ſunt in ea his diebus? Luc. 24. 18. & Chriſtus, quæ? Magdalena: dicito mihi ſi tu ſuſtuliſti eum, putantes omnibus hæc nota eſſe; Ideò non timuerunt offendere Herodem, nec intenderunt ſe à ſuſpicione quam non intelligebant, purgare, credentes hoc eſſe in Ieruſalem notiſſimum; nec poterat Herodes timere ab inermibus, paucis, publicè loquentibus, & ſi aliquam contraxiſſet ſuſpicionem, potuiſſet eos carceribus mancipare; & Euangeliſta dicit eum turbatum hoc nuncio, non alia de cauſa, quòd ſi alia fuiſſet, expreſſiſſet. *Vidimus enim ſtellam eius in Oriente*, illum indicantem. Orietur ſtella ex Iacob, crediderunt hi ſignis, & ſcripturis, ſeù traditioni ex Balaam ortæ, at neutri Iudæi, *& venimus* certi de natiuitate eius hùc *adorare eum*. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt*, hoc nuncio, timens perdere regnum nouo rege ſuperueniente; ſic ſolent impij, terret eos ſonitus folij volantis. Leuit. 26. & ſonitus terroris ſempèr in auribus impij, & cum pax ſit, ille ſempèr inſidias ſuſpicatur. Iob. 15. Cain, & ſi ſigno Dei munitus, habitauit profugus in terram. Gen. 4. *Et omnis Ieroſolyma cum illo*; vel adulatione mota, vel timore correpta ſi ſecùs faceret, & ſic ex ratione ſtatus diabolica non quærunt Chriſtum, imitantes Ieroboam, qui timens perdere regnum, erexit vitulos; ideò non quærunt de ſtella, non aſſociant Magos, & tamèn Rex Babylonis, audito portento pro Ezechia, miſit nuncios ad inueſtigandum quid hoc eſſet. 2. Paralip. 32. 31. *& congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi*, omnes ſapientes Hebræorum, *ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur* timor amiſſionis regni, non animæ ſalus ad hanc diligentiam illum cogit, quæ tamen Deo inſeruit; nonnè meliùs erat ſecretò rem hanc tractare cum aliquo verſato, quàm in ore omnium ponere? Sed præualet timor, qui non finit cum liberum; *At illi dixerunt ei. In Bethlehem Iudæ*, facta erat popularis hæc prophetia, quia Io. 7. dicitur à turba. nonnè Scriptura dicit: quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem Caſtello, vbi erat Dauid venit Chriſtus? *ſic enim ſcriptum eſt per prophetam*

tam Michæam, *& tu Bethlehem terra Iuda nequaquàm minima es in Principibus*, intèr principes locos, *Iuda*, etſi obſcura ſis, *ex te enim exiet dux*, Meſsias, *qui regat populum meum Iſrael*, ſaluet, dirigat, & hoc modo magna eris, *Tùnc Herodes clàm vocatis Magis diligentèr didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis*, tempus apparitionis ſtellæ, *& mittens illos in Bethlehem*, & dimittens eos à ſe, vt irent in Bethlehem *dixit: ite, & interrogate diligentèr de puero, & cum inueneritis*, illicò *renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum*, non permittit alios loqui cum Magis, vult ipſe ſolus eos de Bethlehem inſtruere, vt reddat ſibi beneuolos, & obſequentes, admittit neminem, clàm agit, ne fraus detegatur ab alijs, priùs tamèn ſcire vult de ſtella, qua angebatur; turbationem occultat, oſtendit ſe animo conformem in rege adorando, illos edocet quid agant, & vt magis de illis confidere videatur, vult ab illis edoceri, nec aliquem tranſmittit, qui videat, & referat, vel expectet eorum reditum, vt ſalua manu Regem interimat, prout Achitophel contrà Dauid, cuius tamèn conſilium diſſipatum à Chuſai, intentus, ne ſuo exemplo moueat alios, qui petant Bethlehem. Vel vt oſtendat hęc quaſi vana non curare, vel ne tumultum excitent, propterea clàm agit, & illicò eos dimittit, ne cum alijs tractent: nec multum honoris eis tribuit, ne videatur eos, vel eorum relata attendere; quid non fingit aſtutia? Sed ſi timet, ſi nouit vbi natus, cur non ipſe accedit, cùm tanti referat? cur non mittit ex ſuis? cur Regibus imperat? cur de peregrinis incognitis confidit? quomodò vult hos in ſuo regno plùs ſcituros, quàm ipſum, quàm ſuos? quomodò non cogitat quia hi ex tàm longinquis partibus, & regnis inditio ſtellæ nouæ venerunt, hæc à Deo eſſe, & eundem cor ſuum cogniturum, & prouiſurum? ſed malitia aggreditur impoſſibilia, & confunditur. Et Principes Synagogæ audiunt ſigna, vident Reges, norunt prophetias, Meſſiam per tot annos preſtolantur, cur non ſaltèm ſecretò, ſi timent Herodem, quem non deberent, mittunt Bethlehem? ſed excæcauit eos malitia eorum dicentes ſe eſſe ſapientes, alios docentes, ſtulti facti ſunt pro ſe ipſis. Sic Achitopheli, ſic fabricatoribus Arcæ contigit, ſed hæc omnia permiſit Deus, vt ſaluaretur Chriſtus, cum nondùm veniſſet hora eius, *Qui cum audiſſent Regem, abierunt* Bethlehem versùs, non legitur quòd promiſerint regredi ad Herodem, ſed indicant verba, *videns quòd illuſus eſſet à Magis*, illuſus iuxtà ſuam reputationem, cum non tenerentur obſeruare quod tendebat in offenſam Dei; obedire enim oportet Deo magis, quàm hominibus. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente antecedebat eos vſquè dum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer.*

Sed an dux fuerit per totum iter ab Oriēte vſquè Ieruſalem? placet negatiua. Euangeliſta enim dicit clarè, *quam viderant in Oriente, vidimus ſtellam eius in Oriente*, expreſſurus ſi alibi vidiſſent. Et ſi dixiſſent, & Herodes, & Hebræi auidi ſignorum egreſſi eſſent viſuri miraculum, & iuncti eſſent Magis Regem quæſituri, quod non legitur; ſed per Angelos eis familiares, non per ſtellam, qua ſoli Magi, trahendi fuerant. Si dicis, non dixerunt, quia propè Ieruſalem euanuit. Reſpondeo diuinare eſt, & ſaltèm Euangeliſta non omiſiſſet, prout narrat nouam apparitionem pòſt diſceſſum. Secundò, quandò exeuntes de Ieruſalem eam viderunt, non dixiſſet Euangeliſta (*ecce*) verbum admiratione plenum, nec ſubiunxiſſet *quam viderant in Oriente*, quæ ſunt verba clara. Tertiò, ſi ſtella ab Oriente ad Ieruſalem vſquè ſempèr Magos præceſsiſſet, ſola index fuiſſet itineris, quod non fuiſſet neceſſarium, quia via vſquè ad Ieruſalem trita, & cognita, & frequens erat, tùm ob Ieruſalem Metropolim, & Regiam Ciuitatem, tùm ob templum, quod frequentabatur ab vniuerſis populis, & in non neceſſarijs Deus nō vtitur via extraordinaria miraculorum; ſed ordinaria, & naturali, quæ eò magis hic extraordinaria fuiſſet, ſi aut ſtella in Oriente viſa iter verſus Iudæam indicabat, prout aliqui tenent, quod non credo, & eſſet tertium miraculum minimè neceſſarium, vt ex infrà dicendis patebit, aut (quòd magis credo) ſi Magi ſcientes prophetiam Balaam, nouerant Meſsiam in Iudæa naſciturum, quod eadem prophetia indicat, orie-

tur

tur ſtella, ex Iacob, &c. præſertìm quia Balaam effudit ea verba ſupèr populum Iſrael de Aegypto eductum ad terram promiſſionis euntem, ſtella enìm indice eò minùs tùnc indigebant in via trita, & frequenti, quæ oſtenſa fuiſset ab omnibus de facili. Quartò, nō eſt veriſimile Deum voluiſse eis præbere ſtellam ducem vſquè in Ieruſalem; qua minùs indigebant, deindè in maiori neceſsitate, in vijs non ita cognitis eos dereliquiſſe, & quòd tùnc eſset magis neceſsaria apparet, quia illam iterùm manifeſtauit à Ieruſalem vſquè Bethlehem, & hoc argumentum magìs ſtringit, ſi neceſsarium non erat tranſire per Ieruſalem euntibus in Bethlehem, non enìm declinaſsent ad Ieruſalem interrogaturi, vbì natus eſset Rex Iudæorum, quem ſtella duçe à ſe ipſis inuenturi erant, proùt ab Oriente vſquè ad Ieruſalem alium interrogaſse non legitur, aliòquin diffidiſsent de Dei bonitate, qui ab Oriente vſquè Ieruſalem eos conduxiſſet, nec cauſam dediſset ab alijs inquirendi. Si dicis ſubtraxit ſe ſtella, vt cogerentur ingredi Ieruſalem Regem nunciaturi. Reſpondeò Deum abſquè eo, quòd illos in deſperationem, vel tribulationem adigeret, vel noua miracula exhiberet, eadem intentione potitum eſse, nàm Ieruſalem rectà adierunt interrogantes, cum eſset regia, & principalis Ciuitas Iudææ, quod videtur magìs conuenire. Si vrges. ſicùt viderunt ſtellam ab Ieruſalem ad Bethlehem, ità ab Oriente ad Ieruſalem. Reſpondeo, ſi ſecundum eſset verum proùt primum, ſicut Euangeliſta de primo, ità de ſecundo dixiſſet, & quià non dixit, nec eſt credendum ità eueniſse. Secundò ex diuerſis non infertur maximè ſi diuerſa ratio; & viæ à Ieruſalem ad Bethlehem non ità tritæ, & cognitæ peregrinis erant, ſicùt ab Oriente ad Ieruſalem Ciuitatem Regiam. Tertiò iàm iuxtà voluntatem Dei publicauerant in Ieruſalem natiuitatem Regis, quam publicationem nolebat fieri in Bethlehem, vbì erat Chriſtus, ne Herodi proderetur, ideò ad amputandum neceſsitatem alios interrogandi, & perquirendi de loco incognito, vbì erat Chriſtus ſtellam pòſt egreſsum è Ieruſalem comparere iuſsit, ſi enìm cognitum fuiſset eos veniſse adoraturos Chriſtum natum, quiſque admiratus eſset, cur tot Reges ad locum obſcurum declinaſſent, quòd non habuit locum in Ciuitate Regia, ad quã & Reges ſolebant conuenire. Quartò, Deus etiam nolebat per eos publicari in Bethlehem, & alijs locis natiuitatem Chriſti, quod paſtoribus demandauerat, & Ioanni Baptiſtæ reſeruauerat, vndè & ipſe cum eſset duodecim annorum non docens, ſed interrogans intèr Doctores fuit, nec ſe prodidit. Vltrà quòd ingreſsus eorum in Ieruſalem ſeruiuit, vt & ipſi informarentur, quod in Bethlehem non contigiſset, & ideò in ea etiam Ciuitate regia interrogarunt tantùm. Quintò, ſi ſempèr duraſset ſtella, nouo gaudio non eſsent perfuſi videntes eam pòſt egreſsum è Ieruſalem, vt ergò eos conſolaretur, & indicaret locum eſſe propinquum, quò nihil gratiùs peregrinis contingere poteſt, reſeruauit hìc nouam viſionem ſtellæ in Oriente primò viſæ. Sextò, ne aùt interrogandi alios de via grauarentur, nevè quiſquàm de Ieruſalem egrederetur cum eis, & res ad Herodem deferreretur, sìc Deus permiſit, & quamuis omnipotentiæ ſuæ non deeſſet alia via ſaluandi Chriſtum, hac tamèn vſus eſt, fortè, vt ab innocentibus occiſis ipſe laudaretur, & glorificaretur. Quicquid ſit, potuerunt à relatione Magorum excitari Hebræi ad quærendum Regem eorum, quia tempus erat conforme hebdomadibus Danielis, & prophetiæ Iacob, & alijs. Sed an hæc ſtella orta in Iſrael, an in Oriente? videtur in Oriente, quia ibì viſa à Magis; nullibì ab alijs, ſi enìm orta eſſet in Iudæa ab aliquibus viſa eſſet, vel daretur miraculum. Prætereà ſi Magi dixiſſent, vidiſſe in Oriente ſtellam in Iudæa ortam, quam inhabitantes in Iudæa non vidiſsent, riſu excepti eſsent, præſertìm quia Herodes voluit ſcire tempus apparitionis ſtellæ. Vltimò clarè colligitur ex verbis, *& eccè ſtella, quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos, &c.* nec potes dicere viderant in Oriente ſtantem in Iudæa, quia tollitur, cum tùnc in Iudæa conſtituti dicant in Oriente vidiſse, & denuò in Iudæa apparuiſse. Non obſtant verba Balaam. Num. 24. quia intelligun-

tur orituram ſtellam ex Iacob, indicaturam Meſsiam ex Iacob oriundum, non quòd in Iudæa oritura eſset; & quòd hoc ſit verum patet, quia orta in Iudæa nemini inſeruiuiſſet, at in Oriente, Magis ad Chriſtum adducendis inſeruiuit. Ad hęc & Iudæi ſupèr ſtella nihil dixerunt, dicturi ſi naſcitura in Iudæa. Plùs dîcam, prophetia Balaam eſt de Chriſto, ſeù Meſsia, quem ſtellæ irradiantis, & illuminantis nomine ornat, eſt enim lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem, &c. & ſe declarat per ſequentia verba, quia quàm dixit ſtellam, nuncupat virgam, non ergò intelligenda de ſtella materiali, vel ſi de illa, eo modo quo dixi; non enìm conuertendi Hebræi per ſtellam, ſed per Angelos, qui paſtoribus apparuerunt, vt dicunt omnes. Vel duplex ſenſus, ſtella quidèm, idèſt Meſsia pro Iudæa, ſtella autèm materialis pro Magis. *Videntes autèm ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valdè*, confirmati non arripuiſse iter vanum, & Deum eis aſſiſtere. *Et intrantes domum* (iàm enim à præſepio receſserant Maria, & Ioſeph cum infante) alij adhùc in eò permanſiſse, & fuiſſe vſquequò ierunt ad Templum in Ieruſalem. At non videretur recedendum à primo intellectu, qui ſtat in proprietate ſermonis; etenìm ſub verbo (domus) non comprehenditur caula, vel præſepium, & argumentum à verbis Pſalmi 103. Herodij domus, eſt debile, & ab improprio in auibus, & talis impropriatio non videtur aptari verbis Matthæi, eò magìs quia Matthæus, qui primus ſcripſit Euangelium, non meminit præſepij, ſed domus tempore Magorum, ſolus Lucas pòſt eum ſcribens fortè vt diuerſificaret habitationes, meminit præſepij tempore natiuitatis, & ſicùt Spiritu ſancto dictante Lucas dicit de præſepio, eodem dictante dixiſset Matthæus, qui nunquàm illius meminit, & aptè contingebat ſermo illius cum meminit ſtellæ, quæ ſtetit ſuprà, vbì erat puer, nam ſuffeciſset dicere ſuprà præſepium, proùt Angeli apud Lucam, quia ſic clarè deſignaſset locum, non ſub generalitate, at domus non potuit ſpeciatìm deſcribi. Accedit quià Lucas oſtendit pro neceſsitate vſos eſse præſepio, dicens, cum non eſset eis locus in diuerſorio. Vndè eſt admodum veriſimile, ceſsante neceſsitate, finito myſterio, quod conſtitit in natiuitate, & vlteriùs nou procedebat, & facto eis loco in diuerſorio, finita nempè profeſsione, & abeuntibus omnibus contribulibus, non ſe continuiſse in præſepio, ſeù ſtabulo, ſed ſe recepiſse in aliquam domum, quia Chriſtus venit intèr homines communitèr, non ſingularitèr victurus, vt ipſe dixit. Venit filius hominis manducans, & bibens, &c. ideò illi conueniebat viuere in domibus, non in caulis; & videmus ab ipſo non factum alio tempore vitæ ſuæ, qui etiàm à Ieruſalem horis veſpertinis abibat Bethaniam hoſpitaturus, quod in ſtabulis in Ieruſalem ſi voluiſset, facere potuiſset. Et quod eis licuit in neceſsitate ad paruum tempus, dum non erat eis locus in diuerſorio, & ad myſterium, non videtur licuiſse quadraginta diebus ad purificandas parientes maſculos præfinitis, & vltrà neceſsitatis, & myſterij tempora. Erant enìm noti cum eſsent omnes de vna Tribu, & familia Dauid inſigni, & regia, & Ioſeph ex artificio, non nè hic eſt filius Ioſeph; Fabri filius? vndè potiùs ſuſpecta fuiſset longa habitatio in præſepio illo, & ſcandalum paſsi eſsent contribules, quibus cum conuerſari, & profiteri neceſse fuit, eò magìs cum locus eſset publicus, omnibus patens, & Bethlehem paruula, vndè in eò vix licuit diutiùs hoſpitari, & paſtores iàm publicaſsent verbum, quod audierant, & viderant, vndè potuit ad eos fieri concurſus. Inſupèr parentes, & cuſtodes erant pueri, pro cuius educatione conueniebat magìs domus, quàm præſepium, & magìs ignis, quàm calor beſtiarum, bouis, & aſini tempore hyemali, qui etiàm bos, & aſinus, ſi alieni, proùt tentum, non potuerunt illic tandiù detineri ad hoc officium. Et vigilantia eorum in illo educando, & cuſtodiendo apparuit, quia erat ſubditus illis; & in perquiſitione trium dierum, quandò templum adierant. Et ſicùt Maria præparauerat pannos ad illum inuoluendum, ſic portauerant pecunias ſufficientes pro hoſpitatione, & victu, dum ibi manerent profeſſuri, iuxtà edictum Imperatoris euocantis illos, non enìm ſtipem mendicabant, vt vel ibì expectarent victum, vel non

habe-

habeꝛent, vndè ſe in domos reciperent, hæc enim excluduntur à Luca, quia non erat eis locus in diuerſorio ob multitudinem appulſam, ibant enim omnes, vt profiterentur, non ergò alia de cauſa, & ſic excluditur, quòd id proceſſerit ex parua charitate Bethlehemitarum, vt aliqui volunt. Neque ob mutationem à præſepio ad domum, ſanctitas præſepij ſublata fuit, permanſit enim ob actum illum memorabilem, quia ibi natiuitas, alibi ſola mora, quæ non fuit obſeruata in alijs domibus, in quibus permanſit in diebus vitæ ſuæ, & fortè hac ratione Patres agentes de Magis ſtant in præſepio, quia non inuenerunt alium locum deſignatum myſterio plenum, proùt illud, nàm non deſignatur quæ domus illa, & coniungunt Magos cum Paſtoribus, qui præſepium ab Angelis admoniti intrarunt, & in hac deuotione ab illis non recedamus, ſed vigilemus & nos ad præſepium. Nec dicatur voluit Mater ſanctiſſima morari in ſtabulo illo celeberrimo, nàm ſecum habebat auctorem celebritatis illius, ob quem locus, non ille ob locum, & erat intenta commoditati, & educationi filij, & hæc nobis reſeruabantur, & non erant temporum illorum. Natiuitas autèm in præſepio ſeruiuit ad myſterium, tùm ob humilitatem, tùm ob commoditatem paſtorum in nocte, qua certiores ab Angelis redditi, adoratum perrexerunt, quod non adeò oportunum fuiſſet, ſi domi, ſi intrà Ciuitatem fuiſſet locus Natiuitatis. At hæc omnia ſecundùm hominem, ſecundùm Deum potuerunt ibi ſempèr manſiſſe, & ex picturis apparet Magos ad præſepium adorabundos adſtare antè puerum, & Virginem munera offerentes, at frequentiùs cum paſtoribus. Sed cur nulla mentio præſepij in Scriptura antiqua? ſatis fuit docuiſſe in Bethlehem naſciturum, ex Michæa, abſquè alia expreſſione loci, tùm quia magis patuiſſet inſidijs Herodis, nàm abſquè Magorum relatione expectata, poterat ad caulas, ſeù præſepia mittere; tùm quia hoc torſiſſet ſuperbos Hebræos Meſſiam expectantes quaſi Regem in maieſtate, curialibus, & militibus ſtipatum, vindicantem regnum eorum, eoſquè in libertatem priſtinam reſtituentem, & fortè non tanti feciſſent illum venturum; tùm quia Scriptura non ſolet locum loci apponere. ***Inuenerunt puerum cum Maria matre eius***, Nihil de Ioſeph, quia non erat pater, proùt Maria mater, & hoc ſempèr aduertit Matthæus in genealogia, de qua natus eſt Ieſus, nec hoc contentus vt penitùs excludat Ioſeph à paternitate, ſubſequitur, Chriſti autèm generatio ſic erat, accipe puerum, & matrem eius, at Lucas non multùm in hoc inſiſtit, proptereà meminit Ioſeph in paſtoribus, & cum inducerent puerum Ieſum parentes eius; pater tuus, & ego dolentes; & erant pater eius, & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo, quia ſe explicauit in Annunciatione, & cap. 4. qui putabatur filius Ioſeph, &c. & non eſt veriſimile Ioſeph defraudatum tanto gaudio, & Euangeliſta meminit perſonarum principalium, nec curat Ioſeph minorem, qui cum illis comprehendebatur, & ſi innominatus, & quia illicò ſubdit de illo admonito in ſomnis, quod ſufficit ad denotandum eius præſentiam in proximè præcedentibus. Hinc quod ab aliquibus dicitur Ioſeph abfuiſſe, inueriſimile eſt, cum longam moram traxerint Magi, qui reſponſum in ſomnis acceperunt, & ſi alibi hoſpitatos credendum eſt; quod ab alijs abfuiſſe, ne putaretur eius pater inueriſimiliùs, tùm quòd ſic ſempèr reputatus fuit, tùm quòd qui dux erat Magis ad adorandum, eoſdem à ſuſpicione liberaſſet. & conueniunt omnes vti Deum agnitum, nàm ſubditur, *& procidentes adorauerunt eum*. Vltrà quòd conuenientiùs fuit virum ibi adeſſe ſocium Virginis, non ipſam ſolam. ***Et procidentes adorauerunt eum***, latria ad terram proſtrati, *& apertis theſauris ſuis*, quæ detulerant, ***obtulerunt ei***, vti Deo, ***munera aurum, thus, & myrrham***. quilibet eorum hæc omnia ſimùl; Euangeliſta enim non diſtinguit, nec nos diſtinguamus. ***Et reſponſo accepto in ſomnis*** per Angelum, ***ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam*** per montana.

CA-

CAPVT XII.

DE PVRIFICATIONE BEATAE VIRGINIS.

Luc. 2.

22 *ET poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm*
legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent
23 *eum Domino, * ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia*
omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domi-
24 *no vocabitur. * & vt darent hoſtiam ſecundùm quod*
dictum eſt in lege Domini par turturum, aut duos pul-
25 *los columbarum. * Et eccè homo erat in Ieruſalem, cui*
nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem
26 *Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eò. * Et reſponſum acceperat à Spiritu ſan-*
27 *cto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. * Et ve-*
nit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt
28 *facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo: * & ipſe accepit eum in vlnas ſuas,*
& benedixit Deum, & dixit:
29 ** Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecùndùm verbum tuum in pace.*
30 ** Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*
31 ** Quod paraſti antè faciem omnium populorum.*
32 ** Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.*
33 ** Et erat pater eius, & mater mirantes ſupèr his, quæ dicebantur de illo.*
34 ** Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: Eccè poſitus eſt hic*
in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael: & in ſignum, cui con-
35 *tradicetur: * & tuam ipſius animam pertranſibit gladius vt reuelentur ex mul-*
36 *tis cordibus cogitationes. * Et erat Anna propheteſſa, filia Phanuel, de tribu*
Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem
37 *à virginitate ſua. * Et hæc vidua vſquè ad annos octoginta quatuor, quæ*
non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.
38 ** Et hæc ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo*
omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

ET *poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius* Mariæ *ſecundùm legem Moyſi* mulieribus præfixi, *tulerunt illum* Ieſum *in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicùt ſcriptum eſt*, decretum, *in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vuluam*, naſcens ſiuè homo, ſiuè brutum, ideò dicit *adaperiens vuluam*, vt omnes comprehendat. Exod. 13. *Sanctum*, ſeparatum, dicatum *Domino vocabitur*, erit; primogenitus enim erat ex Maria verè natus, & ideò Sanctus Domino vti homo, non vti Deus, & qui vtì homo legi, quam venit obſeruaturus volens ſubijciebatur, vt hic Euangeliſta: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatē tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. De hoc Malach. 3. eccè mitto Angelum meum, Ioannem, & præparabit viam antè faciem meam, præibit antè faciem Domini, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, pacti, Meſsias miſſus à Deo: dicit Angelum teſtamenti ad differentiam primi præcurſoris, quem vos vultis. Offert Deo natura humana donum à Deo datum, vt Deum placet, & ſibi reconciliet, quod in nato potuit, in incarnato cum adhùc eſſet occultum myſterium facere non potuit manifeſtè; hæc ad Ieſum, pro Maria verò: *Et vt darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*, iuxtà conditionem ſuam pauperem alijs cognitam; quamuis enim penès ſe habuiſſent aurum Magorum, quod quidam volunt fuiſſe erogatum pauperibus, nec reſeruatum pro fuga Aegypti, quam tùnc ignorabant, & quia nouerant Filio Dei nihil defuturum, non congruebat oſtendere mutationem ſtatus tàm breui tempore; at quòad aurum potuerunt illud conſeruaſſe pro expenſis quadraginta dierum, quibus permanſerunt Bethlehem, redemptione, oblatione, itinere in Nazareth, & in Aegyptum.

Sanctiſsima Virgo non tenebatur ad obſeruantiam legis purificationis, cum non eſſet immunda, ad immunditiam enim lex reſpicit, ità vt parientem menſtruatæ æquiparet. Leuit. 12. & ceſſante ratione legis, ceſſat lex: An autèm exempta eſſet Virgo ex verbis legis. Leuit. 12. (ſi ſuſcepto ſemine) non crederem, quia legiſlator loquutus eſt iuxtà id quod euenit communitèr, ideò profert verba clara, (ſi ſuſcepto ſemine) denotantia conceptionem, quaſi, ſi mulier conceperit, cum conceptio præcedat partum, ſeruans ordinem in verbis, ideò poſteà ſubdit: ſi pepererit, talis enim debet eſſe lex clara, non quòd illa verba expreſſa ſint ad denotandum actum impudicum coitus, cum non conſideret immunditiam ex illo, ſed ex fluxu ſanguinis ob partum, hinc æquiparat parturientem ob fluxū ſanguinis ſuccedentem menſtruatæ. Aut ad excipiendam Virginem, quæ ſemine non ſuſcepto concepiſſet, & peperiſſet; legiſlatores enim non attendunt ad impoſſibilia ſecundùm naturam, imò nequè ad ea, quæ raro eueniunt; ſupèr quibus non ſolent diſponere; hinc & Exod. 13. loquitur de aperiente vuluam, quia id communitèr fit, quam tamèn Dominus non aperuit; Vndè non poteſt quidquam elici pro Virgine concipiente, & parturiente, quam & clarè excepiſſet, non ſub generalibus verbis. Ad hęc, fruſtratoria fuiſſet prouiſio, & exceptio in Virgine Sanctiſſima, quæ hoc beneficio non eſt vſa, ſed ne deprehenderetur inobſeruans legem (non enim tùnc tempus erat edocendi ſe Virginem, & liberam ab illo onere legis) & ſubijceretur pœnis (vltrà alias rationes) congruum fuit more aliarum parientium legem obſeruare; at vana non deſcripſiſſet legiſlator à Deo inſtructus, qui nouerat Virginem illa non vſuram, & munditia ſola, lege non obſtante, eſſe exemptam. Prætereà diſpoſitum eſſet in matre, quæ conformis debuit eſſe Filio, quod negatum voluit ſibi Filius, qui profeſſus eſt legis obſeruantiam in Iota, & apice; vndè voluit circumcidi, præſentari in templo, redimi, etſi vuluam non aperuiſſet,

ruiſſet; Et ſi lex illa exemiſſet Virginem, non diceret Euangeliſta, *ſecundum legem Moyſis*, loquens de geſtis à Virgine in purificatione. Et in omnem euentum nil aliud dici poſſet niſi eximendam fuiſſe aliquam mulierem virginem parituram, vt ex Iſaia, & cū de facto Virgo ſanctiſſima non ſe exemerit, ſed legē ſeruauerit, fruſtrà in his immoramur; Si dicas poterat vti ſi non eſt vſa, friuolum eſt, non enim attenditur potentia, quæ nō deducitur ad actum. Aduertendum præterea dum de pariente fœminam loquitur, non apponere verba (ſi ſuſcepto ſemine) quia iàm ſemèl ea appoſuerat in pariente maſculum, & illa deſeruiebant etiàm parturienti fœminā, non autèm quòd ex hoc myſteriū inferatur, præſertim quia lex has æquiparat, ſubdens: hæc eſt lex parientis maſculum, vel fœminam, ità vt de vtroque caſu vniformitèr loquuta ſit, & diſpoſuerit.

Sed an oblatio turturum, vel columbarum, ſeù agni fieret pro Matre, vel pro prole? dic fiebat à matre pro ſe occaſione immunditiei partus filii, vel filiæ, quos genuerat. Leuit. 12. ibi enim diſponitur: mulier ſi ſuſcepto ſemine, ideſt, pòſt conceptionem pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxtà dies ſeparationis ſuæ, & die octauo circumcidetur infantulus ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ, &c. Cumquè expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſeù pro filia; hic punctus, poſteà, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſeù turturem pro peccato, ſcilicèt ſuo; ſunt enim clara verba, & directa in mulierē, ſiuè quòad immunditiam, immunda erit, ſiuè quòad oblationem fiendam, deferet, & tradet Sacerdoti, & reſpicientia ſtatum ſuum, cum expleti fuerint dies purificationis ſuæ; ſi enim pro prole, alio tempore fieri poterat; & peccatum proprium; dicendo enim pro peccato, intelligit de proprio, ſeù immunditiā, de qua præmiſit, quia perſona extranea in dubio non ſubintelligitur, & quia proles eſt ſinè peccato eo tempore circumciſa octauo die, ſi maſculus vt dixit, ſi fœmina alio modo. Item effectus oblationis in eam dirigitur, nàm ſubdiuit: & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coràm Domino, & orabit pro ea, non pro prole, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui, illa, non proles, & hæc verba duplicat in fine capitis: orabit pro ea, mundabitur. Vndè miror quomodò in hoc difficultas; Sed ponamus quòd ipſa moreretur antè quadrageſimum diem, eſſet ne locus huic ſacrificio, & oblationi pro prole? nequaquàm; ergò pro matre oblatio, non pro prole. Inſupèr ſi partus primogenitus non eſſet, non deferebatur ad templum, primogeniti enim tantùm deferebantur redimendi quinque ſiclis, non alij hac redemptione non indigentes; at vniuerſalis illa diſpoſitio, & oblatio in qualibet quemuis pariente, ergò pro matre, non pro prole, quia ſi pro prole, & hæc ad templum deferenda fuerat vnà cum matre; imò primogeniti poterant deferri ad templum ſoli redimendi pòſt vnum menſem. Num. 18. 16. matres verò pòſt diem quadrageſimum tantùm adibant templum. Leuit. 12. et ſi ſolerent differre redemptionem primogenitorum vſquè ad diem, quo ipſæ purificabantur, prout fecit Sanctiſſima Virgo. Abulen. Num. 18. Non obſtant verba cumquè expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, vel filia, deferet, &c. quæ videtur innuere pro eis oblationem fieri; nàm reſpondeo clauſulam illam perfici vſquè ad verbū deferet; cùm enim præmiſiſſet: mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, quadraginta diebus, & verſ. 5. Sin autèm fœminam octuaginta diebus maneat in ſanguine purificationis ſuæ, propterea relationem habens ad hæc tēpora diuerſa, ſubdit. Cum expleti fuerint hi dies, pro filio, vel filia, & hìc interponendus punctus; deindè, tùnc deferet, &c. pro ſe, pro ſua immūditia abluenda & ſic intellige verſ. Eccleſiæ: obtulerunt pro eo, ideſt occaſione eius, par turturum, aut duos pullos columbarum, iuxtà illū textum, ad quem Eccleſia alludit. Conclude ergò, oblatio erat nō pro peccato originali partus, ſed pro immūditia mulieris ex textu d. c. 12. Leuit. & textu noſtro; nàm poſtquàm dixit de offerendo primogenito, ſubdit: & vt darent hoſtiam, &c. quaſi hæc nō ad primogenitum, ſed ad parientem ſpectarent. ***Et eccè homo erat in Ieruſalē, cui nomen Simeon. Expectans***

pectans conſolationem Iſrael. Videtur ex hoc conijci ad aures Simeonis non perueniſſe geſta Magorum, tamèn dicitur nedum Herodes turbatus eſt, ſed omnis Ieroſolyma cum illo; vel fidem eis non adhibitam, vel omnia ſilentio obuoluta timore Herodis. *Conſolationem Iſrael,* Meſſiam, de qua Iſai.40. conſolamini, conſolamini popule meus, quam infrà Anna vocat redemptionem, non liberationem à Romanis, vel Herode, quia fuiſſet error in Simeone. *Et Spiritus ſanctus erat in eo,* Spiritus ſanctus in eo habitabat; plenus erat Spiritu ſancto, *& reſponſum acceperat à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem,* non moriturum, *niſi priùs videret* oculis corporeis *Chriſtum Domini* Meſſiam, quem omnes patres cupiebant videre; vndè Chriſtus, beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, dico enim vobis, quòd multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, &c. & de Abraham, exultauit vt videret diem meum. *Et venit,* oportunè *in Spiritu,* duce Spiritu ſancto commouente, *in templum, & cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo,* ſoluendo ſiclos quinquè, *& ipſe accepit eum in vlnas ſuas:* quantùm id referat, conſidera Ioannem de ſe dicere, quòd in cœna ſuper pectus eius recubuit, *& benedixit Deum,* gratias egit de tanto beneficio, *& dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine,* ad mortem, *ſecundùm verbum tuum* mihi reuelatum *in pace* lætum; ſic Abraham dicitur exultaſſe. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,* Saluatorem in mundo miſſum, ſic Iacob viſo Ioſeph. Geneſ.46. iàm lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo, & Tob. 3. & nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. *Quod paraſti antè faciem omnium populorum* viſibile incarnatum. *Lumen* illuminans *ad reuelationem,* conuerſionem *gentium:* huic prophetanti reuelata vocatio Gentium, prout Abraham, in ſemine tuo (qui erat Chriſtus) benedicentur omnes gentes, & à principio, inimicitias ponam, &c. Geneſ.3. & Prophetis, Apoſtolis, quandò mittuntur ad gentes; nàm anteà non fuit neceſſarium, quia in eis non prophetia, ſed miniſterium, & executio perficiebantur, *& gloriam plebis tua,* populi, *Iſrael,* cui promiſſus, & ad quem præſentialitèr miſſus; magna enim gloria populi illius, Deum, & ex eo carnem accepiſſe, & cum illis conuerſatum eſſe. *Et erat pater eius, & Mater mirantes ſupèr his, quæ dicebantur de illo,* & eò magis, quò plùs apprehendebant, & refertur admiratio ad dicta per Simeonem tantùm, non ad aliæ præcedentia, tùm ex coniunctione, tùm quòd loquens de paſtoribus idem dixit; nec eſt veriſimile repetijſſe ſemèl dicta. *Et benedixit illis Simeon,* ſolemnitèr, benedictionis enim communis non meminiſſet, hinc probabile fuiſſe Sacerdotem prout Melchiſedech. Geneſ.14. *Et dixit ad Mariam matrem eius, ecce poſitus eſt hic in ruinam,* in malum, *& in reſurrectionem,* in bonum, *multorum in Iſrael,* nec poteſt referri *ruinam* ad bonum, quia opponit illam ad reſurrectionem bonam; & ceſſaret oppoſitio, ſic Paulus. Chriſti bonus odor ſumus in ijs, qui ſalui fiunt, & in ijs, qui pereũt; alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autèm odor vitæ in vitam. 2. Cor.2. 15. neque ad dæmones, cum loquatur de Iſraelitis, & partim ad bonum, quod non applicatur dæmonibus, *& in ſignum,* ſcopum; ideò ſubdit *cui contradicetur,* prout fit ſcopo; nec poteſt ſumi pro miraculo, aut nota, quia in miraculum, & notam nulla cadit contradictio: non pro morte, quia ad illam ex contradictione, cui contradicetur vſquè ad mortem, & deletionem, ſi fieri potuiſſet, & ſic erit in ruinam contradicentium, & non credentium in eum crucifixum, ignominiam crucis reſpicientium, offendentium in lapidem offenſionis. Roman.9. 32. qui damnabuntur, & in reſurrectionem eorum, qui illa non attenta, ſed in ea exultantes ſaluabuntur, ſic perditio tua ex te Iſrael, ſaluatio tua ex me: hic enim agit de morte Chriſti, & de ſecuturis pòſt mortem illius, & ſimili phraſi vſus eſt Paulus. Hebr.12.2. aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, &c. recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduersùs ſemetipſum contradictionem, & Romæ commorantes. Notum eſt

eſt nobis de ſecta hac, quià vbiquè ei contradicitur. acto. 28. 22. ideò Simeon annectit verba, *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ſic Pſalm. 14. ferrum pertranſijt animam eius, Ioſeph, nec tu intacta, ſeù exempta eris, quia gladio doloris paſſionis filij transfigetur anima tua, vita tua, hinc verba, *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes* non reſpiciunt hæc, *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, appoſita ob connexitatem paſſionis filij, & matris vno tempore perficiendæ, ne iterum ad illam rediret, ſed ad prima, in ruinam, & reſurrectionem multorum. Non dicas *& tuam ipſius animam*, idèſt filium tuum, quem ſicut animam tuam diligis, *pertranſibit gladius*, quia diſtinctè agit Simeon de vtroquè, de Chriſto *in ſignum, cui contradicetur* ad mortem, de Virgine *& tuam ipſius animam*, (quæ dictio eſt etiam diſtinctiua, non eiuſdem Chriſti) *pertranſibit gladius*. Interpretatio autèm illorum verborum eſt, conſecutiuè ex contradictione, & morte Chriſti fiendum, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, appariturum ſcilicèt qui erant, vel non erant fideles ſequaces Chriſti. Sic. 2. Paralipom. 32. 32. & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius, & Deut. 8. 2. vt nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur, vtrum cuſtodires mandata illius, an non, & 1. Cor. 4. 5. manifeſtabit conſilia cordium; pòſt mortem enim id apparuit, vt in exemplis Nicodemi, Ioſeph ab Arimathia, & alijs occultis Diſcipulis, & hoc modo verba hæc reſpiciunt præterita, vel viuentes tempore Chriſti, non futura; ſi autèm & futura, poſtquàm reſtringit ſe ad multos Iſrael ſaluandos, vel perdendos, apparebit quinam ex Iudæis fidem illius recepturi, qui non recepturi ſint, cum illis priùs prædicandum ſit, & ſic cogitationes multorum occultæ aperientur. Vel reuelabuntur conſequentèr ex multis cordibus cogitationes nunc occultæ in iudicio vniuerſali, in quo manifeſta erunt occulta cordis, ob contradictionem enim illam mortalem, & quia filius hominis, datum eſt illi iudicium viſibile. Non accomodatur, reuelabuntur Phariſæorum, & Scribarum cogitationes, quia antè mortem hæ apparuerunt, nàm non agebant occultè, ſed palàm. Non placet vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, prophetiæ; quia ſermo eſt de ſecuturis poſt crucem Chriſti, non de prædictis; potiùs placet interpretatio Caietani de martyribus pro Chriſto. Sed cur meminit tantùm Iſrael? quia ad illum miſſus Meſſias, in quem omnes conſolandi, ſeù ſaluandi iuxtà Iſaiam, at contrarium euenit ob malitiam, & cœcitatem non recipientium, quod in gentibus non erat adeò conſiderabile. Præparauit Simeon animum Virginis ad tribulationes inſtantes, quarum prima fuga in Aegyptum, quæ ſubditur. *Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer, hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & hæc vidua vſquè ad annos octogintaquatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens die, ac nocte, & hæc ipſa hora ſuperueniēs confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael*, Iudæis: ex multis firmat hoc teſtimonium, viduitate, ætate, diutina caſtitate, frequentia templi, oratione aſſidua, ieiunio, prædicatione intrepida.

CAPVT XIII.

DE FVGA IN AEGYPTVM INNOCENTIVM CAEDE. ET REDITV.

Luc. 2.

39 ET vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reuerſi
ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth.

Matth. 2.

13 QVI cum receſſiſſent, eccè Angelus Domini apparuit
in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum,
& matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibì vſquè dum dicam tibi. Fu-
14 turum eſt enìm vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. * Qui conſur-
15 gens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Aegyptum: * & erat
ibì vſquè ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per
16 Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui Filium meum. * Tunc Herodes vi-
dens quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè, & mittens occìdit om-
nes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & in-
17 frà ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis. * Tunc adimpletum eſt quod
18 dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem: * Vox in Rama audita eſt plo-
ratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia
19 non ſunt. * Defuncto autèm Herode, eccè Angelus Domini apparuit in ſomnis
20 Ioſeph in Aegypto, * dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & va-
21 de in terram Iſrael: defuncti ſunt enìm, qui quærebant animam pueri. * Qui
22 conſurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael: * Au-
diens autèm quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò
23 ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. * Et veniens habitauit
in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum eſt per Pro-
phetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

COMMENTARIVS.

E*T vt perſecerunt omnia* in templo Ioſeph, & Maria *ſecundùm legem Domini* circà matrem, & puerum *reuerſi ſunt in Galilæam, in Ciuitatem ſuam Nazareth*, iuxtà Luc. Dubium eſt, an purificatione perfecta, adierint Nazareth, vel Bethlehem. Videtur Bethlehem, quia itidèm pòſt reditum ex Aegypto Ioſeph decreuerat morari in Iudæa, & ſi in Galilæam ſeceſſit admonitus. Matth. 2. Verùm differens ratio; in Bethlehem nullum fuerat eis negotium, niſi profitendi, quo expleto, nihil reſtabat; àt Nazareth diſceſſerant, vbi morari ſolebant, & veriſimile eſt aliqua negotiola infecta, & res dimiſiſſe, & proptereà potiùs in Nazareth tùnc ſeceſſiſſe, & ibì admonitum Ioſeph ad fugam; pòſt moram verò Aegypti nulla ibì negotia, nempè vel perfecta ab ipſis, vel eis abſentibus ab amicis, & cognatis, cum Aegyptus eſſet propinqua, vel ex tempore euanuerant, proptereà potuit mutare animum commorandi in Iudæa, quod non præſtitit timore, & admonitione auerſus, vndè potiùs inclinarem nullo modo cæpiſſe iter Bethlehem verſus, ſed Nazareth, quia etſi ad Herodis aures geſta in templo perueniſſent, tamèn, vt dicit Auguſtinus, adeò vrgentur Reges mole negociorum, vt non valeant citò præſtare quæ intendunt, & eſt admodum veriſimile aliquod ſpatium interceſſiſſe; conueniens etiam fuit vt in patria ſua appareret de partu Virginis, & omnia benè à principio conſtarent, & nõ defferreretur ad nouem annos ſi tanta mora Aegyptiaca. Videtur & magis inhærendum Lucæ, qui de purgatione locutus eſt fugam præcedente, qui poſteà ſubſequitur Nazareth conceſſiſſe, quam Mathæo, qui hæc omiſit, & quem ſi ſequamur etiam purificatio omittetur, ex quo ſignificatur ex ordine ſuæ hiſtoriæ ab eo contextæ loqui, non iuxtà ordinem rerum. Sed ad prædicta præſtat animaduertere non poſſe dici ad annum dilatam necem Innocentum, ex eo quod Eccleſia antè, non pòſt feſtum Purificationis illorum feſtum celebrat. Nam illud vnit cum Natali Domini, quem moriendo confeſſi ſunt ob hanc congruentiam, nec ſeruat ordinem, quia non ſpectat ad Chriſti geſta; interceſſit tamèn aliqua mora, priùs enim adhibita diligentia de Chriſto inueniendo, & alia ſupradicta ex Auguſtino. At non dandum multum ſpatium, quia Angelus non ità impuliſſet Ioſephum, ſi res non fuiſſet propinqua, nequè nocte eadem ipſe diſceſſiſſet; at fortè id factum ab Angelo, ne ſi moram Nazareth contraxiſſet, fama Meſſiæ indè ſurgeret, & ſtrages in eodem loco fieret prout Bethlehem; nec videtur poſſe teneri ex Ieruſalem rectà Aegyptum petijſſe, quia verba Lucæ, obſtant, *Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini; reuerſi ſunt in Galilæam, in Ciuitatem ſuam Nazareth*; hæc enim omnia ſunt conſecutiua Lucæ, & veriſimilia, quia credendum antè Aegyptum, Nazareth petijſſe. *Qui*, Magi, *cum receſſiſſent*, à Bethleem, vt citò in ſuis regionibus euangelizarent Meſſiam viſum, & ne in Herodem inciderent. *Eccè Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum*, ſic deluditur Herodes occultè, proùt Aegyptij ſubtractione occulta priuantur pretioſis, sìc Rex Syriæ reuelante Eliſæo: fugit autèm, nec ſe opponit, quia ſic decreuerat, & toto tempore vitæ ſuæ egit, & ſufficit, quod vltimò dixit Petro, an putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? *Et eſto ibì vſquè dum dicam tibi; futurum eſt enìm* (dicit cauſam) *vt Herodes quærat puerum* Ieſum *ad perdendum eum*, ad necem. *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & seceſſit in Aegyptum*, ab Herode tutam, *& erat ibi vſquè ad obitum Herodis* Regis, *vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per prophetam di-*

ten-

gentem: ex Aegypto vocaui Filium meum, quod ad litteram de populo Iſrael. Exod.4. In exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Typicè de Chriſto Filio naturali, & hìc per Euangeliſtam loquentem per verba, *vt adimpleretur*, quæ accomodationi non videntur conuenire, vt quam tot prodigijs contriuerat, ſanctificaret, & demulceret beneficijs, erat enim Rex pacificus, vt quæ erat arida vireſceret, & floreret poſtmodùm tot myriadibus Confeſſorum, Martyrum, Virginum, Monachorum. Sic declinarunt Iacob iram Eſau, Moſes Pharaonis, Elias Iezabelis, Dauid Saulis, Ieroboam Salomonis. In Aegypto autèm volunt aliqui Virginem vſam dono linguarum, quod receperat, quod eſt veriſimile. Alij putant in ingreſſu ſimulachra Aegypti cecidiſſe, ex Iſai.19.1. eccè Dominus aſcendet ſupèr nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius. At ibì ad litteram agitur de pœna magna inſtante Aegypto, cuius velocitas denotatur ex velocitate nubium, quarum volatus exprimitur. Ierem.4.13. & pro hac velocitate dicitur Dominus in nubibus ad iudicandum venturus, & quia in inſtanti ab oculis aſpicientium dùm aſcenderet ereptus, dicitur à nube ſuſceptus, & hæc velocitas ibì magìs inſinuatur ex verbo, leuem, quia quò leuior nubes, eò velociùs à vento agitur. Magnitudo verò, quia etiàm ſimulachra, Dij eorum commouendi, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius. Nec videtur poſſe myſticè intelligi de Chriſto Aegyptum ingrediente, tùm quia non ingrediebatur puniturus, tùm quia non eſt veriſimile Chriſtum fuga latebras quærentem commouiſſe ſimulachra Aegypti, quia eſſet deprehenſus, & inſidijs Herodis ibì etiàm patuiſſet, prout Vrias inſidijs Ioachim Regis. Ierem. 26.22. an neſcis longas regibus eſſe manus? tùm quia ſi non fecit miracula ab Herode euaſurus, quia (vt inquit Chriſoſtomus) in illa ætate fuiſſent habita pro præſtigijs, & ad nihilum inſeruiſſent, tantò minùs in eo loco; etſi id factum, aliquo modo appareret res tanta, cùm miracula fierent ad manifeſtationem, & ad Dei gloriam, quæ non ſequuntur in incognitis; & in Aegypto facta per Moyſem voluit omnibus apparere. Inſupèr alijs verbis vtitur Scriptura, quando prædicit idòla ſubuertenda, prout Iſa.21. Ierem. 43.11.13. & 51.44. Vndè potiùs verbum, commouebuntur, in ſenſu litterali intelligendum prout verba, commota eſt vniuerſa Ciuitas in ingreſſu Chriſti in Ieruſalem, qui non applicatur ad ſenſum myſticum, cum dæmones Chriſtum non cognouèrint, vt etiàm commoti dicantur; Prætereà non memini legiſſe Dominam pro nube nominari; imò ipſa obumbrata, niſi velis ex feſtinatione, quandò iuit viſitatum Eliſabeth id colligere. Vel ex verbis. Eccleſ.24. ſicut nebula, &c. Nequè legi corpus Chriſti nubem dici. Quòd ſi aliqua facta ſunt prodigia, vel miracula, aut idòlorum ſubuerſiones, à Deo ad beneficium Aegypti vt tranſiret à ſimulachris ad Deum verum, perpetrata ſunt, non autèm quod tùnc Chriſtum ſuum priùs in Iudæa manifeſtandum, illis manifeſtauerit, aut dæmones illum cognouerint, vel ſenſerint. Nocte eadem fugit ob periculum imminens, *futurum eſt enim*, *&c.* aliàs non fieret noctis mentio, & ideò in reditu nulla mentio periculi vel noctis; imò omnia referuntur pacata, *defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*, prout Moyſi. Exod. 4.19. mortui ſunt enìm omnes, qui quærebant animam tuam; & quandò agitur de vita non reſpicimus ad bona, vel negotia. Sic Abraham de nocte conſurgens ſacrificaturus filium, cuius non minor obedientia, & promptitudo Ioſephi. Sed cur Deus differt extrema hora reuelationem Ioſepho? ne longiùs crucietur, ſed illicò ſciens euadat, egit cum eo benigniùs, quàm cum Abraham per tres dies circumducto, donèc veniret ad montem ei demonſtrandum, quo triduo valdè anxiatus eſt. Secundò, vt ex inſtanti, ac maiori periculo ſalus ab ipſo meliùs recognoſceretur, & ipſe glorificaretur, ſic ſubuenit Dauidi deſperanti euadere à Saul in extrema hora. 1. Reg. 23. & in inſtanti periculo ab Abſalone, Populo dum videret Aegyptios ad terga perſequentes, Abraham bis vxore Sara erepta à Pharaone Aegypti, & Abimelech Geraræ Regibus, & poſtquàm tulerat cum gladio brachium

ad immolandum Iſaac, quàm clamando abſtraheret, quos omnes poterat in pericula non conijcere, vel priùs eximere. *In ſomnis*, prout & quandò ſuſpicanti dictum eſt, quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, *& reuertere in Terram Iſrael;* quia non requirebatur eius conſenſus, certa erat obedientia; non autèm ne terreret virum adeò probum, & cum proceſſu temporis Angeli boni non turbent, ſed pacem afferant; At quandò agitur de rebus arduis, quandò conſenſus requiritur, vt cum Virgine, Abrahamo, Zacharia, tùnc Angeli apparent viſibiles in forma humana, conſenſum recepturi. *Ioſeph*, cur non Mariæ? quia erat officium viri, *& eſto ibi vſquè dum dicam tibi*, ad tollendam ſolicitudinem, & quia futura erat longior mora, nec referebat ſcire, & vt cognoſcat ſub tutela Dei eſſe. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè, & mittens* ſatellites, *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infrà ſecundùm tempus*, ſtellæ, *quod exquiſierat à Magis*, ità quod ſuſtulit omnes pueros bimos, & infrà natos. Cur Deus permiſit tantam ſtragem infantium? dic cum Euangeliſta, vt adimpleretur prophetia; nec fuga Chriſti fuit cauſa, ſed Herodis ſæuitia, ſicut acceſſus Dauidis ad Achimelech. 1. Reg. 21. & 22. non fuit cauſa mortis illius, ſed furor Saulis. Nec fuga Petri, ſi cuſtodes occiſi, ſed furor Herodis. acto. 12. 2. nondum venerat hora eius faciendi miracula, vt dixit in nuptijs, quandò enim venit, iuſſit, finite hos abire. Tertiò ad maiorem ſuam gloriam, ſicut enim celebre fuit facinus, ſic celebris fama id machinatum, vt occideretur Meſſias iàm natus, & ipſi non loquendo, ſed moriendo confeſſi, & mundo ſubtracti, ne malitia mutaret intellectum. Sapien. 4. Martyres efficerentur, qua nulla gloria maior. Quartò (iuxtà aliquos) in pœnam Patrum Bethlehemiticorum negantium Chriſto hoſpitium; prout pro homicidio infantium Hebræorum primogenitis Aegyptiacis contigit, & Ciuitatibus non recepturis diſcipulos ſuos eventurum prædixit Dominus; bona ergò hoſpitalitas, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Hebr. 13. 1. At nutat hæc ratio, quia ex euangelio habemus, non erat eis locus in diuerſorio, quod videtur multitudini appulſæ aſcribendum, ibant enim omnes vt profiterentur, non Bethlehemitis; Sed qui ſupèr filio Viduæ miſericordia motus eſt, quid ſupèr tot parentibus pro ipſo patientibus?

Sed cur excedit Herodes, qui non contentus Bethlehem, addit *& in omnibus finibus eius*, & in ætate? Dic, quia iratus, & timet regno priuari, ſic Pharao, à quo ipſe ſumit exemplum, infantes Hebræos iuſſit occidi; Athalia ſænit in omne ſemen regium. Saul nedum Dauidi ſibi ſucceſſuro inſidiatur, ſed & Ionatæ filio ſuo auxilianti, & Sacerdotibus Nobe, Salomon Ieroboam, Achimelech. 70. fratribus. Sed ſicut Pharao, & alij, ſic nec Herodes, cum nondum veniſſet hora ponendi animam ſuam, potuerunt Dei præordinationem immutare.

Putant aliqui, & Ioannem ad cœdem quæſitum ob famam in eius natiuitate exortam, ſed abſconditum à Matre; At habitatio Zachariæ non erat in finibus Bethlehem, & ſatis exceſſit includendo fines, quorum Principes Sacerdotum, & Scribæ non meminerant. Niſi dicamus ex alia iuſſione factum, vt in proprio eius filio: & ſi inueriſimile eſt fugam Ioannis cum matre, & iuſſionem ſpecificam Herodis memoria dignam ſilentio obuoluta fuiſſe ab Euangeliſtis in Ioanne, cuius facta ferè omnia commemorant, & cum ipſi nullum verbum dicant, reor eſſe diuinationem. Poſſunt tamèn fama, credulitas, amor matris, exemplum Chriſti, qui de Nazareth, non Bethlehem aufugit, non parùm perſuadere. *Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Ierem. 31. 15. vox in excelſo vſquè ad Cælum, magna vox audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſupèr eis, quia non ſunt, ibi ad litteram de populo, hìc vel exemplaritèr, vel per applicationem, vel potiùs myſticè audita eſt vox Rachel, idèſt Bethlehem, vbi Rachel ſepulta mater Ioſeph, & Beniamin, nempè tri-

tribuum harum, ſeù matrum plorantium, & vlulantium; & conſolationem nullam admittentium, quia non ſunt ſuperſtites filij earum ab Herode occiſorum. Ierem. in orat. cap. 5. 7. patres noſtri peccauerunt, & non ſunt. Apocalip. 17. 11. Beſtia quam vidiſti fuit, & non eſt. Ezechiel 21. 13. & hoc cum ſceptrum ſubuerterit, & non erit; ſeù, quia filij ſubtracti ſunt gladio, ſic Ierem. in thren. cap. 2. cum deficeret paruulus, & lactens in plateis, cum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum, & Iſai. 13. 16. infantes eorum allidentur in oculis eorum, ſic dictum, & factum cum Sedecia Rege per Nabuchodonoſor. Vtitur nomine Rachelis, vel vti matris Tribuum, & hoc magis placet, vel ad denotandum dolorem matris pro filijs; prout ipſa in partu animam exhalauit, & filio nomen Benomi, idèſt doloris impoſuit, cum dolor partus omnes excedat, præſertim morientium in partu deſtitutarum conſolatione, quam habent ſuperuiuentes, **quia natus eſt homo in mundum, quod operatur**, vt non meminerint preſſuræ. Vel ſicut filius Beniamin fuit matri cauſa doloris, & mortis, ità his matribus filij ab Herode occiſi, & ſolet ſcriptura his phraſibus vti ad denotandum dolorem acerbum, proùt Zachar. 12. & plangent eum planctu, quaſi ſuper vnigenitum, & Ierem. 6. 26. planctum vnigenito, & Amos 8. 10. quaſi luctum vnigeniti, & habentur aliæ ſimiles. Iſai. 15. per totum cap. Ierem. 3. 21. 8. 19. Oſee 5. 8. clangite tuba in Rama. Ioel. 2. canite tuba in Sion, &c. ***Defuncto autèm Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto*** iuxtà pro miſſionem; ***dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri***, idèſt Herodes, nam ſuprà dixit, *futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*, ſic & Moyſi quæſito ad necem à ſolo Pharaone dictum, mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. Exod. 4. 20. ***In terram Iſrael***, non dicit vbi, vt ſemper à Deo dependeat. ***Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael; Audiens autèm quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo timuit*** prudentèr ***illò ire*** habitatum, ***& admonitus in ſomnis ſeceſſit*** habitatum ***in partes Galileæ***, vbi tutior manſio, & ex qua congregandi Apoſtoli, & prædicatio incipienda, quia capacior Iudæa. ***Et veniens habitauit in Ciuitate; quæ vocatur Nazareth***; fuit admodùm conueniens, vt reuocaretur ad terram promiſſionis, & incolatus parentum, & ibi educaretur, ne tamquàm alienigena deſpiceretur, & non reciperetur. Dixi cogitaſſe habitare in Iudæa, quia ex ſubrogatione alterius habitationis factæ ab Angelo monente, cognoſcitur primus animus fuiſſe non pertranſeundi à Iudæa in Galilæam; ſed habitandi, & immorandi in Iudæa. ***Vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas. Quoniàm Nazareus vocabitur***, idèſt Nazarenus, poſtquàm de patria agit, non de voto Nazaræorum, maximè quia Chriſtus ſeruauit vitam communem datus in aliorum exemplum, quem omnes poſſent imitari, nec legitur vnquàm nuncupaſſe ſimilia vota, facit verbum *vocabitur*, idèſt denominabitur, non erit, & ſi aliquandò vocabitur pro erit, quòd non hic.

CAPVT XIV.

DE MANIFESTATIONE IN TEMPLO INTER DOCTORES.

Luc. 2.

40 *PVER autèm creſcebat, & confortabatur plenus ſapien-*
41 *tia: & gratia Dei erat in illo. * Et ibant parentes eius*
per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchæ.
42 ** Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus*
43 *illis Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, * con-*
ſummatiſquè diebus, cum redirent remanſit puer Ieſus in
44 *Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. * Exiſti-*
mantes autèm illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum in-
45 *tèr cognatos, & notos. * Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requi-*
46 *rentes eum. * Et factum eſt, pòſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem*
47 *in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. * Stupebant au-*
48 *tèm omnes, qui eum audiebant, ſupèr prudentia, & reſponſis eius. * Et viden-*
tes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic?
49 *eccè pater tuus, & ego dolentes: quærebamus te. * Et ait ad illos: Quid eſt quòd*
50 *me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? * Et*
51 *ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. * Et deſcendit cum eis;*
& venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia
52 *verba hæc in corde ſuo. * Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia*
apud Deum, & homines.

COMMENTARIVS.

PVER autèm creſcebat, & cõfortabatur, quoad corpus, ***plenus ſapientia***, quoad animam, quã oſtẽdebat, proùt patiebatur puerilis ætas, ***& gratia Dei erat in illo***; in ipſo enìm inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr. Coloſſ. 2. 9. ***Et ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchæ***, iuxtà legem; ***& cum Ieſus factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis***, parentibus ***Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſummatiſquè diebus*** feſtiuis, ***cum redirent*** domum ***remanſit puer Ieſus in Ieruſalem***, vt exequeretur mandata Patris, ***& non cognouerunt Parentes eius***, fortè noluit parentes ſecum, & alios, ne ex hac mora in Ieruſalem cum ipſis cognoſceretur, notaretur, & inſidijs pateret Archelai, quem ſemèl vitauerat, præſertìm cum doctrinam ſuam intèr Doctores eſſet manifeſtaturus, ***qui ſtupebant***

bant ſupèr prudentia, & reſponſis eius; vndè maiori periculo ob hanc famam ſe ſubijciebat, & à duodecimo anno vſquè ad trigeſimum occultus eſſet futurus, ideò diſtulit hæc facere donèc parentes, & comitatus abijſſent; ſic enim prudentiùs ſibi conſuluit, nec mirùm, quia & fugit in Aegyptum, & rediens timore Archelai adhùc regnantis ſeceſsit in Nazareth. Nec reuelauit parentibus, quia non expediebat, & maior fuiſſet timor Archelai permanentibus in Ieruſalem, non enim paſſi eſſent ab eo diuelli; vel aliàs ſoluti eſſent in lacrymas, quod maius fuiſſet quàm mœror in eo perquirendo. Vltrà quòd ſicùt nuncius Principis non communicat familiaribus ſecreta Principis, cuius ſecreta abſcondere honorificum; ità nec ipſe voluit patris cæleſtis mandata terrenis reuelare, hæc autèm erant, reuelare nomen ſuum hominibus, quos ei dederat; hæc eſt enìm vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Io. 17. ſi enim non veniſſet, & locutus non fuiſſet peccatum non haberent. Laudatur Tribus Leui. Deut. 33. quia dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos, & Iud. 14. Samſon, qui de leone, & melle noluit indicare patri, & matri; & Saul tacens patruo de regno. *Exiſtimantes autèm illum eſſe in comitatu venerunt* domum versùs, *iter diei vnius, & requirebant eum intèr cognatos, & notos*, oneri eorum, & officio ſatisfacientes, & impatientes abſentiæ eius, ac timentes, ne quauis in re ei defuiſſent, proùt ſolent amici, ſerui, cognati, res eſt ſoliciti plena timoris amor, non autèm ſuſpicati, quòd more puerorum voluiſſet aberrare à via, quia licèt aſſumpſerit pœnalitates, non tamèn quicquam geſſit puerile in quauis ætate, maximè hac duodecim annorum, qua iudicium in alijs pueris ineſt, & ſi Tobias nihil puerile geſſit. Tob. 1. 4. neque Sara. Tob. 3. 17. quid de Chriſto? Vndè inueriſimile eſt in mentem Virginis, vel Ioſeph hæc occurriſſe, qui illum inuenturi templum adierunt; ſed qualis dolor Virginis, & Ioſeph, conijce ex verbis Tobiæ, & vxoris expectantium filium, & Ruben Ioſeph. *Et non inuenientes regreſſi ſunt in Ieruſalem*, qui fuit ſecundus dies, *requirentes eum; & factum eſt; Poſt triduum* in tertio die *inuenerunt illum*, ſic Abraham triduò afflictus. Gen. 22. 4. quo gaudio conijce ex Tobia, & Anna redeunte Tobiolo, Iacob habito nuncio vitæ Ioſeph; *in templo ſedentem in medio Doctorum audientem illos*, & *interrogantem eos*, vt excitaret eos ad quærendum de Meſſia, proùt fecit ex perſona Magorum, & Luc. 4. in patria explicans textum Iſaiæ. Vſus eſt Chriſtus in duodecimo anno præcepto ſapientis. Eccl. 32. 9. adoleſcens audi tacens, ſimùl & quærens, ſic Eliu expectauit ſeniores loquentes. Iob 32. 4. Credo hos meruiſſe Chriſtum audire, quia de Deo loquebantur, vbi enìm fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Docuit in hac ætate Eccleſiaſticos, in trigeſimo anno è templo eiecit venditores, vt ſanaret etiàm Sacerdotes. *Stupebant autèm omnes, qui eum audiebant ſupèr prudentia, & reſponſis eius* mirabilibus, *& videntes* parentes, & ipſi *admirati ſunt*, ob rem inſolitam, *& dixit mater eius ad illum. Fili quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus* Ioſeph, *& ego dolentes quærebamus te*, poſtquàm receſſit à doctoribus, & ad parentes acceſſit, cur (inquit ei mater) remanſiſti nobis inſcijs; ſunt amoris, non reprehenſionis verba, non poterat obliuiſci filij vteri ſui, cui Petrus, quò ibimus, verba vitæ æternæ habes, de quo milites, nunquàm ſic locutus eſt homo, & ſponſa, anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt, quæſiui, & non inueni illum, ſurgam, & circuibo Ciuitatem per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea, quia præ amoris magnitudine pauci ſunt labores, vt in Iacob ob Rachel. *Et ait ad illos*, mater enim pro ſe, & Ioſeph loquuta erat, *quid eſt quod me quærebatis. Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* poteratis ſcire me occupatum in paternis negocijs, dùm à vobis aberam, hæc enim vobis præponenda ſunt, non enim veni, vt faciam voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me, & ſic rationem reddit cur remanſerit, & ſunt verba virilia digna Deo. *Et ipſi ſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*; quia

adhùc

adhùc non videbatur eis tempus congruum prædicationi in ea ætate, & tamèn acquieſcunt eius dicto, *& deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*, poſtquàm Patri æterno ſatisfecerat; & Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines, apparebant, oſtendebantur indiès verè opera, & verba ſapientiora, iuxtà excreſcentem ætatem, non quòd in eo creſcerent. Sed cur Chriſtus in hac ætate non expectato trigeſimo anno intèr doctores interrogat? credo vt illuminaret cœcitatem Hebræorum, ſciens ipſos detorquere Scripturas, nec intelligere, & quia longius erat tempus à 12. ad 30. præueniſſe tempus ex ſua miſericordia.

CAPVT XV.

DE IOANNE BAPTISTA BAPTIZANTE ET PRAEDICANTE.

Matth. 3.

1 *IN diebus autèm illis venit Ioannes Baptiſta prædicans*
2 *in deſerto Iudææ, * & dicens: Pœnitentiam agite: ap-*
3 *propinquauit enim regnum cælorum. * Hic eſt enim, qui*
dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Vox claman-
tis in diſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemi-
4 *tas eius. * Ipſe autèm Ioannes habebat veſtimentum de*
pilis camelorum: & zonam pelliceam circa lumbos ſuos:
5 *eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre. * Tunc exibat ad eum Ieroſoly-*
6 *ma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; * & baptizabantur ab eo*
7 *in Iordane, confitentes peccata ſua. * Videns autèm multos Phariſæorum, &*
Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum,
8 *quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? * Facite ergò fructum dignum*
9 *pœnitentiæ. * Et ne velitis dicere intrà vos: Patrem habemus Abraham. Di-*
co enim vobis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.
10 ** Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergò arbor, quæ non*
11 *facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. * Ego quidèm baptizo*
vos in aqua in pœnitentiam: qui autèm poſt me venturus eſt, fortior me eſt,
cuius non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto,
12 *& igni. * Cuius ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam:*
& congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autèm comburet igni inextin-
guibili.

Marc.

Marc. 1.

1 *INITIVM Euangelij Ieſu Chriſti, Filij Dei. * Sicùt ſcriptum eſt in*
2 *Iſaia propheta: Eccè ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præpa-*
3 *rabit viam tuam antè te. * Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini,*
4 *rectas facite ſemitas eius. * Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans*
5 *baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum. * Et egrediebatur ad eum om-*
nis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis
6 *flumine, confitentes peccata ſua. * Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zo-*
na pellicea circà lumbos eius, & locuſtas, & mel ſilueſtre edebat. Et prædicabat
7 *dicens: * Venit fortior me pòſt me: cuius non ſum dignus procumbens ſoluere*
8 *corigiam calceamentorum eius. * Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptiza-*
bit vos Spiritu ſancto.

Luc. 3.

1 *ANNO autèm quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pi-*
lato Iudæam, tetrarcha autèm Galilææ Herode, Philippo autèm fratre
eius tatrarcha Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha,
2 ** ſub principibus ſacerdotum Anna, & Caipha: factum eſt verbum Domini ſu-*
3 *pèr Ioannem, Zachariæ filium, in deſerto. * Et venit in omnem regionem Ior-*
4 *danis, prædicans baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum, * ſicùt ſcri-*
ptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate
5 *viam Domini: rectas facite ſemitas eius: * omnis vallis implebitur: & omnis*
6 *mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa: & aſpera in vias pla-*
7 *nas: * & videbit omnis caro ſalutare Dei. * Dicebat ergò ad turbas quæ exibant*
vt baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ven-
8 *tura ira? * Facite ergò fructus dignos pænitentiæ, & ne cæperitis dicere: Patrem*
habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis
9 *ſuſcitare filios Abrahæ. * Iam ènìm ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Om-*
10 *nis ergò arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. * Et*
11 *interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergò faciemus? * Reſpondens autèm*
dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimi-
12 *litèr faciat. * Venerunt autèm & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad*
13 *illum: Magiſter, quid faciemus? * At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm*
14 *quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. * Interrogabant autèm eum & milites, di-*
centes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque ca-
15 *lumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. * Exiſtimante autèm po-*
pulo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chri-
16 *ſtus: * reſpondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidèm aqua baptizo vos: ve-*

niet

Digitized by Google

niet autèm fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum
17 *eius: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni: * cuius ventilabrum in*
manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum,
18 *paleas autèm comburet igni inextinguibili. * Multa quidèm, & alia exhortans euangelizabat populo.*

COMMENTARIVS.

A*NNO autèm quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato*, Præſide, *Iudæam prouinciam, Tetrarcha autèm Galilææ, Herode* Agrippa, *Philippo autèm fratre eius Tetrarcha Itureæ, & Traconitidis regionis, & Liſania Abilinæ* regionis *Tetrarcha, ſub **Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha***, ſi ab hoc tempore vſquè ad Aſcenſionem Chriſti, in quo terminatur Euangelium Lucæ, & ad quod ſe reſtringit, fuiſſet aliquandò Summus Pontifex Annas, nulla ineſſet difficultas, quia Euangeliſta narraſſet facta ſub duobus Principibus Sacerdotũ, proût Prophetæ ſub pluribus Regibus Iuda, vel Iſrael, ſed quia ex Ioſepho Caiphas fuit ſempèr Summus Pontifex ſub Pilato. Ideò aut dicendum Ioſephum potiùs lapſum, quia Act. 4. apparet Annam fuiſſe ſummum Pontificem, non Caipham, & non niſi ad annum dari Pontificatum innuit Ioannes cap. 11. cum eſſet Pontifex anni illius, quod aliquandò cogitauit Lyſias per ſingulos annos venale ſacerdotium. 2. Machab. 11. 3. aut Lucam loqui iuxtà reputationem ad l. barbarius; ne dùm quia antè hoc tempus Annas aliquandò Pontifex fuerit, & hoc nomen retinuerit, ſed etiàm, quia ei nimium deferebatur à Caipha genero, & propterea multa tanquàm Pontifex adminiſtraret, licèt in veritate non eſſet, proût animaduertens fortè hoc Ioannes cap. 18. 13. dicit ductum ad eum Ieſum, quia erat ſocer Caiphæ Pontificis. Vel aliquandò fuiſſe ſubrogatum Caiphæ, vel infirmo, vel abſenti, vel diſtento alijs occupationibus, vel per vices annuas mutarentur. Vel Euangeliſtam, proût Prophetas, totum tempus Euangelij ſui comprehendere, & quia dùm ſuperiùs egit de Ioannis Baptiſtæ, & Chriſti natiuitate, non dixit ſub quibus Eccleſiaſticis illa contigiſſent, nùnc exprimat, & ſub illis temporibus tempus Annæ, quo fuit ſummus Sacerdos, comprehendat. Sed cur Eccleſiaſticorum mentionem facit vltrà Prophetas, qui tantùm Reges nominant? Videtur, quia vltimus ſtatus reipublicæ erat ſub Sacerdotibus, de quibus quaterdecenam conſtituit Matthæus in genealogia; incipiens à Zorobabel, & licèt hoc tempore dominium eſſet Romanorum, remanſerat tamèn quædam auctoritas penès ſacerdotes eoſdem ſupèr lege Moyſis, & annexis, vt iudicarent, & condemnarent aduerſantes, vndè pronunciauerunt Chriſtum reum mortis, & Pilatus dixit, accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum, & apparet in Adultera, & Act. 9. 1. Paulus acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Ieruſalem. Ideò ratione reliquiarum huiuſmodi iuriſdictionis, eorum meminerit. Vel quia nominatio horum ad deſignandum tempus hiſtoriæ conducat, tempore autèm prophetarum hæ difficultates ceſſabant, propterea Regum tantùm Iudæorum, non Sacerdotum mentionem fecerunt. ***Factum eſt verbum Domini***, quandò nulla erat curatio, omnia concluſa ſub peccato, vt abundaret gratia, vbi delictum. At nonne ſciebat Ioannes, ſe præcurſorem, cum pater ei dixiſſet, præibis enim antè faciem Domini parare vias eius, & Angelus præcedet antè illum in ſpiritu, & virtute Eliæ? ſciebat vtiquè, ſed expectabat

ſtabat præparatus in deſerto, vt mitteretur, & ſibi imponeretur, neſciens quo tempore diſpoſuiſſet Deus, propterea *factum eſt verbum Domini ſupèr Ioannem*. quomodò enim prædicaturus. Rom. 10. niſi mitteretur? Sic & Prophetæ expectabant iuſſionem à Domino, ſic expectauerunt Apoſtoli indui virtute ex alto antequàm irent euangelizaturi; & ex hoc etiàm Ioannes maioris auctoritatis. Vndè Euangeliſta, fuit homo miſſus à Deo, & ipſe; qui me miſit baptizare; ille mihi dixit, &c. ſignificans quòd etiàm oretenùs, ſeù voce locutus eſt ei Dominus. Sed quid referebat Ioannem antè Chriſtum prædicare? multùm, tùm ob Chriſti maieſtatem, ſic principes magni ad aliquem locum acceſſuri præmittunt, qui parent, & ipſemet ſeruauit tranſiens per Samariam ad Ieruſalem, & in vltima cœna, tùm vt Iudæa ſciret quomodò eſſet receptura Meſſiam regnorum largitorem, & ſe prepararet, tùm vt Angeli, & Zachariæ, & prophetarum Iſa. 40. Malach. 3. dicta implerentur: *ſupèr Ioannem Zachariæ filium* ad denotandam identitatem perſonæ, *in deſerto*, ad quod ſeceſſerat. Sed cur in deſerto tamdiù vixit? vt in eo pateretur per annos viginti quinque, & præſertim tentationes, cuius merita conijce ex tentatione Chriſti, & ne ex familiaritate cum Iudæis eius teſtimonium fieret contemptibile, & à ſola vita innocente, victu, veſtitu, quæ ibi ſeruaret, commendaretur, & pœnitentiam, quam alijs prædicabat ore, facto in ſe ipſo comprobaret, nullum editurus ſignum, & in ſumma, vt officio ſuo meliùs fungeretur, nec teſtimonio ſuo quidquàm officeret, vel opponi poſſet, ita vt nunquàm exierit, vel oculos parentum clauſurus, vel viſitaturus Chriſtum ſibi coniunctum, beneficum, Deum, ſi non longiorem moram tracturus, cuius vultum deſiderabat vniuerſa terra, cuius diem vt videret exultauit, videns gauiſus eſt Abraham, quem videre, & audire multi Reges, & Prophetæ optarunt, vt poſſet dicere tutus, & ego neſciebam eum, hincq. nutant dicta in Prato Spirituali tom. 2. bibliothecæ Patrum cap. 1. quòd in deſerto Chriſtus Ioannem viſitauerit, cum in ipſo baptiſmo Ioannes neſciret illum. *Et venit in omnem regionem Iordanis*, illicò obedit, non ſe excuſat, vt Moſes, & Iſaias, quia ad hoc natus, & paratus erat, non recuſat vt Ionas, qui poſteà cogitur obedire, non poſſumus, quæ audiuimus non loqui dicunt Apoſtoli, & Petrus. Act. 2. ebrios ſpiritu docet non poſſe non effundere, & Paulo dicitur, durum eſt tibi contrà ſtimulum calcitrare, & ipſe; quid me vis facere? & veh' mihi ſi non euangelizauero, & ad Roman. 1. ità quod, & in me promptum eſt, & vobis qui Romæ eſtis euangelizare, & ideò ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Rom. 10. ob promptitudinem ad eorum officium. *Et dicens pœnitentiam agite* à peccatis veſtris; *appropinquauit enim regnum cælorum*, ex aduentu Meſſiæ, vt magno præmio propoſito omnes alliciat. *Prædicans*, & conferens *baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum* Luc. 3. *baptizabantur ab illo confitentes peccata ſua* Matth. 3. Marc. 1. non tamèn delicta in ſpecie confitebantur, quia cum eſſet publica, confeſsio, non auricularis, prodita eſſent peccata, & ſequuta eſſet infamia, quod nòn permiſiſſet Ioannes; in genere ergò confitebantur ſe peccatores, vel conterebantur. Vltrà quòd quæ loci aptitudo fiendæ confeſſionis in flumine Iordanis, in quo baptizabantur, ex Matthæo, & Marco? & ipſe non imponebat pœnitentias, ſed in genere, ſimilitèr dicebat facite fructus dignos pœnitentiæ, & ſic etiàm intelligo idem factum à Sacerdote. Leu. 16. 21. & 2. Eſdræ 9. 2. 3. Sed cur baptizat? quia ſic iuſſus; qui me miſit baptizare, &c. & vt manifeſtetur in Iſrael Chriſtus, propterea veni in aqua baptizans, & præſertim in Iordane ob magnum concurſum, de quo Matth. 3. & Marc. 1. hincq. dabatur magna occaſio manifeſtandi Chriſtum, iuncta etiàm fama ſanctitatis ipſius, nouitate doctrinæ, regnum cælorum anteà inauditum, à nemine declaratum annuntiantis, & carentia prophetarum per longa tempora, & ſigno baptiſmatis admirabili vt dixerint, quid ergò baptizas? Is verò baptiſmus Ioannis non remittebat peccata, ſed in remiſsionem peccatorum, pœnitentia erat neceſſaria, ideò dicitur baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, & ſic nuncu

pat eum

Digitized by Google

pat eum Paulus. Act. 19. Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum. Neque Ioannes vtebatur forma aliqua verborum in baptiſmo, cum nullibi de illa, nàm quod dicit Paulus. Act. 19. erat in prædicatione, vt crederent in venturum, non prolatio verborum in baptiſmo. *Sicùt ſcriptum in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ cap. 40. vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius*, hac voce indigebant Hebræi dura ceruice incircumciſis cordibus, & auribus act. 7. vt excitarentur. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa*, & *aſpera in vias plenas*, declarat quomodò parandæ, æquandæ, ac dirigendæ viæ iuxtà Cyrillum, neque eundum per itinera non trita. ad Ierem. 18. 15. & ſic benè connectuntur cum præcedentibus, cum ſtent in eadem metaphora, proùt etiàm ſtat Iſaias, à quò deſumuntur; nec video quomodò poſſint trahi ad vocationem gentium, & reprobationem Hebræorum, quia Iſaias in cap. 40. agit de populo Hebræo conſolando, vndè non eſt veriſimile nuntiare ei reprobationem, & exterminium, & Ioannem primis verbis rem eis adeò ingratam, & exoſam inſinuare dum tentat Chriſtum amabilem reddere, vltrà quod Ioannes non loquitur obſcurè, ſed clarè, & comminatiuè de vocatione gentium, vt Hebræos magis accendat, non vt alienet, *potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, nec eſt veriſimile bis idem repetijſſe, & diuerſo modo, primo certo, ſecundo incerto, nec erat tempus prophetarum obſcurè loquentium, ſed Chriſti clarè explicantis; auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius; præterea nihil dixit propheticè, non enim erat Propheta, vt ipſe dicit, quod non dixiſſet; ſed pluſquàm Propheta, vt dicit Chriſtus negans hoc modo eum Prophetam, ſed qui præiturus erat vt Angelus antè faciem Domini, digito illum oſtenſurus. Idem eſt dicere parate, &c. quod pœnitentiam agite, *& videbit omnis caro ſalutare Dei*, quod appropinquauit regnum cælorum, Ioannes primus docuit pœnitentia cælum expugnari. Ideò Chriſtus à diebus Ioannis cælum vim patitur, & violenti rapiunt illud, ſcilicèt pœnitentia, & apertum eſt in paſſione; hodiè mecum eris in paradiſo, & in ſua Aſcenſione facta executio ducendo ſecum captiuitatem, *& videbit omnis caro*, homo, *ſalutare Dei*, Saluatorem oculis proprijs viſibilem factum, vndè Io. 1. & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, &c. & 1. Io. 1. quod fuit ab initio, quod vidimus, & oculis noſtris perſpeximus, &c. In Marco ineſt dubium. nam dicitur initium Euangelij, Ieſu Chriſti filij Dei, hoc eſt, deindè incipit, ſicùt ſcriptum eſt in Iſaia propheta. *Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te. Vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius: fuit Ioannes, &c.* quomodò duas auctoritates Scripturæ, vnâ ex Malachia, alteram ex Iſaia proferat, & ambas Iſaiæ ſoli attribuat; ſed reſpondeo, has duas prophetias in idem recidere, & propterea licuiſſe illi, cui vellet prophetarum, ſiuè Iſaiæ, ſiuè Malachiæ, attribuere, rectè autèm attribuiſſe Iſaiæ antiquiori, & digniori; denominationes enim ab his ſumuntur, & à quo Malachias potuit recipere, hinc eſt, quod non recitat integram prophetiam Malachiæ, tacet enim, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos vultis, & Angelus teſtamenti, quem vos quæritis, ſed ſtat in primis verbis ſimilibus Iſaiæ prophetæ, quia ſcopus fuit Marci agere de Euangelij Chriſti promulgatione in primis verbis. Quòd autèm ſint eadem verba Malachiæ quæ Iſaiæ, patet; nàm Malachias dicit, *Ecce ego mitto Angelum*, nuntium meum, & Iſaias, *ego vox clamantis in deſerto*, præiens Dominum, *parate viam Domini*, Malachias dicit, *qui præparabit viam tuam antè te* Iſaias *parate viam Domini; rectas facite ſemitas eius*. Secundò attribuit Iſaiæ, quia Iſaias tendit ad actionem, reddit rem ſub oculis, factum repræſentat, vocem loquentem adducit, & hoc magis faciebat ad propoſitum Marci ab euangelizatione Chriſti initium ſumentis, quem primò Ioannes euangelizauit, Malachias verò rem è longinquò adfuturam proponit, *ecce ego mitto*, &c. nimirùm ſi Iſaiæ non Malachiæ prophetiam attribuit, hinc

eſt

eſt quod actioni intentus illicò ſubdit de illa; *fuit Ioannes in deſerto baptizans*, &c. & ni mirum ſi prima tantùm verba Malachię adducit, quæ faciebant accomodatitiè ad ſuum intentum, quod erat explicatio miſſionis ad prædicandum, alia reticens; vndè etiàm dici poſſet Iſaia ad litteram vti, alio per accomodationem; ideoquè Iſaiæ, non Malachiæ meminiſſe. Tertiò attribuit Iſaiæ, non Malachiæ, vt ſe conformet cum Matthæo Iſaiæ attribuenti, cuius ipſe compendiator. *Ipſe autèm Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum*; proùt decebat in deſerto ſtantem, nunquid enìm ibi delitiæ? hinc Chriſtus; quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? eccè qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt, & *zonam pelliceam* cingentem veſtitum *circà lumbos ſuos*; *eſca autèm eius erat locuſta*, animalcula, *& mel ſilueſtre*, de quo edit Ionathas. 1. Reg. 14. 17. de Ioanne Chriſtus. Luc. 7. 33. venit enìm Ioannes Baptiſta, nequè mãducans panem, nequè bibens vinum. *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circà Iordanem*, & *baptizabantur ab eo in Iordane*, flumine, *confitentes peccata ſua*, in genere, vt tenui, hìncquè ex concurſu magno opportunitas erat annuntiandi Chriſtum. *Dicebat ergò ad turbas, quæ exibant, vt baptizarentur ab ipſo. Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Lucas ad turbas hæc. Matthæus ad Phariſæos, & Sadducæos diuerſo tempore, vel eodem ibi exiſtentes: Incœpit prædicationem ſuam Ioannes, graui reprehenſione, & acribus verbis contrà peccata auditorum ab antiquitate inſignia, proùt & Stephanus, quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & ideò curatu difficilia, inducens eos ad illorum conſiderationem, compunctionem, & pœnitentiam, antequàm baptizentur, vt præparati accedant, & ideò ſubdit, *facite ergò fructus dignos pænitentiæ*. Vndè loquitur more prophetarum, proùt Chriſtus. Matth. 23. 33. ſerpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à iudicio gehennæ? & Daniel ad ſenes; ſemen Chanaan maledictum, & non Iuda. Eſt autèm veriſimile Phariſæos, Sadducæos, & Scribas bona voluntate motos, aliàs nec ad Ioannem baptizandi acceſſiſſent, nec ſe peccatores declaraſſent, quod eſt ſignum timoratæ conſcientiæ, & non tuliſſent pacato animo reprehenſionem generalem Ioannis coràm populo, ſed inſurrexiſſent, & reſpondiſſent proùt Chriſto, nec ipſe diceret illos doctos venturam iram fugere, nec ſubderet, *facite ergò fructus dignos pœnitentiæ*, eſt enìm conſiderandum verbum, *ergò*, & fictionem alijs verbis detexiſſet. Et Luc. 7. dicens omnis populus audiens, & publicani iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis; Phariſæi autèm & legis periti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſis non baptizati ab eo intelligendus eſt iuxtà Matthæum, præter hos venientes ad baptiſmum. Et verba Ioannis non ſunt admirationis circà pœnitentiam, quam nondum fecerant, ſed circà acceſſum ad ſuum baptiſmum cum propoſito pœnitendi, & purgandi ſe à peccatis, & credendi in venturum, proùt præſumebat de accedentibus, & ideò appellat eos *fugientes ab ira ventura*, & docet quos pœnitentiæ fructus faciant, *dignos* ſcilicèt iuxtà menſuram peccatorum, proùt & Paulus. Act. 26. annuntiabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum digna pœnitẽtiæ opera facientes, & Rom. 6. 19. humanum dico, ſicùt exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem; & quantùm glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum. Apoc. 18. 7. & pro menſura peccati erit & plagarum modus. Deuter. 25. quaſi dicere velit, quod nam miraculum Dei, qui vos, qui eſtis genimina viperarum docuit fugere à ventura ira gehennæ. *Et ne velitis dicere intrà vos patrem habemus Abraham*, quaſi Deus ob illum ſit vos liberaturus, nam vos non liberabit, ſi pœnitentiam non egeritis, anima enìm, quæ peccauerit ipſa morietur. & Ezechiel 14. Noe, Dauid, & Iob, ſi fuerint in medio eorum viuo ego dicit Dominus, quia filium, & filiam non liberabunt, ſed ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas; fortè ad tollendam hanc Hebræorum præſumptionem

G nem

nem Chriſtus oſtendit Epulonem infructuoſè inuocantem Abraham, & etiàm dicebat facientibus ſe filios Abrahæ, ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite; antiquitùs etiàm ob templum confidebant, templum Domini, &c. quibus Ieremias dicebat, nolite confidere in verbis mendacij, & Michææ 3. 11. principes eius in muneribus iudicabant, &c. & ſupèr Dominum requieſcebant, dicentes, nunquid non Dominus in medio noſtrum, non venient ſupèr nos mala, proptèr hoc cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, &c. Pro Saule non exaudiuit Samuelem orantem, & Ieremiæ iubet ne oret pro populo. Non nocuit Abrahæ, ex Thare idololatra, nec iuuit Eſau ex bono Iſaac naſci: & in ſtatu quo eſtis, non eſtis filij Abrahæ; & ne putent ex hoc Abraham ſterilem futurum ſubdit. *Potens eſt enim Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ,* proùt fecit in gentilibus; non enìm omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ, nequè qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, idèſt non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, hi æſtimantur in ſemine; hyperbolicè loquitur Ioannes; tanta eſt Dei potentia, vt etiàm ex his poſſit filios ſuſcitare Abrahæ, ſic Eliæ Deus, ſeruaui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua antè Baal. *Iàm enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt,* adeò creuit malitia veſtra; ex inſtante periculo magìs perterrefacit, & dat ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, proùt & Ieremiæ 51. 45. Tobiæ vltimo 13. Meſſias eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum. qui ceciderit ſupèr lapidem iſtum confringetur; ſupèr quem verò ceciderit conteret eum. Matth. 21. 44. malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, nàm cum ſempèr fuerit ſecuris in mundo, hìc intelligit de exterminio Iudæorum. *Omnis ergò arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur,* etiàm filij regni eijcientur in tenebras exteriores. Matth. 11. & vbì lignum ceciderit, ibì erit. Eccl. 11. Vel eſt ſenſus, Deus diù vos tolerauit ob Abraham, & Patres, *iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*, non expectabit amplius ad quartum annum, proùt petebat agricola in parabola, *omnis ergò arbor* mala *excidetur,* Deus citò vltionem faciet. Vel ſic *Genimina viperarum*, filij ex malis patribus orti, *quis vos docuit* hùc ad me accedendo, & credendo in eum, quem annuncio, & antè quem præcurro, erepturo vos *ab ira ventura*. 1. Theſſal. 1. in fin. fugere à ventura ira gehennæ? *facite ergò fructus dignos pœnitentiæ*, nàm non ſufficit fides, opera iunctìm requiruntur. *Et ne cœperitis dicere*, & confidere, *Patrem habemus Abraham*, non ergò ſumus genimina viperarum, confidentes in eo quòd ipſe ſit vos liberaturus, vel ſitis cari Deo, & alij non inueniantur vobis ſimiles; *dico enìm vobis quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis*, ex populo gentili, *ſuſcitare filios Abrahæ*, credentes, fideles, iàm enim *ſecuris ad radicem arborum* inutilium, aridarum *poſita eſt*, citò (vult dicere) fiet de his iudicium in aduentu Meſſiæ, quem ego annuncio; *omnis ergò arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur,* omnis homo illum non recipiens, & iuxtà leges illius non operans excidetur à ſecuri, & in ignem gehennæ mittetur, & is ſenſus conformis videtur prædicationi Ioannis annunciantis in eum, qui venturus erat, vt crederent. Act. 19. *Et interrogabant eum turbæ* ex ſeueritate verborum commotæ, *quid ergò faciemus*, vt liberemur ab ira ventura? ſic Act. 2. compuncti ad prædicationem Petri dixerunt, quid faciemus fratres? *reſpondens autèm*, dicebat illis. *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimilitèr faciat*, ſic Chriſtus, verùmtamèn quod ſupereſt, date eleemoſynam, & eccè omnia munda ſunt vobis. Matth. 11. Tobias filio, ex ſubſtantia tua fac eleemoſynas, &c. quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, &c. Tob. 4. 7. 11. exemplum viduæ de duobus minutis. Dicit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 22. in Matth. Ioannem cœpiſſe à leuibus, ſed ad maiora deindè progreſſum eſſe iuxtà capacitatem; ſic & Chriſtus reſeruabat, quæ non poterant tùnc portare, & Paulus lac potum dedi vo-

di vobis non eſcam, non enim poteratis. 1. Cor. 3. *Venerunt autem, & publicani, vt baptizarentur*, tanta erat ex verbis Ioannis commotio, vt & hi acceſſerint, & dixerint *ad illum, magiſter quid faciemus? at ille dixit ad eos, nihil ampliùs, quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis;* non exigatis niſi quantitatem debitam. *Interrogabant autem eum, & milites dicentes, quid faciemus & nos? & ait illis, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris*, tangit ea, in quibus hi ſolent præuaricari, & excedere, hinc in ſuo officio hos retinens, docet poſſe eos in eo ſaluari. *Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis;* ad nullum ergò actum externum deueniebant, *de Ioanne, ne fortè*, adhùc in dubio res erat, *ipſe eſſet Chriſtus*, Meſſias; ſic Paulo, Act. 18. & eidem, & Barnabæ. Act. 14. honores diuini decreti.

Sed vndè ortum habuit hæc exiſtimatio? ex multis, quæ ſuprà tetigimus, præſertim ex baptiſmate, ducti fortè verbis. Ezech. cap. 36. effundam ſupèr vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, præſertim, quia nullus etiàm prophetarum hoc officium aſſumpſerat, & cum certi non eſſent Phariſæi, & alij maiores, an per ſe, an per alios Prophetas id eſſet præſtiturus Meſſias, miſerunt interrogatum Ioannem, tu quis es? & ipſo negante ſe Chriſtum, aut alium Prophetam, declinant in partem, quæ erat eis in ſcrupulum, quid ergò baptizas, ſi non es Chriſtus? &c. Ioannes ergò legatus fidelis, & non ſponſus, ſed amicus ſponſi ad tollendam huiuſmodi de ſe exiſtimationem reſpondit clarè dicens omnibus ſe non eſſe Meſſiam.

Sed conſidera quòd cum id omnes cogitarent in cordibus eorum; Ioannes cogitationi eorum reſpondens cognouit eorum corda lumine ei infuſo, vel coniectura, ne dentur miracula, aliò modo non video ſi cogitatio reſidebat in cordibus. *Ego quidèm baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, quaſi parum hoc, non enim hinc poteſt inferri me Meſſiam; deprimit ſuum, vt extollat Chriſti baptiſmum, *qui autèm poſt me venturus eſt* baptizare Meſſias, *fortior me eſt*, potentior, fortis vt mors dilectio, cum fortis ideſt potens, armatus cuſtodit atrium ſuum, vir fortiſſimus Iudas. *Cuius non ſum dignus ſoluere corigiam calceamenti eius*, etiàm in viliori miniſterio ei ſeruire, ſic Abigail, ecce famula tua in Ancillam, vt lauem pedes ſeruorum tuorum. hinc humilitas Chriſti lauantis pedes; dicas autèm Chriſtum calceamenta portaſſe, quia communem vitam aſſumpſit, & Iſraeliticam. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*, abluo ego corpora, ipſe animas, vndè declarat eum Deum, quia hoc ſoliùs Dei mundare à peccatis; Variæ opiniones in verbo *igni*, teneo loqui de ordinario baptiſmo Chriſti, tùm quòd regitur à verbo *baptizabit*, tùm quòd importat eundemet Spiritum ſanctum, cui annectitur, & copulatur. Tertiò, quia opponit baptiſmo ſuo baptiſmum Chriſti. Quartò, quia quod dicunt Matthæus, & Lucas *Spiritu ſancto, & igni*, Marcus dicit *Spiritu ſancto* tantùm, & ſic refert Petrus. Act. 11.

Vndè opiniones extrà baptiſmum ignis inferi, purgatorij, tribulationum, quæ non conueniunt cum his dictis, non videntur accomodari, præſertìm quia (vt aduertit Chryſoſtomus) Ioannes procurabat reddere Chriſtum ſuum amabilem, & acceptabilem, propterea adducit læta, iucunda, excelſa, làm de igne inferni dixit ſuprà, *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, & infrà, *paleas comburet igni inextinguibili*, vndè non eſt veriſimile Ioannem loqui implicitè, & obſcurè his verbis de igne inferi, de quò adeò explicitè, & clarè bis loquitur, & ſempèr iunctìm cum præmio bonorum, quod hic eſſet de per ſe, & ſimplicitèr contrà eius conſuetudinem, hæc etiàm non ſunt baptiſmata, ſed pœnæ, & afflictiones, & hìc agit de baptiſmo, ignis inferi datur pòſt obitum, hìc de baptiſmo à viuentibus recipiendo, ſed qualis connexitas Spiritus ſancti cum igne inferi? Niſi velimus dicere verba, *& igni* intelligi de igneis linguis, quod tamèn Spiritus ſancti ſignum fuit, ſuprà

Digitized by Google

Apoſtolos delapſis in die Pentecoſtes, & aliàs, vt in actibus Apoſtolicis, & is dicitur baptiſmus flaminis, & pro eodem Spiritu ſancto intellexit Chriſtus dicens, vos autèm baptizabimini Spiritu ſancto. act. 1. Licèt videatur durus intellectus, cum Ioannes loquatur de baptiſmo communi, & ordinario oppoſito baptiſmo ſuo, non de particulari, & ignoremus an ei reuelatio facta de Spiritu ſancto ſic mittendo, vndè potius ſumendum verbum *igni* pro effectu Spiritus ſancti ſpirituali, & generali in omnes baptizatos ad inſtar actionum ignearum, qui concurrit in hoc Sacramento. *Cuius ventilabrum.* Ierem. 15. 7. diſpergam eos ventilabro, *in manu eius*, à quo nullus detraher; ex alio fortior me, quia parer dedir ei iudicium facere, ipſe conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum, & ſic hoc dicir Ioannes ad manifeſtandam potentiam Meſſiæ, non celeritatem Iudicij. *Et purgabit aream ſuam*, Eccleſiam ſuam, *& congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autèm comburet igni inextinguibili*, æterno, hoc in fine vitæ cuiuſquè, & die iudicij generalis, & opportunè, quia mundario areæ eſt vltimum in recollectu: hac metaphora vſus Chriſtus in parabola zizaniorum, colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autèm reſeruate in horreum meum, hoc themate iudicij Paulus Athenis. act. 17. 31. nunc Deus annuntiat hominibus, vt omnes vbiquè pœnitentiam agant, eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis; *Multa quidèm, & alia exhortans euangelizabat populo* proficua, vtilia; omittit hęc intentus ad Chriſtum, de quo principalitèr agit, & breuitati ſtudens.

CAPVT XVI.

DE BAPTISMO CHRISTI.

Matth. 3.

13 *TVNC venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem,*
14 *vt baptizaretur ab eo. * Ioannes autèm prohibebat eum,*
dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?
15 ** Reſpondens autèm Ieſus, dixit ei: Sine modò: ſic enim*
decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum.
16 ** Baptizatus autèm Ieſus, confeſtìm aſcendit de aqua.*
Et eccè aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcen-
17 *dentem ſicut columbam, & venientem ſupèr ſe. * Et eccè vox de cælis dicens:*
Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Luc. 3.

21 F*ACTVM eſt autèm cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptiza-*
22 *to, & orante, apertum eſt cælum: * & deſcendit Spiritus ſanctus corpora-*
li

li ſpecie ſicut columba in ipſum: & vox de cælo facta eſt: Tu es Filius meus di-
23 *lectus, in te complacui mihi.* * *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum trigin-*
ta, vt putabatur filius Ioſeph.

Marc. I.

9 E*T factum eſt: in diebus illis venit Ieſus à Nazareth Galileæ: & bapti-*
10 *zatus eſt à Ioanne in Iordane.* * *Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cælos*
11 *apertos, & Spiritum tamquàm Columbam deſcendentem, & manentem in ip-*
12 *ſo.* * *Et vox facta eſt de cælis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.*

COMMENTARIVS.

E*T factum eſt in diebus illis venit Ieſus à Nazareth Galilææ*, vbi pòſt reditum ab Aegypto habitauerat; *Vt baptizaretur ab eo*, à Ioanne, cuius baptiſmo is, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, non indigebat, ideò iuſtè Ioannes prohibebat dicens, *ego à te debeo baptizari*, qui baptizaturus es Spiritu ſancto, & igne, *& tu venis ad me?* prout Petrus in lotione pedum, Domine tu mihi lauas pedes? Ioan. 13. conſtat ex his verbis Ioannem cognouiſſe Chriſtum antè baptiſmum collatum virtute Spiritus ſancti; & verba Ioan. 1. & ego neſciebam eum, intelliguntur antè hoc tempus, & dùm erat in deſerto, ex quo nunquàm exijt; & excluditur ex his opinio, & quod dicitur in Prato ſpirituali Chriſtum frequentaſſe Ioannem in deſerto morantem, *Reſpondens autem Ieſus dixit ei, ſine modò*, nunc me baptiza, *ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam*; baptiſmus enim Ioannis erat à Deo; vt ipſe Chriſtus arguens Iudæos non baptizatos baptiſmo Ioannis, docuit; baptiſmus Ioannis ex Deo erat, an ex hominibus? ideò decebat eum ſuſcipere illum, & ſuſcipiendo implebat quod iuſtum erat, & Deo gratum, vndè ſi non facio opera patris mei nolite credere mihi. Ioan. 10. 37. & ſe veniſſe non ſoluturum, ſed impleturum legem, nec iota vnum, aut vnum apicem præteriturum, donèc omnia fierent, & mandata paterna implerentur, & is intellectus videtur conformis Chriſti verbis, quibus non adaptantur intellectus humilitatem, virtutem, & ſimilia reſpicientes. Nequè verba Chriſti inferunt hoc eſſe vltimum implementum legis, ideò non excludit alia per illum fienda; & idem potuiſſet obijci intellectui humilitatis, & ſimilium, quia non eſſent vltimi actus virtutum in Chriſto, qui vſquè ad mortem perſeuerauit ſe humiliando, & virtutes faciendo. Vel *omnem iuſtitiam* circà manifeſtationem meam, quæ tibi, & mihi incumbit, quam ego in natiuitate per Angelos, ſtellam, in præſentatione per Simeonem, & Annam cœpi; & tu (me baptizato) viſurus es, iuxtà quod tibi fuit prædictum: ſupèr quem videris, &c. & hi intellectus coincidunt. Vndè non dicas primum intellectum meliorem, quia reſpondit Ioanni recuſanti baptizare, non manifeſtare, qui venerat manifeſtaturus in aqua baptizans. Nam verba intelligenda iuxtà mentem Chriſti proferentis, & hæc verſabatur circà manifeſtationem ſubſecuturam baptiſmum, quam Ioannes ignorabat tùnc futuram, & ſi de baptiſmo ſuo intellexiſſet, non dixiſſet *nos*; ſed *me*, dicendo *nos*, aſſumit Ioannem in cooperatorem, proùt erat in illo manifeſtandio, vt igitur moueat Ioannem ad baptizandum, his verbis vtitur officium ſuum excitantibus. Et in hac via iuſtitiæ Dominus dicit fuiſſe Ioannem. Matth. 21. 31. nempè, in

illo manifeſtando, etſi etiàm poſſet intelligi de vitæ inſtituto, de quo, Matth. 11. 18. Lucæ 1. 15. quod tamen & ad manifeſtationem ſpectabat, quia quò erat ſanctior, eius teſtimonium de Chriſto erat firmius, & acceptius. Sed quomodò iuſtitia in manifeſtatione? hæc erat; ſicut tenebatur Deus ex promiſſione facta Abrahæ, mittere filium ſuum, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, quibus Deum obligaſſemus, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ad nos ſaluandos, Tit. 3. & hoc eſt, quod reputatum fuit ad iuſtitiam fideli Abrahæ, ità tenebatur miſſum manifeſtare, quia non manifeſtando idem fuiſſet, ac ſi non miſiſſet, idem eſt enim non eſſe, vel non apparere, eſt hoc ergò implementum iuſtitiæ, de quo Pſal. 97. notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, & ſic habes, quomodò intelligatur, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & quomodò omnis iuſtitia intelligitur conſecutiuè, & per gradus, & actiones ſubſecuturas, non in hac actione tantùm, nimirùm ſi Chriſtus totus fuit, & tota Sanctiſſima Trinitas in illo manifeſtando, vt in diſcurſu Euangeliorum, & in fine. Ioan. 17. 6. manifeſtaui nomen tuum hominibus; & Ioan. 3. 32. qui de cælo venit, ſupèr omnes eſt, & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur; & Apocal. 1. 5. dicitur teſtis fidelis, & 1. Timot. 2. 7. & 6. qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, & Ioan. 18. 37. ego ad hoc natus ſum, & ad hoc in mundum veni, vt teſtimonium perhibeam veritati, & 1. Ioan. 1. de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & dixit ipſe, ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, me manifeſtando, peccatum non haberent, hinc tota Trinitas manifeſtauit Chriſtum pòſt baptiſmum, ità vt intellectus hic optimè quadret. *Tunc dimiſit eum*. Sic & Petrus non tantùm pedes, ſed & manus, & caput. An autèm per aſperſionem, vel immerſionem baptizaret Ioannes? & videtur per immerſionem, quia ſtabat intrà flumen; ſi enim per aſperſionem, non èrat neceſſe permanere in flumine, ſed ſtans iuxtà ripam vaſe poterat aquam accipere, & ea vnumquemque aſpergere, & baptizare. At fortè quia corporalibus meliùs edocebatur populus, maximè Hebræus lotionibus, & baptiſmatibus multis aſſuetus; propterea intrà flumen Ioannes ſe continebat, & fortè ibi vaſe aquam ſumens aſpergebat; verè enim immerſio fuiſſet admodùm laborioſa, nec credibilis, præſertim in tanto concurſu, & hoc etiàm conforme eſt Ezechieli, effundam ſuper vos aquam mundam, non immergam. *Baptizatus autèm Ieſus ſtatim aſcendit de aqua*, ſciens quæ ſuperuentura erant, & vt alij baptizarentur. *Et ecce aperti ſunt ei cæli*, humilitatem, qua baptiſmo ſe ſuppoſuerat coràm multitudine, ſubſequi debuit, proùt in alijs, exaltatio, & gloriæ eius demonſtratio. Hiatus ille fuit quoddam ſignum aeris ſplẽdidius, & lucidius apparentis, vt omnes præſentes attentos redderet ad Columbam, & vocem paternam; *& deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum* orantem ex Luc. Ab illo hiatu deſcendit Columba, *& manſit ſupèr* Chriſtum, vt doceret quaſi digito ipſius, non Ioannis cauſa hiatum illum, & vocem paternam. Sed an illa vera Columba? credo quòd non, ſed ex aere efformata, ſicut neque linguæ igneæ, quæ apparuerant ſupèr Apoſtolos veræ erant. Acto. 2. & Angeli non aſſumunt vera, ſed aerea corpora, & tres Euangeliſtæ vtuntur verbis improprijs, *ſicut, tamquàm corporali ſpecie ſicut Columba*, & ad quid inſeruiret vera Columba, cum ad momentum tantùm operatura eſſet? ſed conſuetudo, & facta ſimilia reddunt hanc opinionem probabiliorem; quòd ſi fuiſſet vera, redacta deindè fuiſſet in circumſtantem materiam; quia Deus nihil eorum quæ creauit ad nihilum redigit. Sed aliquid ne gratiæ, ſeù chariſmatum recepit Chriſtus? dic quòd non; quia ab inſtanti conceptionis fuit ità plenus, vt nihil addi potuerit, ſed apparuit Columba tantùm ad manifeſtandum illum eſſe Meſſiam; *Et vox de cælo facta eſt. Hic eſt Filius meus*, naturalis non vt homines adoptiuus, non vt Angeli; imò Heb. 1. tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditauit, cui enim dixit aliquandò Angelorum Filius meus es tu, ego hodiè genui te? & introducens primogenitum in orbem terrarum dixit, & ado

rent

ſtent eum omnes Angeli Dei. *Dilectus* maximè, Ioan. 3. & 5. pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus. *In quo mihi complacui*, mihi gratiſſimus in omnibus, per quem omnia reſtaurare conſtitui, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt. Eph. 1. & Iſa. 42. complacuit ſibi in eo anima mea. Hæc omnia in noſtro baptiſmo inuiſibilitèr fiunt, aperiuntur nobis cæli, qui vſquè ad Chriſti paſſionem clauſi erant, Filij Dei adoptiui efficimur, & Spiritu ſanctò replemur; & proptereà quotquot receperunt eum (baptizati) dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri. Io. 1. Dubium eſt, an ſoli Ieſus, & Ioannes hæc viderint, & audierint, an alij circumſtantes; teneo omnes vidiſſe, & audiſſe, hæc enim facta ſunt ad manifeſtationem, quomodò ergò volumus ea reſtringere? præſertìm quia manifeſtatio duplicitèr ſeruiebat, vt non crederetur peccator, & crederetur Meſſias, & hæc duo adſtantibus, qui vidiſſent, & audiſſent erant captu, & creditu faciliora, quàm abſentibus hęc ignorantibus; & quandò Ioan. 12. vox de cælo venit, & clarificaui, & iterùm clarificabo, etiàm omnes audierunt, alij enim dicebant tonitruum factum eſſe, alij Angelum ei locutum, & tùnc Ieſus; non proptèr me hæc vox venit, ſed proptèr vos; quæ ratio ſeruit ad caſum noſtrum, proptèr nos enim talia facta ſunt, vt manifeſtaretur nobis, & ex propoſito. Luc. 3. præmittitur, cum baptizaretur omnis populus, quaſi factum de induſtria, vt hæc videret mirabilia, & inſinuatur. Matth. 3. prætereà hoc ſignum datum eſt Ioanni non pro ſe, quia cognouit eum in baptiſmo, ſed vt manifeſtaret illum populo, quomodò ergò volumus claudere oculos, & aures populi præſentis faciliùs credituri? Inſupèr ſi ſoli Ioanni, ſuperflua fuiſſet vox Patris, & hiatus aeris, de quibus ei dictum non fuerat, licèt verè ei reuelata eſſent principaliora deſcenſus Columbæ, & manſio ſupèr eum; quibus cognitis alia cognoſcebantur, de quibus ei dictum non fuerat; eſſet & nouum miraculum, vt tot viſibilia, & apparentia non eſſent viſa, vel audita à circumſtantibus, imò quòd vnus ſolus audiſſet, alij non, quod tamen non eſt adſtruendum, & ſi id fuiſſet, aliquid eis contigiſſet, prout Sodomitis ad fores Loth; Syris tempore Eliſæi, & meminiſſet Euangeliſta; proùt Dan. 10. qui ſolus vidit viſionem; portò viri, qui erant ſecum non viderunt, ſed terror nimius, &c. & in vidente aſina non Balaam. Num. 22. & alijs, de quibus in Zacharia. Accedit quia ſi talis ſonus factus eſt. Ioan. 12. voce paterna; hìc & vox paterna, & hiatus aeris, qui ferè abſquè ſono fieri naturalitèr non poteſt, interueniunt, ideò veriſimilitèr ſonus etiàm adfuit, qui eò magis adſtantibus innotuit. Et licèt dicant Matthæus, & Marcus vidit Ieſus ſcilicèt, non excludunt alios, cum non vtantur verbis taxatiuis, aliòquin & Ioannem excluderent; ſed ſtrictè ad Ieſum, quia de ſolo Ieſu ſermo eſt; non de alijs, & ſi ipſe ſolus vidiſſet, quomodò id ſeruiſſet ad ipſius manifeſtationem? Si dicis conſtat aliundè nempè Io. 1. & Ioannem vidiſſe; fateor, ſed nec ipſe excludit alios, aliòqui excluſurus, ſi id factum eſſet. At cur de ſe ſolo dicat, aperio, & res erit manifeſta, omnes vtiquè viderunt, & audierunt, ſed non omnes intellexerunt quid illa importarent, nempè quòd columba ſignificaret Spiritum ſanctum, & quòd is eſſet Filius Dei, ſicut nequè adſtantes. Io. 12. nequè ſocij Pauli. act. 9. intellexerunt quid fieret, ideò Ioannes præmonitus, ſupèr quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſupèr eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto, dicit, nedum vidiſſe, ſed teſtimonium perhibuiſſe, quia hic eſt Filius Dei ex ſignis viſis, & vocibus à cælo delapſis, & circumſtantes non præmoniti ignorabant quid ſigna, & voces importarent, & de hoc teſtimonio loquuntur diſcipuli Ioannis memoria illud retinentes. Ioan. 3. 26. etenim à teſtimonio Ioannis dependebant ſigna illa, quorum ille interpres fuerat; ſic & in die Pentecoſtes facta ſunt ſigna magna ſupèr Apoſtolos coràm omnibus, & viſa, & audita, & tamèn oportuit Petrum manifeſtare qualia hæc eſſent, cum ab alijs, quibus non fuerant reuelata non intelligerentur; ſic & Chriſtus declarauit. Ioannis 12. verba è cælo delapſa, quæ audientes non intellexerant, ſic & Rex Babylonis nouerat quid accidiſſet, ſed ignorans ſignificationem miſit legatos interrogatum de portento. 2. Paralip.

lip. 32. 31. Quinimò ſi dixiſſet Ioannes vidiſſe, & audiſſe quæ alij non vidiſſent; nullam fidem meruiſſet, putaſſent eum nebulonem, at declaranti quæ viderant, & audierant eis ignota, facilè fidem accomodarunt. Si dicis communicaſſet plebi myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quod Apoſtolis communicatum non fuit, niſi longo pòſt tempore. Reſpondeo, ſi Deus dedit ſigna illam demonſtrantia, vtiquè voluit manifeſtari, opera enim Dei reuelare honorificum; & Paſtoribus per Angelos, & Magis per ſtellam aduentus Chriſti, & Simeoni vocatio gentium antè Apoſtolos.

Sed nec communicatum, niſi Ioannes explicaſſet quid hoc eſſet, & ignoramus an explicitè fecerit, quia alijs opus erat ad myſterium explicandum? & iam præſente Meſſia hæc occulta explicanda erant, appropinquauerat enim regnum cælorum; Nō obſtat quod dicitur de transfiguratione, nàm Transfiguratio paucis innotuit, quia erat magis clara, & intrinſeca demonſtratio ſuæ diuinitatis, ne paſſioni præiudicaretur, propterea tres ſolos vocauit, & vetuit diuulgari; & fortè etiàm proptèr humilitatem, ſicuti humilitatis cauſa, cum adeò magna ſupèr ſe facta eſſent, & viſa, & audita à Plebe, ſeceſſit illicò in deſertum, vt vitaret gloriam humanam, & nobis eſſet exemplo. Ex his exploſa remanet opinio, quòd Ioannes tunc non explicuerit hæc ſigna Meſſiam indicantia, ſed diſtulerit, donèc Ieſus regreſſus eſſet à deſerto, cum enim omnes tunc viderint, quodnam aptius tempus publicandi tot præſentibus, qui viderant, & audierant, quibus meliùs tunc perſuaderi poterat? fixius enim imprimuntur, quæ videntur ignota, & explicantur eodem momento, & innuit Ioannes id feciſſe vno verbo iunctim dicens, vidi, & teſtimonium perhibui, quaſi illicò, & ſi vſquè ad tempus illud diſtuliſſet, ijdem non adfuiſſent, cum baptizati recederent, & alij ſuccederent, & ſicut acceſſit ad Iordanem, & loca frequentiora, vt pleniùs Chriſtum annuntiaret, ſic præſumendum hanc opportunam occaſionem non omiſiſſe; non negamus tamen quin & aliàs de his ſignis Chriſtum manifeſtaturus diſſeruerit. Si dicis quomodò ergò non crediderunt Iudæi ſigno tàm manifeſto? reſpondet Chriſoſtomus homil. 12. in Matth. iuxtà quem dico plùs fuiſſe audire vocem Dei, quem Deum eſſe nouerant in Monte Sinai legem dantis, & alia ſigna videre, quàm hæc, quæ videbant, ſed ignorabant ex ſe talia eſſe, niſi Ioannes explicuiſſet, & tamèn vitulum adorauerunt, & deindè Num. 25. initiati ſunt Beelphegor: audierunt & vocem illam de cælo. Ioan. 12. & non profecerunt, non paſtoribus, non Magis crediderunt, non Prophetis, non Ioanni, non Simeoni, & Annæ, non miraculis cœci nati, languidi, dæmoniacorum, Lazari, & aliorum, quæ potiùs calumniabantur, quinimò Lazarum reſuſcitatum interficere cogitauerunt, adeò obcœcauerat eos malitia. Vndè quid potuit Deus facere vineæ ſuæ, & non fecit? & Chriſtus ſi non feciſſem opera, quæ nemo alius fecit, ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ſed ſupèr omnia ſi & ad illuſtriſsimum ſignum reſurrectionis datum pro indubitato, & infallibili; non dabitur ſignum, niſi Ionæ Prophetæ; ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, non ſunt conuerſi, ſed magis indurati, & tentauerunt eam occultare, quid vltrà dicendum?

An autèm Ioannes tunc fuerit baptizatus à Chriſto? credo veriſimilitèr quòd non, primò Chriſtus adhùc ſuum baptiſmum non cœperat, & non eſt veriſimile illud cœpiſſe dum ipſe baptizatur à Ioanne, ſic ſe humilians, quia baptizando eum ſe extollebat, & diſcipuli Ioannis loquentes de Ieſu baptizato, videntur illum poſtponere Ioanni. Ioan. 3. 26. vt ibi omnes aduertunt. Secundò fuiſset importunum tempus, quia nondum erat manifeſtus, nondum ſe propalauerat. Tertiò facta fuiſset mentio ab Euangeliſtis huius rei inſignis; imò ex contextu omnium apparet de contrario, acceſſit, vt baptizaretur, non ergò baptizaturus. Quartò ſi Ioannes fuiſset baptizatus à Chriſto, videretur tùnc aliquo modo præiudicatum, & detractum baptiſmo Ioannis, qui in hoc repræſentabatur vnicus, & ſingularis, ità vt homines non eſſent gregatim acceſſuri impoſterum ad eum, prout faciebant. Luc.

Luc. 3. & ſaltem danda erat ratio, cur baptizaretur, cur ab eo, quæ hæc nouitas, quæ rem in difficultates multas redegiſset, & Chriſtus non cœpit baptizare, niſi pòſt regreſsum à Ieruſalem, & tùnc etiàm obortæ difficultates. Ioan. 4. 1. Quintò verba Ioannis *ego à te debeo baptizari*, non intendunt hìc ſcilicèt; nàm ſubdit, & tu venis ad me baptizantem, ſicut ergò Chriſtus non erat paratus ad baptizandum, ſic neque baptizauit, & verba *ſine modò*, ſunt Chriſti inducentis Ioannem recuſantem, non pollicentis Ioanni baptiſmum ſuum tùnc. Sextò. Io. 4. 1. Ieſus non baptizabat, ſed diſcipuli eius.

An autèm Ioannes à Chriſto alio tempore fuerit baptizatus? poſset in affirmatiuam inclinari, quia cum baptiſmus Chriſti conferret gratiam, cenſendum eſt Ioannem noluiſse tanto bono defraudari. Chriſtus in hoc ſuo baptiſmo recepto à Ioanne aquas ſanctificauit, & præparauit ſuo contactu ad ſuum baptiſmum, ideò in aqua cœpit ipſe baptizare, ſeù eius diſcipuli. Io. 4. & Io. 3. dixit Nicodemo, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei, & ſic intelligebat Ioannes; ille baptizabit vos in Spiritu ſancto. Matth. 3. Luc. 3. Marc. 1. nempè baptizabit aqua in Spiritu ſancto. *Et erat Ieſus incipiens quaſi annorum triginta*. Controuertitur in qua ætate Chriſtus baptizatus fuerit; hæreo opinioni Sancti Ignatij, quam ſequitur Baronius, nempè trigeſimo anno completo, & die decimotertio. Siquidèm Sanctus Lucas dicit. *Ipſe Ieſus erat incipiens*, intelligo prædicationem, & manifeſtationem ſui, nàm quid aliud? & acto. 1. apparet tùnc cœpiſſe prædicationem, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſquè in diem, qua aſsumptus eſt à nobis, & hoc non licuit niſi conſtituto in trigeſimo anno; & huic loco acto. 1. non obſtat alius acto. 10. 37. vos ſcitis quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam, incipiens enim à Galilæa pòſt baptiſmum ſcilicèt Chriſti, quod verbum, non quem baptiſmum, prædicauit Ioannes Ieſum à Nazareth, & ſic hi loci ſunt conformes agentes de baptiſmo Chriſti, non Ioannis, de quo non agitur, nec faceret ad rem. Non obſtat in Luca verbum, quaſi, quia multotiès non diminuit, nec impropriat. Prætereà non rediit illicò domum, ſed ſeceſsit in deſertum tentandus, neque à deſerto in Nazareth, ſed permanſit circà Iordanem per dies aliquot recepturus nouum teſtimonium à Ioanne, & duxit ſecum Andream ad habitationem ſuam, deindè Luc. 4. dicit finita tentatione *regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus ſancti in Galilaeam, & fama exiit per vniuerſam regionem de illo, & ipſe docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus*, & quāuis intercurrant alij actus dicti à Ioanne vt ſuprà, tamèn non important tantam moram, vt annum capiant, & ſunt actus etiàm ad prædicationem ſpectantes, cum verſaretur vbi erat Ioannes, & manifeſtaretur, & ibi concurrerent homines, qui iuſtificabantur pœnitentia, & ex eis aliquos ſegregauit in diſcipulos ſuos, & Apoſtolos iàm inſtructos, & cathechizatos à Ioanne. Nec eſt veriſimile, quòd poſtquàm tandiù latuerat tùnc pòſt manifeſtationem inſignem, & cæleſtem, iterum latebras quæſiſset, & non eſſet operatus quæ erant Patris, & ideò veriſimilitèr expectauit baptizari vſquè ad tempus, quo poſset illicò prædicare, aliòquin hæc temporis intercapedo, & nouæ latebræ, noua dubia generaſsent, & manifeſtationes ſubſecutæ apud eos, qui viderant, & audierant, deferbuiſſent, & euanuiſſent, ceſſiſſetquè contrarium intentioni Dei procurantis manifeſtationem, & ſolicitudini Chriſti publicandi legem ſuam, & voluntatem Patris faciendi, qua dicebat coarctari, donèc perficeretur, & ideò in anno duodecimo moræ impatiens interrogat, & interrogando docet Doctores in templo; ſeruit exemplum Ioannis, qui in deſerto latuit vſquè ad diem oſtenſionis ſuæ, & pòſt baptiſmum, & prædicationem cœptam non legitur ampliùs latuiſſe. Nec dicatur pro illo anno non prædicaſse publicè, ſed priuatìm, quia non tolluntur argumenta allata, & quia id etiàm conuenit dum latebat, tùnc enim & priuatìm docebat, & in his, quæ Patris ſui erant, verſabatur.

CAPVT XVII.

DE TENTATIONE, ET IEIVNIO CHRISTI.

Matth. 4.

1 TVNC Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tenta-
2 retur à diabolo.* *Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus,*
3 *& quadraginta noctibus, poſteà eſurijt.* * *Et accedens*
tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti pa-
4 *nes fiant.* * *Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt; Non in*
ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit
5 *de ore Dei.* * *Tùnc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam*
6 *ciuitatem, & ſtatuit eum ſupèr pinnaculum templi,* * *& dixit ei: Si Filius*
Dei es, mitte te deorſùm. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de
7 *te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* * *Ait illi*
8 *Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* * *Iterum*
aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè: & oſtendit ei omnia regnà
9 *mundi, & gloriam eorum,* * *& dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens ado-*
10 *raueris me.* * *Tùnc dicit ei Ieſus: Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum*
11 *Deùm tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* * *Tùnc reliquit eum diabolus: & eccè*
Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Marc. 1.

12 ET ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.* *Et erat in deſerto quadragin-*
13 *ta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana: eratquè cum*
beſtijs, & Angeli miniſtrabant illi.

Luc. 4.

1 IESVS autèm plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à
2 *Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo.* * *Et nihil*
3 *manducauit in diebus illis: & conſummatis ille eſurijt.* * *Dixit autèm illi dia-*
4 *bolus: Si Filius Dei ès, dic lapidi huic vt panis fiat.* * *Et reſpondit ad illum*
Ieſus: Scriptum eſt: Quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.
5 * *Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia règna or-*

bis

6 *bis terra in momento temporis, * & ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuer-*
7 *ſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt: & cui volo do illa. * Tu*
8 *ergò ſi adoraueris coràm me, erunt tua omnia. * Et reſpondens Ieſus, dixit il-*
9 *li: Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. * Et du-*
xit illum in Ieruſalem, & ſtatuit eum ſupèr pinnam templi, & dixit illi:
10 *Si Filius Dei es, mitte te hìnc deorſum. * Scriptum eſt enim quòd Angelis ſuis*
11 *mandauit de te, vt conſeruent te: * & quia in manibus tollent te, ne fortè of-*
12 *fendas ad lapidem pedem tuum. * Et reſpondens Ieſus, ait illi: Dictum eſt: Non*
13 *tentabis Dominum Deum tuum. * Et conſummata omni tentatione, diabolus*
receſsit ab illo, vſquè ad tempus.

COMMENTARIVS.

T*VNC Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu ſancto,* illicò pòſt mirabilia facta ſupèr eum in baptiſmo, vt poſſet Ioannes ipſo abſente vtiliùs explicare ſigna, quæ ipſo præſente ob humilitatem, vel gloriam vitandam pro exemplo, tùnc fortè noluit manifeſtari, licèt in reditu à deſerto paſſus ſit præſens Meſſiam à Ioanne prædicari; ſic noluit ſuſcitationem filiæ Archiſinagogi eo præſente publicari, & alia ignota eſſe iuſſit ad tempus, quia aliàs non eſſet contrauentum; alia publicari, vt de Emorrohiſſa, & alijs iuxtà eius immenſam ſapientiam. *Vt tentaretur à diabolo*, ſed cur vult tentari, & deſertum petit, & ieiunat, & eſurit? Ieiunat quidèm, & eſurit, vt patiatur in hac ſpecie afflictionis. Tentari vult, vt etiàm patiatur, apprehendens tentationis horrorem à diabolo iniectum quaſi infirmus homo; petit deſertum, & orat in deſerto, antè tẽtationem præparans ſe ad pugnam, inſtruens, vt ſicut ipſe antè tentationem; ſic nos antè actiones noſtras hæc præmittamus, & ieiunio, orationiquè vacemus, & ſecedamus ad deſerta, ad cubiculum, & clauſo oſtio oremus patrem, vt pòſt dixit, & muniamur contrà aduerſarium. Vt maiorem occaſionem tribuat diabolo tentandi eum omni re, & conſortio deſtitutum, ità vt eſuriens non haberet, quod manducaret, ſicut Euam ſolam aggreſſus eſt, & ſeduxit. Vt hac humilitate, pœnitentia, fame, & modo humano celaretur eius diuinitas diabolo, qui in baptiſmo viderat, & audierat, quæ acciderant, ex quibus poterat ſuſpicari eum verum, & naturalem Filium Dei; ideò tentator præmittit verba, *ſi Filius Dei es*. Et hoc ne impediretur paſſio ſecundùm aliquos; nunquàm enim certò ſciuit diabolus eum eſſe Chriſtum Dei Filium, ſed ſub dubio dicebat: Ieſu Fili Dei, vt quid veniſti antè tempus perdere nos? ſi enim cognouiſſet, nunquàm Dominum gloriæ crucifigi ſuggeſſiſſet, at de hoc in Paulo; vndè veritus pòſt capturam remittit proditorem ad Iudæos relatum pecuniam, & illum iuſtum prædicatum, & dum Pilato aſſiſteret adegit vxorem, vt ſignificaret viro, nihil tibi, & iuſto illi; at non applicatur illud, ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt, nàm cum ſit incapax remiſſionis, pro illo hæc non dicuntur, ſic iuxtà Ignatium de deſponſata naſcitur, vt partus cæletur diabolo, etſi non erat ſapientia, aut conſilium contrà Dominum. Vt inimicitiæ. Geneſ. 3. inter ſemen ſerpentis, & ſemen mulieris tandèm exererentur, & principium correſponderet fini, qui erat dæmonem è terra eijcere, & ſic per totam vitam erat eijciens dæmonium, quod è cælo ambiens ſublimiorem ſedem, deiectum in terras, quod contrà Deum lucem inacceſſibilem inhabitantem conſeruabat odium fruſtrà, contrà hominem à Deo creatum conuertens eundem ruerat in peccatum, & vice

cæli,

cæli, terra potitus erat, quod tandèm præſtitit in cruce, nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foràs. Ioan. 12. 31. præſertim ab idololatria, quam præ alijs ambibat, vndè in fine tentationis ad eam anhelans petit adorari: aliæ cauſæ apud alios, *In deſertum*, non per deſertum, vndè non videtur probari, quòd in vno loco permaneret, *cum beſtijs* addit Marcus, vt doceret loci ſolitudinem; *& cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, non excedit, quia hoc ſatis, & ne (ſi exceſſiſſet ieiunia Moyſis, & Eliæ) aliquod maius de ſe ſuſpicaretur diabolus. *Poſteà eſurijt*, virtutem quam repreſſerat, in naturam ſuam dimittens ex propria voluntate, ſed apertè ad alliciendum dæmonem, qui iuxtà noſtras inclinationes venatur, vt in Iuda auaro cum pecunia.

Ex modo loquendi Matthæi, & Lucæ non videtur eſuriſſe antè quadraginta dies, ſi verò dicis, non tantum, diuinas; nam Euangeliſtæ nullum verbum, imò cum poſt quadraginta dies dicant eſurijſſe, excludunt quod antè, dicturi, ſi antè eſuriſſet. *Et accedens tentator* per excellentiam, quia primus, callidior, nunquàm ſatur, accedens autèm in forma humana, vt tutiùs ſe inſinuet cum ſimili, cum Eüa non vſus eſt hac forma, ſed ſerpentis, quia tùnc vnus tantùm homo erat, nec id didicerat, verùm vſus eſt Eua ad capiendum Adamum, qui cum congredi noluit, timens reijci; at poſtquàm didicit ab Angelis à Deo miſſis formam humanam aſſumentibus, iàm multiplicato genere, & ipſe ad decipiendum hac vſus eſt, & etiàm in Angelum lucis ſe transformat.

Anceps an eſſet Dei Filius, ab vna, multa, maieſtàtem, & diuinitatem, ab alia humanitatem, & exinanitionem demonſtrabant, nec eligebat, in quam declinaret, vox illa in baptiſmo, & alia in priorem, ſeceſſus in deſertum in alteram, ieiunium refricauit vlcus, reſpirauit inedia, putat miraculo dubium tolli, quia ſciebat Meſſiam operaturum miracula, quo ſigno exploſit fortè Ioannem Baptiſtam, qui nullum operatus eſt, & ne deciperetur, cum & iuſti virtute diuina operari poſſent miracula, ideò vt ſibi tutò conſulat præmittit, poſtquàm video te eſurientem, vt poſſis fami prouidere (nihil de ſe famelico dixit, ne videatur proprium commodum quærere) *dic*, iube Marci 5. in fin. Luc. 8. 56. propria virture, & imperio operare more Dei, *vt lapides iſti panes fiant*; per hæc verba Deus. Geneſ. 1. creabat. Fiat lux, &c. & apponit conditionem *Si Filius Dei es*, ſciens & ſi homo iuſtus eſſet, non tamèn propria auctoritate, nec cum mendacio poſſe miraculum operari, Deum enim non cooperaturum mendacio, aliòquin ſatisfuiſſet dicere, ſi eſuris, hos lapides in panes conuerte. Vndè ſi Chriſtus conuertebat lapides in panem iuxtà ſuam intentionem, ſequebatur ipſum eſſe Dei Filium. Sic Elias, ſi homo Dei ſum deſcendat ignis de cælo, &c. Acceſſit itaquè non prouiſurus famelico, cum ſit immiſericors, & quia lapides proponit in panes immutandos, & illum ducit in pinnaculum, & montem, vbì nulla annona, nequè in gulæ, aut diffidentiæ vitium impulſurus, at experturus in prima tentatione an ſit Filius Dei ex miraculo, quod ſtrictè petit, quem ſæpè imitati ſunt Iudæi quærentes ſigna; contigit enim tùnc diabolo ancipiti, & anxio ſupèr Chriſti diuinitate, proùt oppreſſis cura graui, in quam adeò incumbunt, vt aliud non attendant. Vltra quòd inueriſimile eſt tentaſſe ad peccatum, quem tentabat experiri, an Dei eſſet Filius, in quem ſciebat peccatum non cadere; hæc enim fuiſſent contraria, & non defuiſſet tempus agendi illum in peccatum, poſtquàm deprehendiſſet non eſſe Dei Filium, proùt ſic contigit in alijs tentationibus, vt dicemus.

Non poteſt autèm ſuſtineri, illum quaſi cum homine iuſto egiſſe, qui poſſet ad peccatum traduci, quia iuſto non conueniunt verba, *ſi Filius Dei es*, nequè *dic*, propria auctoritate, & tùnc etiàm mutatio lapidum in panes, qui ſtrictè capiuntur, & pro cibo corporali, non videtur ad vitium gulæ tendere in famelico, nequè diffidentiæ ſimplicitèr, cum agens de miraculo, præſupponat fiduciam in Deum, nequè ex modo extraordinario, & inſolito, operando miraculum pro paranda ſibimet annona, quòd nequè antè, nec pòſt fortè quiſquam iuſtus in Deo con-

confidens fecit, non expectando Dei adiutorium, qui pauerat populum in deſerto, Danielem, Eliam, & alios. Quia & fiducia in Deum requirebatur in iuſto, & oratio ad Deum, vt ſibi in fame eo modo conſuleret, proùt Iacob, & Salomon. Niſi dicamus tentationem incongruam, vel inſolitam, & ad hanc voluiſſe eum inducere, & ſi Deus ad miraculum non concurriſſet, poſteà ad deſperationem tentaturum; Quæ omnia malè aptantur, & tendunt ad infinita ferè, quæ dicuntur hìc per alios. Propterea videtur veriſimiliùs, quòd vellet experiri, an eſſet Filius Dei ſimplicitèr, proùt Hebræi in Cruce. Matth. 27. de quibus prædictum. Sapien. 2. vbi nihil de peccato.

Hinc fit inueriſimile dæmonem præmiſiſſe verba, quibus oſtenderet compati ſuæ fami, & ſimilia, cum enim ageret tanquàm cum Filio Dei, potiùs præmiſit de ſalute animæ ſuæ, de quærendo Meſſia, & ſi ipſe is eſset, proùt ex voce cæleſti audierat, ſe ei adhæſurum, & animæ ſuæ conſulturum: Sed quia id non poſſet præſtare, niſi certò ſciret, eum eſſe talem, idcircò vt id ſibi verè innoteſceret ex occaſione famis, qua tùnc tenebatur ſi Filius Dei eſset diceret, vt lapides panes fierent, prædici enim miracula patranda eſſe à Meſſia. Sicut etiam cum Eua non compatiendo, ſed ſe inſerendo in eius familiaritatem more ignotantis, & curioſi, vt eam alliceret ad colloquium dixit, cur præcepit vobis Deus. Geneſ. 3. Et ſolemus iuxtà perſonarum, quibuscum agimus diuerſitatem varijs vti argumentis ad idem tamèn tendentibus, ſic iuxtà Chriſoſtomum homil. 26. in Matth. Chriſtus loquens ad vulgum, vſus eſt exemplo auium, volens illum auocare à ſolicitudine neceſſariorum. Qui tamèn alitèr hìc cum diabolo, *non in ſolo pane, &c.* Hoc miraculum propoſitum conuerſionis lapidum in panes erat inauditum, & magnum, quia erat mutatio vnius formæ in aliam, & valdè diſſimilem, quod præſtitit Chriſtus in primo miraculo aquam in vinum conuertendo. Eliſæus quidèm pauerat centum homines viginti panibus ordeaceis materiam multiplicando, auxerat etiàm olei quantitatem pro vidua, Chriſtus poſteà pauit quinquè, & quatuor millia hominum paucis panibus, & piſcibus eodem modo, nec in ſcriptura veteri legitur de huiuſmodi tranſmutatione, niſi fortè in virga Moyſis, ideò hoc erat magis extraordinarium. *Qui reſpondens dixit, ſcriptum eſt.* Deut. 8. 3. *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo*, idèſt in omni alia re, ſeù obſonio, *quod procedit de ore* imperio *Dei*, & hic eſt ſenſus litteralis intentus à Moyſe d. cap. 8. ex eo quòd Deus pani manna in pabulum ſubrogauerat, & iuxtà illum loquitur Chriſtus, qui dicto illo vtitur; alij ſenſus ſunt iudicio meo alieni ab illo textu, & à mente Chriſti, & à materia cibaria, de qua agitur. Chriſtus ſcriptura diabolum excludit, & in prima dubitatione relinquit; ex reſponſione Chriſti, quæ oſtendit confidentiam in Deum iuxtà prædicta. Sap. 2. videtur tentatio diabolica ad diffidentiam tetendiſſe, ſed iàm exploſa eſt hæc opinio, & vereor ne finxerit ſe ignorare intentionem diaboli, quæ erat expiſcari, an eſſet Filius Dei, & voluerit aliò eum cum generali propoſitione nihil quòad ſe concludente transferre, & eludere, proùt egit cum quærentibus an liceret dari cenſus Cæſari, an non: quibus nihil certi dixit. Chriſtus non patrauit miraculum, quia non conueniebat pro fame propria, & nullus vnquàm id præſtitit, potiùs enim in Deo ſperandum, & fuiſſe contrà intentum, quod erat celandi diuinitatem diabolo, & nondùm venerat hora eius faciendi miracula, & volebat pati famem, quam aſſumpſerat, & erat modus extraordinarius prouidendi fami, & propoſitus à Lucifero, cui nolebat deferre, ſed illum confundere, & ſpernere, & erat vanus, & inutilis, nec diabolus erat crediturus iuxtà Auguſtinum, ideò non dicit, & credam; proùt Hebræi ex Cruce deſcenſuro, & credimus ei, & ex alijs hic per alios. At illa ne impedimento eſſet paſſioni videtur contraria rationi Auguſtini, quia non erat crediturus, proùt non credidit tot miraculis, cum ob illa non impedierit paſſionem.

Nec dictum Auguſtini indiget declaratione fidei formatæ, vel non, quia ſatìs eſt illum loqui de diabolo, in quem fides formata non cadit, ſed quæ in eo pot eſt conſiderari, vt in Epiſt. Iacobi, & dæmones credunt,

dunt, & contremiſcunt. Non poteſt tamèn negari, quin diabolus ob illam conditionem, *ſi Filius Dei es*, magis anceps redditus non eſſet, & ob id aliqua non machinatus eſſet.

At ſi diabolus non erat crediturus, videretur acceſſiſſe, vt ad peccatum induceret, ſed non præmiſiſſet, *ſi Filius Dei es*. Vndè acceſſit periculum facturus, & certiùs expiſcaturus circà Dei filiationem, & ſi miraculum vidiſſet, poſteà putaſſet an vellet credere, nec credidiſſet ſecundùm Auguſtinum, voluiſſet enim alia videre, maximè quia Chriſtus miſcebat humilia, & humana magnis, & diuinis, vt manifeſtaret vtramque naturam, & ne deprehenderetur, ideò vſquè ad finem tentatus fuit. Venit princeps mundi huius,& in me non habet quicquam. Ioan. 14. Vndè ſi Chriſtus miraculum patraſſet, habuiſſet hoc ſignum vltrà alia, quo adduci poterat ad ſuſpicandum ſaltèm, ſi nolebat credere eum eſſe Filium Dei. Hinc apparet non eſſe admodum inueriſimilem opinionem Chriſoſtomi,verba hęc eſſe adulatoria, iocoſa viſa eius eſurie, quaſi diceret, benè es Filius Dei, qui fame conficeris, fac lapides panes, ſi non vis deficere, ſic inſultabant. Sapien.2. & Matth. 27. in cruce, quaſi vellet eum contrà Deum commouere, proùt Iob, ignis deſcendit de cælo, Euam quarè præcepit vobis Deus, &c. quærit enìm nos in Deum, Deum in nos, vt in Iob. Fruſtra Iob timet Deum? prouocare, & aueere.

Tùnc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſupèr pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsùm. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Diabolus ex reſponſione, *non in ſolo pane,&c.* victus, & confuſus, putans rem extrà deſertum ad votum ceſſuram, & ex reſponſo, ieiunio longo, & vitæ integritate Chriſtum in Deo confidentem videns, eundem protrahit longiùs extrà deſertum volentem, famelicum, & pedeſtrem, & ducit ad pinnaculum, & ſuadet præcipitium tutum ex Angelorum cuſtodia, *ſi Filius Dei eſt*. Sed vel cœcutiebat dæmon, vel non aggrediebatur in hac ſecunda tentatione verè ſcire an Filius Dei eſſet, quia ſi ſe præcipitaſſet, peccabat ſe ipſum occidendo, ſi euaſiſſet, inerat in actu vanitas; & tentatio Dei.Vndè non erat tentatio conueniens Filio Dei, qui peccare non poterat, & ſic non videtur voluiſſe hac verè experiri; an eſſet Filius Dei, ſed tantùm apparentèr & fictè. In prima enìm tentatione, quia id voluit experiri, non propoſuit rem apertè illicitam, ſed colore neceſſitatis veſtitam,ideò illi non reſpondet Chriſtus tamquàm peccatum cōtinenti, at in hac ad peccatum manifeſtum tendente, reſpondet *non tentabis Dominum Deum tuum*, omittit occultum vanæ gloriæ, quod vel non fuit, vel finxit non cognoſcere, ne intentionem diaboli videretur tangere,& ſe ipſum proderet quaſi occulta ſcrutātem. Præterea pòſt primam tentationem diabolus inclinauerat eum non eſſe Filium Dei, cum miraculum conuerſionis lapidum in panes in neceſſitate poſitus declinaſſet, & famelicus pedeſtèr pòſt ieiunium quadraginta dierum vſquè ad pinnaculum duci paſſus eſſet, quaſi ab eo paſcendus, quod perſuadebat dum duceret eum, & Chriſtus diſſimulabat, quæ omnia impotentiæ, imprudentiæ, ac puſillanimitati aſcripſerat. Inſupèr eò vſquè illum duxit, æſtimans in via fame periturum, quod non aptabatur Filio Dei, in cuius poteſtate erat illam ſubtrahere, ſuſpendere,vel pati. Accedit quòd Scriptura, *Angelis enìm ſuis, &c.* non adaptatur Filio Dei,qui eſt ſuprà Angelos ſuos Spiritus adminiſtratorios, & quem ingredientem in mundum adorauerunt. Heb. 1. eorum tamèn miniſterio non indigens, ſed portans omnia verbo virtutis ſuæ. ad Hebræos 1. & quicum ſcriptura vti non debuerat, cum nulla eum lateret omniſcientem. Nequè etiàm aptatur de minori ad maius, cum nullo modo applicetur diuinitati; ideò etiàm Chriſtus finita tentatione paſſus eſt miniſterium Angelorum, non paſſurus, ſi ex hoc diuinitas probaretur, & ſcimus Angelos Eliam, Danielem, & alios pauiſſe. Inſupèr ſuadendo præcipitium, quod erat vitioſum ex omni parte, intendebat mittentem ſe deorſum periturum, nec Angelorum, vel Dei adiutorium ad futurum;

rùm; filius autèm Dei niſi volens morì non poterat. Habeo poteſtatem ponendi animam meam, nemo à me tollit animam meam, ideò diabolus id non intendebat. Quinimò ſi Chriſtus illæſus ad populum è pinnaculo deſcendiſſet, eius gloriæ ceſſiſſet, proùt ſic tentauit Simon Magus, quod erat contrà intentum diaboli volentis eum traducere, & populo irridendum tradere, & exhaurire penitùs ſi quam ex voce cæleſti fidem in eum contraxiſſet, & docere eum non eſſe filium Dei, Meſſiam, ideò eius tentatio tetendit ad illum occidendum, & vnò ictu certamen perficiendum, quod filio Dei, vt dixi non applicabatur, qui volens tantùm mori poterat non inuitus. Non ergò in hac tentatione agit cum eo, tanquàm cum Dei filio, & vt id expiſcaretur, ſed tanquàm cum homine iuſto; & tùnc ceſſant aliquæ ex primis obiectionibus. At non iſtæ, ex quibus etiam agens cum iuſto cœcutit, quęnam enim hæc tentatio ſtanti perſuadere præcipitium voluntarium? cum ſtans nihilo indigeat, mittens ſe deorſum Angelorum miniſterio? quod etiàm potuit abeſſe, & adeſſe, proùt Deo placuiſſet. Prætereà ſi ſic iuſtus ſe præcipitaret, Deum tentaret, vt dicit Chriſtus, tentanti autèm Deum nullum adiutorium ab Angelis expectandum. Vltimò præcipitium non prouidebat fami, intendit ergò diabolus illum præcipitio occidere. Vtitur Scriptura diabolus ad velandum turpitudinem peccati, & vt tutiorem reddat Chriſtum, eiquè vtenti eadem morem gerat, & magis attrahat; verba ergò (*ſi filius Dei es,* in hàc ſecunda tentatione, vel ironicè, adulatoriè, & illuſoriè capienda, vel pro filiatione adoptiua. Vel, quod puto meliùs, quia præcipitium propoſuerat in figura miraculi, licèt miraculum non intenderet, vt tutiùs deciperet, & oſtenderet falsò ex actu immiſſionis deorſum faſtum, & gloriam prouenturam Chriſto, ac ideò demonſtrationem Meſſiatus, ſeù diuinitatis titulum, quem præmiſerat, retinuit. Vel ne pro dæmone deprehenderetur, vel ne ſuſpicionem daret, ſi non adijceret illa quaſi pro velamine; Vel vt magis illudat, & attrahat hoc ſermone melle mixto, & ſic quod in prima certò, in hac ſecunda fingat ſe miraculum velle, eos enìm à quibus aliquid petimus, titulis indebitis oneramus gratiam capturi, quod non ſeruauit in tertia tentatione, in qua nec fingit, nec petit miraculum, ſed adoranti gloriam mundi offert. Quòd ſi prima opinio tenenda eſſet quòd cogniturus an eſſet filius Dei hanc ſecundam tentationem propoſuerit, dicendum dæmonem inſuetum vinci ægretuliſſe victoriam Chriſti in prima tentatione, & ira percitum, & cœcatum neſcientem quid ageret ad hęc inſulſa deueniſſe. Sicùt maiori adhùc cœcitate percuſſus, cum debuiſſet ex recuſatione obiecti præcipitij illum magis agnoſcere, ad tentationem magìs ridiculoſam deſcendit, niſi fortè non tam victoria potiturus, quàm & longo itinere, & mora fame necaturus, & ſi Chriſtus illum à ſe non reieciſſet, ſicùt paſſus erat tentari, nunquàm feciſſet finem.

Sed quomodò ſtatuit eum ſuprà pinnaculum templi? placet opinio, quòd pedeſter duci paſſus ſit, non per aera. Lucas enìm vtitur verbo, *duxit* quod non importat per aera, ſed per terram, & verba *aſſumpſit, & ſtatuit* quibus vtitur Matthæus, intelligentur pro itinere pedeſtri à principio ad finem, idèſt à deſerto ad pinnaculum, à pinnaculo ad montem, & locum vbi pedem fixerunt, ſeù ſiſterunt, iuxtà illud Pſal. ſtatuit ſuprà petram pedes meos, & verbum *aſſumpſit* in Matthæo (ſi ambiguum) declarandum eſt per verbum, *duxit*, clarum à Luca poſitum antè verbum *ſtatuit*, proùt in eodem Matthæo, aſſumpſit Ieſus, Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem, &c. & cap. 16. aſſumens eum Petrus, & Luc. 16. factum eſt autèm, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, vbi portaretur, pro duceretur, poſitum eſt, ſic in Pſalm. in manibus portabunt te pro ducent te, quod & veriſimile eſt, quia dicitur ab Angelis portari, inconueniret enìm plures eſſe portatores, ideò comitantes dicamus, ſic in cantico Moyſis, & portaſti eum in fortitudine tua, idèſt duxiſti, non enim ſupèr humeros portauit, & in ſumma in tota Scriptura verbum, aſſumpſit, nunquàm inuenies poſitum pro portauit, & multa horum in Act. Apoſt. Præſertim, quia diabo-

lus non inuenit eum renitentem, vt inuitum aſportare debuerit, ſed vltrò volentem, vt enìm tentaretur à diabolo, deſertum ingreditur. Quòd ſi tulit per aera, vim concedimus ex parte dæmonis ſaltèm apparentèr, nec voluntatem admittimus, vel dubiam reddimus, quod dici non poteſt, tentatus eſt enìm, quia ipſe voluit, & diabolus cum Chriſto ſecùs egit, dicendo, *dic, mitte, ſi cadens*, ſi enìm in verbis non imperat, quomodò de facto per aera portat? & ſi dicimus ſpontè ductum à Spiritu ſancto in deſertum, quantò magìs à ſpiritu nequiſsimo? id verò meliùs apparet ex pedeſtri, quàm ex aereo itinere. Magìs etiàm conuenit Chriſto ductum fuiſſe, quàm aſportatum à dæmone, quod videtur inconueniens, & ex vtroque eundem effectum habemus, quia ſufficit quouis modo ſtatutum fuiſſe ſuprà pinnaculum templi, & montem. Rurſus non habemus ſcripturam, quæ cogat nos ad opinionem, quòd fuerit delatus à dæmone per aera, imò ex Scriptura contrarium oſtendi, ideò tenenda hæc opinio facilior, lenior, & eiuſdem finis. Omnes etiàm actiones Chriſti ſunt ad inſtructionem noſtram, quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ſed ex delatione hac dæmoniaca aerea, quodnam exemplum bonum capiendum? imò fortè malum, ſi homines edocerentur manibus diaboli ſe committere, & tamèn nequè miracula operatus eſt, niſi vtilitate, vel neceſſitate concurrentibus. Chriſtus etiam à puero nihil puerile geſsit, cum ſempèr fuerit plenus omni gratia, cui nihil addi potuit in tota vita ſua, nullam præbuit cauſam illuſioni, quomodò ergò expoſuit nunc ſe illudendum dæmoni, & populo? Eò magìs in principio ſuæ prædicationis, quò indigebat apparere virum maximæ auctoritatis, & fidei, & miraculorum patratorem, qui promulgaturus, & docturus erat legem nouam, & ideò à prophetis, Ioanne, tot teſtibus, Angelis, præconijs, è cælo prodigijs, & vocibus Meſſias dictus, & approbatus, quòd ſi à populo viſus eſſet per aera circumferri, ſcandalum paſſus eſſet, & eum nihili feciſſet vti vanum, & inglorium. Hæc etiàm opinio ſtat ſine miraculo aliquo, contraria cum miraculo, nempè quòd Chriſtus reddiderit ſe inuiſibilem, quod duplicatur à pinnaculo ad montem, ſiquidèm tenentes eam norunt indecentiam delationis; & ſi viſus fuiſſet, id aliquandò ei obiectum eſſet, proùt falſum in Belzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, at non debemus præſumere miracula quandò non adeſt neceſſitas cogens, & ſi miracula intercelſiſſent, Euangeliſtæ non tacuiſſent, ſicùt quandò tranſiens per medium illorum ibat, quandò abſcondit ſe, & exiuit de templo, quandò euanuit ab oculis eorum in Emaus, & ſine hoc miraculo opinio contraria non tranſit.

Cedit maiori honori Chriſti, vt quaſi athleta generoſus iuerit cum diabolo, vt tentaretur, quàm aſportatus fuerit, licèt ſempèr voluntas eius præſupponenda ſit, ideò hæc opinio videtur amplectenda. Nec dicatur peius fuiſſe quaſi obedientem cum dæmone progredi, quàm violentèr ferri per aera; quia contrarium apparet, nàm ſi cum dæmone ibat, dæmon non cognoſcebatur, cum appareret in forma humana, & non conſtabat illum duci violentèr, vndè nullum inconueniens, vel ſcandalum inerat, at ſi per aera, & ex loco, & ex modo à dæmone vi aſportatus credebatur, & ſcandalum inſurgebat. Nec id fuit obedire dæmoni, qui confundendus erat, ſed velle tentari, & eo modo obediuit etiàm ciuibus ſuis, nam nolens non fuiſſet ductus vſquè ad ſupercilium montis, vt præcipitarent eum, Luc. 4. Deferri ergò per aera, ſcandalum generabat, progredi tanquàm cum homine, nullum, ideò ſecundum melius. Imò, & ſi vis miraculum, ne videatur, dum defertur, cur negas dum incedit? Inſupèr certum eſt, quòd Chriſtus voluit tentari, voluntas autèm ſua magìs oſtenditur cōtinuata, ſi pedeſtèr iuit. Si paſſus eſſet Chriſtus ferri, nunquàm cogitaſſet diabolus eum eſſe filium Dei, quia ad nimiam infirmitatem declinaſſet, & in ſecunda tentatione adhùc inſtat *ſi filius Dei es*, ſecūdùm aliquos ſi opinio vera. Sed qua occaſione potuiſſet id tentare diabolus, vel pati Chriſtus, quia famelicus nec poſſet ambulare? & hoc erat contrà id, quod dixerat, *non in ſolo pane*, aut longa via? & hoc non conueniebat filio Dei, nec ſecundæ tentationi,

tationi, *Angelis enìm ſuis, &c.* quia nollet? nam voluit. At concedamus à deſerto ad pinnaculum delatum eſſe, quomodò concedemus à pinnaculo ad montem, quia cum ibì perſuaſerit præcipitium, fuiſſet imprudentiæ aſcribendum, ſi paſſus eſſet à pinnaculo ad montem portari, cum veriſimilis timor eſſet, ne in terram illum præcipitaret, & tamèn cum diabolo prudentiſſimè ſe geſſit reſpondendo, & tùnc nequè Matthæus, nequè Lucas vtuntur verbo *ſtatuit.*

Sciens diabolus, Chriſtum eſſe famelicum & viam longam, magna ergà illum vſus eſſet humanitate, deferendo eum per aera, & quaſi mancipium ei deſeruiendo, quæ abfuit ab eo ſempèr, & tùnc maximè cum intenderet præcipitio eum allidere in hac ſecunda tentatione, imò veriſimiliùs eſt pedeſtrem eum duxiſſe, vt magis affligeret, & itinere, labore, ac fame conficeret, ideò nedùm à deſerto ad pinnaculum, ſed à pinnaculo ad montem illum duxiſſe pedeſtrem. Si diabolus per aera detuliſſet eum dum ſtatuto ſupèr pinnaculum dicit, vt mittat ſe deorſum, potuiſſet reſpondere Chriſtus, cur me illic non ſtatuiſti? vel refer tu me deorſum, quomodò huc me detuliſti, vel opus nòn erat dæmoni vti Scriptura ad ſuadendum præcipitium, ſed experientia præſenti, quod erat optimum argumentum, & fortius, vel vtroquè. Si diabolus deferens illum per aera, vt eſſet hominibus ludibrio, proùt dicunt tenentes opinionem contrariam, & non vidiſſet homines, per quos tranſibant, irridentes, vel admirantes, vel reſpicientes, vtiquè dixiſſet, inuiſibiles ferimur, & deprehendiſſet ex hoc miraculo, vel deprehendere potuiſſet eſſe filium Dei, quod erat contrà intentionem Chriſti volentis eum ambiguum reddere, niſi velimus ex miraculo vno aliud opinari, præſtigiatum dæmonem, vel oppoſitum obiectum, vt videre non poſſet, quod eſt abſurdiſſimum. Si concedimus diabolum geſtaſſe, nimium ei damus, nàm non legitur factum, niſi bis miniſterio Angelorum in Habacuc, & Philippo, non quòd id non poſſit ex naturalibus, at à Deo reprimuntur, & in Simone Mago Deus non tulit.

Si Diabolus tuliſſet Chriſtum per aera apertè ſe declaraſſet qualis erat, quod non ſolet, cum transfiguret ſe in Angelum lucis. 2. Cor. 11. 14. ne appareat, & à Chriſto vltrà tolerari non debuiſſet, nec locus fuiſſet alijs tentationibus, etenìm iuxtà communem opinionem apparuit hìc in forma humana, & naturæ humanæ non conueniebat aſſumere alium in aere, nàm Habacuc, & Philippum portauit Angelus non homo. Nec placet, quòd in ſecunda tentatione transfigurauerit ſe in Angelum lucis, quia eſt diuinare, & inueriſimile mutaſſe primam formam, quia tentatio fuiſſet nimiùm nota, & ridiculoſa, ac ſuſpecta, & diffidentiæ plena, & contrà intentionem tentantis, volentis deuorare, & fallere, & Angelo lucis non aptabatur perſuaſio ad præcipitium. Et ſi vnquàm diabolus aſtutè egit, credendum eſt cum eo, quem filium Dei eſſe timebat. Et ſi dicas in tertia tentatione Chriſtus oſtendit eum cognouiſſe, quia dixit, vade Satana; reſpondetur intellexiſſe pro aduerſario, proùt in Petro; ſed quia communis eſt in contrarium, ideò oſtenſione cognitionis in tertia, & finali, & in fine illius, nempè in diſceſſu dæmonis non inferri ad ſecundam diuerſam, ſed contrarium; in ſecunda enìm non petijt adorari, proùt in tertia, in qua ſic petendo ſe dæmonem declarauit, ideò Chriſtus illum à ſe expulit. Imò ſi Chriſtus in ſecunda oſtendiſſet diabolum cognouiſſe, non eſt veriſimile tertiæ tentationi ſe obieciſſe, & denuò duci permiſiſſe ad montem, & reſpondiſſet in ſecunda, proùt fecit in tertia, vade Satana, & propterea non eſt dicendum etiàm in ſecunda per aera delatum fuiſſe eadem de cauſa.

Si diabolus tuliſſet Chriſtum per aera; non erat neceſſe ſtatuere illum ſupèr pinnaculum templi, & ſuadere illi præcipitium, quia antè poterat eum demittere in terram, & in fruſta comminuere. Dices hoc non poterat ſuccedere, fateor; at Chriſtus ſic euadendo docebat qualis eſſet, & is erat ſcopus diaboli cognoſcendi eum, & hoc Chriſtus vitabat, ſed ſatìs eſt ex inueriſimilitudinibus apparere Chriſtum non eſſe delatum à diabolo. Non dicatur tot tentationes, & locorum diſtantias pluribus diebus indiguiſſe. Imò eodem die confici potuerunt,

runt, nempè ſummo mane eſurire, tentari, & illicò à deſerto ad Ciuitatem, à Ciuitate ad montem pergere, cum non ſit adeò longum iter, quin a Chriſto diabolo feſtinante non potuerit de facili vna parte diei perfici, & tùnc Chriſtus famem potuit continuiſſe ſi voluit, vel pati, & veſperi famulatum recipere ab Angelis. Non obſtat ſi iuiſſet per tot milliaria pedeſter, & famelicus diuinitas aperta eſſet, nàm potuit perſuaderi de facili dæmon eum qui ſe ſuſtentauerat per dies quadraginta, etiàm hoc ſpatio id præſtare potuiſſe. præterea ſatis cauerat Chriſtus, qui præmiſerat non in ſolo pane, &c. Item infirmitates, quas oſtenderat Chriſtus, nempè non faciendi miraculum in fame, permittendi ſe duci ſuperabant ſuſpicionem, quam ex longiori etiàm itinere poterat concipere diabolus.

At omnia veriſimilia quæ dixi redduntur, quia ſicùt dicis diabolum fuiſſe cogniturum diuinitatem Chriſti ex longo itinere, ità fatendum neceſſariò, cautè admodum ipſum egiſse, ne deprehenderetur qualis eſset, quia & ipſe ex longo itinere ſe manifeſtabat, ideò dicendum longum iter non fuiſse, vt hæ ſuſpiciones tollantur hinc indè, & quod dixi de diabolo fortiùs vigeret ſi in forma ſenili apparuiſset, vt aliqui autumāt, & ſi ſufficiat in forma humana apparuiſse, iuxtà quam & ipſe debebat ſe gerere, & viribus niti, prouṫ Raphael cum Tobia, ne cognoſceretur, & non proùt in ſanctis Patribus diabolus gerens ſe pro ſeruo ex ſua velocitate deprehenſus qualis eſset, & Angelus deferens Habacuc ad Danielem ex eadem velocitate, & facto, ſic Angelus Philippi, & Petri. Non dicatur dæmonem non potuiſse inuenire cauſas apparentes, quibus Chriſtum moueret ad iter, nàm reſpondeo, quòd poſtquàm agebat cum famelico, potuit ſuggerere ſe prouiſurum fami, ſi ſecum pergeret, & voluntas ſua ſufficiens fuit, & omnia admiſit, vt perficeretur tentatio, & ſine ea neque vis dæmonis ſufficiens erat, & ideò malè negatur voluntas in permittendo ſe duci, quæ aſtruitur in aſſumptione per aera. Hanc opinionem tenētes, nō negamus quin qui crucifigi voluit à membris diaboli, non potuerit etiàm pati hanc irriſionem, ſed dicimus ſatis fuiſſe pedeſtrem duci à dæmone abſquè eo, quod volaret per aera, iuxtà illud, ſi quis te angariauerit mille paſſus, vade cum eo & alia duo, & quod opponitur fuiſſe in vltimo vitæ ſuæ, quo dixit, hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum, & iuncta erant ludibria cum paſſione, quæ hic fuiſſent de per ſe abſquè paſſione, & nunquàm dixit anteà, tradetur filius hominis ad illudendum, &c. proùt appropinquante paſsione, & Chriſtus non fuit ductus in deſertum, vt illuderetur, ſed vt tentaretur à diabolo, & licèt legatur multotiès, quòd deridebant eum, ſempèr tamèn ex factis egregijs fuerunt irriſores confuſi, & illibata eius dignitas remanſit, vt in filia Archiſynagogi. Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. & legitur Io. 4. noluiſſe in patriam ire, quia propheta in patria eſt ſine honore, & hoc tempore quærenda erat auctoritas, & fides, non illo; vndè quo tempore nondum venerat hora eius, & fugit, & abſcondit ſe, & alia fecit, ne antè horam ſuam moreretur, vel illuſus remaneret.

Et ſanctus Greg. in homil. 16. non dicit diabolum portaſſe Chriſtum per aera, ſed duxiſſe ibì, ſi ſe ab illo permiſit in montem duci, eamdem opinionem tenet S. Cyprian. de tentat. & ieiun. S. Thom. Caiet. & alij hìc, Origenes hom. 31. in Luc. S. Ambr. de Cain, & Abel. *Ait illi Ieſus, rurſum ſcriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum*, poſſum hinc deſcendere alio modo, quàm præcipitio, proùt hùc aſcendi, non licet mihi facere, quod ſuades. *Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*, & præſertìm cibaria, quæ ad præſens inſeruiebant, & dixit ei, *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*, Diabolus, cum nec miraculum, nec præcipitium ſucceſſiſſent, cenſuit hunc non eſſe filium Dei, & dixit intrà ſe, confectus eſt fame, ſi moras interpoſuero, & duxero per longam & difficilem viam, deficiet neceſsitate preſſus, ideò ſuprà montem excelſum pedeſtrem ducit, & tùnc adhùc ſubſiſtenti omnia regna mundi, & gloriam, ſubiectiones, obſequia, menſas lautas præparatas arte diabolica in momento repræſentat, & omnia

nia ſublunaria ſe adoraturo promittit. Dixi de cibarijs, quid enim proderant regna fame morienti? vt dixit Eſau vendens primogenituram, en morior quid mihi proderunt primogenita? Gen. 25. 32. & Samſon Iudi. 15. 18. tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam, en ſiti morior, incidamquè in manus incircumciſorum, quaſi nihil æſtimandum, quod dediſti, & ſi magnum, ſi ſiti moriar, ideò veriſimile eſt hæc principalitèr obtuliſſe, & antè oculos appoſuiſſe.

In hac tertia tentatione, non videtur diabolum velle ſcire, an filius Dei ſit, ſed præſupponit eum hominem ſolum, tùm quia non vtitur conditione *ſi filius Dei es*, tùm quia tentatio hæc non conueniebat filio Dei omnium Domino, ciborum largitori, impeccabili, cui debebatur adoratio, nàm introducens eum pater in orbem terrarum dixit, & adorent eum omnes Angeli Dei, & quia non petit miraculum, proùt anteà. Nec dicatur id actum callidè ad illum deprehendendum, ſi digna, vel indigna filio Dei patraſſet. Nam ſufficit nobis in tentatione conijcere id non tentaſſe, cum ſit communis cuicunquè iuſto ad peccatum alliciendo, at quandò ſcire voluit, vſus eſt terminis reſtrictis ad eam cognitionem, & clarè locutus eſt, nec incerta, vel dubia propoſuit, an verò aliud intenderet eſt diuinare. Non dicas, & ſi inepta tentatio ad cognoſcendum, an eſſet filius Dei, tamèn diabolus id agebat, nec poterat alio modo, quia externis tantùm tentationibus poterat agere cum Chriſto; nàm hæc ratio non procedit, ex quo diabolus ignorabat id, quod quærebat an eſſet filius Dei. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*. Vel proùt Moyſi Deus. Deut. 34. terram promiſsionis, aut (quod puto verius) interuenit ars diabolica ad hæc demonſtranda. *In momento* temporis, fortiùs enim agunt bona vnita, ſicùt mala, quæ ideò ipſe vniuit in tentando Iob; vt eum magis moueret, & ad deſperationem traduceret, *Et dixit ei, Hæc omnia tibi dabo*; oppone, quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundũ lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? *Quia omnia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa*; mentitur, nam Domini eſt terra, & plenitudo eius, ipſe omnium Creator, per ipſum Reges regnant, ipſe pauperem facit, & ditat. *Si cadens adoraueris me*, tandèm dæmon ad tentationem adorationis ſui prolapſus, in qua in mundo principabatur, ſe prodit, *Tunc dicit ei*, cognito *Ieſus*, abſquè ſui manifeſtatione. *Vade Satana*, hinc abi, non in infernum, quia illud in Cruce. Apocal. 19. *Scriptum eſt enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, quomodò ergò tu petis adorari? *tunc reliquit eum diabolus* confuſus, & anceps, & abſquè vi, ne Chriſtum actus vi dignoſceret. *Et eccè Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*, ſicùt hic in fine tentationis, & ità intellige. Marc. 1.14. portantes cibaria à Virgine matre ſecundùm S. Bonauenturam, ſed fortè parabilia aliundè, non tamen miraculoſa, neceſsitate non cogente, iuxtà geſta per Habacuc cum Daniele, ſi enim à Virgine, aliqua mora interceſsiſſet pro illa informanda, quæ inueriſimilis, & contrà textum innuentem miniſterium præproperum, & quia hæc patris ſui erant: Sed opportunè Angeli miniſtrantes ad Ieſum pòſt diabolicam tentationem, ſolet enim Deus poſt labores reficere ſeruos ſuos, ſic Tobiæ, Iob, Antonio, & Chriſtus, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, etiàm in hac vita, in qua illos conſolatur, ſed in alia in æternum; hæc enim æternum vitæ pondus operantur, hinc vocamur ad baiulandam Crucem pòſt illum.

Sed cur in montem, & pinnaculum duxit? ſi licèt coniectura aſſequi, promittebat ducens ſe opiparam menſam daturum, vel fami prouiſurum, dum autèm ad loca nuda quouis cibo, vt deſperatione actus, & tædio affectus præcipitium, vel adorationem ſumeret, non enim data fuit anſa tentationi, niſi ob famem, ideò *eſuryt*.

Sed an Chriſtus alijs tentationibus vltrà tres fuerit aggreſsus; & an ab vno, vel pluribus dæmonibus? Dicerem tribus tantùm aggreſſum, ab vno tantùm dæmone, nàm quicquid vltrà Euangeliſtas dixeris, incertum erit, & ſi aliquid aliud interceſsiſset, ipſi dixiſsent; ſimilitèr ignoramus, an alio tempore tentatus fuerit, niſi tempore mortis, quandò

quandò id Chriſtus reuelauit, Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquàm. Sed quantùm à Lucifero diſtant Angeli boni, hic *ſi cadens adoraueris me*, illi Deum adora in Apocalypſi, & in Tobia, benedicite Deum cæli, &c. & Michael in Iudæ epiſtola. Imperet tibi Deus, & nunc miniſterio prompti, & veloces. Victus dæmon à Chriſto, nunc faciliùs vincitur, quàm anteà. Dicit Orig. hom. 15. in Ioſue dæmonem ſemèl victum à Domino eijci, ne ampliùs tentet de peccato, quo victus eſt, quem tentauerat, aut alios; ſed Chriſtus dicit aſſumere alios ſecum, & fieri hominis illius peiora prioribus. Et Lucifer hic victus à Chriſto, non ceſsauit vſquè ad finem tentare, venit princeps huius mundi, &c. hìnc S. Lucas hic. cap. 4. 13. *receſsit ab illo vſquè ad tempus:* præcipitem dari procurauit à Ciuibus ſuis; regnum offerri à turbis ſatiatis; & Chriſtus non iuſsiſset dæmoni lunatici, & ne ampliùs introeas in eum. Vidi poſtea Carthuſ. in 4. cap. epiſt. Iacob. hanc opinionem defendentem.

Ex his tribus tentationibus conijce ſtatum mundi in aduentu Chriſti, nàm qui dominabatur diabolus, ad hęc tria homines tentabat, & ducebat, ad gulæ vitium, ex quo omne genus libidinis egrediebatur; ad vanam gloriam, ex qua omnes actiones inanes reddebantur, & apud homines tantùm recipiebant mercedem ſuam: ad idòlolatriam, ex qua ſibi diuinos honores exhibebantur, ità vt omnes homines eſſent infatuati. Hinc 1. Io. 2. omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, quæ ad primam tentationem, & concupiſcentia oculorum, quæ ad ſecundam in apparentia tantùm conſiſtentem; & ſuperbia vitæ, quæ ad tertiam, quia quiſque fingebat ſibi idòlum, Deos ſibi creabat, Deo optimo maximo Creatore derelicto, quod eſt maximum ſuperbiæ genus à diabolo adinuentum, ob quod è cælo detractus eſt, & ad has tres Euam tentauit. Gen. 3. ad primam gulæ. cur præcepit vobis Deus, &c. ad ſecundam vanæ gloriæ. Aperientur oculi veſtri; ad tertiam ſuperbiæ; eritis ſicùt Dij, ſcientes bonum, & malum. ex S. Thom. 3. p. q. 41. ar. 4. Contrà has tres pugnauit Chriſtus, contrà primam gulæ, & carnis, ieiunium, & afflictiones opponens, contrà ſecundam iuſtificationem operum ſuorum non coràm hominibus, ſed coràm Deo vidente in abſcondito, & reddente, & remunerante; contrà tertiam humilitatem, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris, qui ſe humiliat exaltabitur, qui ſe exaltat humiliabitur, gloriam in omnibus Deo dandam, ego gloriam meam non quæro; Deum ſolum honorificandum, honorifico Patrem meum; ſed omnia hæc coanguſtauit in vna ſola pœnitentia, quam à Ioanne præcurſore intimari voluit, & ipſe, & Apoſtoli prædicarunt, illa enìm tres tentationes ſuperantur; & vt homines allicerentur, & ſcirent mercedem maximam fore operi eorum, & vt opponeret caduco regno mundi, quod falsò ſibi dæmon arrogabat, regnum cælorum æternum promulgari voluit, & ſe omnes referendum exhibuit. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Nolite timere puſillus rex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum, nec curetis terrena hæc, imò vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam; & hæ tentationes in principio ſuæ prædicationis, & manifeſtationis aſſumptæ ſunt in præambula quædam, & primordia omnium, quæ in tota ſua vita perficere debuerat, & ſtatuerat.

COM-

CAPVT XVIII.

TESTIMONIVM IOANNIS BAPTISTAE.

Ioan. 1.

15 *IOANNES teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat*
dicens: Hic erat, quem dixi: Qui pòſt me venturus
16 *eſt, antè me factus eſt: quia prior me erat. * Et de ple-*
nitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gra-
17 *tia. * quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & ve-*
18 *ritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. * Deum nemo vi-*
dit vmquàm: vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Pa-
tris, ipſe enarrauit.

COMMENTARIVS.

IOANNES teſtimonium perhibet de ipſo; Chriſtus à monte, & tentatione recedens, acceſſit ad locum, vbi erat Ioannes, qui oblata occaſione hoc exhibuit de illo teſtimonium. ***Et clamat***, ideò vox, ***dicens, Hic***, præſens, ***erat quem dixi. Qui pòſt me venturus eſt***, Meſſias apparitutus mundo, in quo medius veſtrum ſtat, ***antè me factus eſt***, ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Rom. 1. 3. factus ex muliere, factus ſub lege. Gal. 4. 5. Sed quomodò antè te factus ò Ioannes, cum tu ſex menſibus præcedas? Reſpondet, quia ***prior me erat*** æternitate, Deus eſt; at quia Deus, non te præcedit tempore quoad carnis aſſumptionem; præcedit me tempore (reſpondet Ioannes) quia cœpit hæc promiſſa, & futura carnis aſſumptio operari antequàm ego conciperer multò antè, nempè ab origine mundi, vndè de illo tempore dicitur occiſus Agnus, hincquè fortior, potentior me eſt. Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. ideoquè cum ad illa tempora originis mundi reſpexiſſet, ſubdit idem continuans, ***& de plenitudine eius nos omnes accepimus***, quia omnes ab illo tempore per eum ſalutem recipiunt; non enim eſt datum aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri, ideoquè ad idem ſubdit, ***lex per Moyſen data eſt, gratia*** ab origine mundi, ***& veritas*** pòſt aduentum, ***per Ieſum Chriſtum facta eſt***, ſed hunc intellectum reddunt clariorē verba verſ. 27. ***Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccatum mundi, hic eſt, de quo dixi, pòſt me venit*** vir, qui ***antè me factus eſt***, in carne ad peccatum tollendum, nam ab origine mundi operabatur, quia prior me erat æternitate, & ſic ſtabit textus abſquè vlla impropriatione verborum; proùt illa ***antè me factus eſt***, idèſt mihi prælatus, vltrà quòd non erat Ioannis ſerui hoc dicere, qui præcurſorem ſuum ſe vocabat, & famulum, ratio, ***quia prior me erat***, non aptatur, nàm ei præpoſitus erat, non quia prior erat, idèſt Deus, ſed quà homo erat, eidem erat prælatus. nequè recurrendum erit ad alium intellectum,

antè

antè me factus, quia prius ille homo, quàm ego, nã quandò Christus conceptus, præceſſerant ſex menſes, in quadrageſimo autem die organizatur maſculus, & perfectio carnis attenditur, non rationis, vndè & ſi Christus ab inſtanti fuerit vir, & vnctus omni ſapientiã, quæ in eo capere potuit, non tamèn poteſt dici præcedere tempore, ſed ſapientia Ioannem, & hic de tempore, non de ſapientia, & Ioannes dicit clarè, *qui poſt me venturus eſt*, & verſ. 30. *poſt me venit vir*, & ſic tolluntur omnes amaritudines.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus; eſt hic difficultas, an hæc verba cum ſequentibus ſint Ioannis, an Euangeliſtæ; teneo eſſe Ioannis Baptiſtæ, meliùs enim connectuntur præcedentia, & exponuntur, & adeſt verbum, *&*, nec non *eius*, quæ coniungunt, & referunt. Prætereà ſi hic finis teſtimonij huius Ioannis nihil erit, quia idem per eadem verba repetitur infrà verſ. 30. *Hic eſt de quo dixi, poſt me venit vir, qui antè me factus, qui prior me erat*. Ideò non eſt veriſimile in illis ſolis verbis conſiſtere, ſed omnia ſequentia comprehendere. Et ad quid interpoſuiſſet hanc parentheſim Euangeliſta? ſi enim ad probationem præcedentium tantùm verbis poſitis in parentheſi vti voluit, parum capiunt, ſi verò omnium vſquè ad aliud teſtimonium multum capiunt, & probant, & hoc vltimum intendiſſe præſumendum. Item ſi contenta in parentheſi probarent vltimò dicta per Euangeliſtam, faciliùs concedenda eſſet parentheſis, at nec probant, nec annecti poſſunt, ſed recurritur ad ſequentia, *& de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Poterat & Euangeliſta pòſt verbum, enarrauit, annectere parentheſim illam ſermone currenti, & liberò abſquè interpoſitione, & congruentiùs annectebatur alijs teſtimonijs Ioannis. Non eſt etiàm veriſimile Euangeliſtam ſua verba propria intèr teſtimonia Ioannis, quæ narrare cœperat, & ſubſequuntur, miſcuiſſe, ſimilitèr repetijſſe quod à ſe ipſo iàm pronuntiauerat. Vltrà quod ſunt quædam dicta, & phraſes non admodùm concatenatæ præcedentibus ab Euangeliſta dictis. Quot autèm dictorum per Ioannem Euangeliſtam probent omnia hæc verba Ioannis Baptiſtæ, prout intendebat Euangeliſta, ſic videtur poſſe colligi; quod in propria venerit, & in nobis habitauerit, ex illis verbis, *hic eſt, quem dixi, qui poſt me venturus eſt*; quòd ipſe eſſet lux, non Ioannes, quia dicit ex eo omnes capere ſaltem, ibi *antè me factus eſt*; æternitas verbi, *quia prior me erat*, ſcilicèt generatione diuina, cum humana eſſet poſterior ſex menſibus. Vel ſaltèm eius perfectiones, quòd eſſet lux vera, illuminans omnem hominem, & dediſſet poteſtatem filios Dei fieri, ex gratia, ſeu adoptione, & plenum gratiæ, & veritatis ex verbis *ante me factus eſt, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*; quòd eſſet lux vera, & plenum veritatis, quia *gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, qui omnes figuras ſuo conſummauit aduentu, iuxtà Chryſoſt. quòd verbum eſſet apud Deum, quæ erat vna ex propoſitionibus Euangeliſtæ, *unigenitus, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit*; nec eſt veriſimile Ioannem repetijſſe quod ſemèl dixerat, ſi hæc non adduxiſſet vti verba Ioannis ad probationem iàm dictorum. Et quia dicere poterant, prout cœco nato dixerunt, tu diſcipulus eius ſis, nos autèm Moyſi diſcipuli ſumus, Moyſi locutus eſt Deus, hunc autèm neſcimus vndè ſit, ideò dixit; *lex* quidèm *per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, Et Deum nemo vidit vnquàm*, is, *vnigenitus, qui eſt in ſinu patris* nobis *enarrauit*, quibus conſonant verba Chriſti dicta Nicodemo. Io. 3. nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo, erat enim proprium officium Ioannis Baptiſtæ antè Chriſtum nouam legem promulgaturi auellere corda Hebræorum à lege veteri, & ad nouam allicere, ſicùt ne confiderent in carnalibus dicebat, & ne velitis dicere patrem habemus Abraham. Non dicatur verba hæc Euangeliſtæ potiùs, quàm Ioannis tempus ſonare; nàm præſupponendum eſt Euangeliſtam referre verba Ioannis abſquè deſignatione temporis, Ioannes autèm potuit hæc omnia percepiſſe, vel à Spiritu ſancto, vel à Chriſto, paulo antè, vel pòſt baptiſmum, vel pòſt tentationem, cum Ieſus illàc pertranſierit, &

manſe-

manſerit, vt in hoc cap. non enim omnia ſcripſerunt Euangeliſtæ, & admodum veverisimile eſt vltrà narrata per eos aliquam moram, & conuerſationem interceſſiſſe dictis temporibus, aliòquin fuiſſet quędam ruſticitas. Et licèt adeò videatur certum hæc verba eſſe Ioannis Baptiſtæ, vt poſſim dicere, ſufficit illum dixiſſe, nihilominus & modus loquendi Ioannis eſt ſimilis Euangeliſtæ in epiſt. 1. quod audiuimus, &c. & Petri, nos audiuimus vocem de cælo, &c. & Ioannis 3. qui deſurſum eſt, qui de cælo venit, ſupèr omnes eſt, & quod vidit, & audiuit hæc teſtatur, & ſimilibus verbis, & argumentis vſus eſt Chriſtus. Io. 3. cum Nicodemo, & alibì. Et non eſt facienda difficultas, quin Ioannes Baptiſta in ventre ſanctificatus, & vſu rationis inſignitus, quem ſempèr retinuit, præcurſor electus, quo nullus maior, in erèmo vigintiquinque annis moram trahens, omnium occultorum myſteriorum capax non fuerit, & non collocutus ſit cum Chriſto, vt dixi, qui eum in ventre viſitauerat, & ſanctificauerat, & pro quo officio præcurſoris fungebatur. Imò veriſimilitèr præſumendum Chriſtum inſtruxiſſe illum, & docuiſſe omnia myſteria, quia venit Ioannes in teſtimonium, vt omnes crederent per illum, ideò inſtruendus fuit de omnibus ad fidem ſpectantibus, quod præſumitur factum, præſertim cum & diſcipuli Ioannis cum Chriſto ſermocinarentur. Io. 1. proùt factum in Apoſtolis, & Paulo triduò cœcato, & in tertium cælum rapto, & patet in electione Matthiæ. Act. 1. Et Chriſtus in exordio prædicationis plura, grauia, & alta cum Nathanaele locutus eſt, & poſteà cum Nicodemo, & ſempèr in ijs, quæ patris ſui erant, fuit, vndè Philippo; tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, denotans de ſuo patre ſæpiùs docuiſſe, nequè enim omnia ſcripſerunt Euangeliſtæ. Et verba, *de plenitudine eius nos omnes accepimus* referuntur ad omnes tùnc temporis exiſtentes; & anteriores, nàm Agnus occiſus eſt ab origine mundi, & futuros; & ſicùt dicit Origenes, prophetæ intellexerunt, quæ prophetauerunt, & habetur. 1. Cor. 14. & Daniel. 10. 1. cur non Ioannes pluſquàm Propheta? Non placet, quòd hæc verba ſint ad declarationem teſtimonij Ioannis Baptiſtæ, quia præcedentia non eſſent per parentheſim, & eſſet hoc nouum contrà communem connexionem tenentium contrarium, volentium annecti ad verba plenum gratiæ, & veritatis. Ad id quòd verba *vnigenitus*, *Ieſus Chriſtus* non fuerint vſitata Baptiſtæ; reſpõdeo pauca eſſe verba Baptiſtæ, & ex paucitate huiuſmodi conſuetudinem eius ſermonis deprehendi non poſſe, ideò in hoc vim faciendam non eſſe; ſed licèt non inueniatur verbum *vnigenitus*, tamèn quater appellat eum filium Dei, quod in idem recidit. Io. 1. 35. & 3. 35. 36. non inuenitur verbum Ieſus, ſed Io. 1. 29. 36. ab Euangeliſta dicitur videns Ioannes Ieſum, & reſpiciens Ieſum ambulantem; prætereà ſatis nominauit Ieſum, qui dixit, *eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccatum mundi*, dixerat enim Angelus, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Verbo autèm *Chriſtus*, bis vſus eſt. Io. 1. 21. & 3. 28. & fortè etiàm Euangeliſta non ſe reſtrinxit ad præciſa verba Ioannis, in ſuo autèm Euangelio hæc verba ſæpiùs deſcribuntur. Argumentum familiare eſſe Hebræis rectam orationem pro obliqua vſurpare, & ab vna ad alteram tranſire, & præſertìm Euangeliſtæ. Io. vt cap. 1. 19. 20. cap. 10. 35. 36. non procedit, quia in locis adductis proſequitur Euangeliſta eundem ſermonem, at hìc eſt interpoſitio, ſeu parentheſis, quæ non videtur aptari, vt diximus. Et melius eſſet exemplum ſuprà hoc eodem cap. fuit homo miſſus à Deo, ſed & ibì melius verba connectuntur, quàm hìc, & ceſſant ibì aliæ difficultates hìc concurrentes. *& de plenitudine eius nos omnes accepimus*, nõ enìm datum eſt aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri. & Coloſſ. 1. 20. quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiuè quæ in terris, ſiuè quæ in cælis ſunt; & in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr. Coloſſ. 2. 9. *Et gratiam pro gratia*. Ideſt magnam gratiæ effuſionem, reiterationem, quem intellectum firmant verba præcedentia *de plenitudine eius nos omnes accepimus*

mus, & ſuprà *plenum gratiæ*; & infrà *gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt*, vel accepimus *gratiam pro gratia* fontem perennem, & indeficientem gratiæ, vndè dicebat, ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, qui etiàm fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, in eo, non ab eo in alios communicandus, quia ipſius ſolius eſt gratiam conferre. Quòd autèm repetitio hæc denotet cumulum, & abundantiam probatur. Zach. 4. 7. & exæquabit gratiam gratiæ, & in ſimili, Iob. 16. 15. concidit me vulnere ſupèr vulnus, ad denotandam magnam conciſionem, & numeroſam. Oſee 4. ſanguis ſanguinem tetigit, ad peccatorum numerum denotandum. Eccl.5.5. ne adijcias peccatum ſupèr peccatum, gratia ſupèr gratiam. Eccl.26.20. Iſa. 30. 1. peccatum ſupèr peccatum. Ierem. 4. 20. contritionem ſupèr contritionem, & cap.8.18. dolorem ſuper dolorem. Ezech.7.26. conturbationem ſupèr conturbationem, & auditus ſupèr auditum, & cap. 23. 11. fornicationem ſuam ſupèr fornicationem. Phil. 2. 27. triſtitiam ſupèr triſtitiam, & dicam vno verbo, Scriptura vtitur huiuſmodi repetitionibus vbiquè ad denotandum rerum bonitates, malitias, magnitudines ad ſummum, vt etiàm Ierem. 24.3. Act.5.28.23.14. Scopus autèm horum verborum eſt reſtringere ad Ieſum ſolum emanationem gratiarum omnium, & ideò ſubdit, *quia lex per Moyſen* non viuificans, non gratiam conferens. Gal.3. Rom.4. *data eſt*, ne diceres ex ea quicquàm gratiæ collatum, & ab ea, vel Moyſe velles aliquid recognoſcere; *gratia, & veritas*, credendorum, & omnium rerum, & etiàm adimplementum promiſſorum ſaltèm in parte, quia adhùc Chriſtus nõ perfecerat omnia, quandò Ioannes Baptiſta hæc protulit *per Ieſum Chriſtum facta eſt*, hinc non contentus dixiſſe; *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, addit, *& gratiam pro gratia*, & reddit etiàm rationem, quia hæc *ab illo facta eſt*, gratificauit enim nos Deus in dilecto filio ſuo; idèſt per dilectum filium ſuum. Epheſ.1. Non admodùm placet *gratiã accepimus* pro gratia ipſius Chriſti, quia verba *gratiam pro gratia*, ſcilicèt *accepimus* referũtur ad Chriſtum vti fontem, & ad nos accipientes, nõ ad ipſum quaſi merentẽ, & quòd vti fons ponatur, colligitur ex ratione, quæ ſequitur, *quia per ipſum gratia facta eſt*, & antè præmiſerat, *de plenitudine eius accepimus*, & quia ſicùt in verbis, *de plenitudine eius*, voluit abundantiam denotare, ità in ſequentibus, *& gratiam pro gratia*, quam non deſignaret ſi verba, *pro gratia*, referas ad gratiam, quam meruit Chriſtus, hoc eſt in ipſius gratiam nos à Deo gratiam conſecutos; Itèm quia iam dixerat, *de plenitudine eius*, nos accepiſſe, non eſt ergò veriſimile ſubiungere in verbis *pro gratia* de eodem, quia prima verba ſufficiunt ad denotandum vndè acceperimus; & ſi voluiſſet dicere gratiam accepimus pro gratia Chriſti, non ità ſimplicitèr, & indefinitè loquutus eſſet, ſed addidiſſet pro gratia ipſius, vel aliud verbum magìs ſpecificans, ſicùt ſuprà dixit *de plenitudine eius* ſpecificè, & quia verba, *gratiam pro gratia*, pendent à plenitudine nempè *de plenitudine eius accepimus*, *gratiam pro gratia*, & ſi ſecùs intellexiſſet, dixiſſet gratiam de gratia, proùt dixerat *de plenitudine*. Prætereà ſcopus Ioannis non eſt oſtendere modum, quo gratiam accipiamus, ſed quòd à Chriſto accipiamus; hic autèm intellectus tendit ad modum à Ioanne nõ intentum; Inſupèr non agit Ioannes de quæſitis, & obtentis à Chriſto, & de his, quæ ipſe meruit quà homo, ſed de acceptis à nobis. Vltimò idem verbum in eadem clauſula, ſeu phraſi acciperetur diuerſimodè gratiam quidem à nobis acceptam, pro gratia verò, idèſt in gratiam Chriſti, quod non videtur aptari, & Paulus Rom. 5. dum de hac gratia Chriſti agit ſe explicat, quòd hìc non eſt factum, ſed ſimplicitèr pro gratia, verbum nulli referendo; alij ſenſus ab alijs reiecti.

Deum nemo vidit vnquàm, lucem enim habitat inacceſsibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt. 1. Timot.6:16. de hoc dictum in Zacharia, *Vnigenitus filius*, de quo loquor, *qui eſt in ſinu Patris* ei conſubſtantialis *ipſe enarrauit*, veritatem hanc ab eo ſcimus, hoc enim refert ad verba, *gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, & cum illis verbis hæc ſubſequentia con-

tia continuantur, & excluditur Moyſes ex his verbis, qui non vidit eſſentiam Dei; & hoc fortè ne dicerent, quomodò deprimis Moyſem, qui cùm Deo loquutus eſt, & hunc adeò exaltas, vult enim dicere, ille non vidit Deum, ſed is tantùm, qui eſt Filius Dei Vnigenitus, &c. Similis locus ex ore Chriſti. Ioan. 16. 46. non quia patrem vidit quiſquàm, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.

CAPVT XIX.

DE LEGATIONE IVDAEORVM AD IOANNEM.

Ioan. 1.

19 *ET hoc eſt teſtimonium Ioannis, quandò miſerunt Iudæi*
ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum vt inter-
20 *rogarent eum: Tu quis es? * Et confeſſus eſt, & non ne-*
gauit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.
21 ** Et interrogauerunt eum: Quid ergò? Elias es tu? Et*
dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.
22 ** Dixerunt ergò ei: Quis es vt reſponſum demus his,*
23 *qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto:*
24 *Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. * Et qui miſſi fuerant,*
25 *erant ex Phariſæis. * Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergò ba-*
26 *ptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? * Reſpondit eis*
Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua? medius autèm veſtrum ſtetit, quem
27 *vos neſcitis.* Ipſe eſt, qui pòſt me venturus eſt, qui antè me factus eſt: cuius*
28 *ego non ſum dignus vt ſoluam eius corigiam calceamenti. * Hæc in Bethania*
29 *facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.*

COMMENTARIVS.

ET hoc eſt teſtimonium Ioannis, quandò miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarēt eum, tu quis es? Explicat in primis verbis inſtructionem nuntiorum, iuxtà quam cum Ioanne tractare debebant, proùt ſolent Principes cum eorum nuncijs; intētio itaquè Iudæorum erat expiſcari quinam eſſet Ioannes officio, dignitate, an Meſſias iuxtà famam popularem, & omnium cogitationem, de quibus. Luc. 3. 15. an Elias, Matth. 17. an Propheta, Matth. 21. & ad hæc tria ſe reſtringunt in interrogationibus, quia fama de illo ſupèr his tribus tan-

tùm circumferebatur, non ergò legatio hæc vt Ioanni honorem deferrent, ſed vt noſſent quis eſſet, cur baptizaret, quæ erant ſpectantia ad eorum officium, & quia erant ardua, mittunt viros inſignes, doctores in lege, primæ ſectæ Phariſaicæ, vt ſcirent reſpondere, & omnia aggredi difficilia, & referre, ideò dicunt, *vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos.* At vndè fama hæc? quòd Meſſias, quia iam ſceptrum extrà tribum Iudæ, hebdomadæ Danielis, & alia impleta, conſtans opinio Meſſiam citò venturum, fama ſanctitatis Ioannis, vitæ auſteritas, erèmi incolatus diuturnus, quæ erant in ore omnium, etiàm Herodi nota, & grata. Marc. 6. ad eum enim audiendum adibat, potiùs quàm vt Ioannes curiam frequentaret, cum Christus dixerit, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Quòd Elias, quia inſtante tempore Meſſiæ, malè interpretantes. Malach. cap. 4. eccè ego mitto vobis Eliam (vndè diſcipuli Chriſti. Matt. 17. quomodò dicunt Scribæ; quòd Eliam primùm oportet venire? quod benè ibi, & Matth. 11. 15. Chriſtus videns Hebræos fidem Ioanni non adhibere, vt eum redderet fide digniorem interpretatus de ſecundo, non primo aduentu, & Elia in virtute, non in perſona) in Ioannem impegerunt, conſiderantes in eo zelum Eliæ, dum contrà eos inſurgebat, genimina viperarum, & contrà Regem, non licèt tibi habere vxorem fratris tui, veſtitum, eiuſdem victum tenuemq; frequentationem locorum deſertorum, & alia ſupradicta; & facilè ex tàm longa eius mora in deſerto obliti erant eius natiuitatis, & parentum, & familiæ, nunquàm enim horum mentionem fecerūt, proùt de Chriſti parentibus, nonne hic eſt filius Ioſeph, & Mariæ? Quòd Propheta ex dictis: ſed baptiſmus omnes has opiniones fouebat, putabant enim Meſſiam baptizaturum, vel per ſe, vel Eliam, vel alium Prophetam, iuxtà Ezechiel. 36. & ideò de baptiſmo ſolicitè percunctantur, *quid ergò baptizas?* Sed cur ad Chriſtum etiam baptizantem. Ioan. 3. 22. 26. non mittunt legatos ſimiles? puto quòd cum ipſe baptizaret in aqua, & cœpiſſet pòſt Ioannem, illum non attendiſſe, etſi audiſſent plures diſcipulos eum facere quàm Ioannem. Ioan. 4. ſed primum auctorem, Ioannem ſcilicèt non Deum, qui iuſſerat, qui me miſit baptizare, &c. Nec etiàm Chriſtus baptizabat tempore huius legationis, cœpit enim baptizare pòſt reditum à templo, & quandò cœpit baptizare, Ioannes ceſſit loco, & ſeceſſit in Ennon, & nunc erat in Bethania loco ſuo ordinario, & etiàm Ioannes id clarè dicit per verba de futuro, *qui pòſt me venturus eſt, & baptizabit*, & quandò Chriſtus baptizabat, non ſiſtebat loco, nec per ſe, ſed per diſcipulos baptizabat, & citò abijt in Galilæam, vbi non legitur baptizaſſe, citò dico hoc officium dereliquit, quia diſplicuit Iudæis. Ioan. 4. nequè erat fama eius tùnc adeò celebris, proùt Ioannis, quæ poſteà percrebuit, non erat amicus Herodis, vt Ioannes; hoc enim potuit & Iudæos vrgere ad legationem, imò ſempèr tentarunt auertere principes à Chriſto, vt plus ei nocerent, dum interrogarunt de cenſu cum Herodianis, inuitarunt illum ad ſolutionem tributi, & in fine dixerunt, qui ſe regem facit, non eſt amicus Cæſaris, nec baptizauerat tot Phariſæos, & Sadducæos, qui promouerunt legationem ad Ioannem, imò dicebant, nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis, ſed turba hæc, quia non habet legem, maledicti ſunt. Ioan. 7. Vltrà quòd ſe præbuit conſpectui omnium, etiàm Ieroſolymis, Ioannes verò in erèmo permanſit. At fortè meliùs dici poteſt, cum hæc miſſio ad Ioannem fieret ad perquirendum quis eſſet, non ad illum ornandum, potuit ortum habere à Phariſæis, & Sadducæis, quibus inſultauit Ioannes, & quibus cum acerbè locutus eſt, & dixit mala eis ventura. Matth. 3. quæ retulerunt ad Synedrin, à qua miſſi nuncij, & milliès hoc pacto Ieſum adierunt, & interrogatum miſerunt, & auſi ſunt illum reprehendere in multis, ità vt non ſit neceſſe de hoc quærere. At legationem hanc Deus conuertit in manifeſtationem Chriſti ſui ex ore ſui præcurſoris Collegio Hieroſolymitano interrogante non Ioanne illum adeunte, quod eius teſtimonium reddidit grauius & ſecurius, aliàs enim Chriſto dixerunt, tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium

tuum

tuum non eſt verum, & hac miſſione contrà eos vſus eſt Chriſtus, vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati, vos autèm voluiſtis ad horam exultare in luce eius. Ioan. 5. quaſi ei credituri. Ad eumdem finem mittit Magos interrogatum in Ieruſalem, vt ex eorum ore veritas proderetur, quæ omnia ſi coniunxiſſent, certiores eſſent redditi Ieſum eſſe Meſſiam. At quæ nam cauſa mouit eos ad ſic interrogandum Ioannem? vt certiores redderentur, an is eſſet qualis reputabatur, cum ad eorum officium ſpectaret hæc cognoſcere, proùt in geſtis contrà Chriſtum, At ſublato dubio liberi redditi, ne quid noui moliretur; & proptereà miſerunt legationem nobiliſſimam, doctam, numeroſam ex prima ſecta, quæ illicò dixit *cur ergò baptizas?* Sed huic intentioni fuit ne admixta inuidia? tùnc non credo, quia non apparet, ſed poſteà tuti redditi Ioannem non eſſe qualis exiſtimabatur, & viderét ad eum turbas, & populum concurrentem, & ipſos deſeri, quod & in peiùs timebant ceſſurum, Herodem regem illum reputantem, æſtimo eos hæc ægretuliſſe, & inuidia exarſiſſe, vndè eum ſpreuerunt, & eius baptiſmum, etiàm contrà conſcientiam. Matth. 11. ne viderentur fortè eius facta approbare, & dixerunt dæmoniacum. Matth. 11. 18. vt hac via populum ab eo auerterent, & ad ſe ipſos retraherent. Et is fuit caſus Chriſti, eccè mundus totus pòſt ipſum abijt, & in concilio quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit, &c. & Pilatus ſciebat, quod per inuidiam tradidiſſent eum. Nec attenderunt verba Ioannis, *medius autèm veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis;* aut miſſi, aut mittentes quæſierunt qualis is eſſet, & nihilominus Ioanni de alio potiùs, quàm de ſe ipſo atteſtanti credere debuerant, benè ergò Chriſtus ſimiles illos dixit pueris. Matth. 11. 17. Sed malitia, quæ obcœcauit eos, ne quærerent, eoſdem obcœcauit, ne manifeſtanti ipſum crederent. At fortè non quæſierunt, quia nihil ab eo adhùc patiebantur incommodi, proùt à Ioanne, non erat adhùc manifeſtus, à populo non frequentabatur, mundus totus pòſt ipſum non abibat, nondum ediderat ſigna, tandèm inuidia nondum eos apprehenderat, & ſic etiàm paruulum à paſtoribus, & Magis annuntiatum quærere neglexerunt, ſed hæc in principio; at non ſeruiunt pro tempore, quo fama eius percrebuerat, ſed tùnc non baptizabat, ſufficit tamèn, quod baptizaſſét, & tot ſigna ſuæ diuinitatis edidiſſet; opera, quæ ego facio ipſa teſtimonium perhibent de me, & ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem peccatum non haberent.

Sed ſi Baptiſta confeſſus eſſet ſe Meſſiam nunquid erant credituri? credo quòd non, illud certum eos dediſſe in mandatis, vt interrogarent *tu quis es, cur baptizas?* non vt acceptarent eum in Meſſiam, & clariùs *vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos.* Vndè eſſet diuinare, an poſteà eſſent illum accepturi, & in negatiuam ſuadent, quòd non quæſierunt de Meſſia promulgato à Ioanne, qui erat in hoc fide dignior, non fuerunt baptizati ſuo baptiſmo; dæmoniacum nominarunt, & poſtquàm negauit ſe talem, qualem interrogarunt, dixerunt, *cur ergò baptizas, &c.* & quia poterant dicere ipſi, proùt Chriſto, tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum, vel lapidaſſent eum, proùt Chriſtum lapidare volebant, qui homo cum eſſet, faceret ſe ipſum Deum, vel ſaltèm congregaſſent concilium, & quæſiſſent proùt de Chriſto, *quid facimus, &c.* & proceſſum fabricaſſent in re tàm ardua, ideò dicunt miſſi, *vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos,* & fortè voluiſſent ſigna, proùt à Chriſto petierunt, quæ manifeſtabant Meſſiam, eò magis, quia hoc tempore inſtantis aduentus Meſſiæ alij arrogauerant ſibi hunc titulum, & populum deluſerant. acto. 5. erant & ex patre diabolo, qui acceſſerat non crediturus, ſed tentaturus; ſic egerunt cum Chriſto, qui tot ſigna dedit ſui Meſſiatus, & tamèn ſui eum non receperunt, nec aliqua ratione moueri potuerunt, vt plùs deſiderarent in Ioanne, quàm in Chriſto, præſertim quia & Ioannes acritèr obiurgabat eos, genimina viperarum, &c. Imò Chriſtus docebat ſe Meſſiam ex operibus; opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me, & licèt ex ore ſuo tentauerint cognoſcere, quouſquè animam noſtram tollis, ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam, quem te ipſum facis? in qua po-

teſtate hæc facis? Matth. 21. 23. tamèn quandò Caiphas dixit adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus, cum affirmauit, ſine alio proceſsu dixit, quid vobis videtur, quid adhùc egemus teſtibus, audiſtis blaſphemiam, & dixerunt eum eſse reum mortis, & in Ioanne idem ſeruaſsent. At ſi dicis Ioanni potiùs quam Chriſto credidiſsent. Reſpondeo ex dictis oſtendunt qualem fidem ei eſsent adhibituri, at ſatis eſse, quòd non dederint in mandatis, vt illum in Meſſiam acceptarent, quia alia tendunt ad diuinationem. Et licèt Chriſtus dicat voluiſtis ad horam exultare in luce eius. Ioan. 5. intelliguntur verba illa eos voluiſse ad horam præſtare fidem Ioanni, ad quem miſerunt legationem vt dicam, ſed citò retroceſserunt, & ſciens Dominus eos fidem in Ioannem depoſuiſse, dicebat, habeo teſtimonium maius Ioanne. Et ſi intelligerentur, quaſi vellent eum Meſſiam declarare, (quod non habet ſenſum, cum dicatur in luce eius, quæ non erat niſi ad Meſſiam demonſtrandum) aperitur eorum malitia in verbis (ad horam) cum perſeuerantia vſquè in finem deſideretur. *Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus:* ex reſponſione colligitur primam iuterrogationem fuiſse an eſset Chriſtus, & infrà *quid ergò baptizas, ſi non es Chriſtus? &c.* Dicunt aliqui enixè negaſse in prima interrogatione, quia agebatur de honore Dei, vt ex animis hominum hoc euelleret, in alijs ſimplicitèr. Sed hæc ſunt verba Euangeliſtæ, & quia in primo cumulauerat negationes, in ſubſequentibus ſimplici fuit contentus, vel eſt phraſis Hebræa affirmationi annectens negationem, vel has duplicans, ſic Paulus ad Roman. 9. veritatem dico, & non mentior; ex qua non poteſt ſumi argumentum, ſufficit enim negaſſe, præſertim quia ſi non tantus, error tamèn erat dixiſse ſe Eliam, vel Prophetam, qui non erat, & opinio erat etiàm, quòd eſſet Elias, vel Propheta, quod etiàm euellendum erat ex animis populi: *Et interrogauerunt eum; quid ergò est Elias es tù? & dixit non ſum*, non enim erat verè, ſed tantùm in ſpiritu, & virtute: interrogant de Elia quia ſciebant ex Malachiæ 4. ipſum venturum antè Meſſia, merrantes à primo ad ſecundum aduentum. *Propheta es tu? Et reſpondit, non;* quomodò negat ſe Prophetam, cum pater dixerit, tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis. Et Chriſtus, dico vobis plùs quàm Prophetam; Multi ad tollendam difficultatem dicunt intellexiſse de Propheta illo inſigni. Deuter. 18. Sed ibi Moyſes de Chriſto; cum autèm iàm de Chriſto interrogaſsent, & Ioannes negaſst, inueriſimile eſt idem repetijſse. Vt ſaluent illorum dictum, fingunt apud Hebræos tùnc textum illum Moyſis interpretationem recepiſse de Propheta ſocio Meſſiæ, vel alio, non de Meſsia, ſed diuinant, nec probant, & loci. Ioan. 6. 14. & 7. 40. non ſtringunt, nàm primus poteſt referri ad Meſſiam, quia dicunt hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum: alius poteſt intelligi de quolibet Propheta, maximè quia fit mentio Chriſti, alij enim dicebant, hic eſt Propheta, alij hic eſt Chriſtus, & cum de quolibet alio poſsent intelligi non de illo. Deuter. 18. ad quem non ſe reſtringunt, fruſtrà allegantur. Vltrà quòd illud à turbis, quæ ignorabant quid dicerent, hic à ſapientibus quærebatur. Prætereà ſi illum locum ſic interpretabantur, veriſimilitèr tamèn credebant illum Prophetam maiorem Elia futurum, quomodò ergò cum ſeruent ordinem in interrogatione, illum poſtponunt? At quòd Hebræi illum locum. Deut. 18. de Meſſia propriè intellexerint, habetur infrà eodem cap. quem enim dixerat Andreas Meſſiam verſ. 41. Philippus verſ. 45. quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetæ inuenimus Ieſum Filium Ioſeph à Nazareth. & acto. 3. Petrus. Moyſes quidem dixit, quoniam Prophetam ſuſcitabit, &c. & omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti ſunt annunciauerũt dies iſtos, & act. 7. Sthephanus, hic eſt Moyſes, qui dixit filijs Iſrael, Prophetam ſuſcitabit, qui omnes loquuntur vti de re nota, & vulgari intèr Hebræos. Eſt etiàm admodùm inueriſimile Hebræos allucinatos eſſe in pleniori, & clariori textu totius ſcripturæ circà Meſſiam. Prætereà probanda his eſſet aliqua opinio, quòd ille ſolus non alius eſſet baptizaturus, quia cum Ioannes negaſſet ſe illum eſſe iuxtà eorum mentem, ſi ea erat,

in-

interrogandus erat, an alius eſſet ab illo, cum baptizaret, quod cum non fecerint, de illo non intellexerunt. Quòd ſi tandèm de illo intellexiſſent, expreſſiſſent, prout clarè dixerunt de Chriſto, & Elia, neque articulo contenti fuiſſent, quia articulus non infert neceſſariò ad illum, ſed quemlibet inſignem, & quilibet ex ſuo capite poteſt dicere illum, vel alterum inſignem, & ipſi ſine articulo repetierunt, *quid ergò baptizas ſi non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* vt eum excluſerint omninò ab omni titulo etiàm communi; & articulum non obſeruari, ſed aliquandò vacare habetur infrà cap. 7. verſ. 40. 41. & ibi obſeruant alij. At quòd ad Ioannem non applicarent illum locum. Deut. 18. patet, quia Ioannem ſicut Prophetam omnes habebant. Matth. 14. 5. & 21. 26. non illum, ſed communem, ſic & Chriſtum. Luc. 9. 8. quia Propheta vnus de antiquis ſurrexit, & Matth. 16. 14. Ioannem Baptiſtam, Eliam, Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, legati enim loquuntur iuxtà famam, & opinionem vulgi. Solutio igitur vera erit Ioannem Baptiſtam Prophetam non fuiſſe, quia nihil prædixit futurum more Prophetarum, ſed plùs quàm Prophetam, quia oſtendit Meſſiam præſentem, antè cuius faciem præibat, & ſic ſe declarat pater Zacharias, præibis enim antè faciem Domini parare vias eius, ſic neque Angelus vocauit eum Prophetam, ſed præibit antè illum in Spiritu, & virtute Eliæ, & ipſe Ioannes Baptiſta dicit hìc ſe vocem, & Ioan. 3. non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus antè illum, Chriſtus autèm nuncupauit eum plùs quàm Prophetam, non Prophetam, ſubdit cauſas; primam, quia præit, & nuntius eſt. Matth. 11. hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, eccè ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te; ſecundam, non ſurrexit intèr natos mulierum maior Ioanne Baptiſta; adde tertiam, quia Propheta Zacharias, & Iſaias famulati ſunt Ioanni de illo prædicentes, quod de alio Propheta venturo non eſt factum. Et ſi Propheta eſſet, neque Chriſtus, neque Ioannes negaſſent. *Dixerunt ergò ei, quis es, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos?* quibus debemus referre quis ſis; *quid dicis de te ipſo?* explica perſonam tuam, *ait. Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Dominis, ſicut dixit Iſaias Propheta.* Videntes nuncij Ioannem non eſſe qui reputabatur à populo, inſtant, *quid ergò es, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo?* quaſi vi agentes vti ſuperiores, vt ſe explicet, ideò humillimus Ioannes, quaſi vi adactus, vt eis obediret, & ſuo muneri ſatisfaceret, quod erat manifeſtum reddere Dominum ſuum, antè quem præcurrebat, non potuit ſe negare, ſed dicit *ego vox, &c.* non ad ſuam, ſed Dei gloriam, vt teſtimonium ipſius de Chriſto fortius eſſet; totus enim in hoc erat. Non cauſa humilitatis, quam tamèn profundam retinebat, ideò ſubdit ſe indignum ſoluere eius corigiam calceamenti, imò tantæ fuit humilitatis, vt ne id quidèm dicturus eſſet, niſi interrogatus, & vi adactus, prout Dauid de ſua fortitudine, & viribus. 1. Reg. 17. 34. vndè & fide dignior fuit, quia verba hæc magnitudinem eius oſtendunt, ideò non inuenies eum alibi hæc verba protuliſſe. Et quamuis Diuus Chryſoſtomus recognoſcat humilitatem Ioannis, qui vſus eſt prophetia Iſaiæ cum poſſet vti prophetia Malachiæ, quæ eius excellentiam magis oſtendit, tamèn crediderim illa vſum non eſſe, quia illius, & Chriſti infantiam reſpiciebat, & tempus illius eceeſſerat, & iam ſuum effectum habuerat, quia Chriſtus præſentatus erat, vndè ſubdit, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis, ideò illa huic tempori inſeruire non poterat, niſi in laudem Ioannis, prout illa Chriſtus vſus eſt. At inſtans erat tempus huius Iſaiæ, cum ille prædicaret, clamaret, in deſerto eſſet, & quotidiè diceret *parate viam Domino*, & ſic tenendum nullam habitam rationem humilitatis in his verbis ex hoc capite, & nihilominùs tempus Prophetiæ Malachiæ Iudæi obſeruare debuiſſent, ideò enim celebris fuit annuntiatio Ioannis in templo, ab Angelo, & Gabriele, pater mutus redditus incenſum adolens, longam moram traxit, vt populus redderetur certus ipſum viſionem vidiſſe, ideò natiuitas celebris, & præſentia Chriſti con-

Digitized by Google

cepti, & matris ſuæ ornata; nec non miraculis quòad nomen, vocem Zachariæ reſtitutam, & canticum, vndè dicebant admirantes; quis putas puer iſte erit? vt excitarentur homines, & indagarent, an fortè eſset Ioannes Angelus ille præparaturus viam Domino, & obſeruarent aduentum Meſſiæ ad templum, quem fortè obſeruantibus Simeoni, & Annæ ſolis contigit videre; Quòd autèm verba illa *ego vox*, *&c.* non ſint humilitatis, ſeù humilitatem præſeferant; patet, quia ad demonſtrandam excellentiam Ioannis Angelus Gabriel dixit, præibit antè illum in ſpiritu, & virtute Eliæ, & Pater, & tu puer propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim antè faciem Domini parare vias eius, & Chriſtus hic eſt enim de quo ſcriptum eſt eccè ego mitto Angelum meum, &c. At hæc magna conueniunt cum illis *ego vox*, *&c.* quòad præcurſionem, & aduentum antè Chriſtum, & eandem magnitudinem Ioannis demonſtrat prædictio Prophetæ de illo in eiſdem verbis *ego*, *&c.* quod de alio Propheta venturo non legitur, proùt neque miniſterium vlli alij conceſsum, vt primus annuntiaret mundo Meſſiam aduenisse, ſalutem allaturum, regna diſtributurum, & immediatè antecederet Meſſiam ipſum, qui locus eſt nobilior intèr curiales, & hanc excellentiam Ioannis in hoc videtur explicaſse. Matth. cap. 3. 3. dicens cum emphaſi, hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam, &c. *vox clamantis in deſerto*, & quia quid aliud Apoſtoli, quàm vox? in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Et poſtquàm ipſe ad id electus erat, cenſeo diuina prouidentia factum, vt fama Meſſiatus in Ioanne excreſceret, vt cogerentur Hebræi ad illum interrogandum mittere ab eo audituri de Ieſu vero Meſſia, & inexcuſabiles fierent, ſi non quærerent, & non crederent teſti omni exceptione maiori. *Ego vox clamantis*, ſola vox, quia aſſignatum illi erat quid diceret, verba, quæ proferret, ſolo ſuo organo vocis vtebatur, imò & ſigna data pro Meſſia agnoſcendo, ſupèr quem videris ſpiritum deſcendentem, &c. ſic & Chriſtus de ſe. Ioan. 12. 50. qui miſit me pater ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquor, quæ ergò ego loquor ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor, & Ioan. 3. 34. idem de Spiritu ſancto dicit Chriſtus. Ioan. 16. *Et qui miſſi fuerant erant ex Phariſæis*, aut ex nobilitate nuntiorum intendit Euangeliſta declarare, quomodò coactus Ioannes ſe ipſum propalare; ideò hùc vſquè diſtulit narrare hanc eorum qualitatem, quam à principio dicere potuiſſet, dum nominat eos Sacerdotes, & Leuitas. Aut eorum ſocordiam tacitè modeſtiæ cauſa detegere, qui cum eſſent capita populorum, ſapientes ſe reputantes, adeò ſtulti fuerint, vt cum Ioannes edixerit qualis eſſet, & Iſaiam adduxerit non cognouerint illius magnitudinem, & qualitates, & quomodò eſſet pluſquàm Propheta, neque rem tantam obſeruauerint, & crediderint, imò ſubiuxerint *quid ergò baptizas*. Et ſi crediderunt; ad horam id fuerit, vt Chriſtus eis exprobrauit, & ideò hùc vſquè hanc qualitatem eorum oportunè reſeruauerit. Vel meliùs hùc vſquè diſtulit hæc verba, *& qui miſſi*, *&c.* quia non potuit illa annectere ad verba, Sacerdotes, & Leuitas, intentus explicare ad quid miſſi forent, & eorum interrogationes referre, ideò congruentiùs proſequitur *ad eum vt interrogarent*, quàm feciſſet ſubiungendo, *& qui miſsi fuerant:* at poſtquàm explicauit nuntium, rectè ſubdir, *& qui miſsi fuerant*, *&c.* vndè nihil hìc poteſt colligi, niſi quod ſpectat ad hiſtoriam, non fuiſſe hos ſimplices Sacerdotes, & Leuitas, ſed de prima ſecta, de primoribus, vt appareat de legationis importantia, & is ſenſus litteralis; interpoſuit & ſuprà Euangeliſta dum de Verbo agit, Fuit homo miſſus à Deo, &c.

Non credo Ioannem reſeruaſſe vſquè hùc hanc qualitatem nuntiorum, quia nunc ex eorum capite acerbè agant; nàm hæc quæ dicunt videntur coniuncta legationi *tu quis es?* poſtquàm enim negauit ſe iuxtà interrogationem, quia baptiſmus erat actio conſiderabilis, quærunt prudentèr de eo, vt ex hoc ſaltèm poſſint deprehendere quid certi referant, & à dubijs eximantur, præſertim quia exiſtimabant Meſſiam, vel ali-

quem

quem ex ſuis baptizaturum, & propterea *reſpondit eis Ioannes dicens, ego baptizo in aqua*, non reſpondet verbis, ſed menti, quia baptizo in aqua, parum id vobis curandum, plures enim ſunt lotiones intèr vos, non mundat baptiſmus meus, nec eſt ille, de quo per Ezechiel. 36. mundaturus inquinamenta omnia, propterea ne turbemini baptiſmo meo. *Medius autèm veſtrum ſtetit*. Prophetam ſuſcitabit Deus, de medio fratrum veſtrorum. Deuteron. 18. *quem vos neſcitis ipſe eſt, Qui poſt me venturus eſt*, manifeſtaturus doctrina, & miraculis ſe ipſum, *qui antè me factus eſt*, occiſus ab origine mundi. *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corigiam calceamenti*, hinc aliqui oſtendunt humilitatem Ioannis, qui interrogatus an ſit Meſſias, reſpondit ſe indignum exhibere Meſſiæ vilius miniſterium, vndè tempore ſe manifeſtandi, *ego vox*, humiliandi, *cuius ego, &c.* ſic Chriſtus, qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit. Philipp. 2. & Deum ſe prædicauit, præſertim quandò interrogans quomodò ergò Dauid vocat eum in Spiritu Dominum dicens. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris mei, & alibi ſæpè. Facit creatura quod poteſt, & id recipit miſericors Deus, aliòqui quæ humilitas creaturæ ad Creatorem, à quo omnia? quid enim habes ò homo, quod non accepiſti? ſic Abraham non audet loqui ad Dominum, cum ſit puluis, & cinis, & Angeli iuxtà Dionyſium non audent interrogare, ſed intèr ſe quærunt, quis eſt, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Quid ſi dicamus hæc verba dicta à Ioanne intento ad ſui officium, vt oſtenderet maieſtatem Chriſti, & alliceret eos ad illum quærendum, præſertim quia facilè eos inuenturos dicit, cum medius ſtaret intèr illos, totus enim erat in hoc Ioannes, qui quantò magis ſe in his verbis humiliauit, eò magis maieſtatem illius prodidit, & hoc credo verum. At non dicit ſe non audere cum alloqui, prout Abraham, quia illos potiùs deterruiſſet, & quia induerat formam humanam, vt nobiſcum conuerſaretur, & illum attrectaremus, iuxtà Ioan. epiſt. 1. ideò nec dicit ſe non audere miniſterium facere, ſed ſe indignum. *Hæc in Bethania, &c.* ad maiorem dictorum firmitatem dat locum.

CAPVT XX.

TERTIVM TESTIMONIVM IOANNIS BAPTISTAE.

Ioan. 1.

29 *ALTERA die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe,*
& ait: Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccatum mundi.
30 ** Hic eſt, de quo dixi: Pòſt me venit vir, qui antè*
31 *me factus eſt: quia prior me erat, * & ego neſciebam*
32 *eum, ſed vt manifeſtetur in Iſrael, proptereà veni ego*
33 *in aqua baptizans. * Et teſtimonium perhibuit Ioannes,*
dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi colum-
33 *bam de cælo, & manſit ſupèr eum. * Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me*
bapti-

baptizare in aqua, ille mihi dixit: Supèr quem videris Spiritum deſcendentem,
34 (t) *manentem ſupèr eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi:*
& teſtimonium perhibui quia hic eſt Filius Dei.

COMMENTARIVS.

A*LTERA die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe*, eccè conuerſatio, *& ait: Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccatum mundi.* Sed num appellauerit eum agnum ad denotandam eius innocentiam, ne quaſi peccator videretur baptiſmum ſuſcepiſſe, ideòquè dicat illum peccata tollere, tantùm abeſt, vt illis teneatur? Reſpondeo innocentia ex denominatione agni docetur. At non credo id nunc intendiſſe Ioannem, ſed oſtendere voluiſſe Meſſiam, & Deum, qui ſolus tollit peccata, hoc enìm erat officium Ioannis, quod exiſtimandum eſt perfeciſſe in omnibus, & in baptiſmo ſatis manifeſtauit Deus eius innocentiam ex ſignis, & vocando eum ſuum filium naturalem, & illa ſigna, & vocem omnes præſentes viderunt, & audierunt; tùnc enìm omnis populus baptizabatur, inquit Lucas, & aperuit illa Ioannes, qui ſigna receperat ad manifeſtationem, & iàm excesſerat tempus demonſtrandi innocentiam baptizati, cum baptiſmus per multos dies præceſſiſſet. Inſupèr tùnc ſatis dixit Ioannes, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? tu, qui peccata tollis? tu, qui in Spiritu ſancto baptizas? deindè pòſt quadraginta dies veriſimilitèr non aderant, qui fuerant præſentes eius baptiſmo, qui informarentur ſupèr his; ſed & potuiſſent hi dicere, hæc pòſt baptiſmum, ſed antè quid ſcimus? Vltimò hæc verba tendunt ad demonſtrandam eius magnitudinem, & beneficium mundo per eum afferendum, & ad illum manifeſtandum, non excuſandum, aut defendendum, nec non ad demonſtrandam eius exultationem, & promptitudinem ad mortem ſubeundam, cum agnus ſit obſequentiſſimus; *eccè Agnus Dei*, à Deo miſſus, *eccè qui tollit*, ſempèr, *peccatum*, omnia peccata *mundi*, quia Chriſtus ſemèl pro peccatis noſtris mortuus eſt, vt nos offerret Deo mortificatus quidèm carne, viuificatus autèm Spiritu. 1. Pet. 3. 18. pœnitentiam docuit Ioannes amplectendam ad peccata tollenda, nunc Deum peccata tollentem. *Hic eſt, de quo dixi poſt me* tempore *venit vir, qui antè me factus eſt* in carne operans, in quo ſalus, *quia prior me erat* Deus çternus, ideò dicitur agnus occiſus ab origine mundi. *Et ego neſciebam eum*, antè baptiſmum in deſerto neſciebat; in baptiſmo ſciuit interna reuelatione, propterea dixit, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? in baptiſmo enìm manifeſtandus erat, vt ſciret qualem virum baptizaret, nec decuerat tùnc illi eſſe incognitum, nec veriſimile eſt quem in vtero agnouit, & adorauit non recognouiſſe, & ſponſum non ſe manifeſtaſſe amico; pòſt baptiſmum verò vidit ſigna ei data, dum ergò dicit iterùm, *& ego neſciebam eum*, intelligit tùnc, cum ſignum prænuntiatum eſt, de illo enìm tempore loquitur, non quandò datum, & viſum, & auditum, ideò ſubdit, *ſed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans*, quia dictum ei, ſupèr quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſupèr eum, &c. & ſic omnia rectè cõcordant, & ſunt ſine vlla difficultate; ſed colligo Ioannem ſempèr vocem, nàm habet verba, quæ dicat, & quomodò cognoſcàt, & manifeſtet. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſupèr eum, & ego neſciebam eum*; quandò hæc dicta fuerunt mihi, *ſed qui miſit me baptizare in aqua*, dicit in aqua ad differentiam baptiſmi Chriſti; *ille mihi dixit, ſupèr quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſupèr eum, hic eſt,*

Digitized by Google

qui baptizat in ſpiritu ſancto purgans peccata, filios Dei faciens adoptiuos, & *ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei*, tunc cum viſa columba, cæli aperti, vox audita, & etiam poſtea, cur enim non tunc præſentibus, & omni populo, qui aſſiſtebat baptizandus quæ vidit, & audiuit? cur verba detorquenda à proprio ſignificatu, & præterita pro præſentibus abſquè ratione immutanda? ſed vide quæ in baptiſmo dixi.

CAPVT XXI.

VOCATIONE ANDREAE, PETRI, PHILIPPI, ET NATHANAELIS.

Ioan. 1.

35 *ALTERA die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis*
36 *eius duo. * Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Eccè*
37 *agnus Dei. * Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem,*
38 *& ſecuti ſunt Ieſum. * Conuerſus autèm Ieſus, & vi-*
dens eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixe-
runt ei: Rabbi, (quòd dicitur interpretatum Magiſter)
39 *vbi habitas? * Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt,*
& viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autèm erat
40 *quaſi decima. * Erat autèm Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui*
41 *audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. * Inuenit hìc primum fratrem ſuum*
Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſsiam. (quod eſt interpretatum Chriſtus.)
42 ** Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autèm eum Ieſus, dixit: Tu es Simon fi-*
43 *lius Iona: tu vocaberis Cephas. quod interpretatur Petrus. * In craſtinum vo-*
luit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Ieſus: Sequere me.
44 ** Erat autèm Philippus à Bethſaida, ciuitate Andreæ, & Petri. * Inuenit*
45 *Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophe-*
46 *tæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. * Et dixit ei Nathanael: A*
47 *Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. * Vidit*
Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Eccè verè Iſraelita, in quo
48 *dolus non eſt. * Dicit ei Nathanael: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & di-*
49 *xit ei: Priuſquàm te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te. * Reſpon-*
50 *dit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. * Re-*
ſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis: maius his
51 *videbis. * Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, &*
Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes suprà Filium hominis.

COM-

COMMENTARIVS.

A*Ltera die iterum ſtabat Ioannes* intentus officio, *& ex diſcipulis eius duo*; credendum eſt alios adfuiſſe, quia refertur vti teſtimonium publicum, nec diſcipuli illi duo reliquiſſent ſolum Ioannem. *Et reſpiciens* Ioannes *Ieſum ambulantem dixit, eccè agnus Dei*, cur non omnium in eum oculi conuertuntur? *& audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum*, eccè operatio verborum Ioannis; *conuerſus autèm Ieſus*, qui omnia nouerat, *& videns eos ſequentes ſe dicit eis, quid quæritis?* ſic cum euntibus in Emaus, qui ſunt ſermones, quos confertis ad inuicem, & eſtis triſtes? *Qui dixerunt ei: Rabbi*, hìnc colligit Caietanus Chriſtum cœpiſſe docere, quia alitèr non dicerent, *magiſter vbi habitas?* cum eſſet hora decima facilè cupiebant ſcire habitationem tantùm reuerſuri oportuniori tempore, *dicit eis, venite, & videte*, non dimittit occaſionem, non procraſtinatur; *venerunt, & viderunt vbì maneret, & apud eum manſerunt die illo*, per duas horas, ideò ſubdit de hora decima, & fortè locus erat anguſtus non capax pro tribus; hìnc collige Chriſtum moram traxiſſe propè Ioannem, vt daretur ei occaſio illum manifeſtandi: *hora autèm erat quaſi decima*, duabus horis antè occaſum ſolis, hæc omnia deſcribit ad maiorem fidem dictorum. *Erat autèm Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus*; meminit Andreæ, vt deſcendat ad Petrum, alterius non meminit, quia nulla occaſio, *qui audierant à Ioanne*, eccè Agnus Dei, vt ſuprà, *& ſecuti fuerant eum*, poſt verba illa. *Inuenit hìc primùm*. Primùm hic capitur proùt. Io. 18. 13. ad Annam primùm, & cap. 2. 10. primùm bonum vinum. 3. Reg. 17. 13. mihi primùm fac; *fratrem ſuum Simonem, & dicit ei*; illicò communicat theſaurum inuentum, proùt mulier dragmam. *Inuenimus Meſſiam, (quod eſt interpretatum Chriſtus,)* vnctus, & quomodò vnxit eum Deus Spiritu ſancto. Petrus Act. 10. 38. *Et adduxit eum ad Ieſum*, ſic ſolemus in arduis nobis notis, venite, experimini, ſic Samaritana, venite, & videte hominem, qui dixit mihi, &c. ſic infrà Philippus Nathanaeli, veni, & vide: Angelus mulieribus ad ſepulcrum, venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus. *Intuitus autèm eum Ieſus* oculis ſuæ diuinitatis penetrantibus occulta cordis, quos nullum latet ſecretum. *dixit tu es Simon filius Iona*, nunc ſic vocaris *tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, petra, ſoliditas, tu es Petrus, & ſupèr hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, *Vocaberis Cephas*, deinceps iuxtà Auguſtinum, ad quid enim hæc prædictio in Simone à Chriſto, qui dixit, & facta ſunt, nec ſolet differre, ſed præuenire? In Abraham, Sara, mutatio nominis habuit effectum, additio in Iacob, cur non additio in Petro? & hæc additio in Petro operata eſt aliquid, fortè vt feruentiùs crederet, cur volumus dilatam eſſe? *In craſtinum voluit exire in Galilæam* è Iudæa, *& inuenit Philippum* non caſu, ſed de induſtria, *erat autèm Philippus à Bethſaida Ciuitate Andreæ*, & *Petri, & dicit ei Ieſus. Sequere me*, & ſequutus eſt internè vocatus, nam diuinare eſt, quòd ab Andrea, vel Petro inſtructus fuerit, cum ipſi eſſent cum Ieſu, & cum id ignoremus, & vergat in maiorem Dei laudem abſquè inſtructione præuia vocanti ſimplicitèr obediuiſſe, hoc eſt amplectendum vt in Matthæo, & ſi inſtructio præceſſiſſet, ſicùt de facta Petro ab Andrea, & Nathanaeli à Philippo, ſic de illa fieret mentio. Nominat patriam obſcuram, & vitioſam, quia maior apparet Dei miſericordia, & ad notionem. *Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei, quem ſcripſit Moyſes in lege*. Deut. 18. *& propheta* alij, venturum Meſſiam *inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. & dixit ei Nathanael, à Nazereth poteſt aliquid boni eſſe?* ſignificat malos fuiſſe Nazaræos, & verè mali, qui Chriſtum ex inuidia præcipitare conati

ſunt,

ſunt, & verè opinio communis erat è Bethlehem oriundum Meſſiam. Io. 7. nunquid à Galilæa venit Chriſtus, nonne ſcriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem vbi erat Dauid venit Chriſtus, & ſcrutare ſcripturas, quia à Galilæa propheta non ſurgit; proùt mulier dragma inuenta conuocat vicinas, &c. ſic Philippus inuento Meſſia, & veriſimilitèr de Meſſia ſimùl aliàs ſermonem habuerant. *Ioſeph.* fortè Ieſum priùs cognoſcebat, vel ab alijs audiuit, vel poſtquàm Chriſto adhæſit, ab Andrea, & Petro, qui Chriſtum comitabantur, nec enim veriſimile eſt Ieſum ei dixiſſe, ſum filius Ioſeph, qui nunquàm dixit habere parrem ſupèr terram. *Dicit ei Philippus, veni, & vide*; in rebus claris ſic ſolemus. *Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo, Eccè verè Iſraelita*, cur verè? quia non omnis, qui ex Iſrael carnali ſcilicèt, &c. is Iſraelita. Rom. 9. *In quo dolus non eſt*, purus, ſimplex, ſimilis Chriſto, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. *Dicit ei Nathanael, Vndè me noſti? reſpondit Ieſus, & dixit ei, priuſquàm te Philippus vocaret cum eſſes ſub ficu vidi te*, quid mirum ſi omnia ei aperta? maius fuit nouiſſe intùs Nathanaelem, in quo dolus non eſſet, quàm hæc, ſed magis mouetur his Nathanael, quia magis apparebant, & ad hunc effectum dicta erant, ideò obſeruatu digniora. *Reſpondit ei Nathanael, & ait Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*, filius Dei naturalis, ſicùt Rabbi conuenit Chriſto, Ioel. 2. dedi vobis doctorem iuſtitiæ, & ipſe, vnus eſt magiſter veſter; & *rex Iſrael.* Dixerat Zacharias, eccè Rex tuus venit; pueri ei, Oſanna in excelſis rex Iſrael, & Chriſtus tu dixiſti, quia rex ſum ego, & verba debent ſumi in potiori ſignificatu, & quid prohibet, quin ille, qui reuelauit Petro, & pueris os aperuit, non reuelauerit, & aperuerit os Nathanaelis, cum verba idem exprimãt, & verſatus eſſet in Scripturis ſacris? & quomodò Chriſtus verè dixit *credis*? ſed dicta in confeſsione Petri faciunt hæc vacillare, ibi vide, *Reſpondit Ieſus, & dixit ei, quia dixi tibi, vidi te ſub ficu credis*, id quidèm rectè, *ſed maius his videbis*, & confirmaberis, *& dicit ei, amen, amen dico vobis. Videbitis cælum apertum, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuprà filium hominis* cæleſtia, diuina è cælis illabi, indicat abundantiam ſignorum, vt in diluuio cataractæ cæli, ad denotandum pluuiæ abundantiam, apertæ dicuntur, & Angelos miniſtrantes, & obſequentes mihi; ſicùt enim in hominibus, iuxtà phraſim Scripturæ, intrantibus, & egredientibus miniſterium denotatur, ità in Angelis aſcendentibus, & deſcendentibus è cælo, vt vidit Iacob in ſcala, quæ omnia neceſſariò oſtendent me Deum, ſolus enim Deus cælum aperit, ſolus facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem, ipſius ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Heb. 1. in fin. Vndè non ne poſſum rogare patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Matth. 26. 53. & hoc erit maius ſignum, quia Angelis credendum neceſſariò, qui non mentiuntur, vndè Apoſtolus, ſi Angelus de cælo euangelizet vobis, &c. Gal. 1. præterquàm euangelizauimus vobis, anathema ſit. idèſt adeò credendum Angelis, & tamèn per impoſſibile, ſi ſecùs nuntiarent, eis non eſset credendum. At quomodò viderunt cælos apertos, Angelos aſcendentes, & deſcendentes? ſiquidèm numquàm cælum apertum, niſi Stephano. Act. 7. Ioan. 12. vox de cælo facta, & clarificaui, & iterum clarificabo; in horto Angelus confortans, in reſurrectione, & aſcenſione viſi ſunt Angeli miniſtrantes pòſt hæc dicta; non autèm ſupèr filio hominis. Sed cum loquatur de copia ſignorum, quibus mouerentur ad credendum; opera enim quæ ego facio teſtimonium perhibent de me, puto intelligere viſuros hæc ab effectibus, & miraculis ſecuturis. Vel agit de die Iudicij, vel in gloria, *vel ſuprà filium hominis*, idèſt ad miniſterium meum, Vt in Reſurrectione, & Aſcenſione, & poſtquàm aſcendit, vt in Act. Apoſt. & Apocal. non enim vult intelligere, vt ſupèr caput illius viſuri ſint Angelos propriè.

CAPVT XXII.

DE MIRACVLO IN NVPTIIS CANAE GALILAEAE.

Ioan. 2.

1 *ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat*
2 *mater Ieſu ibì. * Vocatus eſt autèm & Ieſus, & diſci-*
3 *puli eius ad nuptias. * Et deficiente vino, dicit mater Ie-*
4 *ſu ad eum: Vinum non habent. * Et dicit ei Ieſus: Quid*
5 *mihi & tibi eſt mulier? non dùm venit hora mea. * Di-*
cit mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, fa-
6 *cite. Erant autèm ibì lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm*
7 *purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. * Dicit eis*
8 *Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſquè ad ſummum. * Et di-*
9 *cit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. * Vt autèm gu-*
ſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vndè eſſet, miniſtri
10 *autèm ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, * & dicit*
ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc
11 *id, quod deterius eſt: Tu autèm ſeruaſti bonum vinum vſquè adhùc. * Hoc fe-*
cit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam, &
crediderunt in eum diſcipuli eius.

COMMENTARIVS.

ET die tertia, qua diſceſſit à Iudæa in Galilæam, vt ſuprà in craſtinum, &c. *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*, incertum cuius, minimè Ioannis Euangeliſtæ virginis mente, & corpore, & quia Chriſtus venit nuptias honoraturus, & commendaturus, & manifeſtaturus gloriam ſuā, non abſtracturus ſponſum, tùm quia non fuiſſet ei Virgo mater commendata in cruce, & hæc tanta Euangeliſtæ ſilentio non inuoluiſſent, & ſcimus Ioannem cum fratre retia reficientē vocatum à Domino pòſt has nuptias, nec antèà conſtat de conuerſatione eorum cum Chriſto, vndè quę circumferuntur ſunt contrà Euangelium, vel prætèr, & diuinatiua, & nullo fundamento ſuffulta; *& erat mater Ieſu ibi* in nuptijs. *Vocatus eſt autèm & Ieſus*, qui interfuit manifeſtandus ex primo miraculo inſigni. *Et diſcipuli eius* Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael, hos enim vocauerat, vel eum adierant, at cū de alijs non legamus, quales alij? At cur non hi? & quomodò teſtificati eſſent à baptiſmate Ioannis? & ſi demas Petrum, & Andream, ſolus remanet Philippus ex Apoſtolis, & tamèn ſemper adhibuit tres teſtes ex Apoſto-

lis

lis in transfiguratione, ſuſcitatione puellæ, horto, nec eſt veriſimile ad tantum, & primum miraculum totidem non adhibuiſſe, in ore enim duorũ, vel trium ſtat omne verbum; Ioſeph ſponſus non interfuit, dicunt, quia mortuus, ſed hoc non cogit, vt dicamus mortuum, quia virgo ſine ipſo etiàm viſitauerat Eliſabeth, & dicitur ſuprà cap. 1. filium Ioſeph; verùm ſatis videtur ſuadere deſcenſus Chriſti in Capharnaum cum matre, fratribus, & diſcipulis, vt indè Ieruſalem ad feſtum Paſchatis pergerent, & de Ioſeph nullum verbum, & omnes viri ibant eo tempore ad feſtum, & ipſe fuit dum Ieſus eſſet duodecim annorum, fortè Chriſtus noluit eum ſuperuiuere, quo tempore cœpit prædicare occultis de causis. At quòd tempore paſſionis mortuus eſſet, perſuadet commendatio matris facta Ioanni, cui (viuente eo) non erat veriſimilitèr commendaturus; *& deficiente vino dicit Mater Ieſu ad eum. Vinum non habent.* mater filium rogat, vt dum ſe non ingerit, magis eluceat gloria eius, & vt illum moueat ad miraculum pro ſubleuanda neceſſitate, & ſe manifeſtando mundo, qui citiùs redimatur; primum miraculum ad Mariæ preces inſtruit nos, vt ad eam confugiamus miraculorum primam promotricem: Credo Dei prouidentia volentis manifeſtari, & glorificari vinum defeciſſe, nec mihi perſuadeo ſponſos fuiſſe pauperes cum conuiuium haberet Architriclinum, miniſtros, conuiuas multos, hydrias ſex aquales, quæ odorant diuitem, & Architriclinus dicat ſponſo, *ſeruaſti vinum bonum vſquè adhùc*, quæ verba non dicerentur pauperi. *Et dicit ei Ieſus. Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*, quid mihi tecum, quæ me ad rem tantam, & diuinam prouocas? ſunt hæc humilitatis verba; ſi enim pluriès voluit dum adhùc præſens eſſet miracula occultari, ne proderetur ipſe præſens talium patrator, non vt poſtmodùm non manifeſtarentur, quia ea faciebat ad ſui manifeſtationem, vt in puella ſuſcitata, & alijs videbimus, eò magis dicendum in hoc primo miraculo id voluiſſe, & hoc modo potuit hæc dicere reſpectu circumſtantium. Vel ſunt verba admirationem præſeferentis, ob petitionem adeò magnam, ideò *quid mihi*, tecum, cum Virgo non haberet præcedens exemplum, quo niti poſſet ad hoc petendum (& ſi ſciret eum patraturum miracula) nec ſciret eum tùnc acceſſiſſe patraturum miraculum, ſicuti audita Petri confeſſione admirationem præſeferens, dixit, Beatus es Simon Bar-iona, &c. & fide Centurionis. Matth. 8. 10. audiens autèm Ieſus miratus eſt, &c. & Chananææ, ò mulier magna eſt fides tua. Vel eſt cifra quam mater intellexit, proùt eorum cifram Ionathas, & Dauid non puer, ideò iuſsit obedientiam miniſtris. Non tamèn ex humilitate, vel admiratione negat miraculum operari; ſed annuit; nam mater, quæ Spiritu ſancto edocta petierat miraculum, ex eodem ſpiritu cognouit verba illa, *nondum venit hora mea*, non eſſe negantis, ſed parum differentis, & aliquid deſiderantis, & propterea certa de miraculo, & fortè de modo, *dicit miniſtris* illicò, *quodcunquè dixerit vobis facite*. ſi enim Salomon dixit Berſabeæ matri ſuæ, pete mater mea, nequè enim fas eſt mihi, vt auertam faciem tuam. 3. Reg. 2. 20. quid ni plusquàm Salomon cum Maria matre Ieſus? Imò & ſi importarent (dimitte me) non excluſiſſent, proùt nec Deus Moyſen pro populo rogantem, dum dixit, dimitte me, vt iraſcatur furor meus precibus eius victus; ſed oſtendiſſent precum vim, & efficaciam; ſic Chriſtus in Regulo, niſi ſigna, & prodigia videritis non creditis, & tamen ſanat filium, & Chananææ repulſam paſſæ filiam. Hinc exploduntur multa, quòd verba illa ſint repulſæ, quia imò ſunt volentis iuxtà illius petitionem operari, & annuentis, vt ex euentu, aut inferentis non ſpectare ad eam quærere miracula, cum carnem tantùm ab ea traxerit; nam Virgo humilis nunquàm id ex hoc capite prætendit, ſed omnia voluntati eius refert, ideò vtitur ſimplicibus, & puris verbis, & ſolam neceſſitatem indicantibus, non rogantibus, minùs cogentibus, propterea nec Chriſtus voluit hoc inferre, & ſi etiam caro Chriſti vnita verbo miracula operabatur, & nonne dicitur ipſa Theotocon mater Dei? & Chriſtus filius hominis, & Dei? Aut reprehendentis, ſeu indignantis, vt quid enim hoc ſuſpicari de Chriſto in matrem? & ſine cau-

ſa? nàm cura vini deficientis (& ſic excluditur alius intellectus, *quid mihi, & tibi*, ſi deficit vinum in domo aliena? vltrà quod important, quid mihi tecum ex vſu Sripturæ.) etiàm in domo aliena procedebat ex charitate, qui enìm viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo? Chriſti fuit perfectiſsimi paſcere turbas famelicas; diſcipulorum imperfectorum reſpondere dicenti, date vos illis manducare, ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, & quid intèr tantos? quaſi innuant quid ad nos cura horum? quod abſit vt cogitemus de Chriſto, & inferiorem matre neceſsitatem cogitante faciamus illum, qui animam ſuam poſuit, qua nulla maior charitas. Similitèr petere miraculum in neceſſitate, Deum non tentando, ſed ad Dei gloriam cur non licet? cur non licut illi ad manifeſtationem filij ſui pro conuerſione celeri totius mundi? prætere à credendumne eſt de miraculis edendis ad ſui manifeſtationem à Chriſto cum Virgine in tot annis verba non habita? & ipſam Scripturas ignoraſſe, quæ hæc dicebant futura? Sed ſi cauſa adfuiſſet reprehendendi eam, etiàm extitiſſet illam reijciendi; cum autèm miraculum ea petente patrauerit, profectò verba illa non fuerunt reprehendentis, vel indignantis. Si dicis, aliàs etiàm reprehendit eam, & ſponſum Ioſephum, quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe? reſpondeo non eſſe verba reprehendentis, ſed docentis, cur illis inſcijs remanſiſſet, vt in eo loco dictum fuit. Vltrà quòd hic proponit quæ patris ſui erant, nec tamèn ibi ab his diuertebat, ſed proponebat dolorem ſuum ex illius abſentia. Si opponis de verbis illis; quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei, reſpondeo, hoc dixit contrà illos, qui auertere eum volebant à prædicatione, in qua verſabatur, edocens diuina humanis præponenda, at hic mater diuina proponebat; Vltrà quòd Chriſtus ſumpſit occaſionem docendi quomodò mater eius quis fieri poſſet, matrem ſuam non excludendo. Infertur etiàm ex præmiſſis non procedere intellectum illum, quod proptèr circumſtantes prolata ſint verba illa, ne videretur materno affectu moueri, quia cum clarum ſit id feciſſe ad preces matris, quæ etiam palàm admonuit miniſtros, fruſtrà laboramus coniecturis contrarijs certa, & indubitata tollere. Imò is honor, hæc prærogatiua debebatur matri, vt filium ad miraculum primum inuitaret, idquè ſola obtineret, & miraculorum eſſet prima promotrix, & nonne proùt ſe Deum ex miraculo, ità hominem ex matre ſe manifeſtare volebat? vndè ſatis congruè voluit precibus matris annuere. Conueniens etiàm fuit Chriſtum ab alio ad miraculum inuitari, non à ſe ipſo ſe ingerere, & à quo melius, & efficaciùs, quàm à matre, cui erat ſubditus, quam adeò diligebat, & quem magìs poſſe apud filium, quàm matrem quiſque cogitaſſet? Et ſi hoc potuiſſet miraculo officere, credendum eſt ne vel matrem petituram, vel Chriſtum permiſſurum, vel miraculum operaturum ad eius preces? abſit vt dicamus ab his quidquàm malè geſtum, & ſi minimum, ſed ipſius miraculi patratio rem ſinceram prodebat, imò non erat qui poſſet petere, quàm mater, quia nullus alius ſciebat potentiam filij tùnc incogniti, & obſcuri, & credo diuina prouidentia factum, vt primo huic, & vltimo miraculo, dum in cruce moreretur, mater ſanctiſſima adſtiterit, vt ſicut diuinitas, ſic & humanitas appareret à principio ad finem, & ideò Spiritum ſanctum vſum eſſe matre. Vt autèm nullus poſſet miraculum caluminiari, vel ſuſpicari data opera, & de conſenſu illùc filium, & matrem ad hoc conueniſſe, rectè factum eſt, vt priùs mater eſſet ibi, deindè vocatus ſit Ieſus, qui de recenti aduenerat, & inopinatò vnà cum diſcipulis, qui omnibus intereſſent, ſic reſponderit matri, voluerit hydrias ad vſum aquæ præparatas, & à loco non amouibiles impleri aqua vſquè ad ſummum, vt omnibus innoteſceret aquam puram eſſe abſquè mixtura, & noluerit ex inuiſibili materia ereare vinum. Itèm voluerit ſubitam mutationem fieri, hauriri à miniſtris, ferri Architriclino ſobrio, & perito, Architriclinum guſtare, ſponſum conueniri ſupèr bono vino ſeruato, vt magìs appareret, & crederetur miraculum. Sed cur non dixit matri, fac vt impleant hydrias

drias aqua? quia miracula faciebat Ieſus, vt eius gloria manifeſtaretur, nequè hanc gloriam alteri dabat; vt autèm nemini daretur ipſe met operabatur, non per alios, ſic expuit, lutum fecit, apprehendit manum puellæ, & ſimilia. At quomodò nondum erat hora ſua? hora Mariæ miraculum petendi venerat, non Chriſti, ideò *mea*, non tua, nondum ipſa dixerat miniſtris vt obedirent, nondum Ieſus dixerat eiſdem, vt implerent hydrias aqua, nondum erant impletæ, hæc mora non erat interpoſita, nàm quoad vinum, vel defecerat, vel proximum erat defectui, & sic neceſſitas concurrebat, dicit enim Euangeliſta (*deficiente vino*) & mater à miniſtris certiorata, *vinum non habent*, ideò ipſos præmonet; & ſi non defeciſſet id exprimeretur, & Architriclinus id annuit, tùm quod neſciebat vndè eſſet, tùm ex verbis dictis ſponſo. At ſatis eſt dixiſſe Mariam ex Spiritu ſancto loquentem, quam nefas eſt dicere mentitam & Chriſtus oppoſuiſſet, vel neceſsitate non concurrente, miraculum non patraſſet. Nequè hìc agitur de ſeruando pudore inuitantium, quibus nulla infamia, aut vituperium, & quia res erat notoria, ſed de gloria Dei, & manifeſtando Chriſto, propterea, & mater, & Ieſus inter ſe publicè, & coràm omnibus (quia opera Dei reuelare honorificum eſt) non ad aures, vel per ſuſurrum, & cum miniſtris agunt, & miniſtri hydrias implent in conſpectu omnium. Nec poteſt deduci taciturnitas aliqua, ex ignorantia Architriclini neſcientis vndè eſſet, quia fortè alibi in alio thalamo diſtinebatur, & ideò *ferte architriclino*.

Nequè inferri, mater ignorauit horã; nam ipſa ſciuit ſuam horam, quæ oportuna erat, dũ petijt, nec Chriſtus dicit eam importuno tempore petijſſe, ſed Chriſtus loquitur de hora ſua, quia debebant præcedere, quæ dixi, non de hora Virginis. Non etiàm procedit, non dixit mater, ſed *mulier*, ne videretur materno affectu moueri, quia conuiuę, & qui vocauerant matrem, & filium, ſciebant eam matrem, nec poterat id tergiuerſari. Vndè potiùs dixit ex communi vſu loquendi, vt animaduertitur in Chananæa, Magdalena, Samaritana, & alijs, & in verbis Benedicta tu in mulieribus, intèr mulieres, & ad Galat. 4. factum ex muliere. Et credo ex ſimili vſu in Cruce locutum eſſe, non autèm ne adderet dolorem, ſiquidèm gladius eius animam pertranſibat. Vndè ſuſtinuit quem potuit dolorem. At ibì ad litteram etiàm aliud, vocat enìm mulierem, quia dabat eam in matrem Ioanni, & dum daret in matrem dicit, eccè filius tuus, ipſi vero, eccè mater tua; hìnc quomodò ſtabit mulierem vocaſſe, non matrem, ne augeret dolorem? nam ſufficit maternitatis mentionem feciſſe. Sed quod plus dolorem augere debuerat filium imparem, maternitati inæqualem detulit; at non credo id dolorem auxiſſe ei, quæ tota à filij voluntate dependebat, ſed id magìs confirmat ex communi vſu mulierem nuncupaſſe. At ne dum in Cruce, ſed ſempèr dixit eam mulierem, nunquàm matrem, hoc autèm credo, vt non interrogaretur patrem terrenum dicere, quem verum non habebat, ſed putatiuum, proùt matrem terrenam veram dixiſſet. Vndè interrogatus. Io. 8. 19. vbì eſt pater tuus; dixit, nequè me ſcitis, nequè patrẽ meum, &c. reſpondens de æterno, & quandò patris terreni à matre fit mentio, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, reſpondet & opponit de cæleſti patre, nulla mentione habita terreni, quid eſt quod me quærebatis? tacet paternitatem, & maternitatem terrenam, neſciebatis quia in ijs, quæ patris mei cæleſtis ſunt, oportet me eſſe? Sic verba, mater tua, & fratres tui forìs te expectant, ad ſpiritualitatem prouocat, quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt, deuitans quæ dixi. Itidèm dicebat ſe filium hominis, non hominum, quod ad abiectionem trahi poteſt, proùt illud, filij hominum, vt quid graui corde; At id faciebat, vt poſſet etiàm dicere ſe filium Dei, proùt ſolebat, ſicut enim à generatione æterna denominabatur filius Dei, ità à generatione temporali filius hominis, vt filiatio in vtraquè generatione conueniret, nec cogeretur aliam denominationem capere, vel vt appareret talis, cui fides adhibenda, proùt Prophetis, qui à Deo nuncupabantur filij hominis.

Non videtur etiàm dici poſſe matrem an-

Digitized by Google

teuertiſſe tempus miraculi, quia ex prædictis apparet præordinatione diuina illud tùnc faciendum, ideò adhibuit Deus media opportuna, & conuenientia illi tempori. ***Nondum venit hora mea***, patrandi miraculum, quod petis. ***Dicit mater miniſtris*** conuiuij, ***quodcumquè dixerit vobis***, ad veſtrum miniſterium ſpectans, ***ſeruate***, obſeruate diligentèr, & ***facite***, exequimini abſquè mora, intellexerat enim patrandum miraculum; ***erant autèm ibì lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Iudæorum***, qui ſæpiùs lauabant manus, & catinos, ***capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas***, aliqui diſtributiuè nō incertò intelligunt; at ego credo eſſe verba æſtimationis ſecundùm Auguſtinum, ambigua ſcilicèt, & incerta iuxtà communem vſum loquendi de vaſe, quod dicimus capere tres, vel plures menſuras, nequè incertitudo hæc, & ambiguitas attenditur in Scriptura, quandò non refert an vnum, vel aliud extiterit, proùt hìc, cum quolibet modo magnum fuerit miraculū, magna vini quantitas, vndè ſatis fuit Euangeliſtæ dicere certam quantitatem hydriarum, ſic. 3. Reg. 7. 10. decèm, ſiuè octo cubitorum. 4. Reg. 9. 32. duo, vel tres Eunuchi, & Act. 29. octo, aut decèm dies, & infrà verſ. 12. non multis diebus, & cap. 6. ſtadijs. 25. aut 30. & ibì omnes ſcribentes, & etiàmſi diſtributiuè, non tollitur incertitudo quot eſſent duarum, vel trium. ***Dicit eis***, miniſtris ***Ieſus, implete hydrias aqua***, noluit enim ex nihilo (nam Deus nihil de nouo creat,) ſeù inuiſibili materia, ſed viſibili facere, vt appareret miraculum, ***& impleuerunt eas vſquè ad ſummum***, hoc etiàm ad maiorem euidentiam, vt aqua ab omnibus videretur, ***& dicit eis Ieſus***, qui iàm conuerterat aquàm in vinum abſquè mora; ***haurite nunc, & ferte Architriclino, & videbitis virtutem Dei. Vt autèm guſtauit, &c.*** Quæ ſequuntur facilia, & tendentia ad miraculi manifeſtationem, & quòd bonum vinum erat. ***Hoc fecit Initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ***, in manifeſtationem gloriæ ſuæ, & vt ei crederetur, quia datum hoc ei erat, vt Meſſias cognoſceretur, ideò interrogatus à Ioanne per diſcipulos, reſpondit, cœci vident &c. Et cum antè hoc tempus miracula non inſeruiſſent, & in puero viſa eſſent præſtigia, nequè illis vſus, dum perſecutionem pateretur ab Herode, vel alia de cauſa, ideò cenſeo antè hoc nullum factum, eò magis, quia Euangeliſta dicit ***hoc fecit initium ſignorum***, non dicturus, ſi alia feciſſet, nàm quod ſubdit de manifeſtatione, eſt conſecutiuum, & ſi feciſſet, mater ſciſſet, nec audita petitione miraculi ad modum admirantis Chriſtus ſe habuiſſet.

CAPVT XXIII.

DE DESCENSV IN CAPHARNAVM, ET IERVSALEM.

Ioan. 2.

12 *POST hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & fratres eius,*
13 *& diſcipuli eius: & ibì manſerunt non multis diebus. * Et prope erat*
Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam:

COM-

COMMENTARIVS.

P*OST hoc deſcendit Capharnaum ipſe* vbi veriſimilitèr proſequebatur prædicationem cœptam, non enim otiabatur, ſed erat totus in his, quę patris ſui erant. At cenſendum eſt ſigna non feciſſe, quia Euangeliſta ea deſcripſiſſet, præſertìm in hoc principio prædicationis, & ſi nec omnia ſcripſiſſe dixerit. cap. 20. 30. & 21. 25. Et quia pertranſibat illàc citò ad Ieruſalem progreſſurus, loquitur de hoc loco Euangeliſta per tranſennam, cum tendat ad itèr in Ieruſalem, non tamèn iuit Capharnaum, quaſi eſſet in via ad Ieruſalem, cum illàc tranſeuntes deuiarent, vt colligitur ex Regulo rogante vt deſcenderet, ſed iuit ſe magìs manifeſtaturus, fortè quia fama miraculi in nuptijs illùc protrahenda erat, & ibì moraturus, donèc adueniret tempus Paſchæ, & quia hic locus eligẽdus erat ad incolatum. Quod autèm dixit Nicodemus de ſignis ſpectant ad Ieruſalem, non ad Capharnaum, vt infrà cap. 4. 45. vbì apparet feciſſe ſigna in die illo feſto, *& mater eius* fortè orbata Ioſepho, *& fratres eius* conſanguinei, *& diſcipuli eius* iam dicti, & ibì manſerunt non multis diebus, & cauſa eſt, *& propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus* intellige cum illis ſupradictis *Ieroſolymam* ad feſtum. *Paſcha Iudæorum* non ad differentiam noſtri Paſchatis, cum de illo tempore, de quo loquitur, non extaret, ſed ad illud explicandum, vt infrà cap. 5. & 7. in princip. & hoc eſt primum Paſcha pòſt prædicationem cœptam. De geſtis verò in templo dicemus in vltimo Paſchate cum alijs Euangeliſtis, vnam enim teneo fuiſſe eiectionem è templo, vel ſaltèm ſic diſpoſui omnes ſimul interpretari.

CAPVT XXIV.

DE BAPTISMO DISCIPVLORVM CHRISTI.

Ioan. 3.

22 P*OST hæc venit Ieſus; & diſcipuli eius in terram Iu-*
dæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.
23 ** Erat autèm & Ioannes baptizans in Aennon, iuxtà*
Salim: quia aquæ multæ erant illìc, & veniebant, &
24 *baptizabantur. * Nondum enim miſſus fuerat Ioannes*
25 *in carcerem. * Facta eſt autèm quæſtio ex diſcipulis Io-*
26 *annis cum Iudæis de Purificatione. * Et venerunt ad*
Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui teſti-
27 *monium perhibuiſti, eccè hic baptizat, & omnes veniunt ad cum. * Reſpon-*

dit Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei da-
28 *tum de cælo.* * *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim: Non ſum*
29 *ego Chriſtus: ſed quia miſſus ſum antè illum.* * *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt:*
amicus autèm ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem
30 *ſponſi. Hoc ergò gaudium meum impletum eſt.* * *Illum oportet creſcere, me au-*
31 *tèm minui.* * *Qui deſurſum venit, ſupèr omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra*
32 *eſt, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, ſupèr omnes eſt.* * *Et quod vidit,*
33 *& audiuit, hoc teſtatur: & teſtimonium eius nemo accipit.* * *Qui accepit eius*
34 *teſtimonium, ſignauit quia Deus verax eſt.* * *Quem enim miſit Deus, verba*
35 *Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* * *Pater diligit Fi-*
36 *lium: & omnia dedit in manu eius.* * *Qui credit in Filium, habet vitam*
æternam: qui autèm incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei ma-
net ſuper eum.

COMMENTARIVS.

POST *hæc* facta in Ieruſalem occaſione feſti, ***venit Ieſus*** à Ieruſalem, ***& diſcipuli eius*** ſecum ***in terram Iudæam***, ſic exprimit ne putares de Galilæa, vbi ſolebat morari, ***& illic demorabatur cum eis, & baptizabat***, non ipſe, ne deprehenderetur illum eſſe, cui Ioannes teſtimonium dederat, & dabat, ſed diſcipuli eius, ne fieret maior commotio, & inuidiam Iudæorum in ſe excitaret, cum ab ipſis obſeruaretur, vt infrà cap. 4. hoc enim erat apud eos magnum ſignum meſſiatus, & hac de cauſa miſerunt ad Ioannem baptizantem, & maior ſuſpicio fuiſſet de Ieſu, quem Ioannes dixerat Spiritu ſancto baptizaturum, & ſupèr quem facta erat vox paterna, & alia prodigia, quibus motus, ne fieret maior turbatio, ſeceſſit in deſertum, non autèm hic, aut ibi cauſa humilitatis, cum eſſent hæc paterna. Aduerte tamèn, & ipſum aliquos baptizaſſe, qui poſſent alios baptizare, & præſertim Apoſtolos, ſeù diſcipulos, qui alios baptizabant infrà cap. 4. & veriſimilitèr Matrem, & Ioannem Baptiſtam, vt in eo dixi. At ſempèr baptizaſſe diſcipulos in nomine Trinitatis credo veriſimilius; cur enim volumus mutatam formam? vel formam Chriſti baptizantis, qui in nomine Trinitatis, non Chriſti baptizabat à forma baptiſmi diſcipulorum fuiſſe diuerſam; imò formam, quæ exprimitur. Matth. 28. 11. credo vti iàm Apoſtolis notam, non nouam tradi, poſtquàm nullis alijs verbis ornatur ad illorum ſignificationem explicandam, & ſi eſt communior opinio, quam tenui in act. Apoſt. pòſt Chriſti aſcenſionem diſcipulos nunquàm baptizaſſe in nomine Chriſti, cur credendum factam his diebus? rationes enìm pro illa opinione etiam huic tempori conueniunt, & factum diſcipulorum inſpiciendum, non fides, quæ ſempèr fuit imperfecta, cum nec Chriſtum cognouerint, vt in confeſſione Petri, nec Patrem, vt in Philippo petente oſtendi, ſicut nunc tenet datus à non cognoſcentibus hæc myſteria. ***Erat autèm, & Ioannes baptizans in Aennon iuxtà Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.*** Ioannes baptizans ſicut præmonebat venturum qui baptizaret in Spiritu ſancto, ità quoſquè per eum baptizatos nunc mittebat ſuſcepturos baptiſmum Chriſti iàm manifeſti, & ſic illi cooperabatur. ***Nondum enìm miſſus fuerat Ioannes in carcerem***, ideò vult dicere, non ceſſauerat à ſuo baptiſmo. ***Facta eſt autèm quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iu-***

dais

Digitized by Google

dais de Purificatione, idèſt baptiſmo, vter melior baptiſmus Chriſti, an Ioannis, hoc enim declarant verba diſcipulorum Io. Baptiſta ad Ioannem, *Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum* (eccè converſatio Chriſti cum Ioanne pòſt baptiſmum) *trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, eccè hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*, & ex his excluditur intellectus Purificationum ex lege Moyſis, præſertìm quià præcedit ſermo de vtroquè baptiſmo Chriſti, & Ioannis; communitèr autèm creditur diſcipulos Ioannis malo animo motos in hac quæſtione excitata. Sed an poſſet temperari, quòd cum diſputaſſent ſupèr vtroquè baptiſmo, vellent opinionem Ioannis eorum magiſtri ſcire, præſertìm mirantes de ſubito concurſu ad Chriſtum, & fortè non erant continui familiares Ioannis, ideò dicitur, *venerunt ad Ioannem*, & ignorabant Ioannem tranſmittere ab eo baptizatos ad Chriſtum; ſed reſponſio Ioannis oſtendit malum animum diſcipulorum, vndè ſtandum cum communi opinione. *Reſpondit Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quidquàm, niſi fuerit ei datum de cælo*, omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, omnis poteſtas à Deo, nec quiſquàm ſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo tamquàm Aaron, ſic & Chriſtus, &c. Hebr. 5. & cœcus. Ioan. 9. 33. niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquàm; ſi reſpicimus relationem diſcipulorum loquentium de Chriſto, hæc verba pro ſe non protulit Ioannes, quia non agunt diſcipuli in eorum relatione de anteponendo Ioannem Chriſto, vel alia de re Ioannis, ità vt reſponſio innuat non poſſe ſe præferre, quia non eſt datum ei deſupèr, ſed ſimplicitèr dicunt rem geſtam, vndè reſponſio Ioannis non correſponderet interrogationi, ſeù relationi, ſed eſſet extrà rem; quòd ſi relationi aptanda eſt, profectò loquitur de Chriſto, vndè vult dicere. Si baptizat Chriſtus, rectè facit, quia à cælo hoc habet, *non enìm poteſt homo à ſe accipere quidquàm, &c.* dubitatio ſiquidèm verſabatur ſupèr baptiſmo nouitèr à Chriſto inchoato, & Ioannes vtitur verbis ad nouum baptiſmum accomodatis, *non poteſt accipere quidquàm*, & negatiuis, quæ potiùs ad tertiam perſonam, nó ad loquentem videntur accomodari, & meliùs ad intentionem diſcipulorum interrogantium de baptiſmo Chriſti tantùm, contrà quem tractabant; de baptiſmo autèm Ioannis nullus erat ſermo, vel vndè eſſet, nequè de hoc dubitaſſent eius diſcipuli ei addicti. Inſupèr præmittendum aliquid fuit Ioanni de Chriſto ad ſtabiliendum, & firmandum illius factum, & id optimè facit, *non poteſt homo, &c.* Imò tota ſeries, quæ ſubſequitur, tendit ad Chriſtum exaltandum, & ſe deprimendum, etiàm dum de ſe loquitur, ſubdens, *ipſi vos mihi teſtimonium, &c.* non enim tùnc in abſtracto, vel generalitèr, prout in illo verſ. *non poteſt homo &c.* præterea verba Ioannis dicunt, id quòd eſt, non id quod poſſet attentari, quò vergit opinio contraria. Similitèr interrogatio diſcipulorum erat de eo, quod tùnc erat, non de futuro, & ſicut aliæ reſponſiones Ioannis tendunt ad præterita, non futura, ità hæc prima. Rurſus ſi Ioannes de ſe loqueretur, repeteret quod dixiſſet, & quòd infrà prolixiùs tractat nihil ſibi plùs, quam datum ſit, arrogare, quæ repetitio non præſumitur, & ex verſ. *ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis*, vult inferre, ſi videtis hunc baptizantem, credite baptiſmum illius excellentiorem eſſe, hùncquè Meſſiam, me illius ſeruum, illius cauſa antè illum miſſum, & ne admiremini, ſi omnes ad eum confluunt, vt aliàs me dixiſſe meminiſtis, & ſic reſpondet dubitationibus diſcipulorum vſquè ad finem capitis, nihil à ſe inferendo, ſed dimittendo eis illationem, quod eſt optimum genus dicendi abſquè perturbatione audientium, docetquè de quo homine loquatur, nempè & illo Deo. Et aduertendum eadem eſſe verba diſcipulorum, *cui tu teſtimonium perhibuiſti*, quæ Ioannis *vos mihi teſtimonium perhibetis, quia dixi non ſum ego Chriſtus, &c.* nam etſi Ioannes de ſe loquatur infert Chriſtum eſſe Meſſiam, dum negat de ſe; ſed & apertiùs dum ſubijcit *qui habet ſponſam*, quaſi velit dicere, vt autèm intelligatis verum eſſe quod dixi *qui habet ſponſam, &c. Illum oportet creſcere, me autem minui*, demonſtrat quæ dixit habere tractum

ctum ſucceſſiuum, & apud omnes apparitura, & fidem acceptura, nempè Ieſum eſſe Chriſtum ſponſum, Ioannem non eſſe Chriſtum, non ſponſum, ſed amicum. *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim non ſum ego Chriſtus*, dixerant enim ipſi, *cui tu teſtimonium perhibuiſti*, & dixerat ille, & non negauerat, *non ſum ego Chriſtus; ſed quia miſſus ſum antè illum*, nam dicebat de illo, qui pòſt me venturus eſt, &c. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt*, habet ille ſponſam Eccleſiam, ergò ille ſponſus, non ego, & ipſi debetur regeneratio per baptiſmum, non mihi, *amicus autem ſponſi* qualis ego, *qui ſtat* præſens, *& audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi* cum ſponſa effuſam, & non ſubripit ſponſam, proùt pronubus Samſonis. Iud. 14. 20. nec legatus fidelis pro ſe agit, proùt Menelaus pro Sacerdotio contrà Iaſonem mittentem. 2. Machab. 4. ſed pro Domino. *Hoc ergò gaudium meum* voce ſponſi huius, Meſſiæ, audita, *impletum eſt*, quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & audire, nequè datum eſt illis. *Illum oportet creſcere*, quia ſponſus filios ſpirituales generaturus ex baptiſmo ſuo æternùm duraturo, *me autem minui* baptiſmo meo citò ceſſaturo; idem de omnibus alijs dicas fama, diſcipulis, vita, concurſu populi, hincquè citò carceri mancipatus. *Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt*, creſcit, quia Deus, quia nullus alius deſurſum venit, non nititur hoc probare, quia diſcipuli audierant vocem paternam, & viderant alia è cælo. *Qui eſt de terra*, ego, de ſe enim ex oppoſito agit ad ſui diminutionem, & Chriſti exaltationem, *de terra eſt*, infimus, *& de terra loquitur*, cæleſtia enim non vidi proùt ille, vt poſſim de illis loqui. *Qui de cælo venit* Meſſias ille, *ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audiuit* in cælo, *hoc teſtatur* ſuprà cap. 1. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu patris, nobis enarrauit, & ex hac ſua doctrina diuina illum oportet creſcere, & me præcellere, qui humana tantùm nitor; & ex his probatur Chriſtum his diebus publicè prædicaſſe; *& teſtimonium eius nemo accipit*, vel ſtrictè ad diſcipulos, quibus cum loquebatur, & ità indiſtinctè, ne illos exacerbet, vel ad omnes, quia ſubdit. *Qui accepit eius teſtimonium*, quod ad eius diſcipulos infideles non aptabatur, ergo & in primis verbis de omnibus; ſignificat autèm paucos Chriſto credere, quod ſi & credentium des magnum numerum, minor tamèn erit quàm deceat, cum omnes debuiſſent accurrere ad eum credituri, lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Qui accepit eius teſtimonium ei* credens, *ſignauit* teſtificatus eſt, *quia Deus verax eſt*. Roman. 3. 4. *quem enim miſit Deus*, Meſſias, *verba Dei loquitur* ſempèr, non proùt alij homines, ſeù Prophetæ, qui aliquandò verba Dei, aliquandò propria loquuntur. Epheſ. 4. 1. Cor. 12. ſic Chriſtus de ſe. Ioan. 12. 50. qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar; & alibi: loquelam meam non cognoſcitis? *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum* Chriſto, proùt alijs, quia, vt ſubdit, *pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius*, & ad idem tendunt omnia vſquè ad finem capitis, & ſecundùm hunc intellectum meliùs accomodatum ratione ſubiecti, rectiùs fit connexio cum vltimis verbis præcedentibus, *verba Dei loquitur*, & cum ſubſequentibus, *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manu eius*, quæ ſempèr agunt de Chriſto, non alijs, qui ſunt de terra, & qui non viderunt, nequè audierunt quæ ipſe, nequè filiationem, nequè poteſtatem habent, quas ille. Et quia ſempèr egit de Chriſto, & ſe, preterquàm dum de infidelibus agit, quomodò ergò nunc de alijs verba facit? & quid quæſò infert non dat Deus Spiritum ad menſuram, quin ſi vni dederit non poſſit alteri plus dare; ad quid is intellectus ſeruiet? Volumus ne nunc humilem Ioannem ſe ipſum extollere quaſi habentem Spiritum Dei, ſed Chriſtum maiorem? & ſe ipſum miſcere intèr media verba de Chriſto ſolo habita? nullo modo hæc intrant; ſtemus ergò non datum illi Meſſiæ Spiritum ad menſuram, in illo enim placuit omnem plenitudinem inhabitare, in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr. Coloſſen. 1. & 2. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius*, ſic Ioan. 13. 3. ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, omnia ſubiecit ſub pedibus

bus eius, & ipſum dedit caput ſuprà omnem Eccleſiam,&c. Epheſ. 1. in fin. primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, &c. Coloſſ. 1. 18. vſquè 21. ex dilectione ergò dedit illi omnia in manus, non ergò ad menſuram. ***Qui credit in filium habet vitam æternam***, ſic & ſuprà verſ. 18. hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioan. 17. 3. ***qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam æternam***, quæ in ipſo eſt. Ioan. 1. excludetur à gloria, ***ſed ira Dei*** non expurgata à fide in filium datum in redemptorem, ***manet ſuper eum***, iàm iudicatus eſt ex primis principijs, naſcimur enim filij iræ, ità vt hæc ſit ratio cur excludatur à vita æterna, à gloria, & cum hæc ſit ratio, non currit intellectus excludi ſub vita æterna, à pœna damni; & tradi pœnæ ſenſus ex verbis, ***ira Dei manet ſuper eum***. Vult ex omnibus inferre Ioannes, diſcipuli mei captiuate intellectum veſtrum, & huic credite ex præmio, & pœna propoſitis.

CAPVT XXV.

DE CARCERE IOANNIS BAPTISTAE.

Matth. 14.

3 *HERODES enim tenuit Ioannem, & alligauit eum:*
& poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris
4 *ſui. * Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere*
5 *eam. * Et volens illum occidere, timuit populum: quia*
ſicut prophetam eum habebant.

Marc. 6.

17 *IPSE enim Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere*
18 *propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. * Di-*
19 *cebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. * Hero-*
20 *dias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. * Herodes*
enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum: & cuſtodie-
bat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Luc. 3.

19 *HERODES autem Tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade vxo-*
*re fratris ſui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, * adiecit & hoc ſu-*
pèr omnia, & incluſit Ioannem in carcere.

COM-

COMMENTARIVS.

HERODES *tenuit Ioannem*, is Herodes Tetrarcha, de quo ſuprà Lucas hoc eodem cap. 3. filius Herodis infanticidæ, *& alligauit illum, & poſuit in carcerem;* an Phariſæi, ſeù Scribæ participauerint, ſeù conſcij fuerint, incertum. Cauſa, quæ ſubditur *propter Herodiadem*, videtur illos excludere, ſatis erat ira, & intereſſe mulieris timentis Regno priuari; dicitur enim: *Herodias autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat*, antequàm in cuſtodiam traderetur priuata auctoritate, imò & de Herode, *& volens illum occidere timuit populum*, vndè ſi Herodias, & Rex concurrebant ad idem, nõ indiguerunt Phariſæis, aut Scribis, & ſi aliquandò Herodes *metuebat Ioannem ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, hæc reſpiciunt tempus antè correptionem, quia pòſt illam Herodes mutauit ſentẽtiam, præſertim Herodiade inſtigante, & propterea credo Herodem abſque vlla fictione antè correptionem egiſſe cum Ioanne, tùm quia Euangeliſtæ nihil ſupèr ea, quæ ſi fuiſſet, veriſimilitèr dixiſſent, tùm quia facta pro Ioanne fictionem excludunt, *& audito eo multa faciebat*. Obſtant tamèn prædictis verba Chriſti, *fecerunt ei quæcunque voluerunt*, quæ contrà Hebræos videntur prolata: *cum corriperetur ab eo de Herodiade, & omnibus malis*, Luc. 3. non explicat alia mala, quia ex correptione illorum non fuit motus Herodes ad vinciendum Ioannem, ſed proptèr Herodiadem timentem eijci à Regno. Hæc ratio ſtatus, qua omne ius confunditur. Rex Sichimorum mutat religionem cum populo. Geneſ. 34. Abimelech occidit ſeptuaginta fratres. Iudi. 9. Saul perſequitur Dauid. 2. Reg. per totum maximè 20. 31. Abſalon fit rebellis contrà Patrem. 2. Reg. 15. Adonias occiditur. 3. Reg. 1. & 2. Salomon perſequitur Ieroboam. 3. Reg. 11. 40. Ieroboam erigit vitulos. 3. Reg. 12. Fratres vendunt Ioſeph eò quòd plùs amaretur à Patre. Gen. 37. 3. Hebræi crucifigunt Chriſtum, quia venient Romani. Ioan. 12. Sed cur cum Herode, non cum Herodiade agebat? vltrà Chryſoſtomum, quia Herodias proùt Herodes non conuerſabatur cum Ioanne, & quia durior erat cauſa Herodiadis, quia priuabatur regno, non Herodes.

CAPVT XXVI.

DE ITINERE CHRISTI IN GALILAEAM. ET SAMARITANA.

Matth. 4.

12 CVM autèm audiſſet Ieſus quòd Ioannes traditus eſſet: ſe-
ceſſit in Galilæam.

Marc. 1.

14 POSTQVAM autèm traditus eſt Ioannes, venit
Ieſus in Galilæam.

Luc. 4.

14 ET regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam.

Ioan. 4.

1 VT ergò cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi quòd Ieſus plures diſcipu-
2 los facit, & baptizat quàm Ioannes, * (quamquàm Ieſus non baptizaret,
3 ſed diſcipuli eius) * reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. * Oportebat
4 autem eum tranſire per Samariam. * Venit ergò in ciuitatem Samariæ, quæ
5 dicitur Sichar: iuxtà prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. * Erat autèm
6 ibì fons Iacob. Ieſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuprà fontem. Hora
7 erat quaſi ſexta. * Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Ieſus:
8 Da mihi bibere. (*Diſcipuli enìm eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent.)
9 * Dicit ergò ei mulier illa Samaritana: Quomodò tu Iudæus cum ſis, bibere à
me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enìm coutuntur Iudæi Samarita-
10 nis. * Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui di-
cit tibi: Da mihi bibere: tu forſitàn petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.
11 * Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt:
12 vndè ergò habes aquam viuam? * Numquid tu maior es patre noſtro Iacob,
13 qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? * Re-
ſpondit Ieſus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum: qui au-

tèm

14 *tem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: * ſed aqua, quam*
15 *ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. * Dicit ad eum mu-*
lier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam: neque veniam hùc hauri-
16 *re. * Dicit ei Ieſus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. * Reſpondit mu-*
17 *lier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Ieſus: Bene dixiſti, quia non ha-*
18 *beo virum: * quinque enim viros habuiſti, & nunc, quem habes, non eſt tuus*
19 *vir: hoc verè dixiſti. * Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.*
20 ** Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt lo-*
21 *cus, vbi adorare oportet. * Dicit ei Ieſus: Mulier, crede mihi, quia venit ho-*
22 *ra, quandò neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem. * Vos*
23 *adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. * Sed*
venit hora, & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in Spiri-
24 *tu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum: * Spiritus eſt*
25 *Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. * Dicit*
ei mulier: Scio quia Meſſias venit, (qui dicitur Chriſtus.) cum ergò venerit
26 *ille, nobis annunciabit omnia. * Dicit ei Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum.*
27 ** Et continuò venerunt diſcipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loque-*
28 *batur. Nemo tamèn dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? * Reliquit*
29 *ergò hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: * Ve-*
nite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe
30 *eſt Chriſtus? * Exierunt ergò de ciuitate, & veniebant ad eum. * Interea ro-*
31 *gabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, manduca. * Ille autèm dicit eis: Ego*
32 *cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. * Dicebant ergò diſcipuli ad inui-*
33 *cem: Numquid aliquis attulit ei manducare? * Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt*
34 *vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. * Nonne*
35 *vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Eccè dico vo-*
bis: Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.
36 ** Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam:*
37 *vt, & qui ſeminat, ſimùl gaudeat, & qui metit. * In hoc enim eſt verbum*
38 *verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. * Ego miſi vos me-*
tere quod vos laboraſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.
39 ** Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, proptèr*
verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcunque
40 *feci. * Cum veniſſent ergò ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi ma-*
41 *neret. Et manſit ibi duos dies. * Et multo plures crediderunt in eum proptèr ſer-*
42 *monem eius. * Et mulieri dicebant. Quia iam non proptèr tuam loquelam cre-*
dimus: ipſi enim audiuimus, & ſcimus quia hic eſt verè Saluator mundi.

COM-

COMMENTARIVS.

V*T ergò cognouit Ieſus quia audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit*, prædicatione ſua, *& baptizat, quam Ioannes*, antequàm carceri manciparetur, *quamquàm Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius*, baptiſmo Chriſti, *reliquit Iudæam, & abijt iterùm*, ſecunda vice *in Galilæam* ibi prædicaturus, vbi non patebat tot inſidijs, *oportebat autem eum tranſire per Samariam. Venit ergò* per tranſitum *in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar iuxtà prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo*. Geneſ. 48. do tibi partem vnam extrà fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo intellige quam emptam priùs à filijs Sichem centum agnis. Gen. 33. Ioſue 24. antè ſtuprum Dinæ, de quo. Geneſ. 34. & ab Amorrhæis occupatam, ab eiſdem vindicauerat, nàm ſi non fuiſſet priùs empta, & ſui dominij, non procuraſſet bello eam perſequi, & recuperare iuſtus Iacob, qui alienum non tuliſſet, & poſtquàm hæc conſtant ex Scriptura, & de alijs non habemus, his ſtandum, nec aliud quærendum; *erat autem ibì fons Iacob*, retinens adhùc denominationem: *Ieſus ergò fatigatus ex itinere* (ſic demonſtrans ſe hominem) *ſedebat ſic*, feſſus, *ſuprà fontem*, ſeù puteum: *hora erat quaſi ſexta*, meridies, vt denotet longum iter, vel horam prandij, vel vt ex ſtatu Chriſti, & hora doceret Euangeliſta mulierem moueri debuiſſe ad porrigendam ei aquam. *Venit mulier de Samaria* ex ciuitate, *haurire aquam* ex puteo. *Dicit ei Ieſus, da mihi bibere*, non dicit bibiturus, ſed conuerſurus mulierem, *diſcipuli enim eius abierant in Ciuitatem, vt cibos emerent*, hoc explicat, innuens non habuiſſe ſecum tùnc qui ei miniſtraret, & cur à muliere potum peteret. *Da mihi bibere.* Signum charitatis, quo vſus ſeruus Abrahæ cum Rebecca; ſi puella, cui dixero: inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit, bibe, quin, &c. Gen. 24. 14. Elias cum Sareptana: Da mihi paululum aquæ in vaſe, vt bibam. 3. Reg. 17. 10. Nathan cum Dauid. 2. Reg. 12. 3. dum fingit ouem de calice Domini bibentem. *Dicit ergò ei mulier illa Samaritana*: quomodò *tu Iudæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis* ex odio, quia illi occupabant regionem Iudæorum, vel fortè quadam traditione, non ex lege, quia Dominus illam non fregiſſet, iuſſit verò Apoſtolis: in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, non quia adeſſet prohibitio, ſed quia priùs Euangelizandum Hebræis, ad quos miſſus erat, quod excepit & cum Chananæa: & ſi Chriſtus his ex profeſſò prædicaſſet, Iudæi illum eò magis contempſiſſent, & nihilominùs dixerunt illum Samaritanum. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei, ſi ſcires donum Dei*, quod tibi elargitur, vt tecum colloquar, & ad id hùc acceſſerim, *& quis eſt, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam*, gratiam, nec tùnc intelligit de ſe ipſo, quia ſubdit, *& quis eſt, &c.* aliàs eſſet repetitio eiuſdem, & ex verbis apparet diſtinctio intèr ipſum, & donum, nec etiàm præſumitur loqui de alio dono, tùm quòd cenſendum eſt loqui de præſenti, non præterito, vel futuro, cum adſit materia præſens, & iàm præſupponat donum in eſſe creatum, datum, nec præſumitur id omiſſum, cum fuerit ſingulare beneficium, proùt in generali meminit eiuſdem beneficij, ſi non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, & de alijs donis dandis ſubdit, *& dediſſet tibi aquam viuam*, gratiam, Spiritum ſanctum, &c. *Dicit ei mulier: Domine, nequè in quo haurias aquam habes*, vas, *& puteus altus eſt; vnde ergò habes aquam viuam* mihi dandam? quaſi, irrides mihi, ſi de hac aqua intelligis; ſi verò de alia (facit hunc tranſitum, quia non ſatisfaciebat his ſolis verbis dictis per Chriſtum aliam aquam offerentem) *nunquid tu maior es patre noſtro Iacob* (patrem vel ra-

tione religionis aſſumptæ, vel commoditatis, vel ratione communis appellationis illum dicit) *qui dedit*, fabricauit *nobis*, *puteum*,hunc,*& ipſe ex eo bibit, & filij eius,& pecora eius?* vndè hæc aqua eſt ſaluberrima, vult dicere. *Reſpondit Ieſus,& dixit ei*, non reſpondet nunc ad dicta mulieris, ſed ſuam ſententiam proſequitur ad mulierem alliciendam, dicturus, & reſponſurus poſteà in progreſſu ſermonis de qua aqua intelligat, & ſe Meſſiam Iacob maiorem;*Omnis,qui bibit ex aqua hac*, huius putei, *ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua*, gratia, *quam ego dabo ei,non ſitiet in æternum,ſed*, imò *aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ratio, cur gratia tollat omnem ſitim,eſt,quia ducit ad gloriam, in qua nihil deſideratur,ſed inebriatur quiſque ab vbertate voluptatis ſuæ. *Dicit ad eum mulier: Domine,da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam hùc haurire*, tandem petit mulier, & accipiet, ſed vt poſſit in vas reponere mundum, priùs mundatur. *Dicit ei Ieſus: Vade voca virum tuum, & veni hùc*, applicat medicinam confeſſionis, vt euomat peccatum carnis, quod cœcam tenebat. *Reſpondit ei mulier, & dixit: Non habeo virum*, verum dixit,& hoc ſenſu Chriſtus accepit, *bene dixiſti*. *Dicit ei Ieſus:benè dixiſti,quia non habeo virum;quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus* vir. hoc verè dixiſti. Si hic vltimus non eſt ſuus vir, videtur ex oppoſitò inferri quinquè primos fuiſſe legitimos, & quia non datetur talis ordo, & ſequela in illegitimis,vt vnum pòſt alium habuiſſet. *Dicit ei mulier, Domine video quia propheta es tu*, fatetur peccatum verè, ideò dixit, *venite, & videte hominem, qui dixit mibi omnia quæcunque feci*, ſic Nathanael, viſo, quòd Ieſus dixerat illum vidiſſe ſub ficu, illicò dixit: Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël. *Patres noſtri* antiqui. 4.Reg.17.41. non Iudæi,quia Patres Iudæorum nunquàm adorauerunt in monte illo, ideò ad illos ſolos verba reſtringenda, *in monte hoc adorauerunt; & vos* Hebræi *dicitis,quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet*, facere ſacrificia; nàm vbiquè Deus adorari poterat, prout faciebat Daniel ſe proſternendo ter in die contrà Hieruſalem. Dan.6.10.ad ſpiritualia tendere cœpit ex animo, non autèm diuertens Chriſtum à correctione vitæ ſuæ, cum neque ægrè tuliſſet ſe deprehenſam, & interrogatio ex ſpiritu bono procedere poſſit,& præſumatur;Imò credo eam poſtquàm confeſſa eſt,&recognouit peccatum,mundatam fuiſſe,& aliòqui non eſſet vas capax ad tanta, quæ extulit eam Chriſtus, cui facilis dimiſſio peccati, prout Magdalenæ, & Paralitico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Dicit ei Ieſus: mulier* (ecce denominatio mulieris ex vſu) *crede mihi*, quærit ad fidem trahere, *quia venit hora*, tempus, *quandò neque in monte hoc* Garizim, *neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem*, Deum, hæc enim omnia ſacrificia cruenta ceſſatura,& aliud incruentum ſubrogandum. *Vos*, Samaritani cœci *adoratis quod neſcitis*, miſcentes Deum verum cum falſis. 4.Reg.17. Arcam cum Dagon, non enim præſumitur eos mutaſſe ritus patrios,præſertim quia habebant templum diuerſum à Ieroſolymitano,in quo ſolo licebat tùnc offerre. Deuter. 12. *Nos*, Hebræi, *adoramus quod ſcimus*, adorandum eſſe vnum Deum, *quia* conſequentèr *ſalus ex Iudæis eſt* veritati innitentibus, *ſed venit hora, & nunc eſt* poſtquàm ego veni,*quandò* etiàm *veri adoratores*,prout Hebræi,*adorabunt Patrem*,Deum, *in ſpiritu*, modo ſpirituali, & ſic vbiquè, & corde, non externis munditijs, *& veritate*, illum verum Deum recognoſcentes. Non dicas *in veritate*, ideſt non in ſacrificijs animalium, non per figuras repræſentantes futura, ſed præterita in memoriam paſſionis meæ, quia etiàm in figuris erat vera adoratio,vt ſuprà dixit;*nàm & Pater tales quærit, qui adorent eum* in ſpiritu, ex corde, & veritate Deum illum recognoſcētes ſolum,verũ, & quem miſit Ieſum Chriſtum, in hoc enim vita æterna, & huic veritati Chriſtus, ipſa veritas teſtimonium perhibuit ſub Pilato, ego veni in hunc mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. *Spiritus eſt Deus,& eos, qui adorant eum, in ſpiritu,& veritate oportet adorare*, vt adoratio adorato conueniat: non excluditur externa adoratio, ſed & in ea Spiritus requiritur, & ſic prædicit, & dat rationes, cur externa religio Samaritanorum,

rum, & Iudæorum abolenda. *Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit*, pro veniet, *qui dicitur Chriſtus*, vnctus: *cum ergò venerit ille, nobis annuntiabit omnia* agenda, cum detur in doctorem, & præceptorem, quaſi velit dicere, tùnc videbimus qui præferendi in cultu nos ne, an Hebræi. *Dicit ei Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum*, & hoc eſt donum, de quo dicebam: ſed nunc maius manifeſtando ſe illi expreſsè, quod nunquàm fecit, niſi ſub Caipha, à quo ſententiam mortis ea de cauſa accepit, & hoc ſciens ſempèr abſtinuit, & prohibuit diſcipulis reuelationem, hic autèm reuelatio non erat periculoſa, ex Caietano. *Et continuò venerunt diſcipuli eius* à ciborum emptione regreſſi, *& mirabantur, quia cum muliere loquebatur*, Samaritana, *non enim coutuntur, &c.* ob religionem, nàm & cum adultera ſola dimiſſa ab exeuntibus, & Emorohiſſa, Chananæa & alijs loquebatur, & notas, vel coniunctas Iudæas, nedum ad loquelam, ſed etiàm ad ſequelam admittebat. Luc. 8. quæ miniſtrabant de facultatibus ſuis, non in alijs miniſterijs, nec enim erant viles, ſed inſignes. vt Ioãna vxor Chuſæ, procuratoris Herodis, Magdalena, quæ nec in propria domo miniſtrauit, & quia diſcipuli hìc leguntur emiſſe annonam, & quia cum eſſet circuiens Ciuitates, & Caſtella, non erat officium muliebre. Vide ſcripta in Chananæa. *Nemo tamèn dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea*, tanta erat eorum ergà Chriſtum reuerentia. *Reliquit ergò hydriam ſuam mulier* præ gaudio ebria ſpiritu, intenta operi, *& abijt in Ciuitatem* nuntiatura theſaurum inuentum, proùt Andreas, & Philippus ſuprà cap. 1. *& dicit illis hominibus* Ciuitatis. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunquè feci;* ſic Philippus Nathanaeli, veni & vide. Ioan. 1. Sic Centurio vocauit cognatos, & neceſſarios amicos ad prædicationem Petri. act. 10. 24. *Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* idèſt noune ipſe eſt Chriſtus? *Exierunt ergò de Ciuitate* homines illi, *& veniebant ad eum*, ſic dicit, quia vult ad alia diuertere donèc perueniant. *Intereà rogabant eum*, Ieſum, *diſcipuli dicentes, Rabbi manduca. Ille autèm dicit eis, ego cibum* ſpiritualem, *habeo manducare, quem vos neſcitis*, conuerſionem huius Ciuitatis, præfert quod excellentiùs erat; ſic ſeruus Abrahàm cum Laban, & Bathuel. Geneſ. 24. Samuel cum Iſai in vnctione Dauid. 1. Reg. 16. 11. Tobias cum Raguele pro Sara. Tob. 7. 10. *Dicebant ergò diſcipuli ad inuicèm* adhùc rudes. *Nunquid aliquis attulit ei manducare?* videbant enim eum fatigatum, horam ſextam: *dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt*, quo maximè delector, *vt faciam voluntatem eius, qui miſit me*, Patris, *vt perficiam opus eius*, conuertendo in ſui agnitionem totum mundum, hìnc dicebat in ſermone vltimo in cænaculo, manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Ioan. 17. 6. *Nonne vos dicitis, quòd adhùc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* adeò ab hominibus cum gaudio expectata? *ecce dico vobis* maiorem cauſam gaudendi meſſis ſpiritualis inſtantis; *Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iàm ad meſſem*, homines ſcilicèt iſtius Ciuitatis ad me properantes, quos metam ducendo ad fidem in me, & totam Iudæam; & vt eos accendat ad meſſem, ſubdit. *Et qui metit*, quia non eſt Dominus meſſis, *mercedem accipit*, primùm, *& congregat* ſibi *fructum in vitam æternam* ducentem ſic Iacob. 5. 20. qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum; *vt & Dominus, qui ſeminat, ſimùl gaudeat, &* mercenarius, *qui metit, in hoc enim eſt verbum verum*, quod vulgò dicitur in vobis, *quia alius eſt, qui ſeminat, & alius eſt, qui metit. Ego miſi vos metere* in Iudæa dum baptizaſtis, *quod vos non laboraſtis* ferendo; *alij* ſeminantes *laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis*, Patriarcharum, & Prophetarum in populo Hebræo, non in gentibus, in quibus Apoſtoli, & ſeminauerunt, & meſſuerunt; intèr gentes enim aliud ſemen nõ erat, niſi aliqua audita ab Hebr. ad Tob. cap. 13. & Sap. 18. 4. Ezech. 5. à verſ. 5. vſquè ad fin. & 36. 23. vel eorum ſcripturis. Dominus narrabit in ſcripturis populorum, Sibyllis, & alijs lucernis vix lucem emittentibus. *Ex Ciuitate autèm illa multi crediderunt in eum Samaritanorum proptèr verbum mulieris teſtimonium perhibentis; quia dixit mihi omnia quæcunquè feci.* Cre-

dunt hi mulieri, Hebrei tot teſtibus diffidũt. *Cum veniſſent ergò ad illum*, adhùc ad puteum ſtantem *Samaritani*, *rogauerunt eum, vt ibì maneret*, corda eorum penetrauerat Deus, *& manſit ibì duos dies*, paruum ſpatium, ne Hebræi quid humani paterentur, qui fortè hinc dixerunt illum Samaritanum, ſed multi fructus; *& multò plures crediderunt in eum proptèr ſermonem eius* corda penetrantem, fructus hoſpitalitatis, *& mulieri dicebant* credentes, *quia iàm non proptèr tuam loquelam credimus, ipſi enìm audiuimus, & ſcimus* ex viſis, & auditis, *quia hic eſt verè Saluator*, nedum Hebræorum, ad quos miſſus, ſed *mundi* totius.

Sicuti tempore Iacob, cum oppreſſa Dina, promptus fuit populus ad circuncisionem, & legem Moyſis, ſic habitatores huius temporis ad fidem Chriſti eorum miſerentis, & quis ſcit, an hi ad preces alicuius pro patria tùnc à filijs Iacob occiſi, & circumciſi ſalui? legimus de Onia defuncto, hic multum orat pro populo, & vniuerſa Ciuitate.

Sichar fuit deſtructa materialitèr à filijs Iacob ob ſtuprum Dinæ, nunc ſpiritualitèr per Samaritanam peccatricem à Chriſto reædificatur, & erigitur, ſic per Euam mors, per Mariam ſalus, per Iudæos deſtructio, per Iudæum exedificatio.

CAPVT XXVII.

DE FILIO REGVLI SANATO.

Ioan. 4.

43 *POST duos autèm dies exijt indè: & abijt in Galilæam:*
44 ** Ipſe enìm Ieſus teſtimonium perhibuit quia Propheta in*
45 *ſua patria honorem non habet.* Cum ergò veniſſet in Ga-*
lilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent
quæ fecerat Ieroſolymis in die feſto: & ipſi enìm venerant
46 *ad diem feſtum. * Venit ergò iterum in Cana Galilææ,*
vbì fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cu-
47 *ius filius infirmabatur Capharnaum. * Hic cum audiſſet quia Ieſus adueniret à*
Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum Vt deſcenderet, & ſanaret
48 *filium eius: incipiebat enìm mori. * Dixit ergò Ieſus ad eum: niſi ſigna, & pro-*
49 *digia videritis, non creditis. * Dicit ad eum Regulus: Domine, deſcende prius*
50 *quàm moriatur filius meus. * Dicit ei Ieſus: vade, filius tuus viuit. Credidit*
51 *homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat. * Iàm autèm eo deſcendente, ſerui*
52 *occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat*
ergò horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſe-
53 *ptima reliquit eum febris. * Cognouit ergò pater, quia illa hora erat, in qua di-*
54 *xit ei Ieſus: Filius tuus viuit: & credidit ipſe, & domus eius tota. * Hoc ite-*
rum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cum veniſſet à Iudæa in Galilæam.

COM-

COMMENTARIVS.

P*OST duos autèm dies exijt inde.* ex Sichar, *& abijt in Galilaam; ipſe enim Ieſus teſtimoniũ perhibuit, quia propheta in ſua patria honorem nõ habet*, ſpernitur, inuidia roditur. *Cum ergò veniſſet in Galilaam, exceperunt illum Galilai* cum honore, *cum omnia vidiſſent* mirabilia, *qua fecerat Ieroſolymis in die feſto, & ipſi enim venerant ad diem feſtum*, vndè decipi non poterant, at non eiectionem è templo, iuxtà opinionem meam, quæ in fine contigit, ſed alia miracula non deſcripta ſpecificè, & hinc colligitur Chriſtum in Galilæa miracula non patraſſe, prætèr illud ad nuptias, & ſic dum manſit in Capharnaum, antequàm iret Ieroſolymam, non legitur miraculum vllum. *Venit ergò iterum in Cana Gelilaa, vbi fecit aquam vinum*, dimiſſa patria Nazareth parum ſibi propitia, ſeù ſeceſſit in Cana, & deindè Capharnaum, in principio enim prædicationis ad fidem acquirendam, requirebatur honor ergà illum ex parte eorum, ad quos deflectebat. *& erat quidam Regulus*, Dominus, Hebræus fortè, quia loquitur ſecum Chriſtus de ſignis, quia ſi gentilis, dixiſſet, proùt Chananææ, non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, quod non Centurioni, quia non erat de gentibus adiacentibus populo moleſtis, qui fortè ad Capharnaum Emporium nobile diuerterat, & ibì filius eius infirmabatur, vndè ex contextu excluditur, quòd eſſet Dominus loci illius, vel incola, non enim diceretur, *cuius filius infirmabatur Capharnaum*, ſi Dominus originarius, vel incola fuiſſet, vel fieret maior expreſsio. *Cuius filius infirmabatur Capharnaum, hic cum audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudaa in Galilaam abijt ad eum, & rogabat*, importunus, *eum*, ſiſtentem in Cana, *vt deſcenderet* à Cana in Capharnaum, quò non cogitabat Dominus, *& ſanaret filium eius. incipiebat enim mori;* infirmitatem periculo plenam exponit Euangeliſta, vt appareat de miraculi magnitudine. *Dixit ergò Ieſus ad eum. Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* reprehendit Dominus Regulum ob fidei imperfectionem, non ob totalem infidelitatem, niſi enim aliquo modo credidiſſet, non acceſsiſſet ad Dominum pro filij ſanitate; hanc autèm conceperat multorum relatione ex miraculis in Cana, Ieroſolymis, & alibì per Chriſtum factis, ſed non erat firma, quia expectauit tranſitum Domini, & filium morientem, nec adijt eum vſquè in Iudæam. Nec obſtat rogaſſe Dominum, vt deſcenderet, non enim ex hoc infertur non credidiſse Dominum abſentem ſanare poſſe, quia citò credidit Domino. Nequè de hoc reprehenditur, ſed quòd vellet videre, ſpeciatim reprehendendus, ſi eo morbo grauaretur, & confirmandus, ac inſtruendus, proùt multos infideles antè miraculum inſtruxit, & confirmauit Chriſtus. Sed vel fuit modus loquendi minùs principalis in ſua intentione, quæ verſabatur in ſanitate filij quærenda, vel iuxtà conſuetudinem, proùt & Naaman arbitrabatur Eliſæum deſcenſurum, & impoſiturum manum ſupèr locum lepræ, & ſæpiùs hoc vſus eſt Dominus in miraculis patrandis, vt in paralytico, quem apprehenſum ſanauit, dum linguam, & aures ſurdi, & muti tetigit, loculum filij Viduæ, permiſit Emorohiſſam tangere fimbriam, liniuit oculos cœci nati, ſtans ſupèr ſocrum Petri, imperauit ſebri, voluit ad ſe adduci lunaticum, vt appareret magìs eius virtus. Aut exceſſus ex nimio dolore ob infirmitatem filij incipientis mori, proùt in Aaron mortuis duobus filijs, qui dixit, quomodò potui placere Domino in cæremonijs mente lugubri? Leuit. 10. in fin. proùt lætitia in Petro neſciente quid diceret in monte Thabor, etſi reprehenſio Chriſti hùc tetendiſset, Regulus non ſubiunxiſset iterùm, & incontinenti. *Domine deſcende priuſquàm moriatur filius meus;* alioqui illa fruſtratoria fuiſset, & ſine effectu, nec meruiſset ſa-

nitatem filij. Vltrà quòd ſolebat Dominus explicitè narrare qualitatem incredulorum, & remedia adhibere accommodata; vt autèm ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tùnc dixit paralytico, ſurge & ambula, non reprehendit Archiſynagogum, dicentem: veni, & impone manum tuam. Matth.9.18. exhibet ſe iturum ad ſeruum Centurionis, non confirmat Regulum, proùt paralyticum, confide fili, & alium, ſi potes credere omnia poſſibilia ſunt credenti, ſorores Lazari, reſurget frater tuus, ego ſum reſurrectio, alium, qui reſpondit, credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Marc.9.24. Apoſtolos, adauge nobis fidem. Luc.17.5. reprehenſio ergò Chriſti in Regulum fuit, quia imperfectè credidit narrantibus Chriſti miracula, & ſigna, quibus ad perfectam fidem eleuari debuerat; nàm fides ex auditu, ſed ipſe videre volebat, vt perfectè crederet, vti Thomas, niſi videro in manibus eius, &c. non credam; & Hebræi, volumus à te ſignum videre, ideò ad eum ſolum loquens Chriſtus, & in plurali, vt minus eum feriat, ne ve alijs prodat, ſed ad fidem accendat perfectam, proùt Chananæam dum recuſat, nàm inquit Euangeliſta, *dixit ergò Ieſus ad eum*, ſolum ſcilicèt, *niſi ſigna, & prodigia videritis, &c.* vti ad Thomam, qui dixerat, niſi videro, infer digitum tuum hùc, & operatorius fuit ſermo Chriſti, quia *credidit homo ſermoni*, &c. & in ſignum abijt illicò, aliòqui non abiturus niſi crediſſet; credidit ergò perfectè pòſt prima verba Chriſti, *niſi ſigna*, &c. & ſanatus in ea parte, qua peccabat, vt vellet videre; poſſet etiàm attentari Regulum aliàs non crediſſe volentem videre, ſed tùnc ob infirmitatem filij mutaſſe ſententiam, & crediſſe, at Chriſtum volentem ſe Deum manifeſtare hanc præteritam ſuam infidelitatem obieciſſe, *niſi ſigna*, &c. nàm ſubditur, *credidit homo*, non ſimplicitèr, ſed *ſermoni*, at meliùs intelligenda verba huic tempori apposita de hoc tempore. *Rogabat eum*, humilitèr tribulatione victus, non ſuperbè, cum nulla verba ſuperbiam denotantia, ſed humilia. Naaman Syrus ſuperbè, qui nolebat iuſſis obedire, & putabat ſperni ab Eliſæo. *Dicit ad eum Regulus. Domine, deſcende priuſquàm moriatur filius meus*, exponit quod timet, cum dimiſerit incipientem mori, non cogitat an poſſit in vitam reuocare, ſed pulſat, vt recipiat, nec attendit quod Dominus dixerat, pro ſanitate filij agens; ſic Magdalena ad ſepulchrum, ſic ſponſa in canticis eorum negotio intentæ, perſeuerans vincit, ſic Iacob ab Angelo ſubripit benedictionem. Sunamitis ab Eliſæo pedibus eius innixa ſuſcitationem filij, & amicus panes, & vidua iuſtitiam. Luc. 18. At fuiſſet actus magnæ fidei explicare, vt abſens ſanaret, cum nullum præcederet exemplum, ideò laudatur fides Centurionis, & Chananææ id primò credentium, & petentium; etſi ad domum Centurionis de facili, quia infirmus erat in Ciuitate, difficiliùs ad Chananæam, quæ à finibus illis egreſſa erat. *Dicit ei Ieſus, Vade filius tuus viuit.* Chriſtus non iuit, quia iàm ſiſterat in Cana, quæ diſtabat à Capharnaum itinere vltrà diem vnum, & tùnc non cogitabat Capharnaum, nec expediebat diſcedere quia feſſus, & fatigatus, & quia magìs glorificabatur ſanans in abſentia, & fortè diminuiſſet famam propriam, non ſanando in abſentia, & cum in Capharnaum diutiùs permanſurus eſſet, præmiſit hoc miraculum ad aucupandam illius Ciuitatis fidem, & ex ſua miſericordia, ſic meliùs prouidit Regulo, & filio titubantibus in fide, ire voluit ad ſeruum Centurionis, vt eliceret fidem illius, quam fortè apprehenderat ex hoc miraculo in eadem Ciuitate, in qua erat, patrato; at nec longa mora, vel iter intercedebat, vt hic, ſic & iuit domum Archiſynagogi, quia erat in eodem loco, at mortuam ſuſcitaturus, non viuam ſanaturus, & ob id moram interpoſuit, ſciens morituram, & magìs in ea mortua glorificandum, & voluit de morte verè conſtare, quia cum intèr miracula mortuorum ſuſcitatio primum habeatur, noluit hæc abſens patrare, imò voluit omnes dare ſigna vitæ, quam receperant in eius præſentia, ne fortè cauillarentur miracula, vndè & filium Viduæ præſens excitauit, & dedit illum matri ſuæ, & acceſſit Lazarum reſuſcitaturus, vltrà quòd prohibiturus erat, ne miraculum proderent, quod intelligo ipſo præſente, & in itinere

ſana-

ſanaturus erat Emorohiſſam, poſtremò hìc expediens fuit, quia maius miraculum apparuit è longinquò reddere ſanitatem, in abſentia etiàm raró ſanauit, hùnc, filiam Chananææ, leproſos in via, & variè vſus eſt Chriſtus, proùt ſummæ ſuæ ſapientiæ viſum eſt magìs cedere in gloriam Dei. ***Credidit homo ſermoni*** huic, ***quem dixit ei Ieſus***, quia de hoc agebatur, vltrà quòd non progreditur Euangeliſta, ſed credidit firmitèr in Chriſtum; ***& ibat***, reuertabatur Capharnaum, vndè diſceſſerat, ***iàm autèm eo deſcendente*** per viam, ***ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes, quia filius eius viueret;*** quæ viciſſitudo, Archiſynagogo mortẽ, hi vitam Regulo. ***Interrogabat ergò horam ab eis, in qua meliùs habuerit***, ad maiorem miraculi certitudinem, quod propalaret, & alios ad Chriſtum adduceret, & ipſe magis confirmaretur, non quaſi incredulus, quis enìm non interrogaſſet eo modo?& quis dixerit etiàm Centurionem noluiſſe ſcire, qua hora ſeruus conualuerit, imò & ibì obſeruata hora, ſic & Chananæa inuenit illa hora filiam liberatam. Marc. 7. nec tamèn hæc detraxerunt eorum fidei, ſed manifeſtarunt miracula: ***& dixerunt ei, quia heri hora ſeptima reliquit eum febris, cognouit ergò Pater***, ex Dei prouidentia; vt clarum eſſet miraculum, ***quia illa hora erat, in qua dixit illi Ieſus, filius tuus viuit***, ſanus eſt, & ex hoc ***credidit ipſe, & domus eius tota***, quam ad fidem adduxit. ***Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus cum veniſſet à Iudæa in Galilæam***, & ex his verbis firmatur opinio primi miraculi in nuptijs, & excluſiones aliorum miraculorum, & præſertìm Capharnai, vbi ſiſterat.

CAPVT XXVIII.

DE VIA MARIS TRANS IORDANEM. GALILAEA GENTIVM.

Matth. 4.

13 *ET relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephtha-*
14 *lim: * vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam pro-*
15 *phetam: * Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via*
16 *maris trans Iordanem, Galilæa gentium: * populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus*
17 *in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis: * Exindè cæpit Ieſus prædicare, & dicere: Pænitentiam agite: appropinquauit enìm regnum cæ-*
18 *lorum. * Ambulans autèm Ieſus iuxtà mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in ma-*
19 *re, (erant enìm piſcatores) * & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri*
20 *piſcatores hominum. * At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. * Et pro-*
21 *cedens indè, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius*

22 *eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua; & vocauit eos. * Illi*
23 *autèm ſtatìm relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum. Et circuibat Ieſus totam*
Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & ſa-
24 *nans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.* Et abijt opinio eius*
in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus, &
tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos,
24 *& curauit eos: * Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, &*
de Ieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

Marc. 1.

14 *POſtquàm autèm traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam, prædicans*
15 *Euangelium regni Dei,* & dicens: Quoniam impletum eſt tempus, & ap-*
propinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.

Luc. 4.

14 *ET regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per vni-*
15 *uerſam regionem de illo. * Et ipſe docebat in Synagogis eorum, & magni-*
ficabatur ab omnibus.

COMMENTARIVS.

ET relicta Ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum, maritima, *in finibus Zabulon, & Nephtalim, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam.* Chriſtus prima vice venit in Canam, vbì miraculum in nuptijs patrauit, indè ſeceſſit in Capharnaum, ibiquè manſit per dies aliquot non faciens ſigna, iuit ad feſtum in Ieruſalem, vbì multa ſigna fecit. Io. 4. redijt ad Canam, vbi ſanauit puerum reguli, & quia debuerat ſe manifeſtare, iamquè carceri mancipata vox, Ioannes præcurſor; & officina, ſeù penarium erat conſtituendum, in quo ipſe habitaret, & ſcirent mercatores, qua eundum ad merces comparandas, ſanitatum, miraculorum, regni cæleſtis, & in Iudæa non poterat, quia illius habitatores nimis acerbi, & incapaces, & in mundo radicati, & in Galilæa ſemen fructuoſiùs recipiebatur, cogitauit ad Euangelicam legem promulgandam ſiſtendum in Galilæa, in qua fuerat educatus; patriam Nazareth cogitabat, at cognoſcebat parum ibì fructuum meſſurum, tùm quia non recipiebatur à Ciuibus, nàm nemo propheta acceptus in patria, tùm quia parua erat Ciuitas, parum commoda promulgationi, ſeceſſit igitur in Capharnaum Emporium nobiliſſimum, & frequentatum ab omnibus circumuicinis, & ibì cœpit liberiùs, & coràm omnibus prædicare pœnitentiam, & regnum cælorum annuntiare, ne autèm crederetur id caſu factum, meminit Euangeliſta prophetiæ, ex qua, & alijs apparet, nihil feciſſe, niſi anteà prædictum, idquè ſumma Dei prouidentia, vt recognoſceretur pro Meſſia promiſſo, in quo hæc verificanda erant; Hanc autèm prædicationem latiorem cœpit, Ioanne carceribus mancipato, vt ipſo ceſſante, vox non deficeret annuncians

hæc

hæc cæleſtia, etſi & ipſo Ioanne libero ſempèr prædicauerit & docuerit pòſt baptiſmum ſuum, nàm credendumne eſt, dum diſcipuli baptizarent, ipſum otio deditum? abſit, & ſi Ioannes baptizans prædicabat, quid non ipſe? & ſi fecit ſigna in Ieruſalem, credendum illa patraſſe abſquè eo, quòd loqueretur, & prædicaret! imò cum doctrina vincebat miracula: & nonnè dicitur clarè ipſum incæpiſſe à baptiſmate Ioannis. Act. 1. 22.? nonnè præuenit tempus in anno duodecimo? quomodò, poſtquàm ad trigeſimũ peruenit, non eſt progreſſus? nonnè habebat diſcipulos ſecum, dum iuit Ieruſalem, & baptizaret in Iudæa? Nec dicatur, prædicatio Chriſti nocuiſſet prædicationi Ioannis; nàm hoc eſt quod dicebat Ioannes: me oportet minui, illum autèm creſcere; & nonnè eodem tempore baptizabat Chriſtus per diſcipulos, & Ioannes? & Ioannes tranſmittebat ſuos baptizatos ad Chriſti baptiſmum? & miracula nonnè illum Ioanni præferebant? etſi non prædicaſſet, quomodò ad baptiſmum tot concurriſſent? neceſſe eſt enim illum ex Ieruſalem diſcedentem multos comitatos eſſe; quos poſteà baptizare fecit ab Apoſtolis. Non obſtant verba Luc. 23. 5. commouet populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa, quia verum eſt non factam commotionem niſi his diebus, non autèm conuincitur non cœptam prædicationem, dum enim incœpit commotio in Iudæa mediante baptiſmo, diſceſſit cedens inuidiæ Iudæorum, & in Galilæam ſeceſſit, vt hìc, & tùnc cœpta commotio, non prædicatio. Non obſtant alia Petri. Act. 10. 37. Vos ſcitis quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam; incipiens enim à Galilæa pòſt baptiſmum, quod prædicauit Ioannes; nàm incœpit à Galilæa ex miraculo facto in Cana, & deindè in vniuerſam Iudæã, vt ibi, non quòd nunc inciperet. Non obſtant verba Marc. 1. poſtquàm traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæã prædicãs, &c. quia non excludunt præcedentem prædicationem in alijs locis: *Terra Zabulon, & terra Nephtalim via maris trans Iordanem Galilæa gentium. Populus* regionum harum, *qui ſedebat in tenebris* ignorantiæ, & peccatorum, *vidit lucem magnam*, & veram, illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum, ego ſum lux mundi, *& ſedentibus in regione vmbræ mortis*, cum enim concluſa eſſent omnia ſub peccato, non apparebat niſi vmbra mortis, cui omnes ſubijciebantur, vmbra illius omnia adumbrabat, cooperiebat, *lux orta eſt eis*, vmbram hanc mortis fugans, Chriſtus ſcilicèt; ſic Zacharias: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, & Pſal. 106. & eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis. Matthæus ergò vtitur dicto Iſaiæ in omnibus propitio, nõ ergò iuxtà Matthçum intelligi poteſt prophetia illa, vt primò alleuiata in bonum, deindè aggrauata in malum; ideò ipſe abſtinet ab illis verbis, vel illa verba in bonum ſonare debent, vt primò alleuiata à iugo, deindè aggrauata fonte gratiarum interpretemur iuxtà hunc ſenſum Matthæi, ad quem trahi poſſunt, quæ ſequuntur verba Iſaiæ; at quicquid ſit de verbis Iſaiæ, ſatis eſt nobis Matthæum ſic interpretatum, vel aſſumpſiſſe tantùm verba ad aperiendum beneficium magnum regioni illi exhibitum ob Chriſti incolatum. Vel ſic dicas. Primo tempore, quo populus Iudaicus ingreſſus eſt in terram promiſſionis, alleuiata, exonerata eſt, exhilarata eſt, *terra Zabulon, & terra Nephtalim*, vrbes his tribubus aſſignatæ, ſeù habitatores, & sic permanſit, dum Deo ſeruiuit, *nouiſſimo*, vltimo tempore aggrauata eſt *via maris*, ne dum terrę illæ, ſed tota regio *trans Iordanem Galilæa gentium*, quæ gentium erat olìm poſtquàm idòlolatriæ dedita, ducta fuit in captiuitatẽ, nec redijt; nunc autèm tempore Meſſię, & prędicationis eius *populus, qui ſedebat*, qui ambulabat *in tenebris* peccatorum, & ignorantiæ *vidit lucem magnam. ſedentibus*, habitantibus *in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Exindè* poſtquàm ſiſtit in Capharnaũ *cœpit Ieſus prædicare, & dicere* per loca illa; nàm & alibì docuerat, & prædicauerat, vt dixi; *Pœnitentiam agite* à peccatis, diſcite iuſtitiam, eruite vos à tenebris, ad lucem accurite, *appropinquauit enim regnum cælorum*, ad quod aſpirare debetis, ſed priùs mundemini à peccatis, quæ impediunt illius ingreſſum; ſic cœpit & Ioannes. *Et circuibat Ieſus totam Galilæam docens in ſynagogis*

gogis eorum, & prædicans Euangelium regni, regnum cælorum annunciantis, & promittentis, *& ſanans omnem languorem, & omnes infirmitates in populo*, doctrinam, & Euangelium miraculis comprobans, *& abijt opinio*, &c. hæc clara.

CAPVT XXIX.

DE VOCATIONE PETRI, ANDREAE, IACOBI, ET IOANNIS.

Matth. 4.

18 *AMBVLANS autèm Ieſus iuxtà mare Galilææ, vi-*
dit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & An-
dream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enìm
19 *piſcatores)* * *& ait illis: Venite poſt me, & faciam vos*
20 *fieri piſcatores hominum.* * *At illi continuò relictis reti-*
21 *bus ſecuti ſunt eum.* * *Et procedens indè, vidit alios duos*
fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in
22 *naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocauit eos.* * *Illi au-*
tèm ſtatìm relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.

Marc. 1.

16 *ET præteriens ſecùs mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem*
17 *eius, mittentes retia in mare, (erant enìm piſcatores)* * *& dixit eis Ieſus:*
18 *Venite pòſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* * *Et protinùs relictis*
19 *retibus, ſecuti ſunt eum.* * *Et progreſſus indè puſillum, vidit Iacobum Zebedæi,*
20 *& Ioannem fratrem eius, & ipſos componentes retia in naui:* * *& ſtatìm voca-*
uit illos. Et relicto patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſecuti ſunt eum.

Luc. 5.

1 *FACTVM eſt autèm, cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum*
2 *Dei, & ipſe ſtabat ſecùs ſtagnum Geneſareth.* * *Et vidit duas naues ſtan-*
3 *tes ſecùs ſtagnum: piſcatores autèm deſcenderant, & lauabant retia.* * *Aſcendens*
autèm in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſil-
4 *lum. Et ſedens docebat de nauicula turbas.* * *Vt ceſſauit autèm loqui, dixit ad*
5 *Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* * *Et reſpondens*

Simon,

Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil capimus: in ver-
6 *bo autèm tuo laxabo rete. * Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudi-*
7 *nem copioſam, rumpebatur autèm rete eorum. * Et annuerunt ſocijs, qui erant in*
alia naui vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt am-
8 *bas nauiculas, ita vt penè mergerentur. * Quod cum videret Simon Petrus,*
9 *procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. * Stu-*
por enìm circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piſcium,
10 *quam ceperant: * Similitèr autèm Iacobum, & Ioannem, filios Zebedæi, qui*
erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere: ex hoc iàm homines
11 *eris capiens. * Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.*

COMMENTARIVS.

AMbulans, &c. dicendum eſt, factum Matthæi, & Marci idem eſſe quod Lucæ, ſed plura Lucam dicere omiſſa ab alijs duobus, & ſic præcedere, quòd priùs turbas docuerit, miraculum piſcium captorum, ſtupor Petri, & deindè ſequatur vocatio, quam exprimunt latiùs Matthæus, & Marcus, Lucas compendiosè, ſcribens quid de illis acciderit vno verbo ſufficienti, *& ſubductis ad terram nauibus ſecuti ſunt eum*, cum cætera apud Matthæum, & Marcum haberentur. Et licèt nulla mentio Andreæ in Luca, tamèn ſuppletur ex Matthæo, & Marco, & fortè etiàm nuncupabatur nauis Petri, & ſecundùm hanc denominationem Euangeliſta locutus eſt, de nauibus verba faciens, etſi domus dicatur communis. Marc. 1. Cum enim tàm in Luca, quàm in Matthæo, & Marco fiat mentio ſequelæ, & capturæ hominum vice piſcium, & Lucas *ſubductis ad terram nauibus*, alij, *relictis*, vix potèſt teneri duo eſſe facta, nàm ab eo nunquàm poſteà receſſiſſe leguntur, quòd ſi aliquandò receſſiſſent, vtiquè ab Euangeliſtis facta eſſet mentio, fuerunt enìm aſſumpti in teſtes totius vitę Chriſti, eritis mihi teſtes, &c. & oportet autèm ex his viris, &c. Act. 1. 8. 21. & ideò dicebat illis, vos, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & vos, qui ſequuti eſtis me in regeneratione, &c. imò cum loqueretur de corpore ſuo, & ſanguine, & abirent multi retrorſum, conuerſus ad Apoſtolos dixit, nunquid & vos vultis abire? & dixit Petrus, Domine quò ibimus, verba vitæ æternæ habes; & in morte volebant eſſe ſocij, eamus & nos, & moriamur cum illo, dixit Thomas; nequè occaſione piſcationis fuit illis neceſſe abire, quia dum fuerunt cum Chriſto, nihil eis defuit, vndè dicebat illis, quandò miſi vos ſine ſacculo, & pera, nunquid aliquid vobis defuit? & vna vice tantùm Chriſtus miſit Petrum ad mare, vt hamo apprehenderet piſcem pro tributo, quòd ſi aliàs miſiſſet, vel iſſent, Euangeliſtæ non prætermiſiſſent. Et licèt pòſt mortem Chriſti ierint piſcatum, id vel ne otiarentur, vel neceſſitatis cauſa cum tùnc abeſſet Dominus, & Iudas loculos habens crepuiſset, & fortè non rectis oculis ab indigenis magiſtri cauſa aſpicerentur, imò ſicùt de hac piſcatione dicitur, de alijs, ſi interueniſsent, mentio fieret. Nequè attendenda ſeries diuerſa Euangeliſtarum, apparet enìm hanc eos non attendiſse, ſed incubuiſſe narrationi miraculorum, & geſtorum Chriſti; & cum Chriſtus cœpiſser prædicationem in Galilæa, veriſimile eſt & turbas concurriſse, iuxtà Lucam, antequàm aſsumeret ſecum hos quatuor vocatos, & conſtat Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Et cum Petrus, & Andreas verſati eſſent cum Ieſu, quem ideò Petrus Præceptorem vocat, & miraculo Canæ interueniſſent, & in Ieruſalem: & ſaltèm fama geſtorum per Ieſum in Cana, & Ieruſalem vulgaretur,

retur,

retur, ità vt & ad ipſos peruenire potuerit, & iàm Simonem Cephæ nomine donaſset, nj mirum ſi nauim Petri Dominus liberè ingreditur, ſi ipſi promptè credunt, & in verbo ſuo laxarunt rete, etiàm antequàm vocarentur ad ſequelam, etſi facillimè credamus quæ optamus. Dicendum ergò Lucam plura dicere, quæ præceſserunt actum illum vocationis, omiſſa à Matthæo, & Marco, & dicta ab illis vno verbo explicare, *ſubductis*, &c. nec poſſe eſſe diuerſa, quia daretur receſſus eorum à Chriſto, qui non legitur, vt dixi; facit etiàm, quia & in Luca, aderant ibi Iacobus, & Ioannes cap. 5. 10. & contextus de ſocru Simonis ſecundùm Lucam, qui & in Marco pòſt eiectum dæmonem. in quo dicitur adfuiſſe hos quatuor Apoſtolos. Credo etiàm Petrum, & Andream, qui fuerunt cum Ieſu ad nuptias in Cana, in Capharnao, Ieruſalem, in aqua baptizantes, in quibus actionibus plures menſes conſumpti, antè hoc tempus vocatos fuiſſe, & abſquè dubio ſuos fuiſſe diſcipulos, ſed ad modicum ab eo diuertiſſe piſcatum, fortè, vt neceſſitatibus ſuis prouiderent, & de licentia magiſtri, præſertim quia erant in Ciuitate, quam incolebant cum ſuis; non enim ampliùs ab eo diſceſſerunt, aliòqui non poſſent dicere, & teſtificari à baptiſmate Ioannis vſquè ad Aſcenſionem. Act. 1. ideoquè Petri nauim ingreditur, Petrus vocat eum Præceptorem, capturam tantorum piſcium eis elargitur, qua ſoluit abundantèr naulum nauis; deindè eos vocat ad ſe cum ſocijs Ioanne, & Iacobo, vndè nõ puto hanc diuerſam vocationem à prima, ſed eandem, & hanc ex parte vocatorum excellentiorem quia omnia dimiſerunt, quod nondum præſtiterant; voluit enim eos omnibus curis liberos, à quibus cum nondum liberi eſſent, permiſit ad tempus ire domum, & piſcari, & etiàm de induſtria eo tempore factum, vt & ſocios venaretur, quos & miraculo piſcium voluit firmare; nàm Petrus, & Andreas plura iàm viderant, etſi enim poſſit violentèr, ſuauitèr tamèn hæc præſtat Deus omnipotens, & continuatam vocationem innuit Lucas, dicens. *Ex hoc iàm homines eris capiens*, non amplius à me diuerſurus etiàm ad modicum. *Quod cum videret Simon Petrus procidit ad genua Ieſu dicens: exi à me, Domine, quia homo peccator ſum; ſtupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piſcium*, vt explicat Euangeliſta, non alia cauſa, puta ſubmerſionis, præſertim quia de omnibus hoc dicit. Nequè intendebat Petrus Chriſtum à ſe diſcedere, ſed ſunt verba reuerentiæ, recognitionis eius virtutis, & beneficij: humilitatis, proùt Centurionis, Domine, non ſum dignus. Et verbum, *ſtupor*, non apponitur ad Petri excuſationem, ſed ad ſignificandum cur in ea verba, *exi à me, Domine*, proruperit. Vel ſunt peccatoris recognoſcentis ſe indignum tanto bono, peccatum enim aliquandò ad pœnam expetendam nos adigit, dùm illabitur in nobis cognitio grauitatis, & horroris illius; ſic Ionas mittite me in mare. ſic Cain, maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Gen. 4. 13. Hinc Sancti potiùs in inferno puros, quàm in cælo peccatores eſſe velle, intèr quos Anſelmus.

Digitized by Google

CAPVT XXX.
DE EXPVLSIONE DAEMONIS IN SYNAGOGA CAPHARNAI.

Marc. 1.

21 ET ingrediuntur Capharnaum: & ſtatìm Sabbatis ingreſ-
22 ſus in Synagogam, docebat eos. * Et ſtupebant ſupèr do-
ctrinam eius: erat enìm docens eos, quaſi poteſtatem ha-
23 bens, & non ſicùt Scribæ. * Et erat in Synagoga eorum
24 homo in ſpiritu immundo: & exclamauit, * dicens: Quid
nobis, & tibi Ieſu Nazarene: veniſti perdere nos? ſcio
25 qui ſis, Sanctus Dei. * Et comminatus eſt ei Ieſus, di-
26 cens: Obmuteſce, & exi de homine. * Ee diſcerpens eum ſpiritus immundus,
27 & exclamans voce magna exijt ab eo. * Et mirati ſunt omnes, ità vt con-
quirerent intèr ſe dicentes: Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua, quia
28 in poteſtate etiàm ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei. * Et proceſsit
rumor eius ſtatìm in omnem regionem Galilææ.

Luc. 4.

31 ET deſcendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibìquè docebat illos Sab-
32 batis. * Et ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.
33 Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit vo-
34 ce magna, * dicens: Sine, quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perde-
35 re nos? ſcio te, quis ſis, Sanctus Dei. * & increpauit illum Ieſus, dicens: Ob-
muteſce, & exi ab eo. Et cum proieciſſet illum dæmonium in medium, exijt
36 ab illo, nihilquè illum nocuit. * Et factus eſt pauor in omnibus, & colloque-
bantur adinuicèm, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtu-
37 te imperat immundis ſpiritibus, & exeunt? * Et diuulgabatur fama de illo in
omnem locum regionis.

COMMENTARIVS.

ET *ingrediuntur* Ieſus, & diſcipuli à mari *Capharnaum*, *& ſtatim* (docet quomodò non otiabatur) *Sabbatis ingreſſus in Synagogam docebat eos, & ſtupebant supèr doctrina eius*, ſic doctores dum eſſet duodecim annorum, eos in Templo interrogans, ſic aliàs, quomodò hic litteras ſcit, cum non didicerit? *erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens*, vti legislator, & Dominus, & ſuprà legem, *& non ſicut Scribæ*, hac poteſtate carentes, nec poteſt trahi hæc poteſtas ad miracula, quia agit de doctrina. *Et erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo*, habens dæmonium immundum, *& exclamauit* dæmonium in eo, *dicens: quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene?* quid nobis tecum? quodnam negotium? nos tibi non nocemus; ſentiebat ſe præſentia Christi torqueri, ſeù verbis, vel prædicatione homines conuerſura, non ex verbis cũ eo habitis, de quibus nullus Euangeliſta: *Veniſti perdere nos?* nouerat bellum, nouerat ſe debellandum, è mundo eijciendum, ac in tartarum proijciendum, vt in dæmoniaco Geraſeno rogantes, ne in abyſſum illos mitteret; erat enim hoc ſemen illud contriturum. Gen. 3. *ſcio quis ſcis, Sanctus* es ille *Dei* expectatus à Iudæis, ſic dicit mentiendo, vt in cognitionem veniat, quod non valuit tentando; non enim expediebat ei propalare eum apud homines Meſſiam; vndè ſi ſciſſet, non dixiſſet; at nunquàm in vita illum cognouit perfectè, de quo tamèn alibì dixi, & in Epiſtolis Pauli non cognouiſſe antè caſum verbum incarnandum; Eſt enim mendax, & pater mendacij, & eſt opinio Caietani (non coactus) non timore, & vexatione, quia non tendebant ad hoc, vt ipſe illum recognoſceret Meſſiam: ab illo enim Christus nolebat teſtimonium, ideò iubet tacere; vltrà quòd illum non cognoſcebat: *& comminatus eſt ei Ieſus, dicens: obmuteſce* mendax, duplex, non eſt tuum de me loqui. *Obmuteſce*, non docet dæmones, quibus volebat eſſe abſconditus, ſed imperat, ægrè ferens eorum laudes, proùt Paulus dæmoni dicenti, iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis. Act. 16. tandèm dolens dixit; præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea, *& exi de homine, & diſcerpens eum ſpiritus immundus*, abſquè læſione, vt appareret verbi eius efficacia; *& exclamans voce magna, exijt ab eo. Et mirati ſunt omnes, ità vt conquirerent intèr ſe, dicentes: quidnam eſt hoc?* nouum, inauditum? *quænam doctrina hæc noua, quia in poteſtate* verbi, *etiàm ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* eccè hìc poteſtas miracolorum ſeparata, *& proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galileæ*, ad hoc enim faciebat miracula, vt manifeſtaretur.

CAPVT XXXI.

DE SOCRV SIMONIS.

Matth. 8.

14 ET cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius
15 iacentem, & febricitantem: * & tetigit manum eius, &
16 dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis. * Ve-
ſpere autèm facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes:
& eijciebat ſpiritus verbo: & omnes malè habentes cu-
17 rauit. * Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam pro-
phetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit: &
ægrotationes noſtras portauit.

Marc. 1.

29 ET protinùs egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis, & An-
30 dreæ cum Iacobo, & Ioanne. * Decumbebat autèm ſocrus Simonis febri-
31 citans: & ſtatìm dicunt ei de illa. * Et accedens eleuauit eam, apprehenſa ma-
32 nu eius: & continuò dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis. * Veſpere autèm
facto cum occidiſſet Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia ha-
33 bentes: * & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. * Et curauit multos, qui
vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eijciebat, & non ſinebat
ea loqui, quoniàm ſciebant eum.

Luc. 4.

38 SVrgens autèm Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autèm
39 Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. * Et ſtans
ſupèr illam imperauit febri: & dimiſit illam. Et continuò ſurgens, miniſtra-
40 bat illis. * Cùm autèm ſol occidiſſet: omnes, qui habebant infirmos varijs lan-
guoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.
41 * Exibant autèm dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius
Dei: & increpans non ſinebat ea loqui: quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

COMMENTARIVS.

SVRGENS *autèm Ieſus de Synagoga*, in qua docuerat,&dæmonium eiecerat, *introiuit in domum Simonis*, pranſurus, quæ erat Capharnai, vt ex contextu. *Socrus autèm Simonis tenebatur magnis febribus*; hìc probatur Petrum vxoratum, de alijs Apoſtolis nullibì. *& rogauerunt* diſcipuli *illum pro ea*, vt impertiret ei ſanitatem; *& ſtans ſupèr illam*, vt appareret eum eſſe medicum ex miraculo; ſic infrà ſingulis manus imponens, *apprehenſa manu eius,eleuauit eam, imperauit febri*, nonquòd illa audiret, ſed proptèr adſtantes, *& dimiſit illam* continuò. *Et continuò ſurgens miniſtrabat illis* in ſignum perfectæ ſanitatis acceptæ. Sed cur ad domum Petri diuertit, cum eſſet pauper? at captura piſcium, & ſanitate ſocrus compenſauit. *Cum autèm ſol occidiſſet*, proptèr Sabbatum, *omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens.*, vt ab ipſo cognoſcerent ſanitatem, & manifeſtaretur, *curabat eos* perfectè; *exibant autèm dæmonia à multis clamantia, & dicentia*, tentando, vt ſcirent quod ignorabant, *quia tu es filius Dei, & increpans*, nolens ab eis laudem, & ſciens illa ignorare, & fictè loqui, *non ſinebat ea loqui*, dicentia ſic, *quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*, cum mentirentur ignorantia. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem, ipſe infirmitates noſtras accepit*, eas tollendo, *& ægrotationes noſtras portauit*, dum noſtri miſerendo, à nobis abſtulit, commiſerans enim videtur & ipſe ſubire vnà cum infirmo infirmitatem. Et intellige ſpirituales infirmitates, etiàm ſanando corporales, tuliſſe, quia ſanando corpus, ſanabat & animam, vt in paralytico Capharnaita, in languido, & alijs, & ſic omnia concordantur.

CAPVT XXXII.

DE SCRIBA VOLENTE SEQVI CHRISTVM CVM ALIIS.

Marc. I.

35 *ET diluculò valdè ſurgens, egreſſus abijt in deſertum lo-*
36 *cum, ibiquè orabat. * Et proſecutus eſt eum Simon, &*
37 *qui cum illo erant. * Et cum inueniſſent eum, dixerunt*
38 *ei: Quia omnes quærunt te. * Et ait illis: Eamus in*
proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad
39 *hoc enim veni. * Et erat prædicans in Synagogis eorum,*
& in omni Galilæa, & dæmonia eijciens.

Luc. 4.

42 *FActa autèm die egreſſus ibat in deſertum locum, & turba requirebant eum,*
& venerunt vſquè ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.
43 ** Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei:*
44 *quia ideò miſſus ſum. * Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.*

Matth. 8.

18 *VIdens autèm Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum. * Et*
19 *accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quòcumque ieris. * Et*
20 *dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autèm ho-*
21 *minis non habet vbì caput reclinet. * Alius autèm de diſcipulis eius ait illi: Do-*
22 *mine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. * Ieſus autèm ait illi:*
Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

Luc. 9.

57 *FActum eſt autèm: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Se-*
58 *quar te quòcumque ieris. * Dixit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volu-*
59 *cres cæli nidos: Filius autèm hominis non habet vbì caput reclinet. * Ait autèm*
ad alterum: Sequere me. ille autèm dixit: Domine permitte mihi primum ire, &
60 *ſepelire patrem meum. * Dixitquè ei Ieſus: Sine vt mortui ſepeliant mortuos*
61 *ſuos: tu autèm vade, & annuncia regnum Dei. * Et ait alter: Sequar te, Do-*
62 *mine, ſed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi ſunt. * Ait ad illum*
Ieſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt
regno Dei.

COMMENTARIVS.

E*T diluculò valdè ſurgens* è domo Petri, in qua noctem duxerat, *egreſſus, abijt in deſertum locum, ibiquè orabat, & proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erãt* diſcipuli alij; *& cum inueniſſent eum*, ſciebant fortè locum, *dixerunt ei: quia omnes quærunt te*; tracti erant à doctrina, & ſanitate, ſeù miraculis, *& turba requirebant eum, & venerunt vſquè ad ipſum, & detinebant illum, ne diſcederet ab eis*, adeò erant illi addictæ, *quibus ille ait, quia & alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideò miſſus ſum*, euangelizare pauperibus miſit me, & *iuſſit* diſcipulos *ire transfretum, & erat prædicans in Synagogis Galilææ* totius, circuiens ciuitates, & caſtella, & euangelizans. Et dum iret ad nauim, *accedens vnus Scriba ait illi, Magiſter, ſequar te quòcumquè ieris*, putabat fortè ſe ad delitias cum Chriſto iturum, vt ex reſponſione Chriſti de paupertate ſua, egenus enim factus eſt pro nobis. 2. Cor. 8. & quia

COMMENTARIVS.

SVRGENS *autèm Ieſus de Synagoga*, in qua docuerat, & dæmonium eiecerat, *introiuit in domum Simonis*, pranſurus, quæ erat Capharnai, vt ex contextu. *Socrus autèm Simonis tenebatur magnis febribus*; hìc probatur Petrum vxoratum, de alijs Apoſtolis nullibì. *& rogauerunt* diſcipuli *illum pro ea*, vt impertiret ei ſanitatem; *& ſtans ſupèr illam*, vt appareret eum eſſe medicum ex miraculo; ſic infrà ſingulis manus imponens, *apprehenſa manu eius, eleuauit eam, imperauit febri*, non quòd illa audiret, ſed proptèr adſtantes, *& dimiſit illam* continuò. *Et continuò ſurgens miniſtrabat illis* in ſignum perfectæ ſanitatis acceptæ. Sed cur ad domum Petri diuertit, cum eſſet pauper? at captura piſcium, & ſanitate ſocrus compenſauit. *Cum autèm ſol occidiſſet*, proptèr Sabbatum, *omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens*, vt ab ipſo cognoſcerent ſanitatem, & manifeſtaretur, *curabat eos* perfectè; *exibant autèm dæmonia à multis clamantia, & dicentia*, tentando, vt ſcirent quod ignorabant, *quia tu es filius Dei, & increpans*, nolens ab eis laudem, & ſciens illa ignorare, & fictè loqui, *non ſinebat ea loqui*, dicentia ſic, *quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*, cum mentirentur ignorantia. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem, ipſe infirmitates noſtras accepit*, eas tollendo, *& ægrotationes noſtras portauit*, dum noſtri miſerendo, à nobis abſtulit, commiſerans enim videtur & ipſe ſubire vnà cum infirmo infirmitatem. Et intellige ſpirituales infirmitates, etiàm ſanando corporales, tuliſſe, quia ſanando corpus, ſanabat & animam, vt in paralytico Capharnaita, in languido, & alijs, & ſic omnia concordantur.

CAPVT XXXII.

DE SCRIBA VOLENTE SEQVI CHRISTVM CVM ALIIS.

Marc. I.

35 *ET diluculò valdè ſurgens, egreſſus abijt in deſertum lo-*
36 *cum, ibiquè orabat. * Et proſecutus eſt eum Simon, &*
37 *qui cum illo erant. * Et cùm inueniſſent eùm, dixerunt*
38 *ei: Quia omnes quærunt te. * Et ait illis: Eamus in*
proximos vicos, & ciuitates, vt & ibì prædicem: ad
39 *hoc enim veni. * Et erat prædicans in Synagogis eorum,*
& in omni Galilæa, & dæmonia eijciens.

Luc.

Luc. 4.

42 *FActa autèm die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum,*
& venerunt vſquè ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.
43 ** Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei:*
44 *quia ideò miſſus ſum. * Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.*

Matth. 8.

18 *VIdens autèm Ieſus turbas multas circum ſe, iuſsit ire trans fretum. * Et*
19 *accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quòcumque ieris. * Et*
20 *dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autèm ho-*
21 *minis non habet vbì caput reclinet. * Alius autèm de diſcipulis eius ait illi: Do-*
22 *mine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. * Ieſus autèm ait illi:*
Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

Luc. 9.

57 *FActum eſt autèm: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Se-*
58 *quar te quòcumque ieris. * Dixit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volu-*
59 *cres cæli nidos: Filius autèm hominis non habet vbì caput reclinet. * Ait autèm*
ad alterum: Sequere me. ille autèm dixit: Domine permitte mihi primum ire, &
60 *ſepelire patrem meum. * Dixitquè ei Ieſus: Sine vt mortui ſepeliant mortuos*
61 *ſuos: tu autèm vade, & annuncia regnum Dei. * Et ait alter: Sequar te, Do-*
62 *mine, ſed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi ſunt. * Ait ad illum*
Ieſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt
regno Dei.

COMMENTARIVS.

E*T diluculò valdè ſurgens* è domo Petri, in qua noctem duxerat, *egreſſus, abijt in deſertum locum, ibiquè orabat, & proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erãt* diſcipuli alij; *& cum inueniſſent eum*, ſciebant fortè locum, *dixerunt ei: quia omnes quærunt te*; tracti erant à doctrina, & ſanitate, ſeù miraculis, *& turba requirebant eum, & venerunt vſquè ad ipſum, & detinebant illum, ne diſcederet ab eis*, adeò erant illi addictæ, *quibus ille ait, quia & alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideò miſsus ſum*, euangelizare pauperibus miſit me, & *iuſſit* diſcipulos *ire transfretum, & erat prædicans in Synagogis Galilææ* totius, circuiens ciuitates, & caſtella, & euangelizans. Et dum iret ad nauim, *accedens vnus Scriba ait illi, Magiſter, ſequar te quòcumquè ieris*, putabat fortè ſe ad delitias cum Chriſto iturum, vt ex reſponſione Chriſti de paupertate ſua, egenus enim factus eſt pro nobis. 2. Cor. 8. & quia

Chriſtus *prædicabat regnum cælorum*, quod de terreno interpretabantur, & quia non replicauit, vel te nudum ſequar, nec eſt ſequutus, potuit tamèn bona intentione acceſſiſſe; at per Chriſtum verbis illis admonito, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autèm hominis non habet vbi caput reclinet*, quæ tendunt ad excluſionem regni, & delitiarum non placuiſſe ſequelam, nàm Chriſtus illum non reiecit. *Ait autèm ad alterum ſequere me*. hunc inuitat ad ſequelam, etſi diſcipulum, *ille autèm dixit. Domine permitte me primùm ire & ſepellire patrem meum*, iàm defunctum, non autèm ſenem, vel infirmum; non enìm veriſimile eſt voluiſſe ad annos procraſtinari, præſertìm quia proponitur hoc in exemplum, nè momentaneam quidèm dilationem in ſequela Chriſti interponendam, & quia Chriſtus loquitur de præſenti, *ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*, & ſi de morte ſpirituali intellexiſſet, poterat is opponere, viuificabo illum prædicatione, & exemplo, at alij, quos vult mortuos ſepelire, erant ſpiritualitèr mortui, non credentes ſcilicèt, vel in peccatis infixi; is autèm viuebat ſpiritualitèr, quia qui credit in me, etiàmſi mortuus fuerit, viuet, ſic aliàs dicebam; At nūc dico, *permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum*, idèſt morari ſecum, donèc illùm ſepeliam, & poſteà ſequar te, ſi enìm pater mortuus eſſet, non dixiſſet ſimplicitèr *patrem*, ſed dixiſſet *mortuum*, & ſi fuiſſet mortuus, non erat tanta mora, quìn veriſimilitèr Dominus non eſſet permiſſurus illum regredi ad opus adeò bonum, & filiale: ſic Eliſęo vocato dicenti, oſculer, oro, patrē meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. 3.Reg.19. 20. permiſſum ab Elia. Prætereà cum inuitaretur ad ſequelam ex Luca, qui aſſerit Dominum dixiſſe, *ſequere me*, non eſt veriſimile ibì moram traxiſse, ſi habuiſſet domi patrem mortuum; nàm ſicuti nūc petit tempus ſepeliendi, ità ſi mortuus fuiſſet, non receſſiſset domo antequàm illum ſepeliſset; ex ſequentibus enìm comprehenditur eius animus; Inſupèr ſicuti in verbis, *ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*, nō intelligit Chriſtus de verè mortuis in corpore, ità nec ille ſic intellexit de Patre. Dicendum ergò hunc vocatum quæſiſse Inducias, volens oculos paternos claudere, iuxtà Caietanum, iuxtà quem etiàm verba, *dimitte vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*, poſsunt intelligi, ſine rebus mundanis incumbentes, hæc etiam mundi, & carnis exequi, ſicut enìm trahebat illum ad ſequelam, & prædicationem regni Dei, non ad fidem, ità poteſt credi illos non infideles, ſed potiùs fideles, quia alióqui ſuadendum ei fuit, vt illos ad fidem reduceret; nàm ſi ad alios trahendos ad fidem volebat illum ſe ſequi, quantò magis ad domeſticos? qui enìm ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, præſertìm ſpiritualem, infidelis eſt & infideli deterior. Hìnc dæmoniaco curato in regione Geraſenorum iuſſit volenti ſecum ire, vt remaneret, & euangelizaret ſuis. Marc. 5. Luc. 8. *Et ait alter, ſequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi ſunt*, componere domeſticas res meas. *Ait ad illum Ieſus, nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei*, quia ſicut arans retrò reſpiciens non poteſt facere ſulcos rectos, cum oculis directoribus indigeat, ſic nequè ſequi me volens, & ad mundana reſpiciens, poteſt eſſe aptus regno Dei, ſequelæ meæ. Hìnc Ioannes dicebat: rectas facite ſemitas, dirigite viam Domini. Sed videbatur is permittendus, ſicùt Elias permiſit Eliſæum, Dominus Matthæum pòſt vocationem; ſed quiſque horum erant iàm à mundanis abſtracti, Eliſæus enìm boues aratorios in fruſtra concidit, & incenſo aratro coxit carnes, & dedit populo. Matthæus parauit conuiuium, & præſente Domino res compoſuit.

Digitized by Google

CAPVT XXXIII.
DE TEMPESTATE SEDATA.

Matth. 8.

25 E*T aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli*
24 *eius: & eccè motus magnus factus eſt in mari, ità vt na-*
25 *uicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat. * Et ac-*
ceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, di-
*centes: Domine, ſalua nos, perimus. * Et dicit eis Ieſus:*
26 *Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperauit*
*ventis, & mari: & facta eſt tranquillitas magna. * Por-*
rò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?

Marc. 4.

35 E*T ait illis in illa die, cum ſerò eſſet factum: Tranſeamus contrà. * Et di-*
36 *mittentes turbam, aſſumunt eum ità vt erat in naui, & aliæ naues erant*
37 *cum illo. * Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ità*
38 *vt impleretur nauis. * Et erat ipſe in puppi ſupèr ceruical dormiens: & excitant*
39 *eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? * Et exur-*
gens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſauit ven-
40 *tus: & facta eſt tranquillitas magna. * Et ait illis: Quid timidi eſtis? necdum*
habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis,
putas, eſt iſte, quia & ventus & mare obediunt ei?

Luc. 8.

23 F*Actum eſt autèm in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauiculam, & diſci-*
puli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum. Et aſcenderunt.
24 *Et nauigantibus illis, obdormiuit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, &*
25 *complebantur, & periclitabantur. * Accedentes autèm ſuſcitauerunt eum, di-*
centes: Præceptor, perimus. At ille ſurgens, increpauit ventum, & tempeſta-
26 *te aquæ, & ceſſauit: & facta eſt tranquillitas. * Dixit autèm illis: Vbì eſt*
fides veſtra? Qui timentes, mirati ſunt ad inuicèm, dicentes: Quis putas hìc
eſt, quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei?

COM-

COMMENTARIVS.

E*T ait illis in illa die cum ſerò eſſet factum, tranſeamus contra*, vndè diſceſſerant. *& aſcendente eo in nauiculam, aſſumunt eum, ita vt erat in naui*, poſitus, ſituatus, recitat quomodò in nauem ingreſſus ſit, nempè quia aſſumptus fuit, & in ea collocatus, *& ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, & alia naues erant cum illo*, comitabantur. *Et aſcenderunt*, ſoluerunt è portu, quia iàm dixit Lucas de aſcenſu in nauim. *Et eccè motus magnus factus eſt in mari*, magna commotio, procella venti, *ita vt nauicula operiretur fluctibus*; quòd tempeſtas à Chriſto excitata nullibì habemus, potiùs credereṁ ordine naturali contigiſſe; nàm non patranda miracula abſquè neceſſitate; quod ob Iudam, non videtur ſubſiſtere, quia nondum intèr diſcipulos numeratur. *Et erat ipſe*, feſſus *in puppi ſupèr ceruical dormiens*, ſic Ionas dormiebat graui ſopore. Ionæ 1.5. vt ab eis peteretur ſedari tempeſtatem, non ab ipſo ſedaret, illam ſedaturus ſi vigil fuiſſet, prouti illi petebant. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes, Domine ſalua nos perimus*, non eſt tempus dormiendi, tuum eſt nos protegere. *Et dicit eis Ieſus: quid timidi eſtis modicæ fidei?* veriſimilius hæc dicta quandò excitauerunt eum, quàm pòſt; quia tùnc admiratio ſucceſſit. *Tùnc ſurgens, imperauit ventis, & mari*, vt oſtendat ſe Dominum tàm aridæ, quàm maris. Ionæ 1.9. tu dominaris poteſtati maris, motum autèm fluctuum eius tu mitigas. tùnc ſubita obedientia. *Porrò homines mirati ſunt, dicentes: qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* homines, tàm omnes videntes, quàm diſcipuli; nàm dicit Marcus, *& ait illis*, ſcilicèt diſcipulis: *quid timidi eſtis nec dum habetis fidem? & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: quis putas eſt iſte, quia & ventus & mare obediunt ei?* totus enìm contextus reſpicit diſcipulos, ſic Lucas, *Dixit autèm illis* ſcilicèt diſcipulis: *vbi eſt fides veſtra? qui timentes, mirati ſunt ad inuicèm dicentes, quis putas hic eſt, quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei?* & quid hoc mirum cum in captura piſcium dicat, ſtupor circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, ſimilitèr autèm Iacobum, & Ioannem. Luc. 5. & ijdem erant.

CAPVT XXXIV.

DE DAEMONIIS EXPVLSIS IN REGIONE GERASENORVM.

Matth. 8.

28 E*T cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occur-*
rerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui
29 *nimìs, ità vt nemo poſſet tranſire per viam illam. * Et eccè*
clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Ieſu fili Dei? Ve-
30 *niſti hùc antè tempus torquere nos? * Erat autèm non longè ab*

illis

31 *illis grex multorum porcorum paſcens .* Dæmones autèm rogabant eum, dicentes:*
32 *Si eijcis nos hìnc, mitte nos in gregem porcorum.* Et ait illis: Ite . At illi exeun-
tes abierunt in porcos, & eccè impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mor-*
33 *tui ſunt in aquis . * Paſtores autèm fugerunt : & venientes in ciuitatem , nun-*
34 *ciauèrunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant .* Et eccè tota ciuitas exijt
obuiam Ieſu : & viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus eorum .*

Marc. 5.

1 *ET venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum . * Et exeunti*
2 *ei de naui , ſtatìm occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, * qui*
3 *domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iàm quiſquàm poterat eum*
4 *ligare : * quoniam ſæpè compedibus , & catenis vinctus , dirupiſſet catenas , &*
5 *compedes comminuiſſet , & nemo poterat eum domare . * & ſempèr die ac nocte*
6 *in monumentis , & in montibus erat, clamans , & concìdens ſe lapidibus .* Vi-*
7 *dens autèm Ieſum à longè , cucurrit , & adorauit eum :* & clamans voce ma-*
8 *gna, dixit : Quid mihi, & tibi, Ieſu fili Dei altiſsimi ? adiuro te per Deum , ne*
9 *me torqueas .* Dicebat enìm illi : Exi ſpiritus immundè ab homine .* Et inter-*
10 *rogabat eum: Quod tibi nomen eſt ? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia mul-*
11 *ti ſumus.* Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extrà regionem.* Erat*
12 *autèm ibì circà montem grex porcorum magnus , paſcens . * Et deprecabantur*
13 *eum ſpiritus, dicentes : Mitte nos in porcos vt in eos introeamus . * Et conceſsit
ei ſtatìm Ieſus . Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos : & magno
impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia , & ſuffocati ſunt in mari .*
14 ** Qui autèm paſcebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in agros.*
15 *Et egreſsi ſunt videre quid eſſet factum :* & veniunt ad Ieſum: & vident il-
lum, quia dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timue-*
16 *runt . * Et narrauerunt illis , qui viderant, qualitèr factum eſſet ei, qui dæmo-*
17 *nium habuerat , & de porcis . * Et rogare cœperunt eum vt diſcederet de finibus*
18 *eorum . * Cumquè aſcenderet nauim , cœpit illum deprecari , qui à dæmonio ve-*
19 *xatus fuerat, vt eſſet cum illo ,* & non admiſit eum, ſed ait illi : Vade in do-
mum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus*
20 *ſit tui . * Et abijt , & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi fciſſet Ieſus : &
omnes mirabantur .*

Luc. 8.

27 *ET nauigauerunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contrà Galilæam .* Et*
28 *cum egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam , qui habebat dæmo-
nium iàm temporibus multis , & veſtimento non induebatur , neque in domo*
29 *manebat, ſed in monumentis .* Is vt vidit Ieſum : procidit antè illum : & ex-
clamans*

clamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſsimi? obſe-
29 *cro te, ne me torqueas.* * *Præcipiebat enim ſpiritui immundo vt exiret ab ho-*
mine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, &
30 *compedibus cuſtoditus. & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta.* * *In-*
terrogauit autem illum Ieſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Le-
31 *gio: quia intrauerant dæmonia multa in eum.* * *Et rogabant illum ne impera-*
32 *ret illis vt in abyſſum irent.* * *Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcen-*
tium in monte: & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permi-
33 *ſit illis.* * *Exierunt ergò dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & im-*
34 *petu abijt grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* * *Quod vt viderunt*
factum qui paſcebant, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in villas.
35 * *Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Ieſum: & inue-*
nerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant, veſtitum, ac ſana men-
36 *te ad pedes eius, & timuerunt.* * *Nunciauerunt autem illis, & qui viderant,*
37 *quomodo ſanus factus eſſet à legione: & rogauerunt illum omnis multitudo re-*
gionis Geraſenorum vt diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur. Ipſe
38 *autem aſcendens nauim, reuerſus eſt.* * *Et rogabat illum vir, à quo dæmonia*
39 *exierant, vt cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Ieſus, dicens:* * *Redi in domum*
tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuerſam ciuitatem, præ-
dicans quanta illi feciſſet Ieſus.

COMMENTARIVS.

VENERVNT in nauicula, quam aſcenderunt poſt tempeſtatem *in regionem Geraſenorum, & occurerunt ei duo habentes dæmonia* adeò *ſæui, vt nemo poſſet tranſire per viam illam,* & diuerſimodè torti, & lacerati, & in monumentis, & montibus ſe recipientes, vt maiorem moleſtiam paterentur vexati, quia loca illa horrere ſolemus, monumenta ob mortuos, montes ob periculà, præcipitia, quæ timorem incutiunt, præſertim in nocte. *Et ecce clamauerunt, dicentes: quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei?* tentat ſcire an ſit filius Dei, proùt in deſerto, non quòd ſciat; nàm nunquàm ſciuit, & ſi ſciſſet, non expediebat ei illum propalare; Sed quomodò ſceleſtus dicit *quid nobis, & tibi?* nàm ſi Meſſias eſt, nonnè hoc eſt ſemen caput tuum contriturum? nonnè venit ad te debellandum? quomodò ergò ſcis illud, non iſtud? at ſempèr mentitur. *Veniſti hùc antè tempus torquere nos?* timentes expelli ab homine, intrà quem libentèr habitant ad illius crucem; Marcus enim dicit, *quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: exi ſpiritus immunde ab homine,* Lucas: *quid &c. obſecro te ne me torqueas; præcipiebat enim ſpiritui immundo, vt exiret ab homine,* iunge aliud, & poſtquàm exiſſet, timebat in ignem mitti, ideò Lucas, *& rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent,* quòd reputabant antè tempus, putantes pòſt diem Iuditij tantùm illùc referandos. Apoc. 19. vt quamuis hìc ignem tartareum, vel pœnam æqualem patiantur, tamèn delectantur hominum moleſtia, contritione, tentatione, anguſtijs. *Videns autem Ieſum à longè cucurrit, & adorauit eum,* cur hoc? putans illum placare, & à tormento liberari, vel non iuberi, exire; iàm enim expu-

Digitized by Google

expulerat aliud in Synagoga Capharnai, vel volens experiri, an aliquid proferret adoratione viſa, & ſe manifeſtaret, quod ſempèr quæſiuit, ex Caietano. *Quod tibi nomen eſt? legio mihi nomen eſt*, multitudinem declarauit, & hoc ſatis ad intentum Chriſti volentis magnitudinem miraculi ex numero eiecto deſignari. *Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extrà regionē:* tacet callidus deſertum, in quo non poſſet hominibus nocere, proùt alligatus. Tobię 8. à Raphaele, ne illud nominando ſuggerat non cogitanti quod horret, & nollet, non quòd amet regionem, id enim non cadit in ſubſtantia ſpirituali. *Mitte nos in porcos*, vt ceſſante moleſtia intrà hominem, extrà torquerent in bonis dominos porcorū, qui veriſimilitèr gentiles; nàm non eſt veriſimile Iudæos, qui adeò horrent porcos, eoſdem aluiſſe etiàm pro alijs, præſertìm gentilibus, quos etiàm vitabant, & quibus ſe præferebant. *Et ait illis: ite*, non poteſt dæmon quicquàm, etiàm in bona hominum ſine aſſenſu Dei, vt in Iob; ligata eſt enim potentia ſua naturalis, ideò indiguit licentia, vt in porcos iret. *Abÿt totus grex per præceps in mare Galileæ*; permiſit Dominus vt appareret de magnitudine miraculi, de qua voluit etiàm conſtare in ſynagoga Capharnai, dum permiſit dæmonium diſcerpere obſeſſum, & vt domini excitati ad eum accurrerent tanto ſigno & vexatione, ſic Abſalon cum Ioab ſegetes vrendo. 1. Reg. 14. 30. ſed contrarium oſcitantia illorum euenit; nàm tota Ciuitas exijt, vt videret Ieſum, & viſo eo *rogabant eum, vt tranſiret à finibus eorum* proptèr porcos eiectos. ſic Prou. 28. 21. pro bucella panis deſerit veritatem Ezechiel 13. 19. & violabant me ad populum meum proptèr pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, &c. & Iudas triginta argenteis tradit Chriſtum, & fratres Ioſeph viginti. Gen. 37. 28. *Cæpit illum deprecari*, qui à dæmonio vexatus fuerat, *vt eſſet cum illo*, hoc à grato animo & deuoto non timente à dæmonibus, quia liberatus ab illis, timorem eiecerat, perfectè enim liberabat; at Chriſtus noluit, tùm quia ſanatorum nullum ſecum duxit, imò ne Lazarum quidèm ſuum excitatum, fortè ne vanægloriæ ei falsò adſcriberetur, tùm quia ſatiùs cenſuit reliquere ibi ſemen huius miraculi, ideò *ait illi: redi in domum tuam, & narra quanta fecit tibi Deus* per me, in hoc gratum animum tuum accipio, vt me publices Meſſiam, & hanc regionem ad me adducas credentem. *Abÿt per vniuerſam Ciuitatem prædicans quanta illi feciſſet Ieſus*, eccè quomodò Ieſus Deus; prædicat is miſſus; quomodò enim prædicabunt, niſi mittantur? & ex hac miſſione argue hunc Hebræum, & Hebræos, ad quos mittitur; nàm oſtium ad gentes nedum non erat apertum, ſed prohibitum; dixerat enim Dominus: in vias gentium ne abieritis, &c. Hinc videtur nutare quod ſuprà dictum eſt de porcis gentilium, niſi dicas gentiles intèr Hebræos mixtos & paſtores gentiles gentilium porcos cuſtodiſſe, vel Hebræos aluiſſe porcos ad mercaturam. Voluit hìc publicari miraculum, vt homines conuerterentur, ipſo abſente, prohibuit aliquibus, ſed ad tempus dum erat præſens, quia, ipſo abeunte, publicabant, vt videbimus.

CAPVT XXXV.

DE PARALYTICO CAPHARNAITA SANATO.

Matth. 9.

1 ET *aſcendens in nauiculam, tranſfretauit, & venit in ci-*
2 *uitatem ſuam. * Et eccè offerebant ei paralyticum iacen-*
tem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit para-
3 *lytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. * Et ec-*
cè quidam de Scribis dixerunt intrà ſe: Hic blaſphemat.
4 ** Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid*
5 *cogitatis mala in cordibus veſtris? * Quid eſt facilius di-*
6 *cere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge & ambula? * Vt autèm*
ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tùnc
7 *ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam. * Et ſurre-*
xit, & abijt in domum ſuam.

Marc. 2.

1 E*T iterum intrauit Capharnaum pòſt dies, & auditum eſt quòd in domo*
2 *eſſet, & conuenerunt multi, ità vt non caperet nequè ad ianuam, & lo-*
3 *quebatur eis verbum. * Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à qua-*
4 *tuor portabatur. * Et cum non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt te-*
ctum vbì erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus ia-
5 *cebat. * Cum autèm vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimit-*
6 *tuntur tibi peccata tua. * Erant autèm illìc quidam de Scribis ſedentes, & co-*
7 *gitantes in cordibus ſuis: * Quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimit-*
8 *tere peccata, niſi ſolus Deus? * Quo ſtatìm cognito, Ieſus ſpiritu ſuo quia ſic cogi-*
9 *tarent intrà ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? * Quid eſt*
facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle gra-
10 *batum tuum, & ambula? * Vt autèm ſciatis quia Filius hominis habet pote-*
11 *ſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) * tibi dico: Surge, tolle gra-*
12 *batum tuum, & vade in domum tuam. * Et ſtatìm ſurrexit ille: &, ſubla-*
to grabato, abijt coràm omnibus, ità vt mirarentur omnes & honorificarent
Deum, dicentes: Quia numquàm ſic vidimus.

Luc. 2.

17 *ET factum eſt in vna dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſe-*
dentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Iu-
18 *dææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.* * *Et eccè viri por-*
tantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & po-
19 *nere antè eum.* * *Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcen-*
derunt ſuprà tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium an-
20 *tè Ieſum.* * *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata*
21 *tua.* * *Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui lo-*
22 *quitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* * *Vt cogno-*
uit autèm Ieſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in
23 *cordibus veſtris?* * *Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dice-*
24 *re: Surge & ambula?* * *Vt autèm ſciatis, quia Filius hominis habet poteſta-*
tem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum
25 *tuum, & vade in domum tuam.* * *Et confeſtìm conſurgens coràm illis, tulit*
26 *lectum, in quo iacebat: & abijt in domum ſuam, magnificans Deum.* * *Et ſtu-*
por apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes:
Quia vidimus mirabilia hodiè.

COMMENTARIVS.

ET aſcendens in nauiculam, transfretauit, & venit in Ciuitatem ſuam Capharnaum ex Marco electam ad incolatum; *& auditum eſt quòd in domo eſſet, & conuenerunt multi; itaut non caperet* eos domus, *nequè ad ianuam,* antè ianuam, *& loquebatur eis verbum*, & dicit Lucas adfuiſſe Phariſæos, & legis doctores, *qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos, & venerunt ad eum* quidam *ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur, & cum non poſſent offerre eum illi præ turba nudauerunt tectum vbi erat, & patefacientes ſubmiſerunt grabatum in quo paralyticus iacebat*, in medium antè Ieſum, *Et videns Ieſus fidem*, idèſt fiduciam *illorum*, eò magìs paralytici pro ſanitate corporis; is enim ſuſtinebat, & fortè impellebat eos ad ſe per tegulas ſubmittendum, ſanitatis cupidus. *Dixit paralytico*, illius fidem ad maiora ſubleuans, ſcilicèt ad credendum ſibi vt in Deum remiſſorem peccatorum. *Confide fili*, & tùnc fidem infudit, & illicò, *remittuntur tibi peccata tua*; placuit enìm ſibi tùnc ſe Deum demonſtrare, non quòd vellet ſignificare infirmitatem ex peccatis dependere, & hunc peccatorem propalare, nàm potiùs abſquè arbitris hoc feciſſet, proùt cum languido, dum ei dixit, iàm noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; vltrà quòd & aliàs dixit, nequè hic peccauit, nequè parentes eius, vt cœcus naſceretur; ſed vt manifeſtetur gloria Dei in illo. Aùt dicamus fuiſſe hunc publicum peccatorem; nàm & Magdalenæ publicæ peccatrici dictum coràm alijs, remittuntur tibi peccata tua, & Adulteræ; Vade, & iàm ampliùs noli peccare. Vel illum ſaluare dum omnes homines concludit peccatores, vt infrà, vndè dicere ali-

quem peccatorem non eſt illum infamare, proùt dicentes ſe peccatores, qui baptizabantur in Iordane à Ioanne, vel Chriſti diſcipulis, non ſe infamabant. Non igitùr mouetur Chriſtus fide portantium, quæ fiducia erat, & nihil poterat quòad ſpiritualia, verſans circà ſanitatem corporalem, ſed paralytici, quam ipſe in eo creat; qui enim fecit te ſinè te, non ſaluabit te ſinè te, illi miniſterium corporale, Chriſtus ſpirituale infudit, & Chriſtus nunquàm dirigit verba in portantes, ſed in paralyticum. Vndè non videtur quidquàm fundari poſſe in prætenſa fide eorum, etſi fiducia iuuerit paralyticum. ***Et eccè quidam de ſcribis dixerunt intrà ſe, hic blaſphemat, quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*** & hoc verum; ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates. Iſai. 43. 25. ***& cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum,*** quod probabat illum Deum; nàm ſolus Deus ſcrutator cordium, ***dixit illis***, ſe manifeſtans in hoc alio modo Deum. ***Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?*** quaſi blaſphemauerim ſic dicens, & remittens? ***Quid eſt faciliùs dicere: dimittuntur tibi peccata*** tua, ***an dicere*** huic paralytico: ***Surge, & ambula? Vt autèm ſciatis quia filius hominis***, ego homo vobis apparens, ***habet poteſtatem in terra***, hìc viſibilis ***dimittendi peccata***, quod facere dicitis Deum inuiſibilem, hoc erit vobis teſtimonium, miraculum, quod patrabo, ***tùnc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum***, in ſignum virium receptarum, ***& vade in domum tuam*** omnibus ſic apparens, & manifeſtus; ***& ſurrexit, & abijt in domum ſuam*** in ſignum veritatis; quod & ſeruauit in languido.

CAPVT XXXVI.

DE VOCATIONE MATTHAEI.

Matth. 9.

9 *ET cum tranſiret indè Ieſus, vidit hominem ſedentem in*
telonio, Matthaeum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et
10 *ſurgens, ſecutus eſt eum.* * *Et factum eſt diſcumbente eo*
in domo, eccè multi publicani, & peccatores venientes
11 *diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius.* * *Et videntes,*
Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: Quarè cum publicanis,
12 *& peccatoribus manducat Magiſter veſter?* * *At Ieſus*
13 *audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* * *Eun-*
tes autèm diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim
veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Marc. 2.

14 *ET cum præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi:*
15 *Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.* * *Et factum eſt, cum accumberet*
in

Digitized by Google

in domo illius, multi publicani, & peccatores ſimùl diſcumbebant cum Ieſu, &
16 *diſcipulis eius: erant enìm multi, qui & ſequebantur eum.* * *Et Scribæ, & Pha-*
riſæi videntes, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant di-
ſcipulis eius. Quarè cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Ma-
17 *giſter veſter?* * *Hoc audito, Ieſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed*
qui malè habent: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Luc. 5.

27 *ET poſt hæc exijt, & vidit publicanum nomine Leui, ſedentem ad Telonium,*
28 *& ait illi: Sequere me.* * *Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.*
29 * *& fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua: & erat turba multa publi-*
30 *canorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.* * *Et murmurabant*
Phariſæi, & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos eius: Quarè cum publicanis,
31 *& peccatoribus manducatis, & bibitis?* * *Et reſpondens Ieſus, dixit ad illos:*
32 *Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.* * *Non veni vocare iuſ-*
tos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

COMMENTARIVS.

E*T cum tranſiret indè Ieſus* è domo egreſſus, *vidit hominem ſedentem in telonio; Matthæum nomine* Lucas, *nomine Leui*, & cū dicat Marcus *Leui Alphæi* ad illum demonſtrandum non videtur poſſe dici tacuiſſe nomen proprium *Matthæi*, ne illum diceret publicanum, quia opera Dei magna, proùt hoc; propalare, honorificum eſt, nequè operatum hoc eſſet, quin proderetur poſtquàm ille ſe manifeſtauerat, & exercitio peccator habebatur, vt hic omnes Euangeliſtæ dicunt, dum referunt verba, *quarè cum publicanis, &c.* & cum hoc factum non poſſet alij applicari, videretur potiùs dicendum ex alijs nominibus notioribus additis eum magìs publicaſſe, ſi hoc intendiſſent. Vndè Lucas dicit eum *publicanum* quod & Matthæus, & Marcus dum dicunt *ſedentem ad telonium.* Vel fortè nomen *Matthæus* fuit illi poſteà datum, vel erat binomius; nàm quod nomen *Leui* eſſet cognomen, tollitur ex Luca dicente *nomine Leui:* huic hominū generi præſcripſit Ioannes, nihil ampliùs, quàm conſtitutum eſt faciatis, vndè poterant & hi boni eſſe; & hi publicani erant Hebręi; nàm cum Ethnicis non comediſſet Dominus legem ſeruans. *Et ait illi, ſequere me*, ego ſum, qui iubeo, & te intùs vt ſequaris, illuſtro, etenim ſinè interna vocatione non illicò paruiſſet homo mundo hærens, & peccator; *& ſurgens ſecutus eſt eum* vocantem, & cor penetrantem *relictis omnibus* ad ſimplicem vocem, proùt quatuor ſtantes in nauibus Philippus. Ioan. 1.43. penetrabilior enim illa vox omni gladio ancipiti, &c. vox Domini in virtute, &c. & ſi ad vocem Eliæ Eliſæus ad aratrum ſtans, quid ad Chriſti vocem Matthæus, etiàm ſedens ad telonium? in quo maior, & efficacior vox requiſita iuxtà Pſalm. 1. Beatus, &c. & in cathedra peſtilentiæ non ſedit; & nonne Paulus præceps in Ieſum conuertitur ad verba Ieſu? Vltrà quòd veriſimile eſt Matthæum ſi non vidiſſe, audiſſe miracula, & magnalia Chriſti, cum eſſet Capharnai. *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo*

N 2 *ſua,*

ſua, cui facta ſalus, proùt illi Zachæi etiàm in domo ſua Ieſum excipientis. *Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius*, erant hi iàm conuerſi,& pœnitentes; nàm acceſſerunt ad medicum peccatores vocantem,id enim veriſimile ex verbis, quæ Chriſtus dixit, & ſi domui Zachæi ſalus facta, cur non domui Apoſtoli? *& videntes Phariſæi,dicebant diſcipulis eius*, non audentes loqui magiſtro, vel vt abſtraherent fortè diſcipulos: *quarè cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter?* quaſi contaminetur ex cibo cum alijs ſumpto: *At Ieſus audiens, ait; non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus*,hi ergò acceſſerunt ad me curandi,& cum ſim medicus,non poſſum illos eijcere. *Euntes autèm* ad Prophetam Oſeam *diſcite quid eſt* hoc: *miſericordiam volo, & non ſacrificium*, placet mihi magìs miſericordia, quàm ſacrificium; hoc igitur maiùs opus eſt, quàm ſacrificia veſtra, *non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores* ad pœnitentiam, quam prædico, vt adipiſcantur regnum cælorum, peccatores enim pœnitentia indigent, non iuſti: & Paulus; venit peccatores ſaluos facere. Vel exerceo me principalitèr in peccatoribus purgandis,& mundandis; Veni, vt hi mortui vitam habeant, & abundantiùs habeant, veni miſericordiam facturus, non iudicaturus; eſt tempus miſericordiæ, non iuſtitiæ, non veni vt iudicem mundum,ſed vt ſaluem mundum; ideò amplector mei indigentes, & ad me accurrentes. Iuſti iàm vocati, iàm admiſſi; ægros quæro, quos lucrer, & ſanem, veni quætere omnem errantem; etſi omnes peccauerunt, & egent gloria Dei,& non eſt,qui faciat bonum, non eſt vſquè ad vnum; non loquitur nunc iuxtà hæc verba. Sed cur Chriſtus vnum ſepelire Patrem, alium ſuis renũciare volentem non permiſit; Matthæo autèm; vt domum ſuam ingrederetur, & conuiuium præpararet? reſpondeo illos aliud negotium non habuiſſe, idquè per alios præſtari potuiſſe,& dubium fuiſſe, ne curis alijs inuoluerentur, & Chriſtum dimitterent, & Matthæus multa habebat explicanda, componendæ rationes, & reddendæ, cum pro Cæſare exigeret,nec conueniebat hæc imperfecta dimittere,& cum Matthæo aderat Chriſtus conuiua, à quo non erat diſceſſurus, cum præſentia vrgeat; vel nouerat Chriſtus Matthæum firmiùs adhæſiſſe,quàm illos.

CAPVT XXXVII.

QVAESTIO PROPOSITA A DISCIPVLIS IOANNIS.

Matth. 9.

14 *TVNC acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis,dicentes: Qua-*
rè nos, & Phariſæi ieiunamus frequentèr: diſcipuli au-
15 *tèm tui non ieiunant? * Et ait illis Ieſus. Nnmquid poſ-*
ſunt filij ſponſi lugere, quamdiù cum illis eſt ſponſus? ve-
nient autèm dies cum auferetur ab eis ſponſus: & tùnc ie-
16 *iunabunt. * Nemo autèm immittit commiſſuram panni*
rudis in veſtimentum vetus; tollit enìm plenitudinem
eius

17 *eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit. * Neque mittunt vinum nouum in
vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pe-
reunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.*

Marc. 2.

18 E*T erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes: & veniunt, & dicunt
illi: Quarè diſcipuli Ioannis, & Phariſæorum ieiunant, tui autèm diſci-*
19 *puli non ieiunant?* Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij nuptiarum, quam-
diù ſponſus cum illis eſt, ieiunare? Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non*
20 *poſſunt ieiunare.* Venient autèm dies cum auferetur ab eis ſponſus: & tùnc ie-*
21 *iunabunt in illis diebus.* Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento
veteri: aliòquin aufert ſupplementum nouum à veteri, & maior ſciſſura fit.*
22 ** Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: aliòquin dirumpet vinum
vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: ſed vinum nouum in vtres
nouos mitti debet.*

Luc. 5.

33 A*T illi dixerunt ad eum: Quarè diſcipuli Ioannis ieiunant frequentèr, &
obſecrationes faciunt, ſimilitèr & Phariſæorum: tui autèm edunt, & bibunt?*
34 ** Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, fa-*
35 *cere ieiunare? * Venient autèm dies: cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tùnc*
36 *ieiunabunt in illis diebus? * Dicebat autèm & ſimilitudinem ad illos: Quia
nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: aliò-*
37 *quin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo. * Et nemo
mittit vinum nouum in vtres veteres: aliòquin rumpet vinum nouum vtres,*
38 *& ipſum effundetur, & vtres peribunt. * Sed vinum nouum in vtres nouos*
39 *mittendum eſt, & vtraque conſeruantur. * Et nemo bibens vetus, ſtatìm vult
nouum, dicit enìm: Vetus melius eſt.*

COMMENTARIVS.

TVNC *acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis* immorigerati, & curioſi, ac ſuo magiſtro nimiùm addicti, eoquè declinante, & in carcere poſito, & ipſi declinantes *dicentes, quarè nos, & Phariſæi ieiunamus frequentèr, diſcipuli autèm tui non ieiunant? Et ait illis Ieſus: numquid poſſunt filij ſponſi nuptiarum* in lætitijs ſtantes *cum ſponſo lugere, quamdiù cum illis eſt ſponſus?* omnia tempus habent, nunc lætandum eſt illis, non ieiunandum, non triſtitia ſumenda, ſponſum ſe dicit, quia habet Eccleſiam ſponſam, & ſic nuncupat eum Ioannes Baptiſta. Ioan. 3. *Venient autèm dies cum auferetur ab eis ſponſus, & tùnc ieiunabunt,* triſtitia cor eorum implebitur, & quæ eis

tùnc euentura plurièſ Chriſtus, & præſertim in vltimo ſermone in cœnaculo dixit, & in act. Apoſt. erant ieiunantes, & orantes. *Nemo autèm immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus*, debile, quaſi, diſcipulis meis debilibus, & imbecillibus non debeo nunc noua onera imponere, cum facti fuerint viri, tùnc imponentur. *Nequè mittunt vinum nouum in vtres veteres* debiles, *quia rumpuntur, &c.* ſic nec decet nùnc præcepta addere meis diſcipulis paruulis. *Et nemo bibens vinum vetus, ſtatim vult nouum, dicit enim: vetus melius eſt*, ideò paulatim hæc noua diſcipulis meis infundam, ſeù præcipiam, nondum venit tempus, interim vinum nouum vetus fiet, fient apti. Ex his autèm ſimilitudinibus cognoſcimus ex Dei voluntate factum, ne lex moſaica citò, ſed cum aliqua mora abrogaretur, & mora durante licitè ea vſos fideles, vt in actibus Apoſtolicis; At Ioanne in carcere poſito quàm degenerant eius diſcipuli euntes contrà Chriſtum, quem iàm totièſ Meſſiam eis dixerat, & prælertìm referentibus patrata per eum miracula; ità vt fuerit neceſſe tranſmittere illos ad Chriſtum edocendos, *tu es qui venturus es. &c.* quaſi tùnc non crederent Ioanni atteſtanti in carcere poſito.

CAPVT XXXVIII.

DE FILIA ARCHISYNAGOGI, ET EMORROHISSA.

Matth. 9.

18 HAEC illo loquente ad eos, eccè princeps vnus acceſſit, &
adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta
eſt: ſed veni, impone manum tuam ſupèr eam, & viuet.
19 ** Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius.*
20 ** Et eccè mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duode-*
cim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti
21 *eius. * Dicebat enìm intrà ſe: Si tetigero tantùm veſti-*
22 *mentum eius: ſalua ero. * At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: Confide*
23 *filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. * Et cum*
veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuan-
24 *tem, dicebat: * Recedite, non eſt enìm mortua puella, ſed dormit. Et deride-*
25 *bant eum. * Et cum eiecta eſſet turba, intrauit: & tenuit manum eius. Et ſur-*
26 *rexit puella. * Et exijt fama hæc in vniuerſam terram illam.*

Marc. 5.

21 ET *cum tranſcendiſſet Ieſus in naui rurſum trans fretum, conuenit turba*
22 *multa ad eum, & erat circà mare. * Et venit quidam de Archiſynagogis*
nomi-

23 nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes eius, * & deprecabatur eum
multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum ſu-
24 pèr eam, vt ſalua ſit, & viuat. * Et abijt cum illo, & ſequebatur eum turba
25 multa, & comprimebant eum. * Et mulier, quæ erat in profluuio ſanguinis an-
26 nis duodecim, * & fuerat multa perpeſſa compluribus medicis: & erogauerat
27 omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magìs deterius habebat: * cum audiſ-
28 ſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius: * dicebat enim:
29 Quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero. * Et confeſtìm ſiccatus eſt fons
30 ſanguinis eius: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga. * Et ſtatìm Ieſus in
ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam, aiebat:
31 Quis tetigit veſtimenta mea? * Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam com-
32 primentem te, & dicis: Quis me tetigit? * Et circumſpiciebat videre eam, quæ
33 hoc fecerat. * Mulier verò timens, & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, ve-
34 nit, & procidit antè eum, & dixit ei omnem veritatem. * Ille autèm dixit ei:
35 Filia, fides tua te ſaluam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua. * Ad-
hùc eo loquente, veniunt ab Archiſynagogo, dicentes. Quia filia tua mortua eſt:
36 quid vltrà vexas Magiſtrum? * Ieſus autèm audito verbo, quod dicebatur,
37 ait Archiſynagogo: Noli timere: tantummodò crede. * Et non admiſit quem-
38 quam ſe ſequi niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. * Et ve-
niunt in domum Archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & eiulantes
39 multùm. * Et ingreſſus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt
40 mortua, ſed dormit. * Et irridebant eum. Ipſe verò eiectis omnibus aſſumit pa-
trem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur vbì puella erat ia-
41 cens. * Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi quod eſt interpretatum:
42 Puella (tibi dico) ſurge. * & confeſtìm ſurrexit puella, & ambulabat: erat
43 autèm annorum duodecim: & obſtupuerunt ſtupore magno. * Et præcepit illis ve-
hementèr vt nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.

Luc. 8.

40 FACTVM eſt autèm cum rediſſet Ieſus, excepit illum turba. erant enìm
41 omnes expectantes eum. * Et eccè venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe
Princeps Synagogæ erat: & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum vt intraret in do-
42 mum eius, * quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc morieba-
43 tur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur. * Et mulier quædam erat
in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem ſub-
44 ſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari: * acceſſit retrò, & tetigit fimbriam
45 veſtimenti eius: & confeſtìm ſtetit fluxus ſanguinis eius. * Et ait Ieſus: Quis
eſt, qui me tetigit? Negantibus autèm omnibus, dixit Petrus, & qui cum il-
lo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me te-
46 tigit? Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exiſſe.
* Vi-

47 * *Videns autèm mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit antè pe-*
des eius: & ob quam cauſam tetigerit eum, indicauit coràm omni populo: &
48 *quemadmodum confeſtìm ſanata ſit. * At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſal-*
49 *uam te fecit: vade in pace. * Adhùc illo loquente, venit quidam ad Princi-*
50 *pem Synagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum. * Ie-*
ſus autèm audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tan-
51 *tùm, & ſalua erit. * Et cum veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum*
52 *quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem*
*puellæ. * Flebant autèm omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite*
53 *flere, non eſt mortua puella: ſed dormit. * Et deridebant eum, ſcientes quòd*
54 *mortua eſſet. * Ipſe autèm tenens manum eius clamauit, dicens: Puella, ſur-*
55 *ge. * Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò. Et iuſſit illi dari*
56 *manducare. * Et ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent*
quod factum erat.

COMMENTARIVS.

H*AEC illo loquente ad eos* diſcipulos Ioannis, & Phariſæos, *eccè Princeps vnus acceſſit* ad Ieſum, *& adorabat eum* cadens ad pedes eius, *dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt*, ſic Matthæus reſpiciens finem, ad quem tendit miraculum, omittens prima reſpicientia infirmitatem grauem, & mortalem, cum non ſanata, ſed excitata ſit, ſicut etiam omiſit multa de Emorrohiſſa ab alijs recitata, ideò non ſunt contrarij alij Euangeliſtæ infirmitatem referentes, ſed ex illis ſupplendus Matthæus. *Sed veni; impone manum tuam ſupèr eam, & viuet*, ex hoc non eſt arguenda infidelitas, quia impoſitio manus erat actus ſolitus Chriſti, vt in ſocru Simonis, & in alijs, de quibus dicitur. Luc. 4. ſingulis manus imponens, curabat eos, vt ſuprà vidimus, & hoc faciebat, vt ſibi, & non alteri miracula adſcriberentur, & quia, ſi hæc verba oluiſſent infidelitatem, Chriſtus non dimiſiſſet illum abſquè graui reprehenſione, prout reprehendit regulum volentem ſigna videre, & quia Ieſus eo modo vſus eſt in illa excitanda, tenuit enim manum eius, & quia cæteris non credentibus credidit mortuam ſuſcitandam, *& ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius* omnes. *Et eccè mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enìm intrà ſe* confiſa, & fiduciam habens: *ſi tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero*; at quia miracula fiebant ad manifeſtationem diuinitatis, voluit hoc propalari, vt explicant Marcus, & Lucas, Mulier enìm quia immunda erat, & ab aliorum tactu arcebatur, timebat ſe prodere, & propalare miraculum, ne argueretur; at Ieſus illam ſtabiliuit, *filia fides tua te ſaluam fecit, vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.* Hæc omnia profert, vt conſtet miraculo per eum patrato ſanitatem recepiſſe, & firmatur Archiſynagogus auditurus mortem filiæ ad credendam reſurrectionem, pòſt illa verba ſubdit, *noui enìm virtutem de me exiſſe*, idèſt noui me illi ſanitatem impartitum eſſe, exire feciſſe ex me virtutem ad ſanitatem dandam; nàm quis neget voluntate ſua ſaluam factam? & potuiſſe fimbriæ veſtimenti ſui virtutem illam dare, qui vmbræ Petri virtutem dedit, & ſemicinctijs Pauli, & fidem mulieris, cui ille attribuit, ſuffeciſſe? & dicitur. Luc. 5. & virtus Domini erat ad ſanandum eos, & Luc. 6. virtus de illo exibat,

& ſa-

& ſanabat omnes, vndè nihil hic maiùs, vel minùs concurrit, quàm in alijs miraculis. Tandèm ingreſſus domum Archiſynagogi dixit: *non eſt mortua puella, ſed dormit*, omnia enìm ipſi viuunt. *Et deridebant eum* ſic dicentem, ſcientes certò mortuam, quod ad certitudinem mortis denotandam appòſuit Euangeliſta, ſed confuſi ſunt, *& cum eiecta eſſet turba*, tribus diſcipulis, & Patre, & Matre introductis, *intrauit, & tenuit manum eius, & ait puellæ, tibi dico, ſurge*, vt appareat virtute ſua hoc fieri, *& confeſtim ſurrexit, & ambulabat*, & iuxtà Matthæum *dixit*, idèſt iuſſit iuxtà Lucam: ſic diabolus, dic, iube, vt lapides iſti panes fiant, *illi dari manducare* in ſignum veræ reſurrectionis, & vt miraculum cauillari non poſſet, *& præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret*, & fortè ipſi parentes ſeruarunt præceptum quantùm in illis fuit, ſed quia *exijt fama hæc in vniuerſam terram illam*, miraculum ex alijs præſentibus, tibicinibus, & alijs, qui concurrerant, non potuit cęlari. Illud Emorrohiſſæ publicat ad firmandum Archiſynagogum, hoc cęlare vult, ne ex primo videretur gloriam aucupaſſe. Dic ergò. Ne alicui dicerent, donèc amoueretur ab eis, fugiens auram popularem, non quòd nollet publicari, & ignoraret eſſe publicandum viſa puella, ſicut & de cœcis infrà cap. ſeq. etenim miracula faciebat, vt manifeſtaret gloriam ſuam, ideò occultum Emorrohiſſæ voluit coràm populo publicari, quod niſi tùnc publicatum, mulier pudore detenta tacuiſſet: ſic publicauit ſe languido, vt manifeſtaret miraculum. Sed cur cum Iairo pergit, non cum Regulo? quia adeò magnum miraculum eſt ſuſcitatio mortui, vt ſi ſe abſente fuiſſet factum, de facili non crederetur ab eo præſtitum, ideò in Lazari, & filiæ Viduæ ſuſcitatione, interfuit: Antiquitùs baculùs Eliſæi, quem tulit Giezi, filium mulieris non ſuſcitauit Eliſæo abſente; at lepra Naaman, Eliſæo abſente, ſublata fuit, proùt infirmitas filij reguli à Chriſto; ex hora tamèn enituit miraculum; Vel iuit ad domum Archiſynagogi, quia ſciebat in itinere ſanaturum Emorrohiſſam, & interìm in ea mora filiam Archiſynagogi morituram, & ipſum magìs glorificandum, quæ non in regulo, ſic infirmitatem Lazari, & mortem, & expectat alios duos dies, vt fiat quatriduanus, & magìs glorificetur. Vel non iuit cum regulo ad locum nimiùm diſtantem, quia & alijs ciuitatibus oportebat euangelizare, ſed ad domum Archiſynagogi, quia erat in eadem Ciuitate & ſinè incommodo, & præiudicio aliorum; ideò vide quæ moralia elicias intellectui litterali conformia; ſiquidèm iuxtà litterales ſenſus eliciendi morales.

Digitized by Google

CAPVT XXXIX.

DE DVOBVS COECIS, ET DAEMONIACO SANATO.

Matth. 9.

27 ET tranſeunte indè Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, claman-
28 tes, & dicentes: Miſerere noſtri, Fili Dauid. * Cum
autèm veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et di-
cit eis Ieſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Di-
29 cunt ei: Vtiquè, Domine. * Tùnc tetigit oculos eorum,
30 dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* Et aper-
ti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis Ieſus, dicens:
31 Videte ne quis ſciat.* Illi autèm exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra il-
32 la. * Egreſſis autèm illis, eccè obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium ha-
33 bentem. * Et eiecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, dicen-
34 tes: Numquam apparuit ſic in Iſrael. * Phariſæi autèm dicebant: In Principe
35 dæmoniorum eijcit dæmones. * Et circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella,
docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem
36 languorem, & omnem infirmitatem.* Videns autèm turbas, miſertus eſt eis:
37 quia erant vexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem.* Tùnc dicit di-
38 ſcipulis ſuis: Meſſis quidèm multa, operarij autèm pauci.* Rogate ergò Domi-
num meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

COMMENTARIVS.

ET tranſeunte indè Ieſu à domo Archiſynagogi, ***ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes. Miſerere noſtri, fili Dauid,*** Meſſias; oriturum enim ex Dauid omnes conueniebant. Ioan. 7. nequè in via illos curauit ad oſtentationem vitandam, & quia præcedebant ſanitas Emorrohiſſæ, & ſuſcitatio filiæ Archiſynagogi. ***Cum autèm veniſſet domum***, vbì habitabat, non propriam, quia filius hominis non habet vbì caput reclinet, ***acceſſerunt ad eum cæci***, non ipſe vocat, ſed ipſi eum inſequentes ad illam domum ingreſſum vltrò accedunt, ne ipſe videatur gloriam aucupare. ***Et dicit eis Ieſus: Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?*** ſempèr fidem quærit, vel infundit. ***Dicunt ei, vtiquè, Domine***, & verum dixerunt, quia vel eam habebant priùs, vel eam tùnc in eis creauit, ſed potiùs habebant; quia aliàs eos reprehendiſſet, proùt Regu-

lum, & potuerant illam ex tot auditis miraculis concepiſſe. *Tùnc tetigit oculos eorum* ad certitudinem per eum, non alium patrati miraculi proùt pluriès, *dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis*; vt ex hoc alij mouerentur ad credendum, de fide eorum ei nota facit mentionem; vndè rectè Cyprianus, iuxtà noſtram fiduciam gratias nobis concedit, Archiſynagogo quoquè dixit: crede tantùm, & ſalua erit, & Suſannæ: cor eius erat fiduciam habens in Domino. *Et aperti ſunt oculi eorum* illicò, *& comminatus eſt illis Ieſus, dicens: Videte ne quis ſciat*, ad humilitatem inſinuandam, & exemplum. *Illi autèm exeuntes* grati, *diffamauerunt eum* patratorem miraculi *in tota terra illa*, ſed quia ſciebat illos publicaturos, non fuit præceptum arctans, nec enim ipſi corpore, & anima ſani contrafeciſſent. *Egreſſis autèm illis: eccè obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem*: mutus is à dæmonio obſidente; *& eiecto dæmonio locutus eſt mutus* in ſignum veræ curationis, *& miratæ ſunt turbæ* deuotæ, *dicentes: Numquàm apparuit ſic in Iſrael*, & verum dicunt, quia hæc reſeruabantur Meſſiæ; *Phariſæi autèm* doloſi *dicebant: in principe dæmoniorum* ſibi familiari, non quòd ab eo poſſideretur, *eijcit dæmones*, cui blaſphemiæ, quæ tùnc fortè coràm eo non fuit propoſita, cum eſſet domi, reſpondet Chriſtus alibì.

CAPVT XL.

DE DISCIPVLIS SPICAS IN SABBATO VELLENTIBVS.

Matth. 12.

1 *IN illo tempore abijt Ieſus per ſata Sabbato: diſcipuli au-*
tèm eius eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & mandu-
2 *care. * Phariſæi autèm videntes, dixerunt ei: Eccè di-*
3 *ſcipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis. * At il-*
le dixit eis: Non legiſtis quid feceris Dauid, quandò eſu-
4 *rijt, & qui cum eo erant: * Quomodò intrauit in domum*
Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei
5 *edere, nequè his, qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus? * Aut non legiſtis in*
lege quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſinè crimine ſunt?
6 ** Dico autèm vobis, quia templo maior eſt hic. * Si autèm ſciretis quid eſt: Mi-*
7 *ſericordiam volo, & non ſacrificium: numquàm condemnaſſetis innocentes:*
8 ** Dominus enìm eſt Filius hominis etiàm Sabbati.*

Marc.

Marc. 2.

23 *ET factum eſt iterum cum Dominus Sabbatis ambularet per ſata, & diſci-*
24 *puli eius cœperunt progredi, & vellere ſpicas.* * *Phariſæi autèm dicebant*
25 *ei: Eccè, quid faciunt Sabbatis quod non licet?* * *Et ait illis: Numquàm legi-*
ſtis, quid fecerit Dauid, quandò neceſſitatem habuit, & eſuriјt ipſe, & qui cum
26 *eo erant?* * *quomodò introiuit in domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdo-*
tum, & panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare, niſi Sa-
27 *cerdotibus, & dedit eis, qui cum eo erant?* * *Et dicebat eis; Sabbatum proptèr ho-*
28 *minem factum eſt, & non homo proptèr Sabbatum.* * *Itaquè dominus eſt Filius*
hominis, etiàm Sabbati.

Luc. 6.

1 *FACTVM eſt autèm in Sabbato ſecundo, primo, cum tranſiret per ſata,*
vellebant diſcipuli eius ſpicas, & manducabant confricantes manibus.
2 * *Quidam autèm Phariſæorum, dicebant illis: Quid fecitis quod non licet in*
3 *Sabbatis?* * *Et reſpondens Ieſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod facit Dauid,*
4 *cum eſuriјſſet ipſe, & qui cum illo erant?* * *quomodò intrauit in domum Dei, &*
panes propoſitionis ſumpſit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipſo erant:
5 *quos non licet manducare niſi tantùm Sacerdotibus?* * *Et dicebat illis: Quia Do-*
minus eſt Filius hominis, etiàm Sabbati.

COMMENTARIVS.

I*N illo tempore abiјt Ieſus per ſata Sabbato.* Poſtquàm miraculum languidi, & dicta pòſt ſanitatem illi præſtitam, aliò translata, ſi concordia currit (non enim huic rei incumbo) dicendum Dominum è domo, in qua duos cœcos, & dæmonia cum curauerat, egreſſum per ſata abijſſe Sabbato iuxtà Matthæum, & Marcum; at ſecundùm Lucam. *Factum eſt in Sabbato ſecundo*, idèſt duobus Sabbatis, & hìc virgula, ſeù coma, *primo, cum tranſiret, &c. ſecundo* vero numero 6. in alio Sabbato, vt intraret, &c. quia nulla tùnc erat feſtiuitas, quam excluſimus ex tranſpoſitione. cap. 5. Ioan. ſic & act. 17. 2. per Sabbata tria. *Diſcipuli autèm eius eſurientes*, neceſſitate famis coacti, *cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Phariſæi autèm videntes, dixerunt ei: eccè diſcipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis*, nempè euellere, & confricare ſpicas, nihil hìc de itinere. *At ille dixit eis: non legiſtis quid fecerit Dauid, quandò eſuriјt, & qui cum eo erant* pueri: *quomodò intrauit in domum Dei* ad Abiathar Sacerdotem, *& panes propoſitionis comedit* cum ſuis pueris, *quos non licebat ei edere, nequè his, qui cum eo erant* laicis, *niſi ſolis Sacerdotibus?* quibus dabantur. Sumit in argumentum exemplum Dauid: id licuit ei, & ſuis cauſa neceſſitatis, ergò & meis eadem cauſa licet, arguens de tempore ad rem, panes erant ſacri, Sabbatum ſacrum, de vno ad aliud procedit argumentum, nec ſumit à minori ad maius, cum nihil explicet hoc ſignificans.

ficans. Dicit de Abiathar, quia & ipſe præſens cum Patre ſuo Achimelech, quandò Dauid illum adijt, & vt conſideremus illum ſeruatum à Dauid. 1. Reg. 22. & vt factum illud oſtendat licitum fuiſſe ex ſubſequutis, malum verò factum Saulis, Sacerdotes occidentis. Quò verò ad comites, & ſi Sacerdos Achimelech dicat, quare tu ſolus, & nullus eſt tecum? tamèn verba intelligenda præter pueros ibi exiſtentes, dum dicit, ſi mundi ſunt pueri maximè à mulieribus; Vel interrogatio infert vltrà pueros, quos video; nàm etſi dicat Dauid, nàm & pueris condixi in illum, & illum locum, ea verba reſpiciunt diſceſſum à Rege, vt nemo ſciret rem, pro qua mittebatur, non autèm quòd in itinere iuncti nō eſſent cum Dauide, & ſimùl ad Achimelech non perueniſſent. Vel Achimelech intelligit nullus tecum de primoribus, de regijs ſeruis, vel militibus, qui ſolebat armatus prodire, & ſtipatus. Vel quarè tàm pauci tecum? At aduerte, ſenſus Dauid conuenit cum intellectu Chriſti, nàm interroganti Sacerdoti, an pueri eſſent mundi, reſpondit Dauid continuiſſe eos ab heri, & nudius tertius, deindè, porrò via hæc polluta eſt, nempè is actus quòd nos laici comedamus panes propoſitionis, quos Sacerdotibus tantùm licet comedere, pollutus eſt, ſic videtur eſſe, ſic repreſentatur, at hæc ipſa, via ſcilicèt, vel modus ſanctificabitur hodiè in vaſis his noſtris, in corporibus noſtris famelicis, ob neceſſitatem famis, qua præmimur, & is ſenſus conſonat cum hoc Chriſti: alius Lyrani, & Sa; via hæc polluta eſt, potuimus in via contrahere immunditias, neque aptatur, nec ſuſtuliſſet dubium ab Achimelech excitatum. ***Aut non legiſtis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſinè crimine ſunt?*** violare videntur, ſed non violant, quia neceſſitas excuſat, vt poſſint vacare diuinis. Hoc ſecundo exemplo probat licere diſcipulis, ſubdens: ***Dico autèm vobis, quia templo maior eſt hic.*** Sum ego Deus, ſi ergò hoc diſcipuli mei faciunt, vt mihi ſeruiant, & miniſtrent, ſunt enim continui familiares, & commenſales mei, non poteſtis illos arguere, & hic de maiori ad minus; Aliàs pòſt languidum ſanatum. Ioan. 5. vſus eſt eodem themate, ſe Deum, Pater meus vſquè modo operatur, & ego operor. ***Si autèm ſciretis quid eſt*** dictum illud prophetæ, ***Miſericordiam volo, & non ſacrificium***, idèſt potiùs miſericordiam, quàm ſacrificium, ***nunquam condemnaſſetis innocentes***, hos meos diſcipulos; nàm miſerti eſſetis illorum, & compaſſi eſſetis eorum neceſſitati, & viſcera miſericordiæ induiſsetis, quæ Deo placet magis, quàm Sabbati obſeruantia. ***Sabbatum propter hominem factum eſt***, vt quieſcat, & Deo ſeruiat, ***& non homo propter Sabbatum***, in concurſu ergò horum duorum præferenda conſeruatio hominis potiùs, quàm Sabbati, ſi ergò diſcipuli fame conficiuntur, licet eis in Sabbato vellere, & fricare ſpicas. ***Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati***, vndè poſsum diſpenſare, & diſpenſo, quæ eſt alia excuſatio pro diſcipulis; nec placet, quòd his verbis innuerit ad ſe ſpectare defenſionem Sabbati, vtì ad Dominum Sabbati, cum non intenderet niſi defendere à calumnia obiecta diſcipulos ſuos, non Sabbatum, neque Hebręi adducebant quidquam contrà Sabbatum, imò erant pro illius obſeruantia, & quamuis diſpenſatio nō requireretur in neceſſitate, id dixit Chriſtus ex abundanti; vel cum dixiſset ***quia templo maior eſt hic***, his verbis declarat quis nam is ſit, idèſt filius hominis ***Dominus etiam Sabbati***, ſicut quandò ſoluturis iumenta iuſſit, dicite, quia Dominus his opus habet.

CAPVT XLI.

DE HABENTE MANVM ARIDAM SANATO: ET TESTIMONIO ISAIAE.

Matth. 12.

9 ET cum indè tranſiſſet, venit in Synagogam eorum. * Et
10 eccè homo manum habens aridam, & interrogabant eum,
dicentes: Si licet Sabbatis curare? vt accuſarent eum.
11 * Ipſe autèm dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui ha-
beat ouem vnam, & ſi ceciderit hac Sabbatis in foueam:
12 nonnè tenebit, & leuabit eam? * Quantò magìs melior
13 eſt homo oue? Itaquè licet Sabbatis benefacere. * Tùnc ait
hominì: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.
14 * Exeuntes autèm Phariſæi, conſilium faciebant aduersùs eum, quomodò perde-
15 rent eum. * Ieſus autèm ſciens receſſit indè: & ſecuti ſunt eum multi, & curauit
16 eos omnes: * & præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent. * Vt adimpleretur, quod
17 dictum eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem: * Eccè puer meus, quem elegi, di-
18 lectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſupèr
19 eum, & iudicium Gentibus nunciabit. * Non contendet, nequè clamabit, ne-
20 què audiet aliquis in plateis vocem eius: * arundinem quaſſatam non confrin-
get, & linum fumigans non extinguet, donèc eijciat ad victoriam iudicium:
21 * & in nomine eius Gentes ſperabunt.

Marc. 3.

1 ET introiuit iterum in Synagogam: & erat ibì homo habens manum ari-
2 dam. * Et obſeruabant eum, ſi Sabbatis curaret, vt accuſarent illum.
3 * Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. * Et dicii eis: Li-
4 cet Sabbatis bencfacere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere? At illi
5 tacebant. * Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſupèr cæcitate cordis eo-
rum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ma-
6 nus illi. * Exeuntes autèm Phariſæi, ſtatìm cum Herodianis conſilium facie-
7 bant aduerſus eum, quomodò eum perderent. * Ieſus autèm cum diſcipulis ſuis ſe-
8 ceſſit ad mare: & multa turba à Galilæa, & Iudæa ſecuta eſt eum, * & ab
Ieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem: & qui circà Tyrum, & Si-
do-

9 *donem , multitudo magna , audientes : quæ faciebat , venerunt ad eum . * Et*
dixit diſcipulis ſuis, vt nauicula ſibi deſeruiret proptèr turbam, ne comprimerent
10 *eum. * Multos enìm ſanabat, ità vt irruerent in eum, vt illum tangerent quot-*
11 *quot habebant plagas . * Et ſpiritus immundi , cum illum videbant , procide-*
12 *bant ei : & clamant , dicentes : * Tu es Filius Dei . Et vehementèr commina-*
batur eis, ne manifeſtarent illum .

Luc. 6.

6 F*ACTVM eſt autèm & in alio Sabbato , vt intraret in Synagogam, &*
7 *doceret . Et erat ibì homo , & manus eius dextra erat arida . * Obſerua-*
bant autèm Scribæ, & Phariſæi, ſi in Sabbato curaret : vt inuenirent vndè ac-
8 *cuſarent eum . * Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum : & ait homini , qui habe-*
9 *bat manum aridam : Surge , & ſta in medium . Et ſurgens ſtetit . * Ait au-*
tèm ad illos Ieſus : Interrogo vos, ſi licet Sabbatis benefacere : an malè animam
10 *ſaluam facere , an perdere ? * Et circumſpectis omnibus , dixit homini : Extende*
11 *manum tuam. Et extendit: & reſtituta eſt manus eius . * Ipſi autèm repleti ſunt*
inſipientia, & colloquebantur ad inuicèm, quidnam facerent Ieſu .

COMMENTARIVS.

E*T cum indè tranſiſſet,* à loco, in quo Phariſæi diſcipulos carpſerant, *venit in Synagogam eorum,* non dicitur in quo loco, ſed fortè Capharnai, vbì erat ſolita habitatio, quia iàm diſceſſum indè ad Ieruſalem de medio ſuſtulimus. *Et eccè homo ibì erat , manum habens aridam , & interrogabant eum dicentes : ſi licet Sabbato curare ? vt accuſarent eum* de Sabbati violatione, durabat adhùc in eis motiuum hoc , de quo ſuprà in præcedenti capite , *ipſe verò ſciebat cogitationes eorum*, quia Deus cordium ſcrutator . *Ipſe autèm dixit illis interrogo vos*, dicit Lucas , modus conuincendi facilior, ſic interrogabo, & ego vnum verbum : baptiſmus Ioannis, &c. *quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam ?* vult dicere, ſi licet ſaluare ouem, non licet ſaluare hominem oue maiorem ? vndè ſubdit , *quantò magìs melior eſt homo oue ? itaquè licet Sabbatis benefacere*, ſi benefacere, ergò curare infirmitates: *At illi tacebant,* nec cedebant rationibus eius . *Ex circumſpiciens eos cum ira* , vt eos flecteret, & reſipiſcerent , *contriſtatus ſupèr cæcitate cordis eorum* obſtinati , *tùnc ait homini* vltrò , non rogatus, nàm precum nulla mentio, & Phariſæi calumniantes, certò non obtulerant curandum , ipſe nihil dixit , *extende manum tuam* poteſtate , quam tibì trado : ſic vltrò cum filio viduæ , languido , & alijs , *& extendit* , obediens , *& reſtituta eſt ſanitati , ſicut altera. Ipſi autèm* videntes miraculum, *repleti ſunt inſipientia,* cum debuiſſent credere, & recipere illum, & agebant cum Herodianis curialibus de illo occidendo , hìc fortè congrueret illud . Herodes quærit te occidere. *Ieſus autèm ſciens receſſit indè,* quia nondum venerat hora eius , & multos ſequentes, eum tangentes, curabat; eccè tactus , vt appareat patrator miraculorum , & iuſſit , ne eum publicarent , ad ſedandam iram Phariſæorum inuidentium , & humilitatem oſtendendam, de quibus aliàs ſæpiùs: *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam*

Digitized by Google

Prophetam,dicentem: Eccè puer meus. Matthæus apponit hanc prophetiam ad oſtendendam Chriſti manſuetudinem, quam facto ipſe demonſtrauerat recedendo, & locum dando inſaniæ phariſaicę,quia prophetia in hoc tota verſatur. *Eccè puer meus.* Act. 4.17.puerum Ieſum,idèſt ſeruus meus.Iſaiæ 42.1.*quem elegi,* in caput, *dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ,*vt in baptiſmo, & tranſfiguratione. *Ponam Spiritum meum ſupèr eum*, idèſt verba mea in ore eius. Deuteron. 18. & dedi te doctorem, *& iudicium gentibus* populis *nuntiabit*,idèſt iuſta, recta loquetur verba omnia, quæ præcepero ei in nomine meo. Deuteron. 18.ſub quibus lex euangelica. *Non contendet, nequè clamabit, nequè audiet aliquis in plateis vocem eius*, ideò Agnus, ouis, tamquàm ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum, diſcite à me, quia mitis ſum, &c. & ne putetis me vos accuſaturum apud patrem Moyſes,&c. & alibì: eſt qui quærat, & iudicet, & Deuteron.18. Deus, ego vltor exiſtam. *Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*, non docebit vi, non in furore vt cogat, cum ſit Rex pacificus, & quemquè arbitrio ſuo dimittat. Vel ità, vt nedum arundinem quaſſatam confracturus, vel linum fumigans extincturus ſit, imò conſolidaturus, & purgaturus,non venit, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, *donèc adijciat ad victoriam iudicium,* veritate,'vt ex Iſaia, donèc veritati Euangelicæ locus fiat: quòd perficiet in monte, ego veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati; vt omnia impleantur, & tùnc *gentes in nomine eius ſperabunt*, conuertentur, apprehendent legem Euangelicam,erunt illi in hęreditatem, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.Pſalm.2.

CAPVT XLII.

DE ELECTIONE APOSTOLORVM DVODECIM.

Marc. 3.

13 *ET aſcendens in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe:*
14 *& venerunt ad eum. * Et fecit vt eſſent duodecim cum*
15 *illo: & vt mitteret eos prædicare. * Et dedit illis pote-*
ſtatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia.
16 ** Et impoſuit Simoni nomen, Petrus: * & Iacobum Ze-*
17 *bedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis no-*
18 *mina Boanerges, quod eſt, Filij tonitrui: * & Andream,*
& Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iaco-
19 *bum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, * & Iudam Iſcario-*
tem, & tradidit illum.

Luc. 6.

12 F*ACTVM eſt autèm in illis diebus, exijt in montem orare, & erat per-*
13 *noctans in oratione Dei.* * *Et cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos:*
14 *& elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominauit)* * *Simonem quem cõ-*
gnominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Phi-
15 *lippum, & Bartholomæum,* * *Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, &*
16 *Simonem, qui vocatur Zelotes,* * *& Iudam Iacobi, & Iudam Iſcariotem, qui*
fuit proditor.

COMMENTARIVS.

E*T aſcendens in montem, & erat* ibi *pernoctans in oratione Dei*, ad Deum, quà homo eſt, *& cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex illis*, quos voluit ipſe, nàm ab eius miſericordia, & prudentia hoc dependebat, *quos & Apoſtolos nominauit, & vt mitteret eos prædicare* Euangelium, regnum diſtribuendum, *& dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia*, fortè hæc, quandò miſit illos prædicare, tùnc enìm fit, & horum mentio, nàm dum erant cum Chriſto non curabant, nec miracula faciebant; *& impoſuit Simoni nomen, Petrus*, confirmauit illud, quod ſemèl appoſuerat. Ioan. 1. nàm actiones Dei ſunt ſinè pœnitentia, firmæ, ſtabiles, ſempèr in ordine primus Petrus, de alijs ordinandis non multùm curarunt Euangeliſtæ, *Iudas proditor*, bonus tamèn electus, proùt Saul. Receſſit ergò ad montem oraturus pro hac electione, quia res erat maximi momenti; eligendi enìm erant futuri teſtes totius vitæ Chriſti. Vos, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis, eritis mihi teſtes, &c. in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſquè ad vltimum terræ, & præſertìm reſurrectionis. act. 1. euangelizaturi, & cõuerſuri mundum legatione, & vice mea functuri, principes terræ, diſtributores regni cæleſtis, claudentes cælum, & reſerantes, ſeſſuri, & iudicaturi meum totum orbem, & dæmones. Sic Deus prælegit Abraham circumducturus eum, & oſtenſurus mundo; in præcurſore quot ſeruata? hoc exemplum ſecuti vndecim in electione Matthiæ, acto. 1. Enoch, & Elias miraculosè ad ſimile officium reſeruati. Apocal. 11. Cur Hebræi ſoli electi, nullus gentilis? at ad Hebræos ſolus ipſe miſſus, quia ij ſoli ſegregati, ex quo ipſe òriretur, in Iudæa ſola cognitus Deus, cum his ſolis ipſe conuerſatus, Iudæi priùs conuertendi, vt eſſet ad gentes facilior aditus, & per ſuos gentiles Iudæi faciliùs Euangelium receperunt. At mirum neminem ex diſcipulis electioni huic Petrum præferenti, contradixiſſe, proùt multi Saul Regi electo. Hi tamèn de primatu intèr eos contenderunt, vt hac fortè de cauſa Chriſtus voluerit oſtendere ſupèr eo à Patre diſpoſitum, ne cœteri poſtpoſiti inſurgerent.

CAPVT XLIII.
DE SERMONE DOMINI IN MONTE.
Matth. 5.

1 VIDENS autèm Iſus turbas, aſcendit in montem, &
2 cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, * & ape-
3 riens os ſuum docebat eos, dicens: * Beati pauperes ſpiri-
4 tu: quoniàm ipſorum eſt regnum cælorum. * Beati mites:
5 quoniàm ipſi poſſidebunt terram. * Beati qui lugent: quo-
6 niàm ipſi conſolabuntur. * Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt
7 iuſtitiam: quoniàm ipſi ſaturabuntur. * Beati miſericor-
8 des: quoniàm ipſi miſericordiam conſequentur. * Beati mundo corde: quoniàm
9 ipſi Deum videbunt. * Beati pacifici: quoniàm Filij Dei vocabuntur. * Bea-
10 ti, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniàm ipſorum eſt regnum
11 cælorum. * Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & di-
12 xerint omne malum aduersùm vos mentientes proptèr me: * gaudete, & exul-
tate, quoniàm merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enìm perſecuti ſunt Pro-
13 phetas, qui fuerunt antè vos. * Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal euanuerit, in
quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foràs, & conculcetur
14 ab hominibus. * Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuprà mon-
15 tem poſita. * nequè accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſupèr
16 candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. * Sic luceat lux veſtra co-
ràm hominibus: vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum,
17 qui in cælis eſt. * Nolite putare, quoniàm veni ſoluere legem, aut Prophetas: non
18 veni ſoluere, ſed adimplere. * Amen quippè dico vobis, donèc tranſeat cælum
& terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donèc omnia fiant.
19 * Qui ergò ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines,
minimus vocabitur in regno cælorum: qui autèm fecerit & docuerit, hic ma-
20 gnus vocabitur in regno cælorum. * Dico enìm vobis, quia niſi abundauerit iu-
ſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum
21 cælorum. * Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autèm occide-
22 rit, reus erit iudicio. * Ego autèm dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri
ſuo, reus erit iudicio. Qui autèm dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio.
23 Qui autèm dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. * Si ergò offers munus tuum
ad altare & ibì recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te:

* re-

24 * *relinque ibì munus tuum antè altare, & vade prius reconciliari fratri tuo:*
25 *& tùnc veniens offeres munus tuum.* * *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum*
es in via cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te mi-
26 *niſtro: & in carcerem mittaris.* * *Amen dico tibi, non exies indè, donèc red-*
27 *das nouiſſimum quadrantem.* * *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mæ-*
28 *chaberis.* * *Ego autèm dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad con-*
29 *cupiſcendum eam, iàm mæchatus eſt eam in corde ſuo.* * *Quòd ſi oculus tuus*
dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enìm tibi, vt pereat
vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.
30 * *Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & proijce abs te: expe-*
dit enìm tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum
31 *eat in gehennam.* * *Dictum eſt autèm: Quicumque dimiſerit vxorem ſuam,*
32 *det ei libellum repudij.* * *Ego autèm dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit vxo-*
rem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mæchari: & qui dimiſſam
33 *duxerit, adulterat.* * *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non periura-*
34 *bis: reddes autèm Domino iuramenta tua.* * *Ego autèm dico vobis non iurare*
35 *omnino, nequè per cælum, quia thronus Dei eſt:* * *Nequè per terram, quia ſca-*
bellum eſt pedum eius: nequè per Ieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis:
36 * *nequè per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere,*
37 *aut nigrum.* * *Sit autèm ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autèm his*
38 *abundantius eſt, à malo eſt.* * *Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, &*
39 *dentem pro dente.* * *Ego autèm dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te per-*
40 *cuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:* * *& ei, qui vult*
41 *tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* * *&*
42 *quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* * *Qui petit*
43 *à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris.* * *Audiſtis quia dictum eſt:*
44 *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* * *Ego autèm dico*
vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro
45 *perſequentibus, & calumniantibus vos:* * *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cæ-*
lis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſupèr bonos, & malos, & pluit ſupèr iuſtos &
46 *iniuſtos.* * *Si enìm diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*
47 *nonne & publicani hoc faciunt?* * *Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid*
48 *amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt?* * *Eſtote ergò vos perfecti, ſicut*
& Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

Matth. 6.

1 A*TTENDITE ne iuſtitiam veſtram faciatis coràm hominibus, vt*
videamini ab eis: aliòquin mercedem non habebitis apud Patrem ve-
2 *ſtrum, qui in cælis eſt.* * *Cum ergò facis eleemoſynam, noli tuba canere antè te,*
ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab homini-
bus:

3 *bus : Amen dico vobis , receperunt mercedem ſuam . * Te autèm faciente eleemo-*
4 *ſynam , neſciat ſiniſtra tua , quid faciat dextera tua : * vt ſit eleemoſyna tua in*
5 *abſcondito , & Pater tuus , qui videt in abſcondito , reddet tibi . * Et cum ora-*
tis , non eritis ſicut hypocritæ , qui amant in Synagogis , & in angulis platea-
rum ſtantes orare , vt videantur ab hominibus : amen dico vobis , receperunt
6 *mercedem ſuam . * Tu autèm cum oraueris , intra in cubiculum tuum , & clau-*
ſo oſtio , ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui vidit in abſcondi-
7 *to , reddet tibi . * Orantes autèm , nolite multùm loqui , ſicut ethnici . Putant*
8 *enìm , quòd in multiloquio ſuo exaudiantur . * Nolite ergò aſſimilari eis . Scit*
9 *enìm Pater veſter , quid opus ſit vobis , antequàm petatis eum . * Sic ergò vos*
10 *orabitis : Pater noſter , qui es in cælis : ſanctificetur nomen tuum . * Adueniat*
11 *regnum tuum . Fiat voluntas tua , ſicut in cælo , & in terra . * Panem noſtrum*
12 *ſuperſubſtantialem da nobis hodiè . * Et dimitte nobis debita noſtra , ſicut & nos*
13 *dimittimus debitoribus noſtris . * Et ne nos inducas in tentationem . Sed libera*
14 *nos à malo . Amen . * Si enìm dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet &*
15 *vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra . * Si autèm non dimiſeritis homini-*
16 *bus : nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra . * Cum autèm ieiunatis ,*
nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enìm facies ſuas, vt appareant ho-
17 *minibus ieiunantes . Amen dico vobis , quia receperunt mercedem ſuam . * Tu*
18 *autèm , cum ieiunas , vnge caput tuum , & faciem tuam laua , * ne videaris*
hominibus ieiunans , ſed Patri tuo , qui eſt abſcondito : & Pater tuus , qui vi-
19 *det in abſcondito , reddet tibi . * Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra :*
20 *vbì ærugo , & tinea demolitur : & vbì fures effodiunt , & furantur . * The-*
ſaurizate autèm vobis theſauros in cælo : vbì nequè ærugo , nequè tinea demoli-
21 *tur , & vbì fures non effodiunt , nec furantur . * Vbì enìm eſt theſaurus tuus ,*
22 *ibi eſt & cor tuum . * Lucerna corporis tui eſt oculus tuus . Si oculus tuus fuerit*
23 *ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit . * Si autèm oculus tuus fuerit nequam ,*
totum corpus tuum tenebroſum erit . Si ergò lumen , quod in te eſt , tenebræ ſunt ,
24 *ipſæ tenebræ quantæ erunt ? * Nemo poteſt duobus dominis ſeruire : aut enim*
vnum odio habebit , & alterum diliget : aut vnum ſuſtinebit , & alterum con-
25 *temnet . Non poteſtis Deo ſeruire , & mammonæ . * Ideò dico vobis , ne ſoliciti*
ſitis animæ veſtræ quid manducetis, nequè corpori veſtro, quid induamini. Non-
26 *ne anima plus eſt, quàm eſca : & corpus plus , quàm veſtimentum ? * Reſpicite*
volatilia cæli , quoniàm non ſerunt , nequè metunt , nequè congregant in horrea:
27 *& Pater veſter cæleſtis paſcit illa . Nonne vos magis pluris eſtis illis ? * Quis*
28 *autèm veſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? * Et*
de veſtimento, quid ſoliciti eſtis ? Conſiderate lilia agri quomodò creſcunt, non la-
29 *borant , nequè nent . * Dico autèm vobis , quoniàm nec Salomon in omni gloria*
30 *ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis . * Si autèm fœnum agri, quod hodiè eſt, &*
cràs in clibanum mittitur , Deus ſic veſtit : quantò magis vos modicæ fidei ?
31 ** Nolite ergò ſoliciti eſſe , dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut*

quo

32 *quo operiemur ? * hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia*
33 *his omnibus indigetis . * Quærite ergò primùm regnum Dei , & iuſtitiam eius :*
34 *& hæc omnia adijcientur vobis . * Nolite ergò ſoliciti eſſe in craſtinum . Craſti-*
nus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. ſufficit diei malitia ſua .

Matth. 6.

1 N*OLITE iudicare , vt non iudicemini . * In quo enim iudicio iudicaue-*
2 *ritis, iudicabimini : & in qua menſura menſi fueritis , remetietur vobis.*
3 ** Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vi-*
4 *des ? * Aut quomodò dicis fratri tuo : Sine eijciam feſtucam de oculo tuo : & ec-*
5 *cè trabs eſt in oculo tuo ? * Hypocrita , eijce primùm trabem de oculo tuo, & tùnc*
6 *videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui . * Nolite dare ſanctum canibus : ne-*
què mittatis margaritas veſtras antè porcos , ne fortè conculcent eas pedibus ſuis,
7 *& conuerſi dirumpant vos . * Petite , & dabitur vobis : quærite , & inuenie-*
8 *tis : pulſate , & aperietur vobis . * Omnis enim , qui petit accipit : & qui quæ-*
9 *rit, inuenit : & pulſanti aperietur . * Aut quis eſt ex vobis homo , quem ſi petie-*
10 *rit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei ? * Aut ſi piſcem petierit, num-*
11 *quid ſerpentem porriget ei ? * Si ergò vos cum ſitis mali , noſtis bona data dare*
filijs veſtris : quantò magis Pater veſter, qui in cælis eſt , dabit bona petentibus
12 *ſe ? * Omnia ergò quæcumquè vultis, vt faciant vobis homines , & vos facite*
13 *illis . Hæc eſt enim lex , & Propheta . * Intrate per anguſtam portam : quia la-*
ta porta , & ſpatioſa via eſt , quæ ducit ad perditionem , & multi ſunt qui in-
14 *trant per eam . * Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam:*
15 *& pauci ſunt , qui inueniunt eam ! * Attendite à falſis Prophetis , qui veniunt*
16 *ad vos in veſtimentis ouium , intrinſecùs autèm ſunt lupi rapaces . * A fructi-*
bus eorum cognoſcetis eos . Numquid colligunt de ſpinis vuas , aut de tribulis
17 *ficus ? * Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autèm arbor malos fru-*
18 *ctus facit . * Non poteſt arbor bona malos fructus facere : nequè arbor mala bonos*
19 *fructus facere . * Omnis arbor , quæ non facit fructum bonum, excidetur , & in*
20 *ignem mittetur . * Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos . * Non omnis , qui*
21 *dicit mihi , Domine , Domine , intrabit in regnum cælorum : ſed qui facit vo-*
22 *luntatem Patris mei , qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. * Mul-*
ti dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus,
& in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?
23 ** Et tùnc confitebor illis : Quia numquàm noui vos : diſcedite à me , qui opera-*
24 *mini iniquitatem . * Omnis ergò , qui audit verba mea hæc , & facit ea , aſ-*
25 *ſimilabitur viro ſapienti , qui ædificauit domum ſuam ſuprà petram , * & de-*
ſcendit pluuia , & venerunt flumina , & flauerunt venti , & irruerunt in do-
26 *mum illam , & non cecidit : fundata enim erat ſupèr petram . * Et omnis , qui*
audit verba mea hæc , & non facit ea , ſimilis erit viro ſtulto , qui ædificauit
do-

25 *domum ſuam ſuprà petram, * & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, &
flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim
26 erat ſupèr petram. * Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimi-
27 lis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſupèr arenam: * & deſcendit
pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum il-
28 lam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. * Et factum eſt: cum conſum-
29 maſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſupèr doctrina eius. * Erat enìm
docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.*

Luc. 6.

17 ET *deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius,
& multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & Maritima,
18 & Tyri, & Sidonis. * Qui venerant vt audirent eum, & ſanarentur à lan-
19 guoribus ſuis. * Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. * Et
omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat om-
20 nes. * Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes: quia ve-
21 ſtrum eſt regnum Dei. * Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati, qui
22 nunc fletis: quia ridebitis. * Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſe-
parauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum, tamquàm ma-
23 lum proptèr Filium hominis. * Gaudete in illa die, & exultate, eccè enìm mer-
ces veſtra multa eſt in cælo, ſecundùm hæc enìm faciebant Prophetis patres eo-
24 rum. * Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram.
25 * Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia
26 lugebitis, & flebitis. * Væ cum benedixerint vobis homines: ſecundùm hæc enìm
27 faciebant pſeudoprophetis patres eorum. * Sed vobis dico, qui auditis: Diligite
28 inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. * Benedicite maledicentibus vo-
29 bis, & orate pro calumniantibus vos. * Et qui te percutit in maxillam, præbe
& alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiàm tunicam noli prohi-
30 bere. * Omni autèm petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.
31 * Et prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimilitèr. * Et
32 ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nàm & peccatores dili-
33 gentes ſe diligunt. * Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt: quæ vobis eſt
34 gratia? ſiquidèm & peccatores hoc faciunt. * Et ſi mutuum dederitis his, à qui-
bus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nàm & peccatores peccatoribus fœ-
35 nerantur, vt recipiant æqualia. * Verumtamen diligite inimicos veſtros: bene-
facite, & mutuum date, nihil indè ſperantes: & erit merces veſtra multa, &
36 eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſupèr ingratos, & malos. * Eſtote er-
gò miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt. * Nolite iudicare, & non
iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimit-
38 temini. * Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagi-
ta-

*tatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. * Eadem quippè menſu-*
39 *ra, qua menſi fueritis, remetietur vobis. * Dicebat autèm illis & ſimilitudi-*
nem: Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonnè ambo in foueam cadunt?
40 ** Non eſt diſcipulus ſupèr magiſtrum: perfectus autèm omnis erit, ſi ſit ſicut*
41 *magiſter eius. * Quid autèm vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autèm,*
42 *quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quomodò potes dicere fratri tuo: Fra-*
ter ſine eijciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hy-
pocrita eijce primùm trabem de oculo tuo: & tùnc perſpicies, vt educas feſtucam
43 *de oculo fratris tui. * Non eſt enìm arbor bona, quæ facit fructus malos: nequè*
44 *arbor mala, faciens fructum bonum. * Vnaquæquè enìm arbor de fructu ſuo co-*
gnoſcitur. Neque enìm de ſpinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant
45 *vuam. * Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus ho-*
mo de malo theſauro profert malum, Ex abundantia enìm cordis os loquitur.
46 ** Quid autèm vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico? * Om-*
47 *nis, qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos: oſtendam vobis,*
48 *cui ſimilis ſit: * ſimilis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & po-*
ſuit fundamentum ſupèr petram. inundatione autèm facta, illiſum eſt flumen
49 *domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enìm erat ſupèr petram. * Qui*
autèm audit, & non facit: ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſupèr ter-
ram ſinè fundamento: in quam illiſus eſt fluuius, & continuò cecidit: & facta
eſt ruina domus illius magna.

COMMENTARIVS.

VIDENS *Ieſus turbas, aſcendit in montem*, teneo eundem Sermonem eſſe, de quo Matthæus, & Lucas, ſicùt enim Lucas c.6. meminit turbarum ex varijs locis, & cur ſequerentur, ſic & Matthæus, nedum hoc cap. 5. ſed & in fin. cap. 4. Vterquè poſteà narrat ingreſſum in Capharnaum, & ſanitatem ſeruo Centurionis redditam; Et quamuis Lucas omittat admirationem turbarum, ſanitatem leproſi, non recitet verba proùt Matthæus, non ſufficit ad diuerſificandum ſermonem, quia regulare eſt, vt quod vnus Euangeliſta dixit, alius omittat, alijs verbis, & contractioribus, & eodem ſenſu referat; Non obſtat, quòd Matthæus dicat *aſcendit in montem*, Lucas *deſcendens*, quia Chriſtus aſcendit, & orauit in monte, vt dicit Lucas, nominauit Apoſtolos, poſteà deſcendit à ſublimiori parte montis ad inferiorem, ex Auguſtino, & ibì ſermonem habuit, & is eſt mons, de quo Matthæus, qui omiſit orationem, & electionem Apoſtolorum, & locum campeſtrem, de quibus Lucas, & veriſimile admodum eſt, Dominum ad inferiorem partem deſcendiſſe, vt Turbas hoc labore alleuiaret. Non obſtat quòd iuxtà Matthæum ſederit, iuxtà Lucam ſteterit, ſufficit enìm ſcire, quòd non deambulando, vel eundo, ſed fixus ſermonem habuerit: vel in tam longo ſermone potuit & ſtetiſſe, & ſediſſe, vndè vterquè verũ dixit. Vel Lucas per anticipationẽ dixit deſcenſum montis, & explicat ſermonem habitum, qui cum ſit vniformis cum illo Matthæi, neſcio videre, quomodò poſſit dici diuerſus loco, & tempore. Scopus ſermonis eſt auocare homines ab ijs, quæ mundus habet in pretio, & ſequitur, & conſtituere mo-

modum, & perfectionem vitæ Chriſtianæ in ſimplicitate, veritate, & ſinceritate operum. Et quia propoſiturus erat quædam primo aſpectui difficilia, & ſempèr vniuſcuiuſquè operis finis attenditur, ideò ad alliciendos homines ad obſeruantiam proponit beatitudines, quas nemo dixit, & ſi à ſapientibus ſupèr his variè diſputatum, nec quiſquàm crediđiſſet, niſi Chriſtus has enuntiaſſet, & exemplo firmaſſet, & nos, qui eas ſcimus, illas non amplexantes, vapulabimus pluſquàm illi, qui ignorarunt. Veh tibi Corazaim, &c. *Videns autèm Ieſus turbas* multas *aſcendit in montem* commodiùs eos docturus, *& cum ſediſſet*, proùt nos animo, & corpore pacato aliquid facturi, *acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, erant enìm hi quaſi laterones, & primi iuxtà illum, *& aperiens os ſuum*, loqui incipiens, *docebat eos* cum turbis, non enìm aſcendit in montem turbas deuitans, ſed docere volens, aliòqui ad quid mentio turbarum? Vltrà quòd in fine dicitur turbas admiratas ſupèr eius doctrina. Lucas verò, *& deſcendens cum illis* iàm Apoſtolis electis, *ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius* vltrà Apoſtolos, *& multitudo copioſa plebis*; hæc enìm ſequebatur, non principes, *ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & Maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur* ab eo *à languoribus ſuis*, infirmitatibus, *& qui vexabantur à Spiritibus immundis, curabantur, & omnis turba quærebat eum tangere*; hìnc ſæpè comprimebatur à turbis, & neceſſe habebat ad naues confugere, quia *virtus*, ſanatiua, *de illo exibat, & ſanabat omnes* tangentes. Non facit mentionem Galilææ, quia Galilæa erat, & de confluentibus aliundè eſt ſermo, ſed Galilæorum multitudo numeroſior credenda. *Beati pauperes Spiritu*, amplectentes animo prompto, voluntate, affectu interno, verè, non fictè, amore Dei paupertatem, vt Apoſtoli, & iuxtà hunc intellectum concordat prima beatitudo Lucæ dicentis *pauperes* ſimplicitèr, idèſt omnibus voluntariè ſpoliati. Alij tenent diuerſam eſſe beatitudinem primam Matthæi à prima Lucæ; Matthæum nempè loqui de paupertate Spiritus; diuitijs tamèn retentis iuxtà Dauidem, diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere; Lucam verò de omnia abdicantibus, nihilquè poſſidentibus. At credo primum intellectum ſtare, qui nutaret, ſi vera eſſet hæc diuerſitas, & Chriſtus non vtrobiquè loqueretur de omnimoda paupertate, & ſumma perfectione, ad quam ſuadens iuuenem dixit: vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, nequè vtrobiquè diceret, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, quod eſt proprium prœmium omnium renuntiantium; aliqua enìm dimittentibus datur tantùm centuplum in hac vita. Experta eſt Tabitha à Petro ad preces pauperum excitata, quos alebat, & veſtiebat. act. 9. & vitam æternam in alia. At cur horum regnum cælorum? quia quantum in eis fuit, martyrio, quod eſt paupertas, & omnibus anguſtijs pro Deo ſic ſpoliati, & nudi ſe obtulerunt Chriſtum ſequentes, quod eſt opus perfectionis; ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. *Beati mites*, qui ſequuntur Chriſtum, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; intèr hos Moyſes mitiſſimus; at non apparentèr, ſed verè; vndè ſapiens, eſt qui nequitèr humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo. Eccleſ. 19. 23. at in ſuperbia, eritis ſicut Dij. Geneſ. 3. initium ſumpſit omnis perditio. Iob. 4. 14. & hæc odibilis coràm Deo eſt, & hominibus. Eccl. 10. 7. *quoniam ipſi poſſidebunt terram* viuentium; de æternis enìm, & cæleſtibus in his omnibus beatitudinibus agitur, quæ tamèn variè nominantur, proùt & Apocalyp. 2. & 3. *Beati, qui lugent*, peccata ſua, nec conſolationem quærunt ex caducis huius ſæculi rebus, *quoniam ipſi conſolabuntur* in Cælo; de æterna enìm conſolatione ſatiatura agit. Aliqui hoc & ad infirmitates, & afflictiones. Luc. 6. trahunt, quod credo; non tamèn ad perſecutiones hominum, de quibus in ſpecie. *Beati eritis. Beati, qui perſecutionem patiuntur, &c.* non probo differentiam, quòd Matthæus agat de luctu interno, & animæ, Lucas de externo, & corporis, ibì *Beati, qui nunc fletis*, imò credo vtrumquè de eodem verba facere, nec video rationem differentiæ. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam* in ſpecie, vel omnes virtutes ſub hac

hac comprehenſas, proùt dicitùr Ioſeph iuſtus, quia omnibus virtutibus ornatus, vel obſeruantiam mandatorum, ad quam hoc zelo mouentur. Vel omnia rectè in mundo adminiſtrari, ius ſuum cuiquè reddi, neminem opprimi quod ipſi facto præſtant; *quoniam ipſi ſaturabuntur* ab vbertate domus Dei. Sed quia Lucas dicit, *Beati, qui nunc eſuritis*, nec apponit iuſtitiam, credunt aliqui ipſum loqui de fame, & ſiti corporali, quam patimur voluntariè, & pacato animo amore Dei, & ſic de ieiunijs, & abſtinentia, hincquè voluit diuerſificare beatitudines Matthæi, & Lucæ. At poſſet & Lucas intelligi de eſurie virtutum, & ſuppleri per Matthæum, præſertìm quia paſſiones corporis, ieiunia, abſtinentiæ comprehenduntur ſub præcedenti, *Beati, qui lugent*, & in his beatitudinibus non agitur de conſecutiuis, ſed de per ſe exiſtentibus. Prætereà fames, & ſitis voluntaria (neceſſaria enìm non eſt virtus niſi conſideretur primus actus abdicationis omnium, vel patientia) non habentur niſi per ieiunium, & ſi de hac intellexiſſet, potiùs dixiſſet, beati ieiunantes; vltrà quòd de ieiunio expreſsè infrà loquitur in ſermone, & fames, & ſitis habent terminos exemplo Domini, qui pòſt ieiunium eſurijt, & finita tentatione, Angelorum miniſterio vſus eſt, hìc autèm agitur de ſiti perſeuerante; vndè veriſimilitèr & Lucas de fame iuſtitiæ, non de hac corporali intellexit. *Beati miſericordes*, qui in ſubleuandis aliorum miſerijs corporalibus, & ſpiritualibus, re, non verbis præſtant; *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Dan. 4. 24. quibus ſublatis cælum datur à miſericorde Deo. *Beati mundo*, ſimplici, puro, ſincero *corde* in omnibus, proùt Nathanael verè Iſraelita imitãs Iſrael, Iacob ſimplicem, in quo dolus non erat. Io. 1. ex corde enìm exeunt cogitationes malæ, &c. *quoniam ipſi Deum videbunt*, puritas enim in hac viſione requiritur, nàm illùc nihil intrat coinquinatum, & Deus, cuius viſio datur, adeò purus, vt in conſpectu eius Angeli non ſint mundi ad Iob. *Vel Beati mundo corde*, non ficto, Spiritus enim Domini odit fictum; Sapien. 1. 5. *Beati pacifici, &c.* in ſe, iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum. Roman. 5. & cum alijs, ſeminantes intèr diſcordes pacem, vtì Ionathas intèr Saul, & Dauid, imitantes Chriſtum, qui venit pacem daturus, & vniturus vtrumquè parietem, pacificans quæ in cælis, & quæ in terris, quam nuntiarunt Angeli, diſcedens reliquit bonis, non impijs, quibus non eſt pax, præſertìm ſeminantibus diſcordias ſapienti ſuprà alios odioſis, intèr quos Ioab intèr Dauid, & Abner: Principes Amonitarum intèr eorum Regem, & Dauid: & Doeg Idumæus intèr eumdem, & Saulem.

Sed quomodò intelligetur, non veni pacem mittere in terram, ſed gladium? &c. Dicas veni remoturus obſtacula priùs, vt pax introducatur, ſic & Deus, vt pax cum eo fieret, priùs inimicitias ponam, &c. Gen. 3. *quoniam filij Dei vocabuntur*, erunt, & ſi filij, & hæredes, hæredes quidèm Dei, cohæredes autèm Chriſti: *Beati, qui perſecutionem patiuntur proptèr iuſtitiam*, quamlibet virtutem; iuſtitia enìm omnes comprehendit, non proptèr vitia, ſeù ſimplicitèr, vndè non eſt reſtricta ad ſolos martyres hæc beatitudo, *quoniàm ipſorum eſt regnum calorum*, ſicùt & pauperum ſpiritu. Differt hæc à ſiti, & eſurie iuſtitiæ, nàm hæc paſſio proptèr illam, vndè clarior virtus, & præmium clarius explicatum. *Beati eſtis*, eritis tùnc vos diſcipuli mei, & alij quicunquè, *cum maledixerint vobis. & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum*, cuiusvis generis, *aduersùm vos mentientes*, cum ſitis innocentes, & nihil mali commiſeritis, *proptèr me:* ſi enìm proptèr vos non ſic, hoc enìm reſtrictum ad patientes proptèr Chriſtum; *gaudete* tùnc, *& exultate*, & ſic fecerunt Apoſtoli, qui ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniàm digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, & Paulus, gloriamur in tribulationibus. Rom. 5. *quoniàm merces veſtra*, quam ex præmiſſis lucrabimini, *copioſa eſt*, non condigna, inexplicabilis, *in calis*, & in æternum. Hùc reſpexit Dauid maledicente illo Semei, & ſi proptèr ſe, non proptèr Chriſtum dicens, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 1. Reg. 16. 12. Sed ſi Dauid pro-

ptèr ſe, quid alij proptèr Chriſtum? *ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt antè vos*, ex his verbis intelligimus præcedentia intelligi de Hebræis perſecuturis Apoſtolos, & fideles, poſtquàm hæc verba de illis ſolis agunt, ſed vult dicere, ne miremini, ſi dixi, *cum maledixerint vobis*, &c. quia non eritis immunes ab his, proùt nec prophetæ, non tamèn explicauit, proùt, Io. 16. 2. abſquè ſynagogis facient vos, ſed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo, &c. & nunc ipſi non penetrarunt quò tenderet, cum eſſent rudes, & tùnc explicauit, cum eſſent capaciores. *Veruntamen va vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram*, ſanctus Lucas apponit quoſdam quaſi anathematiſmos, horum primus conformis dictis per Abraham Epuloni; fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, in his nulla difficultas. *Vos* Apoſtoli *eſtis ſal terræ*, quia iuxtà virtutem ſalis officium veſtrum eſt omnes homines condire, & ad viam Euangelicam reducere, & à vitiorum putredine conſeruare doctrina, & exemplo more Eliſei, qui ſale aquas peſſimas reddidit optimas. 4. Reg. 2. & ad has beatitudines, cùm regnum cælorum prædicaturi ſitis quod datur quæ dixi operantibus inflammandi, & hæc eſt ratio, cur Apoſtolis poſt beatitudines hæc dicit, & hinc quàm magnum, latumquè officium Apoſtolatus totam terram comprehendens, euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, in hoc ſermone Chriſtus iacit totius ædificij fundamenta. *Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* à nullo, quia non eſt aptum ſaliri ab alio ſale; *ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus* vti nulli rei aptum, imò nociuum terræ, quàm reddit ſterilem, Pſal. 106. poſuit Deus terram in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea tempore diluuij, hinc ſale ſatæ Ciuitates à victoribus, vt nullum in eis germen oriatur, proùt Iud. 9. Sichem ab Abimelech; ſi ergò vos in miniſterio, ad quod vos elegi, defeceritis, à quo erigemini? vel quem fructum facietis? imò hominibus nocebitis, & hæc vobis vitanda propono; *Vos* Apoſtoli *eſtis lux mundi*, mundum prædicatione veſtra illuminaturi vice mea, qui illumino omnem hominem venientem in hunc mundum, legatione ad hoc functuri. *Non poteſt Ciuitas abſcondi ſuprà montem poſita*, ità vt non videatur, cum ergò vos ſitis ſal terræ, lux mundi, idem vobis eueniet, nàm non poteritis abſcondi, nec elegi vos vt abſcondamini, ſed condiatis, & luceatis, & cum ſitis tales, oculos omnium in vobis fixos habebitis, omnia veſtra perſcrutabuntur. *Nequè accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio*, vt abſcondatur lumen, *ſed ſupèr candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt*; ſic nequè ego vos ad hoc culmen apoſtolicum elegi, vt abſcondamini, & non luceatis; monet eos officij, ad quod eos elegit, rectè obeundi. Sed ne putent hàc eorum promotione ad apoſtolatum vti poſſe ad eorum gloriam, & ſplendorem more hominum mundi, ſubdit; *ſic luceat lux veſtra coràm hominibus*, quibus nõ poteſtis eſſe occulti, *vt videant opera veſtra bona*, & ſalutem veſtro exemplo, & doctrina conſequantur, & non vos laudemini, quia ſic reciperetis mercedem veſtram apud homines, ſed *glorificent* illi, & vnà vos ipſi *Patrem veſtrum* Deum, *qui in cælis eſt*, qui vobis retribuet iuxtà opera veſtra, erit enim merces magna operi veſtro. *Nolite putare, quoniam veni*, quòd venerim in mundum *ſoluere*, ſoluturus, fracturus *legem* Moyſis, *aut prophetas, non veni ſoluere, ſed adimplere*, perficere. *Amen quippè dico vobis donèc tranſeat cælum, & terra*, vſquè ad diem Iudicij, antè quem omnia tranſitura, & ſoluenda. 2. Pet. 3. Apoc. 21. *iota unum, aut unus apex non præteribit à lege donèc omnia fiant*, impleantur omnia in lege dicta perfectè; Ad quid hæc Chriſtus? credo, cum eſſet legem pefecturus ex iàm dictis, & dicendis, & ea poſſent credi legi contraria, ideò ad ſaluandum quæ dixerat, & quæ dicturus erat, hæc præmiſiſſe ad tollendam ex animis hanc obiectionem; At deindè ad ſtabiliendum dicta ſua, ne crederentur vana, ſed obſeruanda per Apoſtolos, & alijs ad obſeruantiam proponenda poſtquàm lux, & ſal erant; ſubdit, *qui ergò ſoluerit*, fregerit, *unum de mandatis iſtis minimis* per me ſubijciendis, *& docuerit ſic homines*, inducendo illos ad inobſeruantiam, *minimus*

mus uocabitur in regno cælorum, idêſt excludetur à regno cælorum, ad nihilum valet vltra, mittetur forâs, conculcabitur vti inuentus minùs habens, proût Baltaſſar. Dicit hæc minima non reſpectu præceptorum, quæ magna ſunt, ſed reſpectu reputationis, quia ſi reputentur minima intèr alia; nàm non poteſt dici minimum quod eſt ſub præcepto, & cuius tranſgreſſio eijcit à regno cælorum; Vel dicit minimà ad exagerationem obſeruantiæ, quaſi velit ex hoc dicere, ſunt quæ dico adeò obſeruanda, vt ne minima quidèm ſolui poſſint; *qui autèm fecerit, & docuerit* etiàm minima, quæ ſic videntur, ne dum magna, qui enim in vno deliquerit, factus eſt omnium reus, *hic magnus vocabitur*, erit *in regno cælorum*, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, & qui conuerti fecerit peccatorem à via ſua animam ſuam ſaluabit. Iac. 5. Agit de regno cælorum ſempèr dum ter de illo meminit, non de Eccleſia, vel alio; obſeruantia enim mandatorum, vel inobſeruantia reſpectu illius attenditur, non Eccleſiæ. Itèm ex prædictis non poteſt dici minimus erit in cælo, nàm non datur cælum tranſgredienti præcepta, dicit enim *ſolueritin* tranſgrediente, & *fecerit* in obſeruante. Neque videatur vobis durum, ſi hæc mea, quæ dicturus ſum, vel dixi, tranſcendant quæ dicuntur, & adduntur à Scribis, & Phariſæis, nàm *niſi abundauerit*, præceſſerit, ſuperauerit *iuſtitia veſtra*, obſeruantia mandatorum, *pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum*, qui dicunt, & non faciunt, *non intrabitis in regnum cælorum*, ergò illi non intrabant, & ſic de malis loquitur, & firmatur intellectus, quòd minimum eſſe in regno cælorum, ſit excludi à regno cęlorum. Et ex his colligitur per Chriſtum dicta comprehenſa eſſe in lege veteri, aliòquin immunes fuiſſent à peccato Scribæ, & Phariſæi inobſeruantes. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*, patribus, *non occides*. Exod. 20. *qui autèm occiderit reus erit iudicio*, condemnabitur. Exod. 21. *ego autèm dico vobis*, hanc legem clarè explicando, *quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo in* corde ſuo, *reus erit iudicio*, rationem dabit, *qui autèm dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio*, in quo diſcutietur quid intellexerit; *Qui autèm dixerit, fatuè*, iniuriam inferens, *reus erit gehennæ ignis*, in infernum detrudetur, & verè credibile eſt per hos gradus deſcendendo, non eſſe æquale primum, & ſecundum tertio, in quo pœna gehennæ. Hæc etſi in lege non expreſſa, in lege tamèn comprehendebantur, quia deſcendunt ab illa naturali lege, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & lex vetus, proût concupiſcentiam alienæ vxoris, ſic in alijs præceptis eandem prohibebat. *Si Ergò* (dat remedium poſtquàm legem declarauit) *offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris*, quaſi antequàm accederes id facere debueras, *quia frater tuus*, proximus *habet aliquid aduerſùm te*, quia illum contumelia, vel damno affeciſti, *relinque ibi munus tuum antè altare* (vult enim vtrunquè) *& uade priùs reconciliari fratri tuo, & tùnc* hoc perfecto, *ueniens, offeres munus tuum* Deo: charitatem in nobis requirit, & celerem, ſinè charitate nihil ei placet; ſi linguis hominum loquar, &c. & magis obedientia, quàm holocauſta, proût per Samuelem Sauli. 1. Reg. 15. Eccl. 4. 27. Prou. 15. 8. Eccl. 34. 23. oſtendit hanc celeritatem reconciliationis multùm conducere, quia ſi is, qui iniuriam accepit, te conueniat, priùs tecum agetur, ideò ſubdit, *eſto conſentiens aduerſario tuo citò*, cui iniuriam intuliſti, *dum es in uia cum eo:* antequàm peruenias ad iudicem, *ne fortè*, cum illùc perueneris, *tradat te aduerſarius iudici* puniendum, *& iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris*, in quo non poteris ampliùs de reconciliatione agere. *Amen dico tibi, non exies indè, donèc reddas nouiſſimum quadrantem*, quicquid debes, dum ergò ſumus in hac vita rationes componamus.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis patribus *: non mæchaberis; ego autèm dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iàm mœchatus eſt eam in corde ſuo*, fecit enim quantùm potuit, ſi plùs potuiſſet, plùs feciſſet; habetur ergò pro facto quod in corde propoſuit facere; ex corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. *Quòd ſi oculus tuus dexter*, quo magis indiges, *ſcandalizat te*, ità vt labaris ad peccatum, oculus enim eſt

feneſtra, per quam ingreditur peccatum, *erue eum*, ne dum penitùs, ſed etiam *proÿce abs te*, trunca, tolle quamuis occaſionem, ne ſtes in omni circà regione, dictum fuit Lot ab Angelis; *expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum*, vt illa dulcedine careas, *quàm totum corpus tuum eat in gehennam* perpetuò arſurum. *Dictum eſt autèm, quicunquè dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudÿ, ego autèm dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat*. Deut. 24. vbì ex cauſa fornicationis tantùm licebat repudium, non alia ex cauſa, quia ergò Hebræi contrafaciebant freti aliqua traditione inſana, innouat legem. Dictum eſt autèm, quaſi ex prætenſa traditione, non verè, nequè ex lege, nequè Chriſtus agit contrà legem, ſed contrà traditionem legem excedentem, non enim venerat ſoluturus, ſed adimpleturus legem, & ſi contrà legem locutus eſſet, Iudæi poterant illum arguere: At poſt mortem Chriſti abrogata lex hæc permiſſiua, etiàm pro Hebræis, vt dixi latiſſimè Matth. 19. *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non periurabis, reddes autèm Domino iuramenta tua, ego autèm dico vobis non iurare omninò*, quia facilè declinabit is ad periurium, vndè ſapiens, iurationi non aſſueſcat os tuum, in ea enim multi caſus; *nequè per cælum, quia thronus Dei, nequè per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, nequè per Ieroſolymam, quia Ciuitas magna Regis*, exemplificat in his, in quibus frequentiùs iurabatur, *nequè per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum*, quia parum ſupèr eo potes, non eſt in tua poteſtate, ſicùt non ſunt præcedentia, non excludens alios modos, *ſit autèm ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*; ſic & Iacobus in epiſtola, *quod autèm his abundantiùs eſt, à malo eſt*, quia ad malum trahere poteſt, nempè ad periurium. Concurrente tamèn neceſſitate, iudicio, veritate licitè iuratur, & de hoc caſu non loquitur Chriſtus. At reddenda ſunt Domino iuramenta, ſicut quæ vouiſti, promiſiſti, vouete, & reddite. *Audiſtis, quia dictum eſt: oculum* eruendum *pro oculo* eruto, & *dentem pro dente*, pœna hæc talionis; *ego autèm dico*, volens vos ad maiorem virtutem, & perfectionem erigere, *non reſiſtere malo*, tibi illato, vel malo homini tibi inferenti; *ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, eſt exemplum quomodò non reſiſtamus malo, & non curandum dictum dexteræ, vel alterius, *& ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium*, quia leuior factus meliùs ſeruies Deo, & ad perfectionem curres, *& quicunquè te angariauerit*, coegerit indebitè *mille paſſus, vade cum illo & alia duo*, ne contendas, ſerua pacem. *Qui petit à te, da ei*, beatiùs eſt enim dare, quàm accipere, *& volenti mutuari à te*, etſi non petat, fortè verecundus, exemplo Booz cum Ruth, & Abraham, & Lot inuitantium vltrò ad hoſpitium, Tobiæ cum Gabelo. Tob. 1. 13. ne auertaris. Non reſiſtere malo; Mihi vindicta, & ego retribuam; Date locum iræ. Rom. 12. 19. *Audiſtis quia dictum eſt*, non dicit *Antiquis*, fortè enim à Scribis, ſeù Phariſæis recentioribus. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, quod vltimum non inuenitur, ſed eſt additum ex traditionibus, & malè, illud enim tantùm legitur in Scriptura, & Leuit. 19. 18. dicitur. Diliges amicum tuum, ſicùt te ipſum, ex quibus dici non poterat, ergò odio habebis inimicum, quia ſicùt debemus amare, ità non licet odio habere; *Ego autèm dico vobis, Diligite etiàm inimicos veſtros* ex corde. Matt. 18. 35. ſic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſquè fratri ſuo de cordibus veſtris; ſic Eccl. 10. 16. omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ; deindè opere, *benefácite ÿs, qui oderunt vos*, non diligamus verbo, nequè lingua, ſed opere, & veritate, & Prou. 25. 21. ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit da ei aquam bibere, prunas enim congregabis ſupèr caput eius, *& orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*, ſic ille; Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt, ſic Stephanus, ne ſtatuas illis hoc peccatum, *vt ſitis filÿ Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſupèr iuſtos, & iniuſtos*,

iuſtos, abſquè vlla diſtinctione, ſic vos ſitis illius incitatores, *ſi enim diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* quaſi, nullam habebitis mercedem, quia non proptèr Deum (pro cuius reſpectu moti, inimicum diligendo lucrabimini) ſed ex affectu, & motu carnali, ex quo nihil tribuitur. *Eſtote ergò vos perfecti, ſicut, & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* ſimiles ergò ſitis Deo, non publicanis, aut Ethnicis; ſic ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram*, opera veſtra, *faciatis coràm hominibus, vt videamini ab eis*; loquitur generalitèr; quia poſteà deſcendit ad eleemoſynam, orationem, ieiunium, meliùs eſt videri à Deo remuneratore bonorum operum, coràm eo ambulare, ſtare in eius conſpectu, qui adſtat coronaturus, vt in Stephano, prudentèr Dauid adducitur coràm Rege Saul remuneraturo. 1. Reg. 17. 32. & pueri Isboſeth, & Dauid coràm ducibus dimicant. 2. Reg. 2. 13. ab hominibus recepit mercedem ſuam Phariſæus, à Deo Publicanus. *Aliòquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*, eam enim non quæſiſtis ſic faciendo, ſed hominum. *Cum ergò facis eleemoſynam* (deſcendit ad particularia) *noli tuba canere antè te*, ità vt illam facias, vt videaris ab hominibus, *ſicùt hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus*, qui in illis locis ab eis electis ſunt frequentes; *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam* illi; *te autèm* (docet quomodo faciant) *faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*, noli propalare, ſecretum ſit tibi, ne quæras gloriam ab hominibus, *vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus* cæleſtis, *qui videt in abſcondito*, quem nihil latet, *reddet tibi* mercedem de bono opere proptèr eum facto. *Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ*, homines ficti, duplices, *qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtãtes orare, vt videãtur ab hominibus*; à quĩbus hominibus gloriam quærunt; *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam* iuxtà eorum intentionem; *Tu autèm cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito*, proùt Daniel, ſic enim oſtendes non quærere gloriam hominum, *& Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi* mercedem, non defraudaberis; *orantes autèm nolite multùm loqui, ſicùt Ethnici, putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur*, proùt fit aliquotiès apud homines, proùt Sacerdotes Baal. 3. Reg. 18. & Scribæ, & Phariſæi longas orationes facientes apud viduas; *nolite ergò aſsimilari eis*, vt putetis in multiloquio vim orationis conſiſtere; *ſcit enim pater veſter*, nedum poſtquàm petijſtis, ſed *quid opus ſit vobis antequàm petatis eum*, ſit ergò in feruore oratio veſtra, & quamuis Deus ſciat, vult tamèn nos petere; petite, & accipietis, quærite, & inuenietis; *Sic ergò vos orabitis. Pater noſter, qui es in cælis*, præmium inducens ad fiduciam, nàm cum ſit pater, volet; numquid enim poteſt mater obliuiſci filij vteri ſui? & ſi mater oblita fuerit, ego tamèn tui non obliuiſcar; cum *in cælis*, poterit; quis enìm ſicùt Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, &c. Dominus in cælo omnia quæcunquè voluit, fecit. Nos excitans ad amorem filiorum, quia ipſe pater: ad timorem, cum potens: ad gratias, cum dignatus ſit nos inimicos in filios adoptare, & ad cæleſtia erigere, vt nedum nominemur, ſed ſimus filij Dei, ei ſimiles; ad humilitatem, dum ſuam maieſtatem commemoramus, loquar ad Dominum, cum ſim puluis, & cinis? dixit Abraham: *Noſter* communis hominibus, ſoli Chriſto meus, ideò Magdalenæ. Io. 20. Vade, dic fratribus meis, aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. *Qui es in cælis*, vt in nobis excitemus maiorem ergà eum reuerentiam. *Sanctificetur nomen tuum*: in hac prima ex ſeptem petitionibus precamur Deum fieri, vt ab omnibus cognoſcatur, ſicuti nos ex nomine innoteſcimus, hìnc Deus Moyſi, noui te ex nomine; & gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo; & cognitum magnificetur, & efferatur, & ſic Dei gloriam quærimus, quæ in omni opere noſtro requirenda eſt, ſinè qua opera noſtra frigent, ideò dicebant Hebræi cœco nato, da gloriam Deo,

præponendo eum alteri cuicumquè, ſic Ioſue ad Achan ſimili intentione ad veritatem eruendam, Deus enim præponendus, quem ſuprà nos, ex primo Decalogi tenemur diligere, & vereri, & Chriſtus dicit ſæpiùs non ſuam, ſed patris mittentis gloriam quærere: hinc credentibus in nomine eius, & operantibus, dedit poteſtatem filios Dei fieri. Io. 1. *Adueniat regnum tuum*, præmiſit ſanctificationem nominis, quam ſubſequitur regnum Dei, cum ſubiecerit ſibi omnia, in quo & nos perfruemur in æternum, & hæc merces, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, & Deus erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. 24. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*, interim dum regnum tuum aduenit, adimpleatur quod vis in terra, *ſicut in cælo*, & ſic homines ducant vitam cæleſtem ex Chryſoſtomo, ſeu mandata tua ſeruent, vt reddantur habiles ad regnum capeſſendum, & hæc tertia petitio cum prima videtur conuenire, & primam declarare reſpectu noſtri. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè*, omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, ad diem reſtricta, ne ſoliciti ſimus de craſtino, & vt frequentemus quotidiè hanc orationem, non doctrinam, aut cibum ſpiritualem, cum ſpiritualia in præcedentibus, & ſubſequentibus petitionibus comprehendantur, nequè aptentur verba *noſtrum, quotidianum, & da nobis hodiè, & panem*, qui capitur pro materiali. Vndè non dabo vobis famem panis, ſed verbi Dei, & non in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. Sed an corpus Domini ſub his verbis comprehendatur? pro negatiua facit. Primò, quia adhùc de illo verba non fecerat, nec præſumitur Chriſtum voluiſſe eos, quos docebat petere, quod ignorabant. Secundò, verbum *panem*, ſi capitur pro communi, non poteſt importare ſpiritualem, ſicùt nequè è contrà ſi capitur pro ſpirituali, importabit materialem, nullibi enim inuenio fieri hanc mixturam, & Chriſtus. Io. 6. ſempèr diſtinctè de vtroquè egit, nec comprehendit vnum cum alio, & dicit non in ſolo pane (materiali) viuit homo, ſed in omni verbo, &c. Tertiò, quandò Chriſtus de ſpirituali ſui corporis egit, luculentèr de eo locutus eſt. Io. 6. vndè non præſumitur perfunctoriè hìc de illo intellexiſſe. Quartò, verbum *noſtrum*, non videtur aptari ſpirituali, & Dominus. Io. 6. vel alibi Euangeliſtę vſi non ſunt ad illum deſignandum, imò ſempèr panis Domini dictus. Quintò, verbum *quotidianum*, non aptatur, quia maior pars dicentium hanc orationem pro ſe, vel alijs, id non intendunt, imò horrent nedum quotidiè, ſed ad annum, menſes ſumere, vndè falſum dicerent. Nec dicas docere Chriſtum quid petendum, nequè curandum eſſe quid fiat, nàm reſpondeo, Chriſtum compoſuiſſe hanc orationem, ſicut omnibus communem, ſic omnibus accomodatam, & ſicùt alias petitiones, ſic iſtam omnibus ſeruientem, & ſic ſolebat ſe componere ad captum aliorum, ad cuius exemplum Paulus factus omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret. Sextò, non diceretur *da nobis hodiè*, ſed ſempèr, prout Turbæ. Io. 6. 34. ideò hìc *hodiè* ne ſoliciti ſimus pro cibo in craſtinum. Septimò, ſi *hodiè*, ne ſoliciti ſimus in craſtinum, non aptatur pani cæleſti, pro quo ſempèr deberemus eſſe ſoliciti. Octauò, iàm datum corpus Chriſti duraturũ vſquè ad iudicium ex Paulo; quoties cumquè enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donèc veniat, ſcilicèt ad iudicium, & ampliùs non dabitur, & in noſtro arbitrio eſt ſumere, vel abſtinere. Nonò, non diceremus, *da nobis hodiè*, ſed diceremus nos indignos, & dignos fieri peteremus, ſic Eccleſia, Domine non ſũ dignus, &c. & ſic alia requirebãtur. Decimò, in ſequenti petitione, *dimitte nobis debita noſtra*, ad animam reſpicitur, ideò præſumendũ in antecedenti actum tantùm de conſeruatione indiuidui, quæ fit pane communi, quæ præcedere debet, vt ad ſpiritualia ſimus habiles. Vndecimò, ſi in hac petitione de ſpirituali, non fuiſſet ſeruatus ordo, quia hanc præcedere debuiſſet conſcientiæ expiatio, ſeù remiſſio peccatorum, ad Paulum, probet autèm ſe ipſum homo &c. & tamèn Dominus ſeruauit ordinem, præmittens quæ ad Deum, deindè quæ ad nos. Duodecimò, ſi comprehendiſſet corpus ſuum, non egiſſet de illo per deprecationem, ſed ex iuſſione oſtendens neceſſarium, prout Io. 6. niſi

mandu-

Digitized by Google

manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ideo in hac petitione omnia, quæ proſunt, quibus fouemur, non quæ neceſſitatem inducant, vndè nequè hic de baptiſmo, quo audientes tincti non erant. Decimotertiò, Oratio hęc eſt communis pro omnibus, & pro infidelibus eſſet vana, nec ſeruiret. Decimoquartò, non eſt ſimplicitèr neceſſarium quotidiè ſumere panem cæleſtem, ſed ad benè eſſe, hic autèm agitur de pane noſtro, ideſt communi, & neceſſario, ſinè quo non conſeruaremur, & quotidiano. Decimoquintò, ſi eſſet etiàm illud neceſſarium quotidiè, tamèn non comprehenderetur, cum capiatur à ieiunis, & in parte diei, quia nedum quotidianum petimus, ſed *hodie* per totam diem, iugitèr, continuatè, ità vt ſi ad momentum Deus nos derelinqueret, neceſſarijs nudati illicò deficeremus. Decimoſextò, ſi panis hic pro cæleſti, vnum & idem verbum diuerſo iure, & modo in eadem clauſula ſumeremus, diuerſa, & varia importans, & requirens, quod non licet. Non videtur obſtare petimus pro corpore, eò magis pro anima; nàm & conſeruatio indiuidui capit totum, etiàm animam, deindè pro anima præcedunt, & ſequuntur aliæ petitiones; prætereà noluit in hac oratione Chriſtus omnia comprehendere. Non obſtat verbum *ſuperſubſtantialem*, poſitum in Matthæo, quia ex prædictis intelligendum erit iuxtà Lucam ad manutentionem noſtrã corporalem neceſſarium, & multæ ſubſtantiæ, & ſi velles ad ſpiritualem verbum illud trahere, ad corporalem nullo modo aptaretur ex his, quæ dixi. Si dixeris, quomodò volumus inſertam intèr tot petitiones ſpiritualium hanc materialium? reſpondeo in claris nos verſari, nempè cibum corporalem nos petere, vndè ad alia non eſſe recurrendum, ſed & hìc ſpirituale aliquid comprehenditur, imò principalitèr de eo agitur, ſiquidèm ſicùt in proœmio, & in præcedentibus petitionibus reſpicientibus Deum recognouimus illum omnipotentem, & Patrem, & gloriam eius extulimus, & deſiderauimus, ſic in hac prima petitione noſtra humiliamur ſub potenti manu Dei iuxtà Apoſtolum, & Abraham puluerem, & cinerem ſe nuncupantem, humilitatemquè, & infirmitatem noſtram repræſentamus, qui non valemus nequè ad horam à nobis ſuſtentari, ſed ipſo in quolibet momento indigemus etiàm in materialibus, & ipſemet nobis exprobrauit. Luc. 12. 25. dicens, quis autèm veſtrum cogitando, poteſt ad ſtaturam ſuam adijcere cubitum vnum? ſi ergò nequè quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis? At nedum hæc petitio, ſed omnes ſequentes, *& dimitte, & ne nos, ſed libera*, in humilitate conſiſtunt, in prima peccatores à nobis non valentes à peccato ſurgere; in ſecunda nequè à tentatione immunes eſſe: in tertia nequè à malis ſinè illo. Vide igitur de ſpiritualibus & in hac agi abſquè pane ſpirituali. Quòd ſi volueris comprehendi panem cæleſtem, profectò non ſtabimus in humilitate, ſed efferemur, illo indignos nos eſſe potiùs dicendum fuit. Nec dicas abſonam hanc panis petitionem, nàm quid petijt Salomón adeò placens Deo? diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria, ſic petierat antè Iacob. Gen. 28. 20. at nos non petimus niſi neceſſaria, hæc ad ſuſtentationem indiuidui, ſinè quo cætera non poſſumus, & nonne Chriſtus ponit exemplum amici petentis tres panes, vt nos ad petendum à Deo neceſſaria inducat? Luc. 11. & Paulus. 2. Cor. 8. & 9. docet eleemoſynas facientibus Deũ etiàm de temporalibus prouidere, & ſic Chriſtus, qui dimiſerit domum, vel fratres, &c. centuplum accipiet in hoc ſæculo, &c. Et aliàs Deus prohibet ſolicitudinem circà hæc temporalia quaſi à nobis comparanda, at vult petitiones noſtras innoteſcere apud eum. Phil. 4. 4. Quòd ſi myſticè intelligere velis, non abnuò. Alijs obſtantibus reſpondent hìc alij, qui videantur. *Et dimitte nobis debita noſtra*, etiàm proximorum noſtrorum, quia ex delicto vnius, cæteri aliquandò puniuntur, vt in occiſione propter Achan. Ioſue 7. & ex profeſsò habetur Ioſue cap. 22. 17. 18. 19. 20. in deſtructione plebis Beniamin ob fornicationem Gabaitarum. Iud. 19. 20. 21. in fame propter Saulem. 2. Reg. 21. in ſiccitate propter Achab. 3. Reg. 17. in peſte propter Dauid.

2. Reg.

2. Reg. 24. Cum in hac oratione, quam quotidiè frequentamus, petamus à peccatis liberari, neſcio quomodò aliquos neminem audiſſe, dicentes aliquàndò ceſſandum à petitione remiſſionis peccatorum, cum ſit de directò contrarium huic petitioni, etiàm in iuſtis, qui ſeptiès in die peccant, & reſurgunt pœnitentes, & quia etiàm de propitiato peccato admonemur non eſſe ſecuros. ***Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris***, ex corde, ſic Dauid cum Semei, vndè à Domino meruit benedictionem pro maledictione, quòd ſi orans non dimittit, mentitur, licèt enim ſit oratio communis, eſt tamèn diſtributiua, & ad quemlibet, ſed maximè ad orantem, & de cuiuslibet iniuria particulari agitur, non communi, aut vniuerſali, & quia oratio eſt etiàm pro proximis, & præceſſerunt verba, ***debita noſtra***, ideò ſubdit ***dimittimus***, quia vt fiat remiſſio proximo, pro quo oramus, ſicut nobis, neceſſaria eſt pro illius parte remiſſio, aliòquin nec ei remittitur; & quomodò nomine Eccleſiæ ſuſcipietur oratio impij, qui non auditur? non enim Deus peccatores audit, vt dixit cœcus, & Ioſaphat. impio, præbes auxilium &c. 2. Paralip. 19. 2. & quomodò Eccleſia purgabit orationem malorum? non enim hoc ſacramentum operans ex opere operato, quòd malitia miniſtri non contaminetur, nec loquimur de miniſtro Eccleſiæ, ſed in vniuerſum; aliòquin omnes dicentes orationem dominicam eſſent tales, ſi verò orans diuerſam habeat intentionem à verbis non vtetur oratione dominica, ſed iuxtà intentionem, quod extrà rem: ***Et ne nos inducas in tentationem***, vt ſuccumbamus, ſic diſcipulis in horto, vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem; ***ſed libera nos à malo:*** à diabolo, & vniuerſis malis, quod non obtinebit volens duobus Dominis ſeruire, vt infrà, ſicùt enim rogamus generalitèr non induci in tentationem, ſic generalitèr intellige liberari ab omni malo, tùm quòd ſic indigemus; tùm quòd adeſt aduerſatiua, ***ſed***, quæ omnibus præcedentibus aduerſatur, & omnia capit, tùm quia omnes aliæ præcedentes petitiones vniuerſales, cur hanc ad dæmonem anguſtamus? ***Amen***. ſic fiat mihi; ***ſi enim vos orantes dimiſeritis hominibus peccata eorum***, offenſas in vos factas, ***dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra***. hæc ſubdit, vt tutos faciat exaudiendos eſſe, ſi ſeruauerint quod in oratione ſpondent, & ad fundandos eos in charitate, & ſic intellectus ad verba, ***ſicut & nos***, magìs confirmatur; ſed adeò vult clarè intelligi, vt ſubdat, ***ſi autèm non dimiſeritis hominibus***, proximis veſtris, ***nec pater veſter dimittet vobis*** peccata veſtra, ità vt dimiſſio noſtrorum pendeat à dimiſſione aliorum. ***Cum autèm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas***, macilentiores eas reddentes, ***vt appareant hominibus***, à quibus gloriam captare volunt, ***ieiunantes; amen dico vobis quia receperunt mercedem ſuam*** ab hominibus, à quibus exquiſierunt; ***tu autèm cum ieunas***, ad tollendam hanc gloriam apud homines, ***vnge caput tuum, & faciem tuam laua***, fac quod ſoles, ac ſi non ieiunares, & loquitur more regionis, & hinc frequentes vnctiones Magdalenę, ***ne videarès hominibus ieiunans***, & ab eis velis captare gloriam, ***ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito*** (omnia manifeſta ſunt oculis eius) ***reddet tibi*** mercedem æternam, non momentaneam, non inanem proùt homines. ***Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra***, ſicùt vanæ gloriæ veram gloriam, ſic theſauro terreno cæleſte ſubrogat, & facilem reddit viciſſitudinem, more autèm Patris terreni quęrentis acquirere filio theſauros, docet filios ſuos, qui acquirendi theſauri, quò tutò recondendi. ***Teſaurizate, &c.*** vult dicere, nolite apud homines quærere theſauros, ſed apud Deum, eſt enim illatio ex præmiſſis, quæ concernebant gloriam apud homines, vel apud Deum, nàm de eleemoſyna iàm dixerat, vndè hìc non credo de eleemoſyna agere, ſed in vniuerſum de quacumque virtute theſaurum faciente in cælo; vel ſi vis loqui de eleemoſyna, ſeù theſauro propriè poteſt dici, quòd ſicùt ſuprà pro perfectis dixit, ***Beati pauperes***, &c. ità pro alijs hæc dixit, ne fortè apponant in theſauris terrenis corda eorum. ***Lucerna corporis tui***, quæ actiones tuas manifeſtat, ***eſt oculus tuus***, mens, intentio tua, iuxtà quàm actio iudicatur bona, vel mala apud Deum. ***Si***

oculus

oculus tuus fuerit ſimplex (docet quomodò omnia ad Deum dirigenda ſincerè, non hypocriticè, ſi omnia opera tua in Deum direxeris, nec vanam gloriam apud homines quæſieris, *totum corpus tuum lucidum erit*, omnis actio tua lucida erit, ſplendebit coràm Deo vidente in abſcondito, *ſi autèm oculus tuus*, mens tua, intentio, *fuerit nequam*, apud homines gloriam quærens, *totum corpus tuum tenebroſum erit*; tota tua actio tenebroſa erit, nihil reputabitur apud Deum, *ſi ergò lumen*, intentio, *quod in te*, quæ in te deberet eſſe bona, & in Deum directa *tenebræ ſunt*, cum non benè eam dirigas, & quaſi potiùs pecces, qui enim malè facit, odit lucem, *ipſæ tenebræ*, ipſæ actiones malæ, *quantæ erunt?* quales erunt? vult dicere, ad quantam colluuiem peccantem te ducent bona intentione deſtitutum? At tria opera propoſuit, eleemoſynam, orationem, ieiunium; cur hæc? quia grata Deo; eleeſymoſyna ſiquidèm fit amore Dei, quem principalitèr reſpicimus, proximo noſtro, cui benefacimus, & ſic charitate in Deum, & proximum veſtitur; oratio, quia ferimur illa in Deum, humiliamur, vt Abraham, cum ſimus cinis, & puluis, illum recognoſcimus potentem, à quo gratiæ recipiendæ, fiduciam oſtendimus, patefaciendo ei cor noſtrum, & neceſſitates noſtras, quod à nobis requirit; fili præbe mihi cor tuum; Ieiunium, quo carnem noſtram maceramus, ſubtrahendo illi neceſſaria, & quia fit amore Dei, illum præferimus & vitæ noſtræ; quam affligimus, vt tenemur, & ſub ieiunio omnia afflictiua veniunt; & hæc tria ſibiipſis manus dant, & præſertim ieiunium magis acuit orationem noſtram; quia corpus non ſatur minùs grauat animã, eaquè magis in Deum tollitur, hinc Raphael, bona oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, &c. Tob. 12. Deum mouens, & nos. *Nemò poteſt duobus dominis ſeruire, aùt enìm vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alium contemnet*, dum enìm quis vult hominibus placere, & apud eos gloriam quærere, diſplicet Deo, non enìm viæ meæ viæ veſtræ, *non poteſtis Deo ſeruire*, mori proptèr illum, *& mammonæ*, diuitijs, in illis cor apponendo; hæc ſubdit, vt doceat quomodò oculus purus eſſe debeat; ſic non poteſt Arca Dei ſtare cum Dagon, Iacob adoraturus in Bethel mandato Dei, omni domui ſuę ait vt abijcerent Deos alienos, quos dederunt ei, & inaures; at ille infodit ea ſubter terebynthum, *Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini*. Vel coniunguntur hæc cum pręcedentibus, quaſi ne moueamini ad deferendum hominibus, vel captandum eorum gratiam, Deo omiſſo, quaſi fame, vel alia indigentia perituri; deindè proſequitur docere, quomodò hæc ſolicitudo amputanda ſit; Vel eſt nouum memoriale; ſed verbum, *ideò*, videtur magis conuenire primo intellectui. *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ*, vitæ veſtræ, non partis ſpiritualis, hæc enim ſicùt non indiget cibo, ſic nec veſtimento, & ſi dicis cibo, vt corpus, quod informat, ſuſtentetur, itidèm dicendum eſſet de veſtitu, vt corpus defendatur, ſiquidèm corpus altero priuatum deficiet, dicitur enìm. Eccleſ. 29. initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem. & 1. Timot. 6. habentes alimenta, & quibus tegamur; ideò non videtur conſona diſtinctio recentiorum in Luc. cap. 12. ſupèr ſimilibus verbis, ſed aptior opinio Auguſtini intelligentis animam pro vita; *nonnè anima plùs eſt quàm eſca, & corpus plùs quàm veſtimentum?* quoniam ergò dedit vobis animam, & corpus, dabit & eſcam, & veſtimentum; *reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, nequè metunt, nequè congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa; Nonnè vos pluris eſtis illis?* ſi is, qui pater veſter eſt, paſcit volatilia vobis ſubiecta, quantò magis vos?. *Quis autèm veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* addit S. Lucas cap. 12. *ſi ergò quod nec minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?* & contrarium prima facie videretur dicendum, nempè quòd hoc vltimum maius eſſet, quàm prouiſio neceſſariorum. Reſpondent recentiores hunc eſſe vnum actum, illos plures, ni mirum ſi ille maior, hi minores. At non placet, quia Lucas conſiderat hoc minimum ex ſe, etiàm reſpectu aliorum ſingulorum non vnitorum; ego puto hoc minùs

iuxtà reputationem, idêſt, in quo minùs laborandum, iuxtà id quod naturalitèr ſuccedit in quolibet homine creſcente abſquè labore, & miniſterio humano, ideò dicit cogitando, non operando, hoc maiùs, quia ſi omnia ad hominum vitam neceſſaria comparanda eſſent, multo tempore laborandum eſſet, & ſudandum, etſi enim hæc, quæ nobis ad neceſſitatem adijciuntur, videntur leuia, iuxtà Auguſtinum contingit, quia eorum aſſiduitate viluerunt, non quòd non ſint quotidiana, & horaria miracula. *Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? conſiderate lilia agri, quomodò creſcunt, non laborant, nequè nent*, & ad delitias, & commodum veſtrum ſeruiunt. *Dico autèm vobis, quòd nec Salomon in omni gloria ſua*, maieſtate ſua *coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis, ſi autèm fœnum agri, quod hodiè eſt, & cras* deficiens in *clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quantò magis vos* in æternum duraturos, ad ęternitatem aſſumendos, *modicæ fidei*, hæc non reſpicientes? *Nolite ergò ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes*, Ethnici Deum non cognoſcentes, neque in eo ſperantes, *inquirunt, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis*, & cum Pater ſit, cura horum illi demandanda, in eum reijcienda omnis cogitatio, non aſſumenda ſolicitudo, qua ab eo auertamur, vel diſiungamur. *Nolite ergò ſoliciti eſſe*, quia apud Lucam dicitur, *& vos nolite quærere*, putant recentiores nō ibi ſolicitudinem, proùt hic vetari. At credo eandem eſſe ſententiam, nempè ibi, proùt hic ſolicitudinem prohiberi, & in idem reincidere ſolicitudinem, vel anxiam quæſitionem, nec poſſum comprehendere differentiam. *Quærite ergò primùm* (ſubrogat vanæ ſolicitudini veram.) *Quærite primùm regnum Dei*, de quo ſuprà *adueniat regnum tuum, & iuſtitiam eius*, omnia ad illud promerendum requiſita, vel iuſtos coràm Deo apparere, non coràm hominibus; nàm non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit, & *hæc omnia* inferiora *adijcientur vobis* in hoc mūdo à Deo, cuius gloriam quæriris, quod ab hominibus non præſtabitur, ſic de his & Marc. 10. 30. Luc. 18. 30. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*, cura, & ſolicitudine angi in his, quæ dixit, ad annos, vel menſem, ſed neque in craſtinum, ità vt velit etiàm momentaneam ſolicitudinem à nobis abeſſe, ne dum anticipari, ſeù antè tempus aſſumi; *craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi, ſufficit diei malitia ſua*; ſatis cruciabimini à die ipſa craſtina, cum venerit, nolite præuenire anxias curas, & confidite etiàm in craſtinum prouiſum iri à Deo Patre veſtro. *Nolite iudicare*, facere iudicia praua, temeraria, *vt non iudicemini* à Patre meo, *in quo enim iudicio* malo, temerario *iudicaueritis, iudicabimini*, vndè ei, quem iudicaris, nihil infertis mali, ſed vobis; qui æterno iudicio iudicandi eſtis de malo iudicio lato, *& in qua menſura menſi fueritis*, proximos veſtros iudicando, *eadem menſura remetietur vobis*, ità vt quantùm in eo exceſſiſtis contrà illos, tantumdem in vos excedatur de iudicio temerario. Paulus Rom. 2. inexcuſabilis es ò homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas, ſcimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos, qui talia agunt, & 1. Cor. 4. qui iudicat, me Dominus eſt, nolite antè tempus iudicare, &c. & Iacobus ferè in tota ſua epiſt. *Quid autèm vides feſtucam in oculo fratris tui*, vti Phariſæus in Publicano, Iudas in nuru ſua Thamar, Saul, & Semei in Dauide, *& trabem in oculo tuo non vides?* quaſi, non potes benè iudicare ſic incompoſitus: *Aut quomodò dicis fratri tuo: ſine eijciam feſtucam de oculo tuo, & eccè trabs eſt in oculo tuo?* quaſi, id facere non potes, nàm alium reprehendere volens, debet priùs ſe ipſum expurgare, ideò ſubdit, *hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tùnc videbis* conaberis *eijcere feſtucam de oculo fratris tui* corrigendo iuxtà præcepta, non iudicando. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras antè porcos*; ſed aduertendum eſt nobis in huiuſmodi correptionibus, ne non benè vſuris verbis veſtris, & non receſſuris à feſtucis hæc præteris, *ne fortè conculcent eas pedibus ſuis*, eas parui faciant, proùt animalia faciunt de ſanctis rebus, & margaritis eis incognitis, *& conuerſi*, in vos duriùs agentes, *dirumpant vos*, dilacerent offen-

offendant, proùt ſolent incapaces, nec amantes corripi, & ſic meliùs connectitur; & hìc non agebatur de Euangelio, vel fide publicanda. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur*; ſolicitudinem temporalium dixerat reijciendam, à Patre cæleſti largè dat aro omnia neceſſaria expectanda, regnum Dei quærendum primùm, eiuſquè iuſtitiam, nunc ne putarent hæc à Deo non eſſe petenda, etſi de pane in oratione dominica dixerit, docet cum Deo ſupèr his ſolicitè agendum, ſed eundem de facili obſequuturum. *Aut quis eſt ex vobis homo* (ad idem tendit) imperfectus, *quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? ſi ergò vos cum ſitis mali*, filij iræ, *noſtis bona data* vobis à Deo, *dare filijs veſtris, quantò magìs Pater veſter qui in cælis eſt*, perfectiſſimus, potentiſſimus, charitas ipſa, *dabit bona petentibus ſe?* hæc vt reddat tutos exaudiendos eſſe à Deo. *Omnia ergò quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc eſt enim lex, & propheta:* ſuprà dixerat multa, quæ circà homines operari debueramus, vel declinare; nùnc vna phraſi omnia comprehendit, & eſt naturale, vt benefacienti benefaciamus, & ſic hoc documēto ſolo quòad homines comprehenduntur lex, & prophetæ, conſummatur tota Scriptura. *Intrate per anguſtam portam*, non videantur hæc vobis obſeruatu difficilia, & quatenùs forent, mementote quà tenditis, nempè ad cæleſtem patriam, in quam intraturi etiam per anguſtam portam tantùm, eſt lucrum illius, vt obſeruantia eorum non debeat vobis eſſe tædio; vel ex hoc quòd anguſta eſt porta tendens ad cælum cognoſcite eam eſſe, per quam ambulandum, & ingrediendum vobis, *quia* è contrariò *lata porta, & ſpatioſa via eſt*, nullos babens limites, nullas ſepes retinens, hinc eas diripiens dæmon cum Eua. Gen. 3. nequaquàm moriemini, *quæ ducit ad perditionem*, ad infernum; *Et multi ſunt, qui intrant per eam*, nolentes ſe intrà limites anguſtæ continere. *Quàm anguſta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam?* Subijcit hæc ad demonſtrandum quod dixerat de anguſta porta, & arcta via cæli, nàm ea eſt talis, vt pauci ſint, qui illam inueniant. *Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos* demulcendos, & captandos *in veſtimentis ouium*, veſtimentis ouium induti, ac ſi oues apparentes, *intrinſecùs autèm ſunt lupi rapaces*, veneno intincti, ad vos deuorandum, & decipiendum, proùt Iacob Iſaac ſub veſtimentis Eſau: *à fructibus eorum*, à fine, qui reſidet in fructibus, *cognoſcetis eos;* hoc ſubdit, ne dicerent: non poterimus cognoſcere, docet enìm quomodò poſſint. *Numquid colligunt*, quis colligere poteſt, *de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* quaſi dicat, non: hæ enim arbores malæ bonos fructus reddere non poſſunt, quaſi dicat, fructus horum mali erunt, & propterea cognoſcibiles, non enìm mali poſſunt bonos facere fructus, declarat clariùs. *ſic omnis arbor bona fructus bonos facit*, & in comparatione cognoſcetis, quia *mala autèm arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, nequè arbor mala bonos fructus facere*, idèſt, falſi prophetæ, dum ſub ouina pelle occultant lupinam, non poſſunt benè operari, quia incumbunt eorum mala voluntate aliorum perditioni; proùt Balaam docens ſcandalum ponere antè filios Iſrael: Achitophel: ſenes Suſannæ malè ſuadentes, ſicùt non colliguntur de ſpinis vuæ, de tribulis ficus, ſic & bona arbor, &c. idèſt, veri prophetæ, paſtores, vel oues, non lupi, non incumbentes aliorum perditioni, ſed ſaluti, non poſſunt malos fructus facere, & ſic ad litteram videtur locus explicandus, ſimilitudines accommodando ad terminos primos dicti, & ceſſant omnes difficultates excitatæ, exemplum eſt. Deut. 18. de propheta vero, & falſo, ſolus Deus immutat in alios viros, proùt Saul, & Dauid pòſt vnctiones, Paulum, Matthæum, Magdalenam, Salomonem, Apoſtolos, faciam vos fieri piſcatores hominum, vndè Paulus, qui & idoneos nos fecit miniſtros. 2. Cor. 3. 6. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*, docet flagellum pſeudoprophetarum. deindè iterat, *igitur ex fructibus eorum cognoſcetis*

gnoſcetis

Digitized by Google

gnoſcetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; verba enim ſola non ſufficiunt, *ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum;* opera ergò requiruntur, iuxtà Dei voluntatem, & ſic in omnibus aufert hypocriſim, fallaciam, veritatem introducit, hæc autèm nunc ſubiecit, quia de fructibus præcedebat ſermo. *Multi dicent mihi in illa die* iudicij vniuerſalis, *Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tùnc confitebor illis, quia numquàm noui vos, diſcedite a me, qui operamini iniquitatem,* ecce reprobatio eorum, quia non perſeuerauerunt, vera erunt hæc, ſed non dicturi illi, vel ſic reſponſurus Chriſtus; ſed ex hac repræſentatione voluit nos cauere, ne his virtutibus freti, dimittamus opera bona, & retrocedamus, quia ſinè his virtutes illæ nil proderunt; ſic dictum etiàm in examine Iudicij, Venite benedicti, eſuriui enim, &c. nàm in Iudicio nemò hiſcere audebit; obmutuit ille non habens veſtem nuptialem. *Omnis ergò, qui audit verba mea hæc, & facit ea,* primum ergò non ſufficit abſquè ſecundo, *aſſimilabitur viro ſapienti* ſibi prouidenti, *qui ædificauit domum ſuam ſuprà petram;* ſtabilem, firmam, *& deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſuprà petram,* ità vt dimoueri non poſſet. *Et omnis, qui audit* ſimplicitèr *verba mea hæc, & non facit ea* operè, *ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſupèr arenam,* abſquè ſtabili fundamento, &c. *& fuit ruina illius magna,* quia à fundamentis cecidit; & ex his docet perſeuerantiam requiri. *Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſupèr doctrina eius, erat enim docens eos, ſicùt poteſtatem habens* leges condendi, imperandi, *& non ſicut ſcribæ eorum, & Phariſæi* hac facultate priuati. Ex Luca cap. 6. *& ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ vobis eſt gratia?* nàm illa ſpe mercedem recipitis, *& nihil ampliùs facitis, quàm peccatores; nàm peccatores peccatoribus mutuum dant, vt recipiant æqualia,* at vos peccatores Ethnicos tranſcendere oportet, iuſtitia veſtra debet abundare plùs quàm iuſtitia Phariſæorum, & Scribarum, *vos ergò mutuum date, nihil indè ſperantes* ab hominibus, *& erit merces veſtra multa* apud Deum, *& eritis filij* Dei *altiſſimi* per imitationem, &c. *Date* alijs, dare verò beatiùs, quàm recipere, *& dabitur vobis* à Deo; benefac iuſto, & retributionem accipies, ſi non ab eo, certè à Domino. *Menſuram bonam,* &c. *dabunt in ſinum veſtrum,* proùt Booz Ruth faciebat, dans enim in ſinum datum facit liberum cui dat, & conſtituit poſſeſſorem, ſic dona Dei in ſinu ſinè pœnitentia; quis dabit? Deus; ſempèr enim de Deo eſt ſermo retribuente præmia, nil hìc de ſupplicijs. *Eadem quippè menſura, qua menſi fueritis* alios, *remetietur vobis* à Domino, ſed à Domino, iuxtà menſuram gratiarū ſuarum abundantium; nàm nō ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Numquid poteſt cæcus cæcum ducere,* ſeruit hoc, vt caueant à quibus doctrinam capiant, maximè Scribis, & Phariſæis cœcis. Matth. 15. *nonnnè ambo in foueam cadunt?* ne id eis ſimile contingat, boni ergò magiſtri comparandi, nàm *non eſt diſcipulus,* dum ſic eſt, *ſuprà magiſtrum;* ſi ergò cœcus magiſter, talis diſcipulus; *perfectus autèm omnis erit, ſi ſit ſicùt magiſter eius;* alia in præcedentibus explicaui.

CA-

CAPVT XLIV.

DE LEPROSO SANATO.

Matth. 8.

1 *CVM autèm deſcendiſſet de monte, ſequutæ ſunt eum tur-*
2 *bæ multæ:* * *& ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens:*
3 *Domine, ſi vis, potes me mundare.* * *Et extendens Ie-*
ſus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et
4 *confeſtim mundata eſt lepra eius.* * *Et ait illi Ieſus: Vide,*
nemini dixeris: ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer
munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

Marc. 1.

40 *ET venit ad eum leproſus deprecans eum: & genu flexo dixit ei: Si vis, potes*
41 *me mundare.* * *Ieſus autèm miſertus eius, extendit manum ſuam: & tan-*
42 *gens eum, ait illi: Volo: Mundare.* * *Et cum dixiſſet, ſtatìm diſceſsit ab eo*
43 *lepra, & mundatus eſt.* * *Et comminatus eſt ei, ſtatìmquè eiecit illum:* * *&*
44 *dicit ei: Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtende te Principi ſacerdotum, & of-*
45 *fer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis.* * *At ille egreſ-*
ſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ità vt iàm non poſſet manifeſtè in-
troire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conueniebant ad eum vndiquè.

Luc. 5.

12 *ET factum eſt, cum eſſet in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & vi-*
dens Ieſum, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, ſi vis,
13 *potes me mundare.* * *Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mun-*
14 *dare. Et confeſtìm lepra diſceſsit ab illo.* * *& ipſe præcepit illi, vt nemini dice-*
ret: ſed, Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præce-
pit Moyſes, in teſtimonium illis.

COMMENTARIVS.

CVM autèm deſcendiſſet de monte, finemquè ſermoni impoſuiſſet; *ſequuta ſunt eum turba multa, & cum eſſet in vna Ciuitatum*, iuxtà Lucam, qui non eſt contrarius alijs, nàm Matthæus non dixit locum, & Marcus dicens, non potuiſſe Ieſum intrare in Ciuitatem, intelligit non tùnc non potuiſſe intrare in Ciuitatem, ſed aliàs pòſt dif-

ſanationem ſequutam à leproſo, poſtquàm erat in deſertis locis, vt etiàm dicit Lucas verſ. 16. *Et eccè leproſus veniens, adorabat eum, genuflexo, & procidens in faciem, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare*, cur ſic loquitur, *ſi vis?* fortè quia hoc erat munus Sacerdotum, & poterat excipere Ieſus, vade ad Sacerdotes, at is voluit præuenire, tuum eſt præſtare, potes tu ſolus abſquè illis, *ſi vis*, Hinc fortè dictum decem, vt irent oſtenſuri ſe Sacerdotibus, antequàm mundarentur; ſed an agnouerit Chriſti diuinitatem? credo quòd non ex dictis in Nathanaele, & confeſſione Petri. *Ieſus autèm miſertus eius, & extendens manum, tetigit eum*, ſic ſolebat, vt appareret miraculi patrator, *dicens, volo, mundare*, reſpondit præcisè verbis, & facto, *& confeſtim mundata eſt lepra eius*, dixit, & facta ſunt. *Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris*, id ad humilitatem, & modeſtiam ſeruandam, *ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium* emundationis *illis*, ſcilicèt Sacerdotibus, qui debebant ſupèr ea pronunciare. Leu. 14. loquitur enim de iuſſis per Moyſen, non ad ſe expurgandum, vel alia acerbiora tractandum cum Sacerdotibus; non enìm conſtat de hoc tempore Sacerdotes fuiſſe conqueſtos ratione leproſorum ſanatorum, & veriſimile eſt Chriſtum id potiùs mandaturum fuiſſe diſcipulo, vel familiari, non autèm viro pro ſanitate aduentanti, & paruæ fidei adhùc irretito, & ſub iugo legis curuo, aditurо Sacerdotes iudices ſuos, quos ſibi hæc referens, redderet infeſtos, ſuſpecto, cum illum ad eos amandauerit ob eius commodum, vt poſſet liberè conuerſari, & coràm plebe, ad quam confirmandam in doctrina ſua miraculum patrarat, & ex his poterat eá à ſe diuertere, & in agro, & vnico verbo; ſi enìm huic hæc mandanda erant, neceſſe erat aperire ei machinas, & malam voluntatem Sacerdotum tot verbis, vt poſſet reddi certus, & referre, & negociari, & illum ad partes ſemotis arbitris alloqui; fuiſſent ne ſufficientia verba hæc *in teſtimonium illis?* inſudandum profectò fuiſſet in illorum interpretatione, proùt nos nunc facimus, ſed Marcus docet hæc non interueniſſe, dicens, *Statimque eiecit illum*, & omnes Euangeliſtę dicentes, mandatum ei ſilentium, ſi enim iuſſit ſilere, quomodò hoc dici iuſſit Sacerdotibus? At nequè opportunum erat, dum dicta miraculo probat, inſerere machinas Sacerdotum, & vnico verbo illis occurrere, & plebem implere nouis dubijs. Itèm actus remiſſionis ad Sacerdotes, & oblationis muneris declarabat mentem Chriſti nolentis Sacerdotibus præiudicare, nequè alio indigebat exponente; nec aliud Chriſtus intendebat, niſi legis implementum, & quandò voluit Sacerdotibus referri, ſe propalauit, vt in languido, qui retulit, quis eum feciſſet ſanum, & hæc omnia ſe conformant verbis Leuit. 14. & verba ſunt annexa iuſſis per Moyſen, & miror ſupèr his adeò laboratum. *At ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem*, ſecundùm Marcum, quia noluit Chriſtus in præſentia ſua id fieri, cum enìm ſapiens laudatur in facie, flagellatur in corde: ſic in filia Archiſynagogi, & alijs, de quibus iàm dictum, vel modeſtiæ, vel exempli cauſa, & nihilominùs factum, & ſanitas reſtituta tùnc manifeſtabant miraculum, & pòſt verba leproſi, *ità vt iàm non poſſet manifeſtè Ieſus introire in Ciuitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet*, vitans auram popularem, *& conueniebant ad eum vndiquè*, quia totus erat ad hominum vtilitatem, & commodum.

C A-

CAPVT XLV.

DE SERVO CENTVRIONIS SANATO.

Matth. 8.

5 CVM autèm introiſſet Capharnaum, acceſsit ad eum Cen-
6 turio, rogans eum,* & dicens: Domine, puer meus iacet
7 in domo paralyticus, & malè torquetur. * Et ait illi Ie-
8 ſus: Ego veniam, & curabo eum. * Et reſpondens Cen-
turio, ait: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum
meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.
9 * Nàm & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens
ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit:
10 & ſeruo meo, Fac hoc, & facit.* Audiens autèm Ieſus miratus eſt, & ſequen-
tibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. * Dico au-
11 tèm vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum
12 Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: * filij autèm regni eijcientur
13 in tenebras exteriores: ibì erit fletus, & ſtridor dentium. * Et dixit Ieſus Cen-
turioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

Luc. 7.

1 CVM autèm impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Caphar-
2 naum.* Centurionis autèm cuiuſdam ſeruus malè habens, erat moriturus:
3 qui illi erat pretioſus.* Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum,
4 rogans eum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius. * At illi cum veniſſent ad Ie-
5 ſum, rogabant eum ſolicitè, dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes.* di-
6 ligit enìm gentem noſtram: & Synagogam ipſe ædificauit nobis,* Ieſus autèm ibat
cum illis. Et cum iàm non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, di-
cens: Domine noli vexari: Non enìm ſum dignus, vt ſub tectum meum intres.
7 * proptèr quod & meipſum non ſum dignum arbitratus vt venirem ad te: ſed
8 dic verbo, & ſanabitur puer meus.* nàm & ego homo ſum ſub poteſtate conſti-
tutus, habens ſub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij veni, &
9 venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. * Quo audito Ieſus miratus eſt: & con-
uerſus ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem
10 inueni.* Et reuerſi, qui miſsi fuerant domum, inuenerunt ſeruum, qui langue-
rat, ſanum.

COMMENTARIVS.

C*VM autèm impleſſet omnia verba ſua in aures plebis* (eccè locus, vbi ſanatus leproſus, ſi omnia iungas nempè in agro propè Capharnaum) *intrauit Capharnaum : Centurionis autèm cuiuſdam* Ethnici præfecti militum Romanorum, *ſeruus malè habens, erat moriturus*, grauitatem morbi declarat ad magnitudinem miraculi exprimendam, *qui illi erat pretioſus*; Sapiens docet quanti faciendi ſerui boni, intèr quos illi Dauid, prohibentes illum ire in bellum. 2. Reg. 18. 3. 21. 17. Nahaman 4. Reg. 5. 13. Saul. 1. Reg. 16. 16. de conſilio Pſaltis; abſtinentes ſe à nece Sacerdotum. 1. Reg. 22. in exemplum eos non teneri obedire in malo, & qui coegerunt illum edere. 1. Reg. 28. 23. Nabal nunciantes Abigail. 1. Reg. 25. 15. Abraham. Geneſ. 24. *Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſanaret ſeruum eius*, eccè quomodò venire in ſignum incredulitatis non vertitur à Chriſto, ideò nequè dicas in Regulo, vt in eo annotaui; *at illi cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſolicitè, dicentes ei: quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis* (ſempèr præſtat benefacere, & apud Deum omnia nota) *Ieſus autèm dixit illi*, ideſt miſſis ab eo, *ego veniam, & curabo eum*, erat enìm in Ciuitate, nec erat in tranſitu, aut aliò diuerſurus, proùt in Regulo, vltrà quòd Regulus rogabat, vt deſcenderet; Centurio, ne grauaretur; vndè fidei Reguli non deſcendendo additur, fides Centurionis, dum ſe iturum offert, exeritur; at in vtroquè bona voluntas attenditur, & hora obſeruatur ſanitatis, vt ad gloriam Dei quiſquè certus eſſet de miraculis, proùt in Chananææ filia, *& ibat cum illis*, non detrectat ire, ideò dic nullum malum ſenſum in vocando vt accederet, & *cum iàm non longè eſſet a domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari, non enìm ſum dignus, vt ſub tectum meum intres, proptèr quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te*, reuocat per ſecundos quod primi à ſeipſis pratèr intentionem ipſius rogauerant, vt veniret; ex his excluditur ſaluatio illa, quòd Centurio primò non acceſſerit per ſe ipſum ad Ieſum, ſed per Hebræos, & cum Ieſus proximus eſſet domui, per ſe ipſum; nàm Lucas dicit, ſecundò miſiſſe amicos, & alia verba id excludunt, & præſertìm illa. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*, quæ Centuriori præſenti tentant tribuere, & vltima, quòd *miſſi reuerſi domum, inuenerunt puerum ſanum*; vndè non poteſt dari tempus medium, vel locus, quo acceſſerit Centurio; quarè quod dicit Matthæus de acceſſu Centurionis, non eſt intelligendum de perſona ſua, ſed mediantibus his miſſis iuxtà Lucam ſuam perſonam excludentem, *ſed tantùm dic verbo*, quod potes, *& ſanabitur puer meus*; dicere enim tuum facere eſt, *Nàm & ego homo ſub aliena poteſtate conſtitutus, dico huic, &c.* Tu qui liber, tu qui Deus, cui etiàm inanimata obediunt, non potes dicere febri, recede? *Audiens autèm Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael* habuit ſe ad modum admirantis; componebat enim Dominus in ſeipſo actus huiuſmodi, proùt propaſſiones, vt quandò in Lazaro infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum; accedentibus gentilibus, nunc anima mea turbata eſt: in horto, triſtis eſt anima mea vſquè ad mortem, cœpit tædere, pauere, & mæſtus eſſe; admiratio enim vera eſſe non potuit in Chriſto omniſciente, & diuina, & beata, & infuſa ſcientia referto, quæ cadit in ſolis ignorantibus, & inſcijs; at ipſe ſciebat fidem Centurionis exerendam eo tempore, & puncto, imò illam ipſe infundebat, & habens ſe ad modum admirantis, dixit, *non inueni tantam fidem in Iſrael*, quia nullus, proùt Centurio in

Iſrael

Iſrael dixit, ne accedas, *dic verbo tantùm*, & ſic comparatio in his fienda, non in alijs, non aſſumenda ex fide interna, ſed quæ demonſtrari poterat ex verbis. Nota tamèn quòd huic præferenda Chananæa, quæ pòſt ipſum venit, quæ nec verbo, nec alio modo in abſentia petijt fieri, ſed inſinuauit tantùm filiæ infirmitatem, & petijt miſereri. Ex his tollitur quòd ex magnitudine rei miratus ſit, quia hæc magnitudo in eo admirationem parere non potuit, quia nihil magnum repræſentari potuit illi omniſcienti, ſed præbere ei occaſionem, vt per modum admirantis ſe haberet, vt dixi. Dices, reſpectu experimentalis ſcientiæ admiratio contingere potuit: reſpondeo, illam etiàm in Chriſto extitiſſe. S.Thom.3.par.q.9.art.4. ità vt omnia nouerit, quæ per eam cognoſci potuerunt. S.Thom. 3.par. q.12. art.1. vndè neque ratione huius contingere potuit admiratio. Dices, nondùm erat in eo perfecta, ſed perficiebatur quotidiè, & conſtat ex dictis, *miratus eſt, & non inueni tantam fidem in Iſrael*; reſpondeo, diuinas, non potuit perfectè illam acquiſiuiſſe in trigeſimo anno, in quo conſtitutus erat? aliòquin quandò procedet ſententia S.Thom. 3.par. q.12.art.1.? at ad excludendam admirationem ſufficit ſcientia diuina, beata, & infuſa, quia etſi acquireret in experimentali, non tamèn reſpectu aliarum ſcientiarum, idem Chriſtus potuit dici ignorans, & in eo effectus ignorantiæ conſiderari, vt admiratus verè ſit; eo magis quia non potes ex diſtinctione duarum naturarum ſaluare opinionem, quia tàm in diuina ex æterna, & increata ſcientia, quàm in humana ex beata, & infuſa ſciebat. At quomodò Centurio in abſentia credit ſanitatem dari? dic, præceſſerat miraculum filij Reguli abſentis in Capharnaum; at quomodò Chananæa? non eſt ità facilè dictu; fortè & ipſa audierat miracula Chriſti. *Dico autèm vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient*, per fidem formatam, *& recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob* Patriarchis *in Regno Cælorum*, idèſt fruentur cum patribus his Hebræorum beatitudine cæleſti, repræſentata ſub recubitu ad cœnam, in qua guſtantur ſuauia, ſic faciet illos accumbere, & transiens miniſtrabit illis; *filij autèm regni*, præſumentes admitti cum eorum patribus ad regnum, vel ſe filios regni facientes quaſi eis debiti; exultantes ſolum in nomine Prophetarum, & Patriarcharum ſuorum, dicebant enim: Patrem habemus Abraham, filij Abrahæ ſumus, & Ioannes Baptiſta hoc ſciens, dicebat illis: & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis (eccè quales lapides ex Chriſto gentiles) ſuſcitare filios Abrahæ, *eijcientur* increduli, infideles, operibus bonis vacui *in tenebras exteriores*, extrà mundum exiſtentes, in infernum, quod magis declarat, vt ad alia non poſſint trahi, *ibi erit fletus & ſtridor dentium*, ad denotandum maximos dolores, & pœnas, quæ his externis demonſtramus in hac vita, ex hac ergò fide Centurionis ſumpſit Ieſus argumentum deſcendendi ad hanc vocationem gentium, & Iudæorum reprobationem, *& dixit Ieſus Centurioni*, nempè miſſis ab eo. *Vade, & ſicut credidiſti* me facere poſſe, *fiat tibi, & ſanatus eſt puer* moribundus *in illa hora*, qua dixit Ieſus. Vnde *reuerſi qui miſſi fuerant Domum, inuenerunt puerum*, ſeruum, *qui languerat*, ſanum, & facta fuit confrontatio tuta temporis, verborum, & miraculi, vt in Regulo, Chananæa, & alijs, & ex hoc vltimo ſtabilitur, Centurionem præſentialitèr non acceſſiſſe.

CAPVT XLVI.

DE FILIO VIDVAE NAIM RESVSCITATO.

Luc. 7.

11 ET factum eſt: deinceps ibat in ciuitatem, quæ vocatur
Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa.
12 * Cum autèm appropinquaret portæ ciuitatis, eccè defun-
ctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua
13 erat: & turba ciuitatis multa cum illa. * Quam cum
vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſupèr eam, dixit
14 illi: Noli flere. * Et acceſſit, & tetigit loculum. (Hi
15 autèm, qui portabant, ſteterunt.) Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. * Et re-
16 ſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. * Accepit au-
tèm omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus
17 ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam. * Et exijt hic ſermo in
vniuerſam Iudæam de eo, & in omnem circà regionem.

COMMENTARIVS.

ET *factum eſt, deinceps* pòſt Centurionis ſeruum ſanatum, *ibat* Ieſus *in Ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius* teſtes pro Chriſto futuri, *& turba copioſa*, quæ illi adhærebat. *Cum autèm appropinquaret portæ Ciuitatis* (ſciebat i, ſe quod futurum erat) *eccè defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat; & turba Ciuitatis multa cum illa*, hæc omnia præmittit ad compaſſionem inducentia; *quam* viduam *cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſupèr eam* (ſic & ſupèr ſorores gementes pro Lazaro, ità vt lacrymatus ſit) *dixit illi. noli flere*, adeſt conſolator, & vltrò non rogatus, prout nequè à cœco nato, & languido, *acceſſit, & tetigit loculum*, in quo defunctus erat (*hi autèm, qui portabant*, rei nouitate moti, *ſteterunt*, non vltrà progredientes) *& ait, adoleſcens tibi dico, ſurge*, imperio ſuſcitat, ſic in Lazaro, veni foràs: puellæ, ſurge, ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic filius quos vult viuificat; omnia ipſi viuunt, vocat ea, quę non ſunt tamquàm ſint. *Et* ad imperium vocantis *reſedit qui erat mortuus*, primum ſignum, vt de reſurrectione appareat, *& cœpit loqui*, ſignum ſecundum, *& dedit illum matri ſuæ*, vt ſic conſolaretur eam, tangit loculum, ſiſtit portantes, vocat ore proprio, dat matri, vt appareat tanti miraculi patrator, & glorificetur. *Accepit autem omnes timor*, ſic ſtupor circumdederat Petrum in captura piſcium, ſic omnes in tempeſtate ſedata, *& magnifica-*

ſicabant Deum, dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis. Non credo intelligant de illo Moyſis. Deut. 18. *& quia Deus viſitauit plebem ſuam,* hæc magna per eum operando. *Et exijt* fama, *hic ſermo* dictus ob hoc miraculum, *in vniuerſam Iudæam de eo & in omnem circà regionem*, ſic enim volebat diuulgari ad ſui manifeſtationem.

CAPVT XLVII.

DE LEGATIONE IOANNIS BAPTISTAE. AD CHRISTVM EX CARCERE.

Matth. 11.

2 *IOANNES autèm cum audiſſet in vinculis opera Chri-*
3 *ſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, * ait illi: Tu es, qui*
4 *venturus es, an alium expectamus? * Et reſpondens Ie-*
ſus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, &
5 *vidiſtis. * Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mun-*
dantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euan-
6 *gelizantur: * & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus*
7 *in me. * Illis autèm abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid*
8 *exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? * Sed quid exiſtis vi-*
dere? hominem mollibus veſtitum? Eccè qui mollibus veſtiuntur, in domibus
9 *regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus*
10 *quàm Prophetam. * Hic eſt enìm, de quo ſcriptum eſt: Eccè ego mitto Ange-*
11 *lum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te. * Amen di-*
co vobis, non ſurrexit intèr natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autèm
12 *minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. * A diebus autèm Ioannis Baptiſtæ*
13 *vſquè nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. * Om-*
14 *nes enim Prophetæ, & lex vſquè ad Ioannem prophetauerunt: * & ſi vultis re-*
15 *cipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. * Qui habet aures audiendi, audiat.*
16 ** Cui autèm ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus*
17 *in foro: qui clamantes coæqualibus * dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis:*
18 *lamentauimus, & non planxiſtis. * Venit enìm Ioannes nequè manducans,*
19 *nequè bibens, & dicunt: Dæmonium habet. * Venit Filius hominis mandu-*
cans, & bibens, & dicunt: Eccè homo vorax, & potator vini, publicanorum,
20 *& peccatorum amicus. * Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.*

Luc.

Luc. 7.

18 *ET nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his. * Et conuocauit duos*
19 *de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum, dicens: Tu es qui venturus*
20 *es, an alium expectamus? * Cum autèm veniſſent ad eum viri, dixerunt:*
Ioannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es: an alium ex-
21 *pectamus? * (in ipſa autèm hora multos curauit à languoribus, & plagis, &*
22 *ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum.) * Et reſpondens, dixit il-*
lis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis? Quia cæci vident,
claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, paupe-
23 *res euangelizantur: * Et beatus eſt quicumquè non fuerit ſcandalizatus in me.*
24 ** Et cum diſceſſiſſent nuncij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid exi-*
25 *ſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? * Sed quid exiſtis vide-*
re? hominem mollibus veſtimentis indutum? Eccè qui in veſte pretioſa ſunt
26 *& delicijs, in domibus regum ſunt. * Sed quid exiſtis videre? Prophetam?*
27 *Vtiquè dico vobis, & pluſquàm Prophetam. * hic eſt, de quo ſcriptum eſt: ec-*
cè mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te.
28 ** Dico enim vobis: Maior intèr natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta ne-*
29 *mo eſt: qui autèm minor eſt in regno Dei, maior eſt illo. * Et omnis populus au-*
30 *diens & publicani, iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis. * Pha-*
riſæi autem, & legis periti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptiza-
31 *ti ab eo. * Ait autèm Dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis*
32 *huius? & cui ſimiles ſunt? * Similes ſunt pueris ſedentibus in foro: & loquenti-*
bus adinuicèm, & dicentibus: Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis: la-
33 *mentauimus, & non ploraſtis. * Venit enim Ioannes Baptiſta, nequè mandu-*
34 *cans panem, nequè bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. * Venit Fi-*
lius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Eccè homo deuorator, & bi-
35 *bens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum. * Et iuſtificata eſt ſapien-*
tia ab omnibus filijs ſuis.

COMMENTARIVS.

E*T nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his*, miraculis per Chriſtum patratis. *Ioannes autèm cum audiſſet in vinculis opera*, miracula *Chriſti*, antè enim ſuum carcerem adhùc publica non erant. Sed cur Ioannes in vinculis? vt tollatur fama Meſſiatus de illo, dixerat ipſe diminuendam eius famam, Chriſti augendam. *Mittens duos de diſcipulis ſuis*, proùt ad illum miſerant Iudæi, quos imitatus eſt, & à quibus fortè id didicit; miſit ipſe *ad Ieſum; ait illi, tu es, qui venturus es* Meſſias in mundum, *an alium* adhùc *expectamus?* Non ſanaturus ſe ipſum nedum præeuntem, ſed credentem, & prædicantem Ieſum Meſſiam etiàm in carcere, proùt & poſteà

ſteà Paulus. acto. vlt. 2. Timoth. 2. 9. Philip. 1. 12. Non quaſi ſe ipſum cum diſcipulis infirmum oſtenſurus, quia fictio eſſet indigna Ioanne, & homine probo, vt ex Eleazaro. 2. Machab. 6. 23. & Petro repræhenſibili. Galat. 2. & detraxiſſet ijs, quæ iàm dixerat, & ſtabilierat de Chriſto, nec timebat diſcipulos, qui non timuerat Herodem, nec Phariſæos, & Scribas, quos genimina viperarum nuncupauerat, qui Chriſtum à die ſuæ miſſionis prædicauerat, & docuerat etiàm legatos à ſenatu miſſos, nec laudaretur à Chriſto pòſt diſceſſum diſcipulorum tot encomijs, ſi ſic defeciſſet etiàm ad fictionem; ſed ſanaturus diſcipulos ſuos incredulos, etſi miracula vidiſſent, & qui pòſt illius carcerem defecerant, hinc interrogatum ierant Chriſtum, cur diſcipuli ſui non ieiunarent. Vndè & ſi alias ipſos referentes baptiſmum Chriſti, & antè docuiſſet illum eſſe Meſſiam. Ioan. 3. 28. & veriſimilitèr id repetijſſet referentibus illis miracula Chriſti. Nihilominùs poſtquàm erat in carcere minùs ei credebant atteſtanti, non enim veriſimile ipſum vnquàm in ſuo officio etiàm in minimo defeciſſe, propterea cenſeo dixiſſe diſcipulis ſuis adhùc incredulis, quorum ſalutem optabat, & credentes dimittere volebat iàm ipſe morti proximus, ſciens itam mulieris implacabilem. Ite etiàm nomine meo interrogate eum, cum eo agite, & cognoſcetis verum quod dico, iuxtà Samaritanam, venite, & videte hominem, &c. Philippum cum Nathanaele, veni, & vide, ideò Dominus, quem nil latebat, eis ſatisfecit. *Et reſpondens Ieſus, ait illis: euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, in ipſa enim hora multos curauit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum*, erat enim hoc ſignum Meſſiæ. Quæ miracula ſicut edita tùnc, ſic nunc Euangelium explicatum, in quo illa ſcribuntur, omnes tangens (virtus eſt enim omni credenti. Rom. 1.) ad fidem adducit. *Pauperes euangelizantur*, lætificantur bono nuntio Regni, euangelizabantur omnes homines, & ad omnes ſpectabat bonus nuntius regni, ſed dicit de pauperibus (proùt etiàm prædictum erat ab Iſaia, euangelizare pauperibus miſit me) quia hi ſoli credebant, & apprehendebant legem euangelicam, Apoſtoli, Turbæ, pauperes, non principes, & ideò *cæpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne*, & ſic loquitur de euangelizatione cum effectu, proùt & de alijs miraculis cum effectu in eadem oratione ergà cœcos, claudos, &c. *Pauperes euangelizantur*, peccatores conuertuntur, quod eſt mirabilius in quolibet miraculo, dicit enim Auguſt. quòd miraculum inuiſibile erat in quolibet ægro ſanato, cuius anima priùs quàm corpus ſanabatur, vt in paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vt autèm ſciatis, quia filius hominis habet in terra poteſtatem dimittẽdi peccata; vndè non poteſt conſiderari præſtantia iuſtificationis magis in vno, quàm in alio, quia in quolibet ſuccedebat vnà cum miraculo ſanitatis, ſed illa maior etſi occulta; *Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me*, non credens miraculis, proùt Nazareni, qui ſcandalizabantur in illo; at ne calumniarentur, ſingula à Prophetis prædici voluit, tùnc aperientur oculi cœcorum, &c. & tamèn in hanc petram impegerunt Hebræi, nõ eſt hic homo à Deo, &c. in Beelzebub, &c. ſic Paulus, Iudæis quidèm ſcandalum, & Simeon, erit in ruinam, &c. his verbis tangit diſcipulos Ioannis, intendens eos reducere ad meliorem frugem. *Euntes renuntiate Ioanni*, nec ipſis aperit ſecretum, vel oſtendit ſcire eorum incredulitatem, ſic Thamar mittens ad ſocerum annulum, & baculum, ſic Ionathas, & Dauid de iactu ſagittæ ſeruo adſtante inſcio. Non mandat renunciari Ioanni quaſi dubio, ſed vt intelligat cum ſuis diſcipulis egiſſe quæ deſiderauerat, & adeò ſatisfeciſſe, vt etiam in eorum præſentia tot patrauerit. *Quæ audiſtis, & vidiſtis*, multa fortè docuit non ſcripta, & vidiſtis, miracula, quæ fecit, vt illos confuuderet incredulos miraculis primò viſis, quæ Ioanni retulerant. Vndè doctrina, & ſignis illos catechizauit, deindè terruit; *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autèm abeuntibus cæpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Quid exiſtis in deſertum videre?* communitèr tenetur hæc verba à Chriſto pro-

prolata, ne plebs ex legatione, & interrogatione diſcipulorum Ioannis, *tu es, qui venturus*, quæ omnia viderat, & audierat, crederet Ioannem mutaſſe ſententiam circa Chriſtum, quem certò prædicauerat Meſſiam, nunc dubium interrogatum miſiſſe, an ſit. At non credo hanc fuiſſe mentem Chriſti; primò, iam oſtendimus Ioannem ab hac ſuſpicione liberum, eò magis in ventre ſanctificatum, & cognoſcentem, vndè non potuit plebs hanc conſequentiam facere.

Secundò, inueriſimile eſt plebem interfuiſſe colloquio nuntiorum Ioannis cum Chriſto, imò credendum nuntios ſemotis arbitris cum Chriſto egiſſe, tùm ob negocium arduum, quo nullum maius, tùm ob reuerentiam, & gloriam ſui magiſtri, quem & Chriſto anteponebant, tùm quòd nuntij non ſolent audiri coràm alijs, ſic feceſſit Lyſias cum nepote Pauli ſecum acturo: ſic Herodes cum Magis, ne à populo aliquid ſiniſtri pateretur, ad hoc petebant ſerui Ezechiæ à miſſis Senacherib, vt loquerentur Syriacè, non Iudaicè audiente populo. 4. Reg. 18. 27. & hi erant miſſi à Ioanne è carcere, quod nemo ignorabat de tanto viro, & veriſimilitèr præſumebantur de grauioribus acturi, & de ſpectantibus ad Herodem, vel Herodiadem, vndè ex vrbanitate credendum eſt alios feceſſiſſe à colloquio audiendo, tùm quia Chriſtus in reſponſione adeò vrbanitèr ſe geſſit, vt ne diſcipulos quidèm ad eum miſſos arguere voluerit ſaltèm explicitè, vndè ſi cum ipſis tàm occultè egit, quomodò palàm in conſpectu plebis hæc protulit ad purgandum Ioannem? & ſicut hoc potuit fieri, ità credendum factum eſſe, quia magis decebat ex prædictis, aliòquin imprudentiæ diſcipulorum Ioannis aſcribendum fuiſſet, hæc coràm alijs, & plebe mobili tractaſſe, & Chriſtus ſe conieciſſet in laqueos, vt poſtmodùm malè concepta de Ioanne opinio eſſet per eum deſtruenda, quod nedum factum, ſed occaſione Ioannis deſcendit ad regni cælorum, & ſui manifeſtationem, & (vt ferè ſempèr) dum de Ioanne egit, nixus eſt Ioannem omni exceptione maiorem teſtem conſeruare, & hinc in eum tot prærogatiuæ fuerunt collatæ, & nullus maior intèr homines ſurrexit, vt maiori fide dignus eſſet in demonſtrando Meſſiam, quòd ſi plebs ſupèr his titubaſſet, & exiſtimaſſet Ioannem mutatum à primis prædicationibus, encomium Chriſti de Ioanne non erat ſufficiens (loquor ſecundùm hominem) ad ſcandalum contractum tollendum, & expurgandum, quia teſtimonium Ioannis de Chriſto in Chriſti defenſione ſubſtitiſſet, & ſic reincidiſſemus in illud; tu de te ipſo teſtimonium perhibes, etiàm dum teſtimonio Ioannis vteris. Prætereà nec ſic defendiſſet Ioannem, quia de mutatione conſtitiſſet, & illis verbis generalibus non tollebatur macula particularis, & certa, vndè neceſſariò reijcienda erat culpa in diſcipulos, eoſquè incredulos arguendos, & apparet Chriſtum noluiſſe eos apertè, nec illiſmet tales propalare. At credendum eſt ne ſi hoc feciſſet, Hebræos id latuiſſe? minimè quidèm, cum in ore tot hominum hæc fuiſſent; & ſi ſciſſent, dum Ioannis teſtimonio vtebatur, vos miſiſtis ad Ioannem, &c. in faciem Chriſto non obiecturos Ioannis inſtabilitatem per diſcipulos ad eum delatam coràm plebe? & ſic Chriſtus in hæc vincula ſe conieciſſet, ſi propalatum eſſet nuntium Ioannis, defendendi ſe, & Ioannem, à quo voluit teſtimonium, & præcurſionem recipere, quod eſt omninò inueriſimile, nec contigit, quia id numquàm obiectum.

Non obſtant miracula facta coràm omnibus, quaſi coràm omnibus nunrium expoſitum, quia diſtinctè hæc fieri potuerunt, audire eos ſemotis arbitris, & coràm alijs aſſiſtentes eſſe miraculis, & ex miraculis, quæ faciebat ſæpè, & coràm plebe. Matth. 15. non potuit plebs quidquàm ſuſpicari; Vel ſi plebs audiuit nuntios Ioannis, dicendum eos ſe explicuiſſe dubitantes, non Ioannem, & ideò nil difficultatis remanſiſſe in plebe, quæ etiàm ex facto Chriſti tot miracula in eius præſentia facientis confirmata ſit, & omninò ſic tenendum, quia de fide Ioannis, vel fictione, vel infirmitate, quod ad fictionem decidit, dubitari non poteſt, cum omnibus Chriſtum palàm prædicaſſet, & eſſet in vinculis morti proximus, & ne ipſe eſſet defendendus, & in difficultates prædictas incideremus; caue igitur ne dicas, vel Ioannem mutaſſe, vel finxiſſe, vel

ple-

plebem ſimilia ſenſiſſe, vel eius diſcipulos, vel ex verbis, ſeù tractatu diſcipulorum hæc elici potuiſſe, & tutò incedes. Cur ergò Chriſtus ad hæc Ioannis enconia deſcendit? occaſio fuit, quia plebs vidit diſcipulos notos Ioannis ad Chriſtum miſſos, quia Ioannes in vinculis detinebatur, & contrà detentos in carceribus, donèc eorum cauſæ expediantur, vrget ſuſpicio, ne crimine obiecto irretiantur: hinc Chriſtus, qui ſempèr Ioannis famam voluit illibatam (ideòquè prius à Prophetis prædictus, Eliæ comparatus, in conceptione, natiuitate, ſeceſſu in erèmo, victu, veſtitu, moribus ſingularis) & vt par pari referret, imò maius, vt ſolet Deus, pro legatione ad eum miſſa, illius occaſione de illo tot egregia profert, annectēs tamèn multa ad plebis ſalutem. Et quia in carcere detinebatur, eò quòd Herodem Regem reprehenderat, quod facilè omnibus innoteſcebat, ne id ei vitio ab aliquibus verteretur, & cauſa eius iniuſta exiſtimaretur, propterea dicit, ne admiremini hoc ab eo factum, non enim eſt arundo, qui omni vento moueatur, hoc eſt, qui hominum dignitatem, vel perſonam reſpiciat, & vos ſcitis, qui ad illum in deſerto morantem acceſſiſtis, & audiſtis omnes acritèr reprehendentem. Vel non eſt ipſe adulator, mollibus veſtitus, cum in deſerto habitaret pilis camelorum indutus, hi enim ſunt in curijs Regum, & (reiectis falſis) vera producens, nonnè acceſſiſtis ad eum vti Prophetam à Deo miſſum? & Prophetæ nonnè ſolebant vitia Regum in faciem reprehendere? Is verò nedum Propheta eſt, ſed pluſquàm Propheta, hic eſt enim Angelus, idèſt miſſus antè faciem Saluatoris Meſſiæ; ſicùt ergò Ieremias, & alij Prophetæ innocentes tot mala paſſi ſunt, ne miremini, ſi is in carceribus detineatur, & is mihi videtur ſenſus verborum, & mens Chriſti.

Illis autèm abeuntibus, cur priùs abire permiſit? quia erant adeò addicti eorum magiſtro, vt magis confirmarentur in eorum opinione ex laudibus Ioannis, ſi adſtitiſſent, quod erat contrà mentem Ioannis, qui miſerat eos curandos, & vt abſtraherentur ab ipſo, & ad Chriſtum traherentur. Vel quia nihil ad eos auditus laudum ſui magiſtri. Non ergò abſtinuit à laude Ioannis, dum illi erant præſentes, euitandæ adulationis cauſa, quia ipſe veritas, & Magdalenam pœnitentem, vnguentum effundentem, fidem Centurionis, Chananææ, Petri, Nathanaelis, & aliorum præſentium & coràm ſe adſtantium virtutes commendauit. *Arundinem vento agitatam?* qui non eſſet firmus, & diceret ſe qui non erat à vobis interrogatus. *Hominem mollibus veſtitum?* quia credebant Hebræi venturum Meſſiam cum faſtu, & gloria, putauerunt ſe inuenturos Ioannem more curialium regiorum in veſtibus, luxuriantem, & in delitijs agentem, quaſi, talem non inueniſtis, non in deſerto is perquirendus, ſed in domibus Regum, hinc non Regem, ſed famulum nuncupat. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Eccè ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te*; vndè alia ratio non eſt expiſcanda, cum habeamus expreſſam Chriſti, quia Angelus, miſſus, præcurſor, *qui præparabit, &c.* ſed ad hæc verba vide ſcripta. acto. 13. in verb. Antè faciem. verſ. 24. *Amen dico vobis, non ſurrexit maior intèr natos mulierum Ioanne Baptiſta*, maior ſimplicitèr, nec reſtringitur ad Prophetas, quia Lucas addit *Propheta*, imò ampliatur, nàm ſub nomine Prophetæ, omnis vir bonus, & ſanctus; de ſanctitate enìm agitur, quod certò colligitur ab exceptione maioris in regno cælorum, in quo ſola ſanctitas conſideratur. *Qui autèm minor eſt in regno cælorum*, intèr Angelos, *maior eſt illo*, ſubdit hoc quia occaſione Ioannis vult ad manifeſtationem ſui ipſius, & regni cæleſtis (quod magis intererat) deuenire, hincquè corroboratur opinio, quòd non Ioannem liberum à dubio, ſed immunem à delicto oſtendere voluerit his laudibus, aliòquin in difficiliora ſe coniecisſet. *Qui autèm minor eſt* multæ opiniones circà verba hæc, quæ iudicio meo facillima ſunt, Dixerat, *nullus maior intèr natos mulierum*, idèſt in terra, in qua naſcimur, & ſurgimus, Propheta, vel alius ſanctior *Ioanne Baptiſta*. *At qui minor eſt in regno cælorum*, idèſt in cælo, *maior eſt illo*,

quia

quia purior, qui nulla macula labefactari poteſt,& à periculo etiàm venialium, exemplo Petri reprehenſibilis, à quo non Ioannes, liber, & viſione beatifica circumfuſus, Angeli enim ſempèr vident faciem Patris mei, qui eſt in Cælis, qua caret Ioannes, & de Angelis profectò intelligit, cum tùnc hominibus non eſſent fores cæli apertæ; ſic autèm ſubdit, vt euehat his verbis plebē ad regnum cælorum exoptandum, & perquirendum, quod Ioannes prædicabat, non enim vnquàm in quouis ſermone, & actione omittit occaſionem ſpiritualia ſeminandi, vt in Nicodemo. Ioan.3. Samaritana. Ioan. 5.turba. Ioan.6. & alijs; his enim plena eſt tota Scriptura ſacra, plebs autèm ex hoc accendi, & inflammari poterat intrà ſe dicens, ſi talis, & tantus Ioannes, & ſuperatur à minimo cæleſtium, quales, & quanti illi, quale regnum, quale cælum? feſtinemus igitur ingredi in illam requiem,in illud conſortium, adiungamur citò ſocietati tantæ bonitatis, tantorum ciuium. Et ſic natis mulierum terrenis cæleſtes oppoſuit in cælo morantes, hominibus Angelos, terræ cælum.

Hinc exploditur intellectus, quòd hìc agatur de Chriſto; nàm, quæſò, quomodò hoc tàm obſcurum explicabitur abſquè multis ſubauditionibus, quas non patitur littera? prima enim eſt *qui minor eſt* veſtra opinione, quod eſt diuinare, & hìc fit punctus, quod inconuenit, *in regno cælorum*, idèſt Iudicio Dei, & Angelorum, quod numquàm memini vidiſſe, vel credo dici poſſe, aut interpretari, *maior eſt illo,&c.* Prætereà quis vnquàm ex plebe hoc capere potuiſſet? eſt enim ſermo obſcurus, & aereus, nemini addictus, & nullius efficaciæ, vel vtilitatis, ſiquidèm obſcuritas illum eneruat. Inſupèr in quolibet ſermone ſempèr intelligitur excepta perſona loquentis, vndè Chriſtus hìc non inſeritur, eò magis quia verba ſunt de hominibus *inter natos mulierum*, ipſe Deus, & homo, & ideò nihil intererat hanc limitationem addere, & quandò Chriſtus de ſe loquitur,clarè enunciat etiàm in comparatione, prout, & eccè plus quàm Salomon hic, eccè plus quàm Ionas hic, & in hoc contextu infrà videbimus,maximè dum dicit Ioannem Baptiſtam, *Eliam*, in quibus verbis ſi non explicat, ſaltèm excitat aures audientium ad conſideratione ſui, ſic cū de filio hominis, cum exprobrat Ciuitatibus in eis geſta,& clarè de ſe ſubſequitur;quæ omnia in his ſubauditionibus ſucco vacuis ceſſant, & ſolet Chriſtus verba ea proferre plebi, quæ intelligantur (prout decet quemuis prædicantem, & dicentem) & prætertim de teſtimonio Ioannis, vos miſiſtis ad Ioannem, habeo teſtimonium maius Ioanne, vndè ad quid nunc occultè loqui? Similitèr alius intellectus de Virgine Sanctiſſima,nàm neque ipſa comprehenditur in generali ſermone, & ipſi tamquàm Imperatrici collata priuilegia imperialia, & quid Matri Dei cum Ioanne? & quis non nouit maiora matri ſuæ, quàm Ioanni eſſuſa? ex ſua ſalutatione, & viſitatione Ioannem fuiſſe liberum à peccato, & repletum Spiritu ſancto? & ſi & Eliſabeth proptèr Ioannem, quid mater proptèr Filium fontem totius bonitatis? Hæc autèm de Chriſto, & Matre tùnc non erant declaranda plebi. Exploditur & opinio quòd non præponatur, ſed exæquetur Patriarchis, nàm primò dixit *plus quàm Prophetam*, poſteà *non ſurrexit maior intèr natos mulierum*, quod comprehendit tempus omne præteritum, & perſonas, excipit Angelos,vndè firmat regulam in alijs non exceptis, ſed hic ab alijs; & ex hac exceptione quaſi firmari poteſt nec alium ſurrecturum Ioanne maiorem, quia nec dabitur maius officium homini venturo; nec quem viſitet præſentialitèr Mater Dei Deo grauida, & ſcimus de Enoch, & Elia, quibus iàm præpoſitus Ioannes.

Exploditur etiàm opinio de quolibet Chriſtiano baptizato, hoc enim ſatis claudicat, nèc à plebe fuiſſet captum, nec vllo modo poteſt accomodari etiàm veſtitum tot ſubtilitatibus, quas pertranſeo; Vndè intellectus ſuperior videtur germanus, qui etiàm comprobatur ex ſequentibus. At quia audito per plebem tales eſſe cæliculas puriores Ioanne, poterat dicere, quid faciemus nos miſeri? quomodò ad illud regnum aſpirabimus? ſubdit ad amouendam omnem ſolicitudinem quaſi per parentheſim, poteſtis & vos in regnum ingredi; nàm & alij homines

nes

nes in carne induti vſquè ad finem perſeuerantes, & defuncti, licèt nunc in Limbo detineantur, cum portæ nondum ſint apertæ, citò aperiendæ per paſſionem meam, ſunt ingreſſuri; ſi quidèm *à diebus Ioannis Baptiſtæ* primi præconis regni cæleſtis (laudat Ioannem ex officio ſuæ prædicationis) *regnum cælorum vim patitur*, quia multò plures quàm anteà contendunt intrare per anguſtam portam; & ſic vim inferunt regno per pœnitentiam, quam prædicauit Ioannes, *& violenti*, fortiores in fide charitate veſtita, *rapiunt illud*, rapiunt perſiſtentes in violentia, vtitur hoc verbo eidem accommodato, *vel rapiunt*, quia eſt occupantium, cum Deus ſic illud expoſuerit; Vel quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. *Omnes enim Prophetæ, & lex vſquè ad Ioannem prophetauerunt, &c.* probat Ioannis magnitudinem, quia ipſi hoc reſeruatum; nullus enim antè ipſum illud prædicauerat, ergò ipſe maior cæteris; & hinc laus magna Ioãnis, qui etiàm corda hominum ſua prædicatione inflammauerit ad regnum capeſſendum. *Lex, & Prophetæ vſquè ad Ioannem*. Viguit lex, & vetus teſtamentum, prophetiæ de Meſſia, non quòd in lege Euangelica nulli Prophetæ; nàm de his Paulus. 1. Cor. 12. & ibi omnes; *lex, & Prophetæ vſquè ad Ioannem* de Meſſia venturo, at Ioannes de extantibus, de Meſſia præſente, de regno cælorum, quod lex, & Prophetæ venturum annunciarunt; ſic. Luc. 16. 16. ideò tùnc antè illum nulla vis, raptus, vel parua, vndè *& ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt* antè Meſſiam in primo aduentu, cui hęc incumbunt. *Qui habet aures audiendi, audiat*, ſic cum de re graui agat, ex quibus apparet quomodò Elias pręcedat, vt dixerat, & ſi hęc de illo, quomodò de ſuſpecto, vel dubio? abſit, *& omnis populus audiens, & publicani iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis, Phariſæi autèm, & legis periti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo*; hinc eos interrogauit, baptiſmus Ioannis vndè erat, vt illos conuinceret. *Cui autèm ſimilem æſtimabo generationem iſtam? ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt. Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus, & non planxiſtis*; ſic Laban nolens ſtare conuentis cum Iacob circà oues albas, & varias. Geneſ. 31. 8. *Venit enim Ioannes nequè manducans, nequè bibens*, in multa abſtinentia inimitabili, *& dicunt: dæmonium habet*, in virtute dęmonis hoc facit, non quòd à dęmone poſſideretur. *Venit filius hominis*, ego, *manducans, & bibens*, vitam communem ſeruans, ne deterreantur à conſecutione regni cæleſtis ex vita Ioannis ferè inimitabili, ſe ipſum in exemplum prodit imitatione facilem; datus enim fuit Chriſtus in exemplum, quod omnes poſſent, ſi vellent, imitari, quod non in Ioanne, qui vitę tantùm ſanctitate Domino famulaturus abſquè miraculo obſequium illud pręſtare debuit; ſed vide hic recentiores: *Et dicunt: ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus*, ità vt velit dicere, generatio hęc nulli adhæſit, nec Ioanni, nec mihi, ex proprio capite, & ceruice dura incedens. *Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis* huius generationis in pręcedenti dicto, quia proùt ſodales cantui, vel luctui non correſpondentes coęqualium reprehenſi, ſic generatio hęc Ioanni prędicanti, exemplum arctę vitę danti; mihi Meſſię vitam communem eligenti non credens, qui intellectus fulcitur ſequentibus verbis exprobratorijs. *Tùnc cœpit exprobrare Ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius*, miracula, *quia* illis viſis *non egiſſent pœnitentiam*, nequè illum recepiſſent; proùt debuerant, ideò enim illum manifeſtabat Ioannes, & pœnitentiam prędicabat. *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone* vrbibus Ethnicorum *factæ eſſent virtutes*, miracula, *quæ factæ ſunt in vobis, olim*, à multo tempore, *in cilicio, & cinere* quaſi noui Niniuitę, *pœnitentiam* aſperam egiſſent. *Veruntamèn dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſſiùs erit in die iudicij* vniuerſalis, & particularis, *quàm vobis*, quia illę ignorauerunt, quod vos audiſtis, & vidiſtis. *Et tu Capharnaum, nunquid vſquè in Cælum exaltaberis?* tuis mercimonijs, tua ſuperbia? proùt Iſai. 14. & 23. 8. & Ierem. 22. 23. vel potiùs

exaltaberis, ſeù exaltata es iuxtà Lucam præſentia mea, doctrina, miraculis; nequaquàm dico tibi, *vſquè in infernum deſcendes*, demergeris, ratio, *quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes*, miracula, *quæ facta ſunt in te*, electa ad incolatum meum, & legis meæ, & mei promulgationem, *fortè manſiſſent vſquè in hanc diem*, non eſſent deſtructæ Ciuitates illæ, quia his ſignis motæ ad pœnitentiam cucurriſſent. *Veruntamèn dico vobis, quia terra Sodomorum*, Sodomitis, *remiſſius erit in die Iudicij, quàm tibi*, quæ habuiſti, & vidiſti, quæ illi non habuerunt, aut viderunt; ſic exprobrat Deus beneficia Dauid per Nathan, Sauli per Samuelem peccantibus, diſplicet enim ei ingratitudo, vt in nouem leproſis, & in ſeruo non dimittente conſeruo. Puto hæc hic, & Luc. 10. dici ad indicandam malitiam præſentium impiorum ex comparatione antecedentium, quorum impietas nota erat, proùt prouerbialitèr ſolemus ſic dicere, nec aliud intendi, præſertìm quòd ſic futurum fuiſſet: vndè nihil expiſcandum ſupèr verbo *fortè* in Matthæo, vel alio, quia non credo voluiſſe quidquàm affirmare. *In illo tempore reſpondens Ieſus dixit*, Lucas verò *in ipſa hora exultauit Spiritu ſancto, & dixit, Confiteor*, laudo, magnifico, *tibi Pater, Domine Cæli, & Terræ*, in cuius ditione vniuerſa ſunt poſita, *quia abſcondiſti hæc* magna, cæleſtia, myſterijs plena, neceſſaria, regnum cæleſte, & vitam æternam concernentia *à ſapientibus, & prudentibus* huius mundi, Phariſæis, Scribis ſuperbis, nec Ioanni, nec mihi hærentibus; ſic & Paulus. 1. Cor. 2. *& reuelaſti ea paruulis*, humilibus; ſic Petro: caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis; ſic ſuprà, pauperes euangelizantur, non ſunt hæc verba exultantis, quia abſcondita hæc à prudentibus, & ſapientibus, ſed conformantis ſe cum voluntate diuina, ſunt etiàm ad modum mirantis, proùt verè admirabatur Paulus, dicens: O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, &c. Rom. 11. 33. itá rectè *Pater quoniam ſic fuit placitum antè te*, tibi, in conſpectu tuo, ab æterno ſic ſtatuiſti, ſinè tuo enim beneplacito nihil fit. At poterant dicere, quibus non erant reuelata, ad quem ibimus, Patrem hunc tuum ignoramus; ſic Philippus: oſtende nobis Patrem, ideò ſubdit de æqualitate ſua cum Patre, vt ſciant ad ipſum accurrere debere pro reuelatione huiuſmodi, quaſi diceret, in promptu habetis reuelantem. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, quidquid ergò poteſt Pater, poteſt & Filius illi æqualis, *& nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*; ſed cur hoc? ſtatne vita æterna, vel abſcondita hæc in huiuſmodi cognitione? ſinè dubio. Ioan. 17. in oratione ad Patrem. Pater, clarifica filium tuum, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam, ſubdit, hæc eſt autèm vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, & reuelatio Petri fuit, tu es Chriſtus Filius Dei viui. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis* iugo legis Moſaycæ, quia vice illius meam ſubrogo, *& ego reficiam vos*, illuſtrabo, recreabo vos, quia ſum lux mundi, & ſic inuitat, & offert ſe promptum reuelationi, & quàm facilè poſſint hæc conſequi, & regnum æternum adipiſci, oſtendit. *Tollite iugum meum ſupèr vos* vice illius iugi duri, quod Petrus dicit, neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſeruate mandata mea, *& diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, & in hoc me imitemini exemplar veſtrum, quia his mitibus, & humilibus fit reuelatio; *& inuenietis requiem animabus veſtris*, ſpiritu Domini ſupèr humiles quieſcente, replebimini. *Iugum enim meum*, non durum, non aſperum, ſed *ſuaue eſt, & onus meum*, legis meæ *leue*, quia omnia in charitate fundantur, charitas autèm benigna eſt, patiens eſt, &c. Vult ergò dicere Chriſtus, remedium eſt præſens, ego, qui loquor vobis; nàm *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & per me hæc apprehendere poteſtis; & regno potiri. Suppoſita potentia, ſiuè ea ſit per generationem æternam, ſiuè vti homini communicata, crederem parùm differre, cum adſit communicatio idiomatum quòad reuelandum, & ideò etiamſi agatur de reuelatione, ſeù illuſtratione interiori, vtroque modo procederet, & ſic fortè meliùs accomodabi-

dabitur ſermoni Chriſti, modò in perſona diuina, modò humana loquentis; diuina quidèm, *nemo nouit Patrem, &c. venite ad me omnes*, ſi de requie ęterna intelligantur, humana, *diſcite à me*, cum ſit datus pro exemplari, quod imitemur, & in quod reſpiciamus.

CAPVT XLVIII.

DE CONVERSIONE MAGDALENAE.

Luc. 7.

36 R*OGABAT autèm illum quidam de Phariſæis, vt*
manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi
37 *diſcubuit. * Et eccè mulier, quæ erat in ciuitate pec-*
catrix, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phari-
38 *ſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: * & ſtans retrò ſe-*
cùs pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & ca-
pillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius,
39 *& vnguento vngebat. * Videns autèm Phariſæus, qui vocauerat eum,*
ait intrà ſe, dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtiquè, quæ, & qualis eſt mu-
40 *lier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt. * & reſpondens Ieſus, dixit ad illum:*
41 *Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. * Duo debitores erant*
cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.
42 ** Non habentibus illis vndè redderent, donauit vtriſque. * Quis ergò eum*
43 *plus diligit? * Reſpondens Simon dixit: Aeſtimo quia is, cui plus donauit. At*
44 *ille dixit ei: Rectè iudicaſti. * Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vi-*
des hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti:
45 *hæc autèm lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. * Oſculum mihi*
46 *non dediſti: hæc autèm ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos. * Oleo*
47 *caput meum non vnxiſti: hæc autèm vnguento vnxit pedes meos. * proptèr*
quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniàm dilexit multùm. Cui
48 *autèm minus dimittitur, minus diligit. * Dixit autèm ad illam: Remittuntur*
49 *tibi peccata. * Et cœperunt qui ſimùl accumbebant, dicere intrà ſe: Quis eſt*
50 *hic, qui etiàm peccata dimittit? * Dixit autèm ad mulierem: Fides tua te ſal-*
uam fecit: vade in pace.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

R*OGABAT autèm illum quidam de Phariſæis* incertus, *vt manducaret cum illo*, inuitabat illum ad cõuiuium, *& ingreſſus domũ Phariſæi*, ſciens quid venaretur, *diſcubuit*, *& ecce mulier, quæ erat in Ciuitate* (quæ Ciuitas, incertum, etſi per antonomaſiam Ieruſalem, ſed non in Ieruſalem conuiuium, quia in ea non legitur diuertiſſe in domum Phariſæorum, vel aliorum Principum) *peccatrix* in impudicitia, ſeù carne propria, quod eſt frequentius peccatum in mulieribus, *vt cognouit, quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi* (iàm erat vulnerata, & amore languebat, & obſeruabat quò amantem conueniret) *attulit alabaſtrum*, vas vnguenti ad illum vngendum more conuiuantium. *Et ſtans retrò*, quia non erat alius ſitus pedes rigandi lacrymis, extergendi, & vngendi, cum in triclinio accumberet, *ſecùs pedes eius* Ieſu recumbentis, *lacrymis*, ad peccatorum remiſſionem ſolùm iuuantibus, *cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui* fœminis caris nõ habens quod videretur dignius, & aptius huic actui, *tergebat* illos, & *oſculabatur pedes eius* ex vehementi charitate, qua in illum afficiebatur, *& vnguento vngebat*, hæc officia charitatis præſtabat illa, pedes vnxit, quia humilis, & contrita; pedes enim pars vilior; vndè Abigail, vt lauem pedes ſeruorum Domini mei, non caput; quia nec fortè id muliebre officium cum viro, ideò in Cœna in Bethania non dicitur vnxiſſe caput, ſed effudiſſe ſupèr caput eius recumbentis. *Videns autèm Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intrà ſe dicens*, & malè iudicans, vereor ne alius Simon hic à leproſo, tùm quia leproſus non ſic temerè iudicaſſet de illo, quem expertus erat, vt indiguiſſet ſanari parabola, tùm quòd Euangeliſta dicens, *quidam Phariſæus rogabat*, non videtur loqui, niſi de ignoto, ſicùt quandò de cognito, cum eſſet in domo Simonis leproſi ad Matthæũ, & Marcum, nequè regio hìc videtur Bethania ex concordia. *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtiquè, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*, decipitur Deum non cognoſcens, nec prophetam reputans, decipitur etiàm, quia nequè prophetis omnia reuelantur, nàm Eliſæus dicit de filio hoſpitæ mortuo, Dominus celauit à me. 4. Reg. 4. *& reſpondens Ieſus*, & Deum ſe demonſtrans ſolum cordium ſcrutatorem cordi Phariſæi, *dixit ad illum, Simon, habeo tibi aliquid dicere*, vt reſipiſcas, *at ille ait, Magiſter, dic. Duo debitores*, ſanat Phariſæum parabola, proùt Nathan Dauid expergiſcens eum, *erant cuidam fœneratori*, creditori: *vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vndè redderent*, ſic & Matth. 18. hi cum ſoluendo non eſſent, *donauit vtriſquè, quis ergò eum plùs diligit* ex illis? *reſpondens Simon, dixit, æſtimo quia is*, plus diligit, *cui plùs donauit; at ille dixit ei, rectè iudicaſti, & conuerſus ad mulierem*, ne putaret Phariſæus eam ſpernere, vel non ſentire obſequia, *dixit Simoni: Vides hanc mulierem* obſequentem, & amantem? *Intraui* ego *in domum tuam*, vocatus, *aquam pedibus meis non dediſti*, vt lauarer iuxtà morem; *hæc autèm lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis* mulieribus caris *terſit* (quomodò numerat omnia Ieſus, & ſibi cara, & grata aſſerit, vt tollat quod in corde conceperat malè Phariſæus) *oſculum mihi* intranti *non dediſti, hæc autèm ex quo intrauit, non ceſſauit* ex nimio amore (cuius ſigna, oſcula) *oſculari pedes meos, oleo caput meum* nobilius *non vnxiſti* de more conuiuantium, *hæc autèm* non oleo, ſed *vnguento*; non caput, ſed *vnxit pedes meos* infirmiores, & lutoſos. *Proptèr quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniàm dilexit multùm, cui autèm minus dimittitur, minus diligit*, ex menſura igitur amoris fit remiſſio; *dixit autèm ad illam, remittuntur tibi peccata tua*, vt tutam reddat, *& cœperunt qui ſimùl accumbebant*

dicere intrà ſe: quis eſt hic, qui etiàm peccata dimittit? quod eſt ſolius Dei. Deum ergò non cognoſcebant. ***Dixit autèm ad mulierem: fides tua te ſaluam fecit***, iuſtificauit te, iuſtificati igitur ex fide. Rom. 5. ***vade in pace***, tranquillo eſto animo, iàm abſoluta à vinculis; neceſſe fuit Dominum eam dimittere, vt certa fieret remiſſionis peccatorum; ſed quæ mulier, tota in ſilentio, murmurat Phariſæus contrà illam in corde, arguitur à Chriſto mediante parabola, loquitur Chriſtus, murmurant accumbentes, illa ſilet, tota intenta remiſſioni, ſed felix, quæ tantum inuenit aduocatum.

Quæritur an idem actus, remiſſio hìc facta peccatorum, & eiectio ſeptem dæmoniorum, de qua per Marc. 16. Luc. 8. Aliqui cap. 8. in Luc. cenſent pòſt eiectionem pœnituiſſe, & remiſsionem obtinuiſſe; at Chriſtus liberando corpus, & animam liberabat. Prætereà quandò adit Chriſtum, videtur ei incognita, quòd ſi eiectio dæmonum præceſsiſſet, aliqua fieret mentio, vel non ageretur de ea quaſi incognita, dicit enim Euangeliſta, ***vt cognouit quia Ieſus***, & Phariſæus, ***ſciret vtiquè***, &c. Sed quomodò erat peccatrix à dæmone obſeſſa, quę fuiſſet horrori conuerſantibus ſecum? & quomodò liberata ſemèl à dæmone, reuerſa eſſet ad vomitum, nouum ingreſſum dæmoni datura, vt in hiſtoria dæmoniaci muti? Alij pro dæmonijs vitia intelligunt, ſed à Marcus, & Lucas ſpecificè, à qua ſeptem dæmonia exierant, & quod plùs eſt, Lucas præmittit, curatæ à ſpiritibus immundis, poſteà ſubdit de Maria Magdalena ſpeciatim. Vel igitur dicendum remiſsionem peccatorum, & eiectionem dæmonum eamdem fuiſſe, ſi enim hæc ſeparata fuiſſent, proùt ſit mentio remiſsionis, ſic facta eſſet eiectionis, quæ erat memorabilis, & cum tempus huius ignoremus, congruum videtur hæc duo annectere, præſertìm quia dæmonia fortè erant occulta; hincquè liberè conuerſabatur, & quia occulta, nulla facta ſit mentio temporis, & modi in illis eijciendis. Vel ſi tenenda eſt opinio recentiorum d. cap. 8. dicendum eſt eiectis dæmonijs, fuiſſe etiàm à peccatis liberam, & acceſsiſſe gratias acturam, beneficium recognituram, & verba Chriſti ſignificaſſe, quod iàm præceſſerat, nempè & remiſsionem peccatorum, vt illi innoteſceret, & tuta, & pacifica quieſceret etiàm quòad peccata. Licèt his obſtent verba Euangeliſtæ (***quæ erat in Ciuitate peccatrix***) quæ præſens tempus, non præteritum videntur indicare; niſi dicamus eum loqui iuxta communem reputationem præcedentem; quarè tenendum eodem tempore eiecta dæmonia, remiſſa peccata, Chriſtumquè notificare quod pręceſſerat, quia ex antecedenti cõtritione remiſſa erant. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei: & Dauidi dicenti, Peccaui, & Dominus tranſtulit ab eo peccatum: filius prodigus, Ibo, & dicam: Pater peccaui, & dicenti non reſpondetur, ſed ad oſculum admittitur, & cito iubetur perferri ſtolam: Signa remiſsionis, quæ in ea dilectionem creauit, ſunt quæ dixit Dominus, lotionis pedum cum lacrymis, abſterſionis cum capillis, vnctionis cum vnguento, & oſculorum; hinc Euangeliſta dicit, ***attulit alabaſtrum***, &c. quaſi grata pro remiſsione, & gratia iàm recepta, & contritione, nullus enim teſtis melior conſcientia; & parum refert ipſam ignotaſſe, antequàm Chriſtus pronunciaret, quia ſpiritus vbì vult ſpirat, & neſcis quò vadat, aut vndè veniat; ideò non concludit, remiſſa non fuiſſe antè actus huiuſmodi pœnitentiæ exteriores, quia iàm interiores ſufficientes præceſſerant, & deindè Deus voluit hos actus exteriores elicere ad ſuam gloriam maiorem, & ad maius meritum peccatricis, & iuxtà Sapientem, de peccato reconciliato noli eſſe ſecurus. Non etiàm obſtat, Chriſtus dicendo mulieri, ***remittuntur tibi peccata tua***, loquitur de præſenti, quod & adſtantes intellexerunt, vt enim dixi, id factum ad declarationem præcedentium, quæ alij ignorabant, & ſinè Dei reuelatione ſcire non poterant, & tàm remiſſio in illo inſtanti, quàm declaratio remiſſorum itidèm declarabant eum remiſſorem, & ab vtroquè poterant vniformitèr adſtantes moueri ad cogitationem, ***quis eſt hic, qui etiàm peccata dimittit?*** præſertìm ex parabola, & alijs circumſtantijs: quarè concludo hunc intellectum admodùm conuenire.

An autèm remiſſa eſſet & pœna? probabiliùs eſt omnia remiſſa, cum abſolutè locutus ſit, *remittuntur ei, remittuntur tibi*, cur enìm anguſtamus beneficia Domini liberalis? & in peccatrice, quæ non habuit ſimilem, nec ſequentem, cum non legatur de alio accedente ad Ieſum, vt peccatorum reciperet remiſſionem, licèt quidam quomodò vitam æternam poſſeſſuri interrogauerint, & quæ ſingularis eſt exempli, vt à Domino meruerit coràm laudari, quod & fuit ſignum illius magnæ confirmationis in gratia, & perfectionis, vltrà quòd Chriſtus non eſſet paſſus ſic contrectari manibus, & ore, niſi à pura, & innocente. Sed an pœna remiſſa in remiſſione peccatorum, dum contrita, an nunc quandò acceſsit, & hos fecit actus? dicerem tùnc, ſed ſi vis alio modo, non abnuo, & hoc caſu verificarentur verba, *remittuntur tibi*, quòad pœnam, & operarentur certitudinem in ea, etſi magìs placet primus intellectus. Sed cur Lucas non nominat hanc peccatricem, Magdalenam? ne illam infamet; (ſic ſecundùm aliquos, quod ſuo loco oſtendimus firmum non eſſe) eadem de cauſa, nequè alij Euangeliſtæ Matthæum publicanum, ſed Leui dixerunt, & fortè eadem de cauſa in vnctione in Bethania Matthæus, & Marcus eam non nominant, ne deprehendatur illa, quæ à Luca dicitur peccatrix, quamuis Ioannes alio reſpectu eam nominet, & ſi illam non nominaſſet, adhùc hæſitaremus quæ illa fuiſſet, & non niſi ex ſepulchri mentione, & memoria illius facienda, proùt Chriſtus prædixit eam cognoſceremus; non tamèn tacent eam à dæmonijs liberatam, quia id contingere potuit etiàm peccanti leuitèr, vel quandò ad Crucem, ad ſequelam Chriſti, ad vnctionem in ſepulchro fiendam: Vel Ioannes prodidit Magdalenam, & Petrum percuſſorem ſerui Pontificis, quia iàm defuncti, & ſanctitas, & conuerſio eorum nota erat mundo, quandò Euãgelium ſcripſit.

Ex quibus etiàm collige vnã eſſe Magdalenam nominatam vnctricem, peccatricem, dæmoniacam, in quam omnia predicta concurrunt, vt alia diuerſa dari nequeat, præſertim quandò non nominatur. At clariùs deducitur vnicam fuiſſe Mariam Magdalenam in Euangelio, non plures. Nàm quæ à Marco cap. 16. 9. nominatur Maria Magdalena, de qua eiecerat ſeptem dæmonia, & à Luca cap. 8. 3. de qua ſeptem dæmonia exierant, eſt vna, & eadem ex identitate nominis, cognominis, qualitatis, numeri dæmoniorum. Hæc olim arreptitia eſt eadem, quæ ſequebatur Dominum. Ex Luca cap. 8. 3. quæ ſequax Chriſti nominatur etiàm à Matthæo. cap. 27. 55. Marc. cap. 15. 40. Luc. cap. 23. 49. 55. & c. 10. 40. Hæc dæmoniaca, & ſequax Chriſti eſt eadem, quæ vnxit Dominum in Bethania antè mortem, innominata apud Matthæum. cap. 26. 6. Marcum. cap. 14. 3. Sed in eadem vnctione ſatis conformi nominata à Ioanne. cap. 11. 2. 12. 3. Quia quã dicit Ioannes Mariam in illis duobus capit. ſororem Marthæ, & Lazari, & Lucas ſororem Marthæ nominat. cap. 10. 38. & qualificat his verbis, ſinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. cap. 12. 8. quaſi tùnc non vnctura, & Matth. 26. 12. mittens enìm hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit, & Marc. 14. 8. prȩuenit vngere corpus meum in ſepulturam, conſtat illam fuiſſe Mariam Magdalenam aggreſſam fruſtrà vngere corpus, quod iàm reſurrexerat, itèm illam, quæ in toto mundo prædicatur, quod prædixit Chriſtus, vt apud Matthæum, & Marcum ibidèm. & ſi velis eſſe diſtinctam vnctionem Matthæi, & Marci ab vnctione Ioannis, quod infrà diſcutio, ſeruiet tamèn in argumentum efficax, & qualitas memoriæ ſubſiſtit in vtraquè, quæ ſufficit ad cognitionem Mariæ Magdalenæ vbiquè vngentis. Itèm ſequax illa, & vntrix eſt eadem, quæ adſtitit Cruci. Matt. cap. 27. 55. Marc. 15. 40. Luc. 23. 49. Io. 19. 25. obſeruauit vbi corpus poneretur. Matt. 27. 61. Marc. 15. 47. Luc. 23. 55. parauit vnguenta. Luc. 23. 56. ad ſepulchrum accurrit. Matth. 28. 1. Marc. 16. 1. 9. Luc. 24. 1. 10. Io. 20. 1. 11. ſȩpiùs ad pedes Chriſti proſtrata, dum orauit pro Lazaro. Io. 11. 2. & 32. & cap. 12. 3. Luc. 10. 39. hæc enìm omnia connexa, & correſpectiua; ergò à primo ad vltimum probatur vnicam Magdalenam euangelicam, præſertim quia non præſumitur pluralitas, & dicenti de illa incumbit probatio, eò magis nominis, cognominis, &

nis, & aliarum qualitatum identitate concurrente. Reſtat tenenti plures fuiſſe Marias Magdalenas adſtruere ſibi vnam ex ſuo capite innominatam apud Lucam.cap.7.37. alias enim omnes in vnam collegimus, ſed neſcio vndè nomen illi proferet, nos autèm dicimus eamdem eſſe, quia ſicuti ibi nominatur peccatrix, ità hìc dæmoniaca; & ex frequentia vnctionis, lotionis, terſionis pedum, quos & tenuit pòſt reſurrectionem, quæ ergò peccatrix, & vnctrix, dæmoniaca, ſequax, cruci adſtans, ſepulchro, reſurgenti eadem vna Maria Magdalena.

Sed an vnctio. Luc.7.36. ſit eadem cum alijs, vel diſtincta? puto diſtinctam, quia in domo Phariſæi rogantis, illa ſtetit retrò ſecùs pedes, lacrymis rigauit, oſculata eſt, ſcandalum Phariſæi, parabola, remiſsio peccatorum, quæ non in alijs; præterea neceſſe fuit ſi peccatrix, ſi dæmoniaca, & ea ſequax Chriſti, vt præcederet pœnitentia, & hæc ſola ibi apparet, aliæ enim vnctiones ad finem vitæ Chriſti referuntur, pòſt quas non daretur ſequela. Sed an eadem vnctio. Matth.26.6.& Marc.14.3.quę Io.12.? Concordant, quia ambæ in Bethania, mentio pauperum in ambabus: diſcordant, quia prima biduò antè paſcha, ſecunda antè ſex dies Paſchæ: prima in domo Simonis leproſi: ſecunda indefinitè, fecerũt ei cœnam ibi, quia Martha miniſtra, Lazarus diſcumbens videtur in domo Lazari: in prima nulla mentio Marthæ: in ſecunda ſecùs: in prima dicitur mulierem acceſsiſſe, & veniſſe: in ſecunda Maria accepit, quaſi ibi manens: in prima habens alabaſtrum vnguenti pretioſi: in ſecunda libram vnguenti nardi piſtic precioſi: in prima fracto alabaſtro: in ſecunda non: in prima effudit ſupèr caput ipſius recumbentis: in ſecunda vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti: in prima omnes diſcipuli murmurant: in ſecunda ſolus Iudas: in prima dicitur de memoria huius facti futura: in ſecunda nihil. Poſſunt omnia concordari de facili, ſupplendo ex vno Euangeliſta quod in alio deeſt, & vnctio potuit fieri, & etiàm effuſio; ſed illud vnum me torquet, domus ſcilicèt, in qua non inuenio quomodò eas vniam, vt quæ domus Simonis leproſi, eadem ſit Lazari, & ſororum, niſi dicamus eos cohabitaſſe in eadem domo in diſtinctis partibus, & thalamis, & cœna fuerit communibus expenſis facta; Vel quòd verba *fecerunt ei cœnam* ibi indefinita non referantur ad Martham, Mariam, vel Lazarum, ſed intelligantur ibi in Bethania, in domo verò Simonis leproſi, iuxtà alios Euangeliſtas, quod & veriſimilius, quia ſi in domo propria, non explicaretur, & *Martha miniſtrabat*, quod alibi alia de cauſa dictum, neque quòd Lazarus eſſet vnus ex diſcumbentibus, hæc enim duo videntur excludere, quòd in domo eorum cœna fieret, & poſtquàm habemus clarè ex alijs vbi facta, videtur illis ſtandum, omiſſo Ioanne, qui non meminit domus. ad tempus verò dicerem, Matthæum, & Marcum inſerere factũ illud in capitibus illis per recapitulationem, quod tamèn primò euenerat iuxtà Ioannem, vel dic vt in illis locis.

CAPVT XLIX.

DE MVTO DAEMONIACO SANATO, ET BLASPHEMIA.

Matth. 12.

22 TVNC oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus,
23 & curauit eum ita vt loqueretur, & videret. * Et ſtu-
pebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt Fi-
24 lius Dauid? * Phariſæi autèm audientes, dixerunt: Hic
non eijcit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.
25 * Ieſus autèm ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne
regnum diuiſum contrà ſe, deſolabitur: & omnis ciuitas,
26 vel domus diuiſa contrà ſe, non ſtabit. * Et ſi Satanas Satanam eijcit, aduer-
27 ſus ſe diuiſus eſt: quomodò ergò ſtabit regnum eius? * Et ſi ego in Beelzebub eijcio
28 dæmones, filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt. * Si autèm
29 ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei, * aut quo-
modò poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius
30 alligauerit fortem? & tùnc domum illius diripiet. * Qui non eſt mecum, contrà
31 me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit. * Ideò dico vobis: Omne pecca-
tum, & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autèm blaſphemia non remit-
32 tetur. * Et quicumquè dixerit verbum contrà Filium hominis, remittetur ei:
qui autèm dixerit contrà Spiritum ſanctum, non remittetur ei, nequè in hoc ſæ-
33 culo, nequè in futuro. * Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum:
aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidèm ex fructu arbor
34 agnoſcitur. * Progenies viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cum ſitis ma-
35 li? ex abundantia enìm cordis os loquitur. * Bonus homo de bono theſauro profert
36 bona: & malus homo de malo theſauro profert mala. * Dico autèm vobis quo-
niam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo
37 in die iudicij. * Ex verbis enìm tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemna-
38 beris. * tùnc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis, dicentes: Magiſter,
39 volumus à te ſignum videre. * Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, &
adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ.
40 * Sicùt enìm fuit Ionas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit
41 Filius hominis in corde tèrræ tribus diebus, & tribus noctibus. * Viri Niniuitæ
ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœniten-
42 tiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic. * Regina au-
ſtri ſur-

ſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à fi-
43 *nibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic.* * *Cum*
autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens re-
44 *quiem, & non inuenit.* * *Tùnc dicit: Reuertar in domum meam, vndè exiui.*
45 *Et veniens inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam.* * *Tùnc*
vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habi-
tant ibì: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & genera-
46 *tioni huic peſſimæ.* * *Adhùc eo loquente ad turbas, eccè mater eius, & fratres*
47 *ſtabant foris, quærentes loqui ei.* * *Dixit autèm ei quidam: Eccè mater tua, &*
48 *fratres tui foris ſtant quærentes te.* * *At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt*
49 *mater mea, & qui ſunt fratres mei?* * *Et extendens manum in diſcipulos ſuos,*
50 *dixit: Eccè mater mea, & fratres mei.* * *Quicumque enìm fecerit voluntatem*
Patris mei, qui in cælis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Marc. 3.

20 *ET veniunt ad domum, & conuenit iterùm turba, ità vt non poſſent nequè*
21 *panem manducare.* * *Et cum audiſſent ſui exierunt tenere eum: dicebant*
22 *enìm: Quoniam in furorem verſus eſt.* * *Et Scribæ, qui ab Ieroſolymis deſcen-*
derant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum
23 *eijcit dæmonia.* * *Et conuocatis eis in parabolis dicebat illis: Quomodò poteſt Sa-*
24 *tanas Satanam eijcere?* * *Et ſi regnum in ſe diuidatur, non poteſt regnum illud*
25 *ſtare.* * *Et ſi domus ſupèr ſemetipſum diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare.*
26 * *Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare,*
27 *ſed finem habet.* * *Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi prius*
28 *fortem alliget, & tùnc domum eius diripiet.* * *Amen dico vobis, quoniàm om-*
nia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerint:
29 * *qui autèm blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in*
30 *æternum, ſed reus erit æterni delicti.* * *Quoniàm dicebant: Spiritum immun-*
31 *dum habet.* * *Et veniunt mater eius & fratres: & foris ſtantes miſerunt ad*
32 *eum vocantes eum,* * *& ſedebat circà eum turba: & dicunt ei: Eccè mater tua,*
33 *& fratres tui foris quærunt te.* * *Et reſpondens eis, ait: Quæ eſt mater mea, &*
34 *fratres mei?* * *Et circumſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant, ait: Eccè ma-*
35 *ter mea, & fratres mei.* * *Qui enìm fecerit voluntatem Dei, hic frater meus,*
ſoror mea, & mater eſt.

Luc. 11.

14 *ET erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eieciſſet dæmonium,*
15 *locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* * *Quidam autem ex eis di-*
16 *xerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* * *Et alij tentantes,*
ſignum

17 *ſignum de cælo quærebant ab eo. * Ipſe autèm vt vidit cogitationes eorum, dixit*
eis: Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſuprà domum ca-
18 *det. * Si autem & Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodò ſtabit regnum eius?*
19 *quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia. * Si autèm ego in Beelzebub eijcio*
20 *dæmonia: filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt. * Porrò ſi*
21 *in digito Dei eijcio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei. * Cum for-*
22 *tis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. * Si autèm for-*
tior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confide-
23 *bat, & ſpolia eius diſtribuet. * Qui non eſt mecum, contrà me eſt: & qui non*
24 *colligit mecum, diſpergit. * Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambu-*
lat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in do-
25 *mum meam, vndè exiui. * Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, &*
26 *ornatam. * Tùnc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, &*
27 *ingreſſi habitant ibì. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. * Fa-*
ctum eſt autèm, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba di-
28 *xit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. * At ille dixit:*
29 *Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. * Turbis au-*
tèm concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum
30 *quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. * Nam ſicùt fuit*
31 *Ionas ſignum Niniuitis: ità erit & Filius hominis generationi iſti. * Regina*
Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia
venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & eccè plus quàm Salomon
32 *hìc. * Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt*
illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & eccè plus quàm
33 *Ionas hìc. * Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, nequè ſub modio:*
34 *ſed ſuprà candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. * Lucerna corpo-*
ris tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum luci-
35 *dum erit: ſi autèm nequam fuerit, etiàm corpus tuum tenebroſum erit. * Vide*
36 *ergò ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. * Si ergò corpus tuum totum lucidum*
fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicùt
lucerna fulgoris illuminabit te.

COMMENTARIVS.

ET *veniunt ad domum, vndè* iàm diſceſſerant, ſolitam habitationem, *& conuenit iterum turba,* quę eum ſequebatur vbiquè; *ità vt non poſſent nequè panem manducare,* adeò grauabantur. *Et cum audiſſent ſui: exierunt tenere eum; dicebant enim: quoniam in furorem verſus eſt,* nec etiàm ſui credebant in eum; & aliàs id contigit. *Tùnc oblatus eſt ei dæmonium habens;* & Lucas. *& erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum; & cum eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ* ad veritatem declinantes, & benè ſentientes. Opinio Abulenſis, quòd obſeſſus eſſet natura,

vel

vel vitio aliquo mutus, & cœcus, non à dæmone, non viderur procedere, quia Scribæ, & Phariſæi calumniabantur eiectionem dæmonis, quòd ſi & ſanitas viſus, & loquelæ interceſſiſſet, aliud ſubiunxiſſent, vel Chriſtus adduxiſſet pro ſe; vltrà quòd Lucas tribuit eiectioni dæmonis loquelam, *& cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus*, inſeparabilitèr enìm loquitur; Matthæus etiàm dicit, *& curauit eum, ità vt loqueretur, & videret*, quaſi conſecutiuè ab eiectione, præſertìm quia ſubdit cauillationem Iudæorum pro eiectione ſola, & experimur quotidiè multos obſeſſos impediri à dæmone, ne loquantur, aut videant. Er ſanctus Hieronymus. Matth. 12. ſe declarat ibì, ſed & quotidiè ab expulſione dæmonis ſucceſſiſſe loquelam, & viſum, quod & ſupèr verbis, *ſi Satanas Satanam*, explicat, & in lunatico infrà dicitur ſpiritum mutum, & ſic taciturnitatem à dæmone procedere. *Quidam autèm ex eis dixerunt* Phariſæi, & Scribæ maligni tacitè murmuranres. *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, idèſt in virtute, non propria, ſed dæmonis hoc facit,non quòd eſſet arreptitius (quod numquàm dixerunr) tribuentes dæmoni, quod tribuendum erar Deo. Magi Pharaonis attribuunt miracula digito Dei, hi diabolo; recognouerunt miracula à Samuele,in Chriſto non ex malitia. *Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo*. de hoc aliàs. *Ipſe autèm vt vidit cogitationes eorum* temerarias, & malignas, quòd ſcilicèt virtute dæmonis eijceret dæmonia,*dixit eis: omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſuprà domum cadet; ſi autèm & Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodò ſtabit regnum eius?* falſum eſt quod dicitis, inquit Chriſtus, nàm regnum diſcors ſtare non poteſt; *ſi ergò Satanas Satanam* inuirum *eijcit*, vnus diſcordabit ab alio,& regnum eius ab ipſis diſſoluetur. *Si* autèm *ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri* exorciſtæ *in quo eijciunt?* abſquè dubio hi virtute diuina, non diabolica; ſi ſic illi; cur ego diuerſimodè? *ideò ipſi iudices veſtri erunt*, condemnabiint vos, idèſt ex eorum facto condemnabimini. *Porrò ſi in digito Dei*,in virtute Dei (dixerunt Magi: digitus Dei eſt hic) ſeù in Spiritu ſancto, iuxtà Matthæum, *eijcio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei*, Meſsias, quia aliòqui non fierent adeò frequentes eiectiones: *cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum,in pace ſunt ea,quæ poſſidet*, non habens contradicentem; *ſi autèm fortior eo ſuperueniens vicerit eum,vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*; vult dicere; dum dæmon non habuit me aduerſarium, ad quem debellandum in mundum veni, ſtetir in pace; cum autèm ſuperueni, vici illum, non eſt ampliùs pacificus; ſed proſtratus, & armis ſpoliatus. Apocal. 20. *qui non eſt mecum*, proùt non eſt diabolus, *contrà me eſt, & qui non colligit mecum*, proùr diabolus, *diſpergit*, faciens contrarium ei, quod ego tento, quod ipſe tentauit in Apoſtolis: Simon, Simon, Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicùt triticum. melius ſtat pro quarta ratione contrà Phariſæorum dictum, quòd in virtute Beelzebub Chriſtus eijceret dæmonia, quam materiam proſequebatur. *Qui autèm dixerit verbum in Spiritum ſanctū*, proùt hoc, tribuere ſcilicèr diabolo, quod ego in diuina virture operor, *non remittetur ei, nequè in hoc ſæculo,nequè in futuro*. numquàm,intellige, niſi cum màxima difficultate, vt tenui in epiſtolis Pauli, Petri, Ioannis, in quibus multa ſimilia. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malā, & fructum eius malum: ſiquidèm ex fructu arbor agnoſcitur*: bonus, vult dicere, eſt fructus eiectio dæmonum; ſi bonus, ergò ego arbor bona producens,non diabolus, qui malus dicitur, nequè concurrit ad bonum vllum; ſi autèm facitis me arborem malam, vndè malus fructus? expulſio dæmonis non eſt. *Progenies viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* vobis conueniunr hæc, qui cum ſitis progenies viperarum,& mali,non poteſtis fructum bonum producere etiàm in loquela, ſed calumniatis verbis veſtris miracula mea; *ex abundantia enìm cordis os loquitur*, effunditis venenum, quod intùs habetis. *Bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala*; vos intrà conſeruatis in corde veſtro malum theſaurū,ideò mala hæc effunditis. *Dico autèm*

vobis

Digitized by Google

vobis quoniã, nedum de adeò graui peccato in Spiritum ſanctũ per vos patrato, ſed *omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij, ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, ideò (vult dicere) videte quid dicatis, quæ verba proferatis, ne in iudicio condemnemini. *Tùnc reſponderunt ei quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre.* quia dixerat, *profectò peruenit in vos regnum Dei*, & ſuſpicati ſunt ipſum ſe Meſſiam facere, ideò audactèr petunt ſignum aliquod extraordinarium, viſis non contenti; *qui reſpondens, ait illis: generatio mala, & adultera*, ſolita dimittere virum ſuum, Deum ſuum, & idòlis hærere, *ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*, ex quo conuertantur tandèm, quia ſicùt Niniuitæ, audito miraculo Ionæ, conuerſi ſunt; ſic multi Iudæorum morte Chriſti, & reſurrectione viſa, & audita; *ſicùt enim fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis* pòſt mortem ſuam in *corde terræ*, in infernis, *tribus diebus, & tribus noctibus*; hoc fuit illuſtriſſimum, & veriſſimum ſignum diuinitatis ſeipſum ſuſcitarè propria virtute diuina, quod & eijciens vendentes, & ementes in templo propoſuit, ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, quod & eidem obiecerunt coràm Caipha, & improperabant ſub Cruce. *Viri Niniuitæ*, Ethnici, *ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*, ad pœnitentiam eos inuitantis ex prædictione malorum; *& ecce plusquàm Ionas hìc* pœnitentiam vobis Iudæis prædicans, regna dans, Meſſias, & non conuertimini. *Regina Auſtri* gentilis, *ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit* mulier, & Regina *à finibus terræ audire ſapientiam* humanam *Salomonis, & ecce plusquàm Salomon hìc*, imò vera ſapientia increata, & eum nec auditis, nec attenditis. Niniuitæ, & Regina non condemnabunt, non ſurgent, quia non hi Iudices, ſed vel horum exemplo confundentur, vel nunc admonentur, vt horum exemplo reſipiſcant; ſed quomodò pluſquàm Ionas, pluſquàm Salomon? ob miracula, ſigna, doctrinam, & hæc omnia manifeſta. Subdit Lucas. *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, nequè ſub modio, ſed ſuprà candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant*, quaſi velit dicere, ſic omnia mea manifeſta, quia ad hoc veni in mundum, vt illum illuminem, & propterea miraculis, & doctrina me manifeſto; vel prætulerat Chriſtus generationi huic pœnitentes Niniuitas, Reginam Sabam ad Salomonem accedentem; poterant hi dicere, cur nobis lege Moyſis vtentibus, de populo Dei, ſacrificijs iugitèr inſiſtentibus, & alia opera bona facientibus, hos præfers gentiles his deficientes? reſpondet huic obiectioni tacitæ Chriſtus, bona veſtra opera non apparent, appatitura ſi extarent, & in lucem eruptura, nàm lampas, ſeù candela accenſa non abſconditur, vel ſub vaſe ponitur, ſed ſupèr candelabrum, vt lucem prodat ingredientibus, quod in vobis non dignoſcitur, imò contrarium veſtris propoſitionibus falſis me dæmones virtute dæmonis eijcere, & hoc non prouenit, niſi à mente veſtra deprauata, quæ eſt lucerna hominis ſpiritualis, proùt oculus corporis; quòd ſi ea recta, & ſimplex, & à paſſionibus libera eſſet, actiones etiàm veſtræ lucidæ forent, recte, exemplares, velut lux oculi totum corpus illuminans, & dirigens, ſed cum ea rea ſit, & nequam, ità omnes actiones veſtræ obſcuræ ſunt, & tenebroſæ, velut deprauata luce oculi corporalis, totum corpus obtenebreſcit; vitio detecto; docet quomodò tollatur, ſubdens, *vide ergò, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*, enitimini igitur, ne id quod in vobis lux eſſe debet, quæ eſt mens, cor, & intentio, fiant tenebræ, has potiùs eijcite, vt lumen reſurgat: *nolite iudicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate*, nolite dicere filios veſtros, quia veſtri filij ſunt, eijcere dæmones virtute diuina, me, quem non recipitis, diabolica; quod ſi feceritis; *ſi ergò corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum*, ſi recta erit intentio, etiàm opera tua ſplendebunt, apparebunt, erunt in exemplum alijs, velùt lucerna fulgens illuminat: & abſtinebitis à prauis his cogitationibus.

Is mihi videtur aptior intellectus verborum ad annexionem cum ſuperioribus; conabatur enim reducere Phariſæos, ideò non multùm placet primus, quòd de ſe loqueretur, cum diſcordet à ſequentibus. *Cum autèm immundus ſpiritus exierit ab homine* pulſus virtute Dei, *ambulat per loca arida*, ſeù deſerta, vt Aſmodæus ad illa à Raphaele eiectus, *quærens requiem, & non inuenit; tùnc dicit: reuertar in domum meam, vndè exiui, & veniens inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam* pro dæmone iterùm recipiendo; *tùnc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibì, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus*, quia pluribus dæmonibus opprimitur. Quinta ratio, quia imò auxiliantur ſibiipſis dæmones, nedum vt habitent, ſed vt reintrent, & confirmentur, ac ſtabiliantur in corporibus obſeſſis, in quibus cum noceant hominibus, requiem inuenire dicuntur. *Sic erit & generationi huic peſſimæ*, à qua dimiſſum dæmonium nam nouo peccato maculata à dæmone regrediente patietur peiora. *Factum eſt autèm cum hæc diceret cum illis, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi*, ſic pueri Hebræorum in templo: ſic Daniel pro Suſanna, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*. Mulier in laudem Chriſti profert verba hæc prouerbialia, dicimus enim, benedictus, qui te fecit, quandò aliquem audimus nobis gratum: ſic & Petrus: verba vitæ æternæ habes, & illi: numquàm ſic locutus eſt homo, & Iob: auris audiens beatificabat me. 29. 11. Eccleſia verò ſumit illa etiàm in laudem Virginis, cui dictum ab Eliſabeth: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, & ipſa: Beatam me dicent omnes generationes, ſicùt etiàm aſſumit alia in eius laudem, ab initio, & antè ſæcula. & Apoc. cap. 12. & ſimilia multa. At quia mulier hæc de humanis loquebatur, Chriſtus eam, & auditores ad ſpiritualia attrahit, *quinimò beati, qui audiunt verbum Dei* ab omnibus, quia ſempèr idem verbum, ſed præſertim à me, cuius vultum deſiderat omnis terra: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, dico enim vobis, quòd multi Reges, &c. & *cuſtodiunt*, obſeruant *illud*, exequuntur, vel audiunt operando, iuxtà illud, propterea vos non auditis, ideſt non operamini, quia ex Deo non eſtis, *& cuſtodiunt illud*, conſeruant perſeuerando vſquè in finem. Sæpiùs autèm Chriſtus à corporalibus ad ſpiritualia, à terrenis ad cęleſtia auocat, & ad maiora eleuat, eaquè adſtruit, vtì, reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, de quo interrogabatur, at potiùs quæ ſunt Dei Deo. Cum turbis ſemèl ſatiatis cibum iterùm quærentibus agit de ſpirituali corporis ſui: cum Samaritana ab aqua elementari ad cæleſtem: cum Thoma incredulo: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti, beati, qui non viderunt, & crediderunt: cum vocantibus nomine Matris, & fratrum, quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Verbum Dei, mandata Dei, legem Dei, in qua vita; faciens illa viuet in illis, ſerua mandata, hoc fac, & viues. At ſunt etiàm conſilia, opera ſupererogationis, & perfectionis, ad quæ non tenemur, cum non cadant ſub præcepto, niſi ex voluntate noſtra obligemur, & duplicatur meritum ex hoc actu aſſumptionis in obligationem eorum, quę priùs erant in noſtro libero arbitrio; quę notanda ad vota regularium paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, & ad regulam. Paupertas enim non eſt in præcepto, ſed in perfectione, ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. Caſtitas minùs, ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerũt propter regnum Dei, qui poteſt capere capiat, & Paulus; de Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autèm do, &c. minùs obedientia ergà illos, quibus non tenemur; nàm quòad Ordinarios, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt, à quibus vouentes non eximuntur, etſi nouis ſubdantur, niſi ab auctoritate habente.

Sed ex his multa quæruntur, nàm quòad paupertatem; Beati pauperes, quoniàm ipſorum eſt regnum cælorum, Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me in regeneratione, &c. & qui dimiſerit agrum, &c. facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna

S taber-

tabernacula. Hinc quàm largi ergà hos eſſe debeamus, cum retineant claues regni. Quòad caſtitatem, ſeù virginitatem, quæ eos meliùs Deo ſeruire facit, nàm nupta cogitat, quomodò placeat viro, innupta Deo, cui ſeruire regnare eſt, hi tamquàm familiares intimi ſequuntur agnum quocumquè ierit, & aureola donantur. Quòad obedientiam, quia duplicatur eis meritum, magìs enìm Dominus delectatur obedientia, quàm victima, vt dixit Samuel Sauli. Quòad regulam, qui ſequuti fuerint regulam, pax, quies mentis, conſcientiæ, ſpes regni; dixerunt enìm Angeli: pax hominibus bonæ voluntatis, ideſt prædeſtinatis, & benedictio, abundantia gratiæ, quæ fiet in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ſicùt enìm flumina redeunt ad mare, à quo fluunt, ſic gratia ad cælum, à quo emanat, fructum reportans, & benedictio pro abundantia capitur; qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. At ſicùt præmium magnũ ſeruanti, ſic pœna magna inobſeruanti facto, vel verbo in bonorum retentione, vel deſiderio, & in caſtitate, & obedientia; diſplicet enìm inobedientia Deo ergà ſe, vt in Adamo, Saule, qui reſeruauit Agag, & pinguia, obtulit ſacrificium, & prælatos, quia omnis poteſtas à Domino Deo eſt, & qui ſpernit eos, ſpernit Deum, etſi ij ſint diſcoli; quæ enìm dicunt ſeruate, & facite: in regulà, qui non ſequitur me, non eſt me dignus, ponens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, non eſt aptus regno Dei. At quomodò audient ſinè prędicante? Deus numquàm dèreliquit mundum ſinè his: prędicauit Adam, Henoch, iuxtà Iudam in epiſ. Abraham circumductus Iſaac, Iacob, quem in Aegyptum tranſtulit cum populo, qui etiàm ſæpiùs ad hoc in captiuitatem datus. Tobiæ 13. & Sap. 18. 7. Prophetæ, Ioannes, Chriſtus, Apoſtoli, quorum in omnem terram ſonitus, & eorum ſucceſſores, & omnes creaturæ. Rom. 1. Cæli enarrant, &c. *Adhùc eo loquente*, cũ turbis, & Phariſæis, *eccè mater eius, & fratres ſtabant forìs, quærentes loqui ei, & non poterant eum adire præ turba, & miſerunt ad eum vocantes eum*, iuxtà Marcum. cap. 3. *Cum audiſſent ſui* (nequè enìm fratres ſui credebant in eum. Io. 7.) *exierunt tenere eum, dicebant enim aliqui, quoniàm in furorem verſus eſt*, ſed detecta falſa fama, ſeù calumnia, regreſſi ſunt, & cognito, quòd præ multitudine non poterant nequè panem manducare, proùt ibidem Marcùs, & cap. 6. & alibi, fortè nunciauerunt id Mariæ matri, quæ ibì erat, & hæc vnà cum illis fratribus aduenit eum conuentura, & miniſtratura panem, *& cum non poſſent illum adire præ turba*, niſi cum magna difficultate, *miſerunt ad eum*, iuxtà Marcum, aut cum nullo modo, per viciniores adſtantes ei ſignificarunt velle ſecum loqui, ſi autèm cum Marcus dicit verſ. 21. de ſuis, nec facit mentionem matris (vndè veriſimilitèr non aderat, quia non fuiſſet omiſſa) velimus, & tùnc matrem adfuiſſe, aduertendum eſt matrem non conſenſiſſe cum ſuis, vt crederet eum in furorem agi, cum ſciret eſſe Deum, nequè vt retraheretur ab opere paterno, cum eſſet Spiritu ſancto plena, proùt non legitur feciſſe, quandò inuenit eum in Templo in medio Doctorum, expectauit enìm, vt conuentus diſſolueretur, at tacuit, proùt Eliſæus cum volentibus quærere Eliam ad cælum raptum ipſo vidente. *Dixit autèm ei quidam: eccè mater tua, & fratres tui forìs ſtant quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? & extendens manum in diſcipulos ſuos*, qui eum ſequebantur, & ſermones eius ſeruabant, *dixit: eccè mater mea, & fratres mei, quicumquè enìm fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*. à carnali maternitate ad ſpiritualem auocat, proùt ſempèr à carnalibus, & tẽporalibus ad ſpiritualia & æterna, non quòd quidquã maternitati, & coniunctioni carnali detrahat, ſed docet, vt dixi, quomodò ſpirituales mater, ſoror, frater fieri poſſimus, ſicùt aliàs dixi in verbis: quid mihi, & tibi eſt mulier; & quid eſt, quòd me quærebatis, neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?

C A-

CAPVT L.

DE PARABOLA SEMINANTIS.

Matth. 13.

1 IN illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecùs mare. * Et
2 congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ità vt in nauicu-
lam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore,
3 * & locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Eccè exijt
4 qui ſeminat, ſeminare. * Et dum ſeminat, quædam ce-
ciderunt ſecùs viam, & venerunt volucres cæli, & co-
5 mederunt ea. * Alia autèm ceciderunt in petroſa, vbi non
habebant terram multam: & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudi-
6 nem terræ. * ſole autèm orto æſtuauerunt: & quia non habebant radicem, arue-
7 runt. * Alia autèm ceciderunt in ſpinas: & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt
8 ea. * Alia autèm ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud cente-
9 ſimum; aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. * Qui habet aures audiendi, au-
10 diat. * Et accedentes diſcipuli, dixerunt ei: Quarè in parabolis loqueris eis?
11 * Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum:
12 illis autèm non eſt datum. * Qui enìm habet, dabitur ei, & abundabit: qui au-
13 tèm non habet, & quod habet auferetur ab eo. * Ideò in parabolis loquor eis: quia
14 videntes non vident, & audientes non audiunt, nequè intelligunt. * Et adim-
pletur in eis prophetia Iſaiæ, dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: &
15 videntes videbitis, & non videbitis. * Incraſſatum eſt enìm cor populi huius,
& auribus grauitèr audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: ne quandò videant ocu-
16 lis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. * Ve-
17 ſtri autèm beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt. * Amen
quippè dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis,
18 & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. * Vos ergò audite
19 parabolam ſeminantis. * Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, ve-
nit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius: hic eſt qui ſecùs viam ſe-
20 minatus eſt. * Qui autèm ſupèr petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum au-
21 dit, & continuò cum gaudio accipit illud: * non habet autèm in ſe radicem, ſed
eſt temporalis. facta autèm tribulatione & perſecutione proptèr verbum, continuò
22 ſcandalizatur. * Qui autèm ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit,
& ſolicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſinè fru-

23 *ctu efficitur. * Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidèm centeſimum, aliud autèm ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.*

Marc. 4.

1 *ET iterum cœpit docere ad mare: & congregata eſt ad eum turba multa, ità*
2 *vt nauim aſcendens ſederet in mari, & omnis turba circà mare ſupèr ter-*
3 *ram erat: * & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua:*
4 ** Audite: eccè exijt ſeminans ad ſeminandum. * Et dum ſeminat, aliud cecidit*
5 *circà viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud. * Aliud verò*
cecidit ſupèr petroſa, vbi non habuit terram multam: & ſtatìm exortum eſt, quo-
6 *niàm non habebat altitudinem terræ: * & quandò exortus eſt ſol, exæſtuauit: &*
7 *eò quòd non habebat radicem, exaruit. * Et aliud cecidit in ſpinas: & aſcen-*
8 *derunt ſpinæ, & ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit. * Et aliud cecidit*
in terram bonam: & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, & afferebat
9 *vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum. * Et dicebat: Qui ha-*
10 *bet aures audiendi, audiat. * Et cum eſſet ſingularis, interrogauerunt eum hi,*
11 *qui cum eo erant duodecim, parabolam. * Et dicebat eis: Vobis datum eſt noſ-*
ſe myſterium regni Dei: illis autèm, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt:
12 ** vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intel-*
13 *ligant: nequandò conuertantur, & dimittantur eis peccata. * Et ait illis: Ne-*
14 *ſcitis parabolam hanc? et quomodò omnes parabolas cognoſcetis? Qui ſeminat,*
15 *verbum ſeminat. * Hi autèm ſunt, qui circà viam, vbi ſeminatur verbum,*
et cum audierint, confeſtìm venit Satanas, et aufert verbum, quod ſemina-
16 *tum eſt in cordibus eorum. * Et hi ſunt ſimilitèr, qui ſupèr petroſa ſeminantur:*
17 *qui cum audierint verbum, ſtatìm cum gaudio accipiunt illud: * et non habent*
radicem in ſe, ſed temporales ſunt: deindè orta tribulatione et perſecutione proptèr
18 *verbum, confeſtìm ſcandalizantur. * Et alij ſunt, qui in ſpinis ſeminantur:*
19 *hi ſunt, qui verbum audiunt, * et ærumnæ ſæculi, et deceptio diuitiarum, et*
circà reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, et ſine fructu efficitur.
20 ** Et hi ſunt, qui ſupèr terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, et*
ſuſcipiunt, et fructificant, vnum triginta, vnum ſexaginta, et vnum centum.
21 ** Et dicebat illis: Numquid venit lucerna, vt ſub modio ponatur, aut ſub le-*
22 *cto? nonnè vt ſupèr candelabrum ponatur? * Non eſt enìm aliquid abſconditum,*
23 *quod non manifeſtetur: nec factum eſt occultum, ſed vt in palàm veniat. * Si quis*
24 *habet aures audiendi, audiat. * Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua*
25 *menſura menſi fueritis, remetietur vobis, et adijcietur vobis. * Qui enìm ha-*
26 *bet, dabitur illi: et qui non habet, etiàm quod habet auferetur ab eo.*

Digitized by Google

Luc. 8.

1 *ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates, & caſtella prædi-*
2 *cans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, * & mulieres*
*aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: * Maria, quæ*
3 *vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant, * & Ioanna vxor Chu-*
ſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de fa-
4 *cultatibus ſuis. * Cum autèm turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus pro-*
5 *perarent ad eum, dixit per ſimilitudinem: * Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen*
ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt, & vo-
6 *lucres cæli comederunt illud: * Et aliud cecidit ſuprà petram: & natum aruit,*
7 *quia non habebat humorem. * Et aliud cecidit intèr ſpinas, & ſimùl exortæ ſpi-*
8 *næ ſuffocauerunt illud. * Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fru-*
9 *ctum centuplum. * Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.*
10 ** Interrogabant autèm eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola. * Quibus ipſe*
11 *dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autèm in parabolis. vt*
12 *videntes non videant, & audientes non intelligant. * Eſt autèm hæc parabo-*
13 *la. Semen eſt verbum Dei. * Qui autèm ſecùs viam, hi ſunt qui audiunt: dein-*
dè venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.
14 ** Nam qui ſuprà petram: qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum:*
& hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis rece-
15 *dunt. * Quod autèm in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudini-*
bus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fru-
16 *ctum. * Quod autèm in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono, & optimo au-*
17 *dientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. * Nemo autèm lu-*
cernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtùs lectum ponit: ſed ſuprà candela-
18 *brum ponit, vt intrantes videant lumen. * Non eſt enim occultum, quod non*
19 *manifeſtetur, nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palàm veniat. * Vi-*
dete ergò quomodò audiatis? Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non
habet, etiàm quod putat ſe habere, auferetur ab illo.

COMMENTARIVS.

Optabat Christus verbum ſuũ fructũ facere in omnibus, & cum videret obices opponi ab aliquibus Auditoribus, parabola aperit impedimenta, vt diſcant illa auferre, & ſinant verbum bonos fructus gignere, exemplo eorum, in quibus fructificat; Non autèm ne crederetur gloriari in turba auditorum, cum nulla hìc ſuſpicio, nequè aptetur quidquàm. *In illo die*, quo muti dæmoniaci ſanatio facta, *exiens Ieſus de domo ſedebat ſecùs mare* expectans accedentes, *& congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ità vt* volens docere *in nauiculam aſcendens ſederet, & omnis turba* audiens

ſtabat in littore, & locutus eſt eis multa in parabolis, aicens, Eccè exiјt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, verbum Dei, *& dum ſeminat, aliud* ſemen *cecidit ſecùs viam*, quia non intelligebatur, *& conculcatum eſt* à prætereuntibus, non enim curamus, quæ non capimus, *& volucres cæli*, diaboli *comederunt illud*, non quòd diaboli volucres cæli, quia nihil ad eos de cælo, ſed quia proùt volucres cæli, qui videntur per cælum aereum volare, ſemen comedũt in via cadens, ſic ipſi verbum de corde quod non intelligitur; *& aliud cecidit ſuprà petram, & natum aruit, quia non habebat humorem*, cum gaudio ſuſceptum erat, ſed radices non habens, temporale fuit; *& aliud cecidit intèr ſpinas, & ſimùl oxortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud*, ſpinæ autèm, ſolicitudines, diuitiæ, voluptates, *& Aliud cecidit in terram bonam*, idèſt ſupèr corde bono, & optimo, & hoc retentum, & fructum afferens in patientia, ducens ad vitam æternam, in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras; Pharao poteſt dari in exemplum pro primo ſemine ratione indurationis; pro ſecundo ſtultus, qui vt luna mutatur; ſtatua Nabuchodonoſor, cuius caput aureum, pedes lutei. Dan. 2. pro tertio Aaron ob mortem filiorum hoſtiam non comedens. Leuit. 10. Iudas ob auaritiam: pro quarto, virgines prudentes, ſerui reportantes duplicia, qui euntes, &c. venientes autèm, &c. ex Pſal. Auditoribus igitur ſuis proponit hoc vltimum exemplum amplexandum eſſe, vt fructum reportent; ideò *clamabat, qui habet aures audiendi audiat*, procurans ad attentionem adducere turbas. Cum autèm eſſet ſingularis, diſcipuli parabolam ſibi explicari obtinuerunt, *quibus dixit: vobis datum eſt noſſe myſterium*, ſecreta *regni Dei*, quod prædico, *cæteris autèm in parabolis*, ideò hoc magnum beneficium cognoſcite, *qui enim habet*, ad hoc eſt electus, *dabitur ei*, & abundabit; *qui autèm non habet, & quod habet*, ſeù habere putat, vt dicit Lucas, *auferetur ab eo*, quia nihil proderit; applicat, *ideò in parabolis loquor eis, quia videntes*, putantes videre, *non vident, & audientes non audiunt, nequè intelligunt. Veſtri autèm beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt* me Meſsiam, & quæ auditis, & videtis, percipitis. *Numquid venit lucerna, vt ponatur ſub modio, aut ſub lecto? nonnè vt ſupèr candelabrum ponatur? non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur, nequè factum eſt occultum, ſed vt in palàm veniat, ſi quis habet aures audiendi, audiat:* puto his verbis monere diſcipulos, vt ipſi prædicaturi per totum mundum, has parabolas, & ſecreta reuelent, doceantquè populos, nec aliquid peruersè retineant. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*, vt eos reddat in hoc diligentiores, hæc dicit, vt menſuram bonam, & coagitatam ponant in ſinum auditorum, eandem ipſi relaturi à Domino retributore ſuorum laborum.

C A-

Digitized by Google

CAPVT LI.

DE PARABOLA ZIZANIORVM.

Matth. 13.

24 ALIAM parabolam propoſuit illis, dicens: Simile factum
eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen
25 in agro ſuo. * cum autèm dormirent homines, venit ini-
micus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio triti-
26 ci, & abijt. * Cum autèm creuiſſet herba, & fructum
27 feciſſet, tùnc apparuerunt & zizania. * Accedentes au-
tem ſerui patris familias, dixerunt ei: Domine, nonnè bo-
28 num ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vndè ergò habet zizania? * Et ait illis: Ini-
29 micus homo hoc fecit: Serui autèm dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? * Et
ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimùl cum eis & triticum.
30 * Sinite vtraquè creſcere vſquè ad meſſem, & in tempore meſsis dicam meſſori-
bus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum,
triticum autèm congregate in horreum meum.

36 TVNC, dimiſsis turbis, venit in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipu-
37 li eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. * Qui reſpon-
38 dens, ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. * Ager autèm,
eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni. Zizania autèm, filij ſunt
39 nequam. * Inimicus autèm, qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſsis verò, conſum-
40 matio ſæculi eſt, Meſſores autèm, angeli ſunt. * Sicùt ergò colliguntur zizania,
41 & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi. * mittet Filius hominis
angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui faciunt ini-
42 quitatem: * & mittent eos in caminum ignis. Ibì erit fletus, & ſtridor den-
43 tium. * Tùnc iuſti fulgebunt ſicùt ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures au-
diendi, audiat.

COM-

COMMENTARIVS.

A*LIAM parabolam propoſuit illis, dicens: ſimile factum eſt regnum cælorum,* cõtingit in Eccleſia prout in homine, *qui ſeminauit ſemen bonum in agro ſuo, cum autèm dormirent homines,* ſerui ſeminantis, quod eſt tempus furum: vndè dicitur; ſi ſciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtiquè, & non fineret perfodi domum ſuam; ideò non puto ſub hominibus hìc intelligi prælatos negligentes, tùm quia etiàm diligentibus poteſt hoc contingere, tùm quia nullum verbum de negligentia in parabola, *venit inimicus eius* ſeminantis, diabolus, non patiens bonum ſemen ſeri, *& ſuperſeminauit zizania in medio tritici;* ſed cur in medio tritici? ne zizania appareât, ſed triticum reputentur, nititur enim, vt decipiat, apparentèr diuina imitari, & in eiſdem perſiſtit, in Angelum lucis ſe transformans, quod angelos nobis acutiores non præterit, vndè dicunt, nonnè bonum ſemen, &c. ſic in paradiſo ſub ſpecie boni quaſi triticum obtulit eſum pomi vetiti, eritis ſicùt Dij, & reddidit illos malos, qui boni fuerant creati, ſic bono ſemini ſubrogat malum, vt in parabola; Deus dedit pelles ad tegendam nuditatem, & ad memoriam peccati, & mortis, ipſe ad delitias, & luxum. Permiſſa Adamo copula coniugalis (iàm enim ex peccati fomite non poterat diutiùs ſenſus ſub ratione niſi cum magna vi retineri) & eccè per diabolum mundo tanta carnalis exuberantia, vt corruperit omnis caro viam ſuam, & filij Dei caperentur, vt diluuio neceſſe fuerit omnem carnem abſtergere, & conſummare, etſi prædicaret Enoch iudicium. Iudæ. 14. Nequè hic conſtitit; vt tempore Abraham vitium ſodomiticum excitaret, quod igne purgatum, & abſumptum eſt, eò vſquè, vt nullus ſaluus euaſerit, ſed omnes igne abſumpti ſint. Luc. 17. 39. nec etiàm generi Lot admoniti; nequè vxor Lot indè originaria, quæ retrò aſpiciens in ſtatuam ſalis conuerſa, quod igni propinquat. Remanſerunt ſolæ duæ filiæ Lot, ſed ad quod ſcelus traxit eas libido ex radice infecta prodeuntes? nec poſſunt defendi ex eo quòd nullus remanſiſſet in terra igni exuſta, quia in Segor, vbi fuerant, viderant viros remanſiſſe, quod ſufficiebat. Remanſit & locus omnibus conſpicuus, vt appareat qualis vindicta in hoc ſcelus contrà naturam. Propoſuit nobis Dominus beatitudines, ſeù vias ad illas aſſequendas, ipſe verò contraria ingerit ad nos à vijs illis deflectendos, & hæc ſufficiant pro exemplis ſuperſeminatorum zizaniorum, & ventilabri, ac collectionis pro illis metendis, euellendis, vrendis, *Et abijt,* ne deprehendatur, vel ne ſuſpicetur quiſquàm de ſuis zizanijs. *Cum autèm creuiſſet herba, & fructum feciſſet* bonum, *tùnc apparuerunt & zizania,* ex fructibus enim cognoſcuntur boni, vel mali; *accedentes autèm ſerui patris familias* ſeminantis, *dixerunt ei, Domine, nonnè bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?* vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, *vndè ergò habet zizania? & ait illis: Inimicus homo hoc fecit,* diabolus, quem nùnc ſub ſpecie hominis figurat in parabola de hominibus tractante, qui auertit homines à Deo, & reddit nequam; *ſerui autèm dixerunt: vis, imus, & colligimus ea?* ne bono ſemini officiant? *& ait, non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimùl cum eis & triticum,* expectat enim Deus malos ad pœnitentiam, ſic reſpondet ſanctis vindictam expetentibus, vt expectarent. Apoc. 6. *ſinite vtraquè creſcere vſquè ad meſſem,* quandò nulla curatio, *& in tempore meſſis dicam meſſoribus: colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum,* cuiuſcumquè enim ſpeciei peccatores ſic colligabuntur, vel ſtat in metaphora parabolæ, ne miſceantur cum tritico, illudquè deturpent, *triticum autèm,* bonos *congregate in horreum meum* cæleſte, æternum, in quo fulgebunt ſicùt ſol, declaratio parabo-

læ cla-

læ clara eſt ex ſe. Hæc proponitur, vt vigilantes caueamus à zizanijs per diabolum ſatis; ſerui patris familias ſunt boni Angeli, tùm quia dicunt, *vis, imus, & colligimus ea?* non mali Angeli, tùm quia iàm ſuperſeminans erat diabolus, qui non petijſſet euulſionem zizaniorum ſuperſeminatorum per eum, illis volens inficere triticum, & collectio erat ad fauorem bonorum, pro quibus non ſe ingeſſiſſet, tùm quia Chriſtus dicit meſſores Angelos, & veriſimilitèr non omiſiſſet dicere, qui eſſent ſerui illi, ſi ijdem Angeli non eſſent, tùm quia ijdem petunt, an velit per eos colligi zizania, & non reprehendit eos ratione officij, quod aſſumere intendebant colligendi zizania; veriſimilitèr reprehenſurus, ſi ſe ingeſſiſſent, iuxtà formationem parabolæ, ſed ſuadet, vt ſinant, &c.

CAPVT LII.

DE PARABOLA SEMINIS SENSIM CRESCENTIS.

Marc. 4.

26 *ET dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat*
27 *ſementem in terram, * & dormiat, & exurgat nocte & die, &*
28 *ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille. * Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deindè ſpicam, deindè plenum*
29 *frumentum in ſpica. * Et cum produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniàm adeſt meſſis.*

COMMENTARIVS.

ET *dicebat: ſic eſt regnum Dei* ſic contingit in Eccleſia Dei, *quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat nocte, & exurgat die*, ſuis negocijs incumbat, *& ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille*, quia eo aliud agente creſcit. *Vltrò enim terra fructificat* pòſt ſemen receptum, *primùm herbam, diendè ſpicam, deindè plenum frumentum in ſpica, & cum* ex ſe *produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniàm adeſt meſſis;* nàm iacit quis ſemen verbi Dei, Euangelium, quod fructificat per ſe, abſquè eo quod is ſciat, ego plãtaui, Apollo rigauit, Deus autèm incrementum dedit, & tempore meſſis, quod eſt tempus Iudicij, mittetur falx ad fructum colligendum; quò igitur vergit parabola hæc? monere voluit Apoſtolos, & ſucceſſores, & quoſcumquè, ad quos ſpectat verbi promulgatio, vt ſint diligentes in iaciendo hoc ſemine, quod per ſeipſum creſcit, quamuis ipſi id non cognoſcant, quia tempore ſuo metent. Hic eſt lapis Danielis in montem exaltatus. de Euangelio Paulus. Phil. 1. 6. quod peruenit ad vos, ſicùt & in vniuerſo mundo eſt, &c. & fructificat, & creſcit, &c. Chriſtus: niſi granum frumenti, &c. Verbum, quod procedit de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.

CA-

CAPVT LIII.

DE PARABOLA GRANI SINAPIS.

Matth. 13.

31 A*LIAM parabolam propoſuit eis, dicens: Simile eſt re-*
gnum cælorum grano ſinàpis, quod accipiens homo ſeminа-
*uit in agro ſuo: * quod minimum quidèm eſt omnibus ſe-*
32 *minibus: cum autèm creuerit, maius eſt omnibus oleri-*
bus, & fit arbor, ità vt volucres cæli veniant, & ha-
bitent in ramis eius.

Marc. 4.

30 E*T dicebat: cui aſsimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus*
31 *illud? * Sicut granum ſinàpis, quod cum ſeminatum fuerit in terra, mi-*
32 *nus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra: * & cum ſeminatum fuerit, aſcen-*
dit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ità vt poſsint ſub
vmbra eius aues cæli habitare.

Luc. 13.

18 D*Icebat ergò: Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? * Si-*
19 *mile eſt grano ſinàpis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & cre-*
uit, & factum eſt in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in ra-
mis eius.

COMMENTARIVS.

S*IMILE eſt regnum cælorum*, Eccleſia militans *grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus*, proùt tùnc Eccleſia dum loquitur, *cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ità vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius*, ſic Eccleſia nunc minima creſcet in tantam magnitudinem, & dilatationem, vt totum mundum capiat, & Reges, & Principes, & magnos quoſquè. hac parabola diſcipulos monet, ne deterreantur, ſi nunc vident illam humilem, ſuprà omnia enim exaltandam in hu-

militate

Digitized by Google

militare Crucis doctrinam ſuam, & Eccleſiam, cum exaltaueritis, &c. & cum exaltatus fuero, &c. Multi terunt granum ſinàpis abutentes Eccleſia, & doctrina Chriſti, prohibentes illud in terram cadere, & incrementum facere, proùt ſatum, & integrum ſolet, & hi ſunt hæretici, mali Chriſtiani, Principes iuriſdictionem Eccleſiæ occupantes ſub pelle ouina, quaſi bonum aliquid agentes, imitantes Hebræos petentes, vt Chriſtus deſcenderet de Cruce, nolentes eum cadere in terram, mori, & ſepeliri, & in arborem euadere, ſed granum frumenti ſolùm manere, ne mortuus multum fructum afferret, ſub ſpecie boni dicentes, & credimus ei, & Pharaonem maſculos, ne Hebræi multiplicarent, in infantia occidentem; At granum ſic tritum in incendium eorum vergit.

CAPVT LIV. DE PARABOLA FERMENTI.

Matth. 13.

33 *ALIAM parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cæ-*
lorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ
34 *ſatis tribus, donèc fermentatum eſt totum. * Hæc omnia*
locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſinè parabolis
35 *non loquebatur eis: * vt impleretur quod dictum erat per*
Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum,
eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

Marc. 4.

33 *ET talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, proùt poterant audire:*
34 ** ſinè parabola autèm non loquebatur eis. ſeorsùm autèm diſcipulis ſuis diſ-*
ſeretat omnia.

Luc. 13.

20 *ET iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum Dei? * Simile eſt fermento,*
21 *quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donèc fermentaretur*
totum.

COM-

COMMENTARIVS.

S*IMILE eſt regnum cælorum fermento*, ſicùt enìm mulier fermentat parua quantitate fermenti totam maſſam farinæ ſatorum trium, ſic continget in Eccleſia mea, quia verbo doctrinæ meæ in mundo mixto omnes aliæ farinæ quarumcumquè ſectarum, & Philoſophorum fermentabuntur, & coagulabuntur in fermento Euangelij, totus mundus conuertetur ad me, ad legem meam Euangelicam amplexandam, & tandèm fiet vnum ouile, & vnus paſtor, dixit enìm, ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. *Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis* admixta ad *turbas* ob maiorem capacitatem, *& ſinè parabolis* mixtis cum alijs ſermonibus *non loquebatur eis*, non enìm veriſimile parabolas has ſimplicitèr protuliſſe, qui ad captum omnium ſe componebat, *vt impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem*, omnia ſempèr prædicta, vt credantur. *Aperiam in parabolis os meum*, *eructabo*; narrabo *abſcondita*, myſteria *à conſtitutione mundi*, qua hæc eſſe cœperunt. Verba Marci, *proùt poterant audire* intelligenda proùt poterant capere, quia in vanum non prædicaſſet, & licèt ſubdat, *ſeorsùm cum diſcipulis ſuis diſſerebat omnia*, non tamen probatur id, quod diſſerebat illis, clarè non explicaſſe turbis, vt non poſſent intelligere, qui attentè audiebant, ſed cum diſcipulis alios docturis, & fortè interrogantibus de eiſdem, repetijſſe.

CAPVT LV.

DE PARABOLIS THESAVRI. ET MARGARITAE.

Matth. 13.

44 S*IMILE eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in*
agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio
illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit
45 *agrum illum. * Iterùm ſimile eſt regnum cælorum homi-*
46 *ni negociatori quærenti bonas margaritas. * Inuenta au-*
tèm vna pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia
quæ habuit, & emit eam.

COMMENTARIVS.

S*IMILE eſt regnum cælorum*, beatitudo æterna, viſio Dei, *theſauro abſcondito in agro* quia proùt ille abſconditus, ſic beatitudo abſcondita, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. 1. Cor. 2. *quem qui inuenit homo* in alieno agro *abſcondit*, ne in cognitionem alterius veniat, adeò carum eſt ſibi, *& præ gaudio illius* inuenti *vadit*, & nihili æſtimans quod habet, *vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum*, ſic, vult dicere, faciendum quærenti, & inuenienti, ſeù credenti beatitudinem illam hominibus communicandam; nam fide de illo habita, qua certò tenemus inueniſſe quod credimus præ gaudio omnia huiuſmodi contemnenda, alienanda, proijcienda ad theſaurum illum cæleſtem comparandum, ad regionem illam æternam obtinendam, ideò aliàs ſuadebat: nolite timere puſillus grex, vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, theſaurizate vobis theſauros in cælo, quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, &c. vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &c. & ſi non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis, quid poſſeſſa à nobis ſunt, quæue, ne paſſionibus immergeremur, vel ab illis liberaremur, non proijceremus? Parabola de margarita eadem quę de theſauro; ad idem tendens, nam ſudamus in inueniendis bonis margaritis, & vna inuenta omnia vendimus ad illam comparandam, quid faciendum quęrentibus felicitatem, quę ęterna ſola in cęlo eſt? nàm illa inuenta fide, omnia ad illam felicitatem poſſidendam vnienda, inſumenda, ponenda. Fortè poſſet meliùs dici, poſtquàm alię parabolę de Eccleſia militante, vel Euangelio loquuntur, has etiàm duas de eadem Eccleſia, vel Euangelio, vel Scriptura ſacra loqui, abſcondita hęc enim ſunt à ſapientibus, & prudentibus, & reuelata paruulis ex Dei beneplacito, proùt theſaurus, & margarita bona de raro inuenta, & paruuli ea inuenientes prę gaudio vendunt omnia ad illa comparanda, cuius iam arrham guſtarunt.

CAPVT LVI.

DE PARABOLA SAGENAE MISSAE IN MARE.

Matth. 13.

47 I*TERVM ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in*
48 *mare, & ex omni genere piſcium congreganti.* * *Quam,*
cum impleta eſſet, educentes, & ſecùs littus ſedentes, ele-
49 *gerunt bonos in vaſa, malos autèm foràs miſerunt.* * *Sic*
erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli, & ſepara-
50 *bunt malos de medio iuſtorum,* * *& mittent eos in cami-*

Digitized by Google

51 *num ignis : ibì erit fletus , & ſtridor dentium .* * *Intellexiſtis hæc omnia? Di-*
52 *cunt ei : Etiàm .* * *Ait illis : Ideò omnis ſcriba doctus in regno cælorum , ſimilis*
eſt homini patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera .

COMMENTARIVS.

PARABOLA hęc eadem fermè , quę Zizaniorum, Virginum . Matth.25. Vaſorum in domo magna . 2.Timoth.2.20. Quia non omnes theſaurum, & margaritam pretioſam comparare nituntur , ſubijcit parabolam hanc, qua finis comparantium, & negligentium habetur, cum boni in vaſa , mali foràs mittantur , & Angeli ſeparent malos à bonis, vt ad theſaurum, & margaritam quęrenda , & emenda magis alliciat ex timore poenę , & amore pręmij . *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ* , reti , *miſſæ in mare , & ex omni genere piſcium congreganti* , nàm & multi congregantur in Eccleſia, *quam cum impleta eſſet educentes,* piſcatores *elegerunt bonos, in vaſa, malos autèm foras miſerunt* , proiecerunt , in Eccleſia etiàm ſunt mali , & boni permixti , ità vt nō ſufficiat eſſe in Eccleſia; ſed requiritur & bonitas: ad inſtar piſcium bonorum. *Sic erit in conſummatione*, in fine *ſæculi* pòſt conflagrationem mundi *exibunt Angeli* à Deo miſſi , *& ſeparabunt malos de medio iuſtorum* pòſt reſurrectionem , quia in mundo pluriès mali non cognoſcuntur , ſed in fine apparebunt , *& mittent eos in caminum ignis , ibì erit fletus , & ſtridor dentium* ad dolorem maximum oſtendendum, iuſtos verò mittent in vaſa cæleſtia , ducent ad regnum cælorum perpetuò beatitudine fruituros . Ex his collige non ſufficere fidem , niſi opereris , non ſufficere intèr bonos eſſe, niſi & tu bonus ſis. *Intellexiſtis hæc omnia?* quaſi velit dicere , ſunt hæc digna , quæ intelligantur , & memoriæ commendentur . *Dicunt ei* diſcipuli, *etiàm*. intelleximus, *ait illis : Ideò* ad horum adeò neceſſariorum intelligentiam *omnis Scriba* legi incumbens *doctus in regno cælorum* , in Eccleſia , *ſimilis eſt homini patrifamilias , qui profert de theſauro ſuo noua , & vetera* in exceptione hoſpitum , vel conuiuio ; Scriba enim exemplo huius proferre debet noua , & vetera in explicatione legis Euangelicæ , ni mirum , ſi ego multa dixi, & propoſui in demonſtratione regni cæleſtis .

CA-

Digitized by Google

CAPVT LVII.
DE ADVENTV CHRISTI IN NAZARETH.

Matth. 13.

53 ET factum eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas,
54 tranſijt indè. * Et veniens in patriam ſuam, docebat eos
in Synagogis eorum, ità vt mirarentur, & dicerent:
55 Vndè huic ſapientia hæc, & virtutes? * Nonnè hic eſt
fabri filius? Nonnè mater eius dicitur Maria, & fra-
tres eius, Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas:
56 * & ſorores eius, nonnè omnes apud nos ſunt? vndè ergò
57 huic omnia iſta? * Et ſcandalizabantur in eo. Ieſus autèm dixit eis: Non eſt
58 Propheta ſinè honore niſi in patria ſua, & in domo ſua. * Et non fecit ibì virtu-
tes multas proptèr incredulitatem illorum.

Marc. 6.

1 ET egreſſus indè, abijt in patriam ſuam: & ſequebantur eum diſci-
2 puli ſui: * & facto Sabbato cœpit in Synagoga docere: & multi audien-
tes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vndè huic hæc omnia? & quæ
eſt ſapientia, quæ data eſt illi: & virtutes tales, quæ per manus eius efficiun-
3 tur. * Nonnè hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ,
& Simonis? nonnè & ſorores eius hìc nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur in
4 illo. * Et dicebat illis Ieſus: Quia non eſt Propheta ſinè honore niſi in patria ſua,
5 & in domo ſua, & in cognatione ſua. * Et non poterat ibì virtutem vllam fa-
6 cere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit: & mirabatur proptèr incre-
dulitatem eorum.

Luc. 4.

14 ET regreſsus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per
15 vniuerſam regionem de illo. * Et ipſe docebat in Synagogis eorum, & ma-
16 gnificabatur ab omnibus. * Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intra-
uit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit lege-
17 re. * Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit lo-

18 *cum vbi ſcriptum erat: * Spiritus Domini ſupèr me: proptèr quod vnxit me,*
19 *euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, * prædicare captiuis re-*
miſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare an-
20 *num Domini acceptum, & diem retributionis. * Et cum plicuiſſet librum, red-*
didit miniſtro, & ſedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in
21 *eum. * Cœpit autèm dicere ad illos: Quia hodiè impleta eſt hæc ſcriptura in au-*
22 *ribus veſtris. * Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis*
gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonnè hic eſt filius Ioſeph?
23 ** Et ait illis: Vtiquè dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum:*
24 *quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. * Ait au-*
25 *tèm: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. * In ve-*
ritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quandò clauſum
eſt cælum annis tribus, & menſibus ſex: cum facta eſſet fames magna in omni
26 *terra: * & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mu-*
27 *lierem viduam. * Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta: & nemo*
28 *eorum mūdatus eſt niſi Naaman Syrus. * Et repleti ſunt omnes in Synagoga ira,*
29 *hæc audientes. * Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extrà ciuitatem, & duxe-*
runt illum vſquè ad ſupercilium montis, ſupèr quem ciuitas illorum erat ædifi-
30 *cata vt præcipitarent eum. * Ipſe autèm tranſiens per medium illorum, ibat.*

COMMENTARIVS.

ET *regreſſus eſt Ieſus in virtute ſpiritus* in Galilæam, *& fama exijt per vniuerſam regionem de illo* ob ſigna, & mirabilia magna, quæ faciebat, *& ipſe docebat in Synagogis eorum* Galilæorum, *& magnificabatur ab omnibus* videntibus virtutes, quas faciebat, præmittit hoc de alijs, vt appareat facinus Ciuium, *& venit Nazareth, vbi erat nutritus* à reditu ex Aegypto pòſt parabolas enarratas, petit Patriam ſe ipſum manifeſtaturus, non quia ſui crediderant eum in furorem actum; nàm ex tùnc geſtis docuit quis eſſet, & ipſi cognouerunt, & in his, quæ Patris ſui erant, totus erat, *& intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere,* lecturus, *& traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi Scriptura erat, Spiritus Domini ſupèr me* factus eſt, *proptèr quod vnxit me* à principio, in inſtanti incarnationis meæ. acto. 10. 38. vnxit eum Dominus Spiritu ſancto, ità vt inhabitaret in eo omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr. Coloſſ. 1. 19. & 2. 9. datus eſt enim doctor iuſtitiæ. Ioel. 2. 23. & in lucem mundi. Iòan. 1. egò ſum lux mundi. Ioan. 5. Vndè *euangelizare pauperibus miſit me*, omnibus quidem hominibus, ſed pauperibus cum effectu, quia hi primi receperunt Euangelium, non diuites, non potentes, non principes, ideò dicebant, numquid aliquis ex principibus credit in eum? ſed turba hæc, maledicti ſunt, &c. Ioan. 7. & ſic poteſt dici de alijs confractis, captiuis, cœcis, contritis, mitibus, & humilibus his, qui fuerunt procliuiores ad accipiendum Chriſti Euangelium, & regnum, & gratiam, in quibus remiſſio, liberatio, lux, & alia, quæ attulit; vel ſunt (& melius) effectus, & virtutes, quæ expectabantur, emanaturæ erant à Meſſia, & de his ipſe cum diſcipulis Ioannis, vt vidimus, cœci

vi-

vident,&c.& in fine pauperes euangelizantur. *Prædicare annum Domini acceptum*, idem ſapit, quod præcedentia, libertatem, vinculorum diſſolutionem, reditum ad priſtina, prout in anno Iubilæi, *diem retributionis*, Iudicij, quo tribuetur vnicuiquè iuxtà opera ſua, & in conſequentiam regnum cælorum dabitur, quod appropinquaſſe prędicabant Ioannes, Chriſtus, Apoſtoli. *Et cum plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit*, ſic ſolebant docturi, *& omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum* magna expectantes ab eo, quæ audierant, & fama tulerat de illo. *Cœpit autèm dicere ad illos: Quia hodiè* in tempore iſto *impleta eſt hæc Scriptura, in auribus veſtris* vobis audientibus, in me, voluit dicere, *& omnes teſtimonium illi dabant*, aſſentiebantur dictis per eum, *& mirabantur in verbis gratiæ*, gratioſis, *quæ procedebant de ore ipſius*, verba vitæ æternę habes, dixit Petrus, & milites, numquàm ſic locutus eſt homo, *& dicebant* admirantes: *nonnè hic eſt fabri filius, filius Ioſeph?* hinc fortè mortuus non erat adhùc Ioſeph, quia tamquàm de viuo loquuntur. *Nonnè hic eſt faber filius Mariæ?* non videntur hęc ignominię cauſa dicta, ſed cognitionis, & admirationis maioris, & ideò fit veriſimile Chriſtum exercuiſſe fabrilem artem; ſi enim non exercuiſſet, non dixiſſent fabrum, & qui elegit ſibi Patrem putatiuum fabrum, non eſt veriſimile dedignatum eſſe cum eodem operari, & fabrilia tractare, & fuiſſe paſſum Patrem miniſtrare, eiquè oneri eſſe, qui venerat alijs miniſtraturus, & fortè hoc exemplo motus Paulus, etſi verbo incumbens, quod tùnc non faciebat Chriſtus, manibus ſuis laborabat. *Vndè ergò huic omnia iſta? & ſcandalizabantur in illo*, idèſt impingebant ob humilitatem illius, & propterà ille dixit: *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Cognoſcebant quę dicebat diuina, cęleſtia; at non poterant ſibi perſuadere quomodò hęc tanta in illo fabro, &c. ſed videns Ieſus corda, vel cogitationes eorum illum non recipientium, nequè capacium eius tantę doctrinę; *Ieſus autèm dixit eis, non eſt Propheta ſinè honore, niſi in patria ſua*, quaſi, in alijs locis externis recipior, fidem acquiro, obſequia, hic non, vbi maiora deberem, *& non poterat ibi vllam virtutem facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit propter incredulitatem eorum*, ob quam non erant diſpoſiti, & quę obſtabat miraculorum patrationi; hinc ſolebat dicere, ſicut credidiſti, iuxtà fidem veſtram fiat vobis,&c. *& mirabatur*, habebat ſe per modum admirantis, non quia experiretur, cum id antè eum non lateret, *& ait illis: Vtiquè dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura te ipſum*, Patriam tuam, *quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, quam illi pręferre debes. *Ait autèm* (ſubdens) *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*, ſed alibi, quod probat duobus exemplis, Elię miſſi ad ſubueniendum viduam in regiones externas; Eliſęi ſanantis Naaman Syrum, non Iudęos, quaſi, nil mirum ſi tanta non operor, nàm vos obicem opponitis ex veſtra infidelitate, prout illi tempore illorum Prophetarum; ſicut patres veſtri conuerſi in arcum prauum, *& repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes*, quòd ſe Meſſiam faceret, & eos exemplis Viduæ, & Naaman redargueret, *& ſurrexerunt, & eiecerunt illum extrà Ciuitatem, & duxerunt illum vſquè ad ſupercilium montis, ſuper quem Ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum* priuata auctoritate, nullo ordine ſeruato, ſententia non præcedente, ſola indignatione moti, eò vſquè eos adegit hæc commotio. Inuidia hæc Cain in Abel. Geneſ. 4. fratrum in Ioſeph. Geneſ. 38. Mariæ, & Aaron. Num. 12. Chore, & Abiron in Moyſen. Num. 16. illorum in Saul, qui dixerunt, numquid ſaluare nos poterit iſte? 1. Reg. 10. 27. & 11. 12. fratrum Dauid. 1. Reg. 17. 28. Sebæ Bochri dicentis, quæ pars in Iſai? 2. Reg. 20. Iudæorum in Chriſtum, ſciebat enim, quòd per inuidiam tradidiſſent eum. Matth. 27. 18. ſed prædicti omnes inuidi percuſſi. *Ipſe autèm tranſiens per medium illorum, ibat* viſibilis, nolens tangi, quia ſi inuiſibilis, non dixiſſet, *tranſiens, & per medium illorum ibat*, quandò enim inuiſibilis, dicitur abſcondit ſe, & exiuit de templo, dum volebant eum lapidare.

CAPVT LVIII.

DE MISSIONE APOSTOLORVM.

Matth. 10.

1 ET conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſta-
tem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & cura-
2 rent omnem languorem, & omnem infirmitatem. * Duo-
decim autèm Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus: Si-
3 mon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, * Ia-
cobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bar-
tholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus
4 Alphæi, & Thaddæus, * Simon Chananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tra-
5 didit eum. * Hos duodecim miſit Ieſus: præcipiens eis, dicens: In viam gen-
6 tium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: * ſed potiùs
7 ìte ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. * Euntes autèm prædicate, dicentes:
8 quia appropinquauit regnum cælorum. * Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, le-
9 proſos mundate, dæmones eijcite: gratìs accepiſtis, gratìs date. * Nolite poſſide-
10 re aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: * non peram in
via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enìm eſt
11 operarius cibo ſuo. * In quamcumque autèm Ciuitatem, aut Caſtellum intraue-
12 ritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibì manete donèc exeatis. * Intrantes
13 autèm in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. * Et ſi quidèm fue-
rit domus illa digna, veniet pax veſtra supèr eam: ſi autèm non fuerit digna,
14 pax veſtra reuertetur ad vos. * Et quicumquè non receperit vos, neque audierit
ſermones veſtros: exeuntes foràs de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pe-
15 dibus veſtris. * Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Go-
16 morrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. * Eccè ego mitto vos ſicùt oues in
medio luporum. Eſtote ergò prudentes ſicùt ſerpentes & ſimplices ſicùt columbæ.
17 * Cauete autèm ab hominibus. Tradent enìm vos in Concilijs, & in Synagogis
18 ſuis flagellabunt vos: * & ad præſides, & ad reges ducemini proptèr me in teſti-
19 monium illis, & gentibus. * Cum autèm tradent vos, nolite cogitare quomodò,
20 aut quid loquamini: dabitur enìm vobis in illa hora, quid loquamini. * Non
enìm vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.
21 * Tradet autèm frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filij in
22 parentes, & morte eos afficient: * & eritis odio omnibus proptèr nomen meum: qui
au-

23 *autèm perſeuerauerit vſquè in finem, hic ſaluus erit.* Cum autèm perſequentur*
vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis ci-
24 *uitates Iſrael, donèc veniat Filius hominis.* Non eſt diſcipulus ſuper magi-*
25 *ſtrum, nec ſeruus ſupèr dominum ſuum.* Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicùt magi-*
ſter eius: & ſeruo, ſicùt dominus eius. Si Patrem familias Beelzebub vocaue-
26 *runt: quantò magìs domeſticos eius?* Ne ergò timueritis eos: Nihil enìm eſt*
27 *opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur.* Quod dico vo-*
bis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis prædicate ſupèr tecta.
28 ** Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autèm non poſſunt occidere;*
ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.
29 ** Nonnè duo paſſeres aſſe veneunt: & vnus ex illis non cadet ſupèr terram ſinè*
30 *Patre veſtro?* Veſtri autèm capilli capitis omnes numerati ſunt.* Nolite ergò*
31 *timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Omnis ergò, qui confitebitur me co-*
32 *ràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo, qui in cælis eſt:* qui*
33 *autèm negauerit me coràm hominibus, negabo & ego eum coràm Patre meo, qui*
34 *in cælis eſt.* Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non ve-*
35 *ni pacem mittere, ſed gladium.* Veni enìm ſeparare hominem aduersùs patrem*
ſuum, & filiam aduersùs matrem ſuam, & nurum aduersùm ſocrum ſuam:
36 ** & inimici hominis, domeſtici eius.* Qui amat patrem, aut matrem plus*
37 *quàm me, non eſt me dignus; & qui amat filium, aut filiam ſupèr me, non eſt me*
38 *dignus.* Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.*
39 ** Qui inuenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam pro-*
40 *ptèr me, inueniet eam.* Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit*
41 *eum, qui me miſit.* Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem pro-*
phetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet:
42 **Et quicumquè potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm*
in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

Marc. 6.

6 *ET circuibat caſtella in circuitu docens.* Et vocauit duodecim: & cœpit eos*
7 *mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.* Et præ-*
8 *cepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm: non peram, non panem,*
9 *nequè in zona æs,* ſed calceatos ſandaliјs: & ne induerentur duabus tunicis.*
10 ** Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum: illic manete donèc exeatis*
11 *indè:* quicumquè non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes indè, ex-*
12 *cutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.* Et exeuntes prædicabant*
13 *vt pœnitentiam agerent:* & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo mul-*
tos ægros, & ſanabant.

Luc.

Luc. 9.

1 *CONVOCATIS autèm duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, &*
*poteſtatem ſupèr omnia dæmonia, & vt languores curarent. * Et miſit il-*
3 *los prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. * Et ait ad illos: Nihil tuleritis*
in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque
4 *duas tunicas habeatis. * Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, &*
5 *indè ne exeatis. * Et quicumquè non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa,*
6 *etiàm puluerem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſuprà illos. * Egreſſi*
autèm circuibant per caſtella euangelizantes, & curantes vbiquè.

COMMENTARIVS.

SVPRA cap. 9. Matthæus refert, Dominum viſis turbis miſertum eſſe eis, & dixiſſe operarios paucos eſſe; hoc verò cap. 10. *Et conuocatis duodecim diſcipulis*, quos iàm Apoſtolos nominauerat, *dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum*, pollutorum, ad differentiam Angelorum mundorum Deum videntium; beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, *vt eijcerent eos* ex corporibus obſeſſis, *& curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*, ad hoc & ipſe venerat curaturus languores, & infirmitates noſtras, & propterea ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Sed an hæc ſit prima miſſio? & videtur, quia aliam anteriorem non habemus; nàm Mar. 3. in electione Apoſtolorum dicitur, & vt mitteret eos prædicare, non autèm miſit. Ioan. 4. ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis, &c. intelligenda enim hæc, vel elegi vt mittam, pòſtquàm de miſſione non conſtat, imò contrarium, quia tùnc ſecum habebat tantùm Petrum, Andream, Philippum, Nathanaelem quibuſcum in nuptijs, & Capharnai, ac Ieroſolymis fuerat, & tùnc ex Ieroſolymis reuertebatur cum eiſdem. Vel referenda ad baptiſmum tantùm, de quo conſtat in princip. cap. 4. & tùnc ipſi non prædicabant, ſed aderat Chriſtus prædicator; vel Ioannes non ſeruauit ordinem temporis, quod tamèn in hoc præcisè non video, ſi enìm aliàs miſiſſet, præſcripſiſſet quæ ſeruanda erant, proùt nunc; vltrà quòd hæc miſſio ipſa ex verbis ſapit primam, quia imbuuntur ab ouo quid agere debeant, & ſi aliàs miſſi, fieret aliqua mentio & miſſionis, & regreſſus, proùt in hac; erant & tùnc rudes, qui nihil adhùc didicerant; imò Andreas, & Petrus poſteà reuerſi ad piſcationem, ex qua euocati à Chriſto, ità vt non ſit veriſimile iniunctam his tùnc prædicationem; Non eſt etiàm veriſimile in principio ſuæ prædicationis alios miſiſſe prædicatum. *Duodecim autèm Apoſtolorum nomina ſunt hæc, Primus Simon, qui dicitur Petrus*; de huius primatu ſolùm intererat ſcire, ideò de alijs nil profert. *Hos duodecim miſit Ieſus* (cogita & Iudam miſſum, qui retroceſſit) *binos* iuxtà Marcum, vt ſimùl conſolarentur, & haberent ſubleuantem ſe, Veh ſoli, &c. *præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*, quia hi nondum apti ſunt regno Dei, *ſed potiùs ite ad oues*, ſic ſuprà. Matth. 9. in fin. *quæ perierunt*, peccatores, *domus Iſrael*, peccatores enim venerat ſaluos facere, & ipſe miſſus ad oues Iſrael præſentialitèr, non debuerat durante eius præſentia concedere alijs, quod ſibi ipſi licere noluit, quod pòſt reſurrectionem ſuſtulit. Vltrà quòd oues Iſrael erant facilioris conuerſionis, cum expecta-

pectarent Meſſiam,& haberent libros Moyſis, & Prophetarum, quibus gentes carebant, & eo populo conuerſo, futurus erat fructuoſior illius exemplo ad gentes aditus. *Euntes autèm prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum*, tempus gratiæ, Meſſiam veniſſe; non adhùc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur, ſed pœnitentia cælum acquirendum, quod iàm erat in foribus, ſic ipſe, ſic Ioannes Baptiſta annunciabant, & in confirmationem dictorum *infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite* virtute à me vobis data, quæ ſunt ſigna Meſſiæ, quæ vobis communicaui miniſtris meis, vt omnes ſignis, & beneficijs alliciatis ad fidem, & opere ipſo comprobetis regni cęlorum annunciationem; mitto vos, ſicut miſit me pater: ſic Moyſi populum educturo poteſtas data ſigna faciendi, vt ei crederetur. *Gratis accepiſtis*, quę vos volo gratis impertiri, *gratis date*, quod ſeruauit Petrus cum claudo in porta templi, & act.8. cum Simone pecuniam reſpuens, & priùs Eliſęus cum Naaman Syro. 4. Reg. 4. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*, ità vt nedum occaſione ſanitatum, & miraculorum nihil recipere debetis, ſed neque hęc vllo modo poſſidere; quomodò enim hęc illis, qui omnia reliquerant? ſed id expreſsè cauit, ne exiſtimarent occaſione prędicationis, vel itineris hęc eis licere; ſed cum Dominus haberet loculos, quorum diſpenſator Iudas, videtur ſaltèm in communi id eis licuiſſe, proùt Dominus ſibi licere voluit, & fortè ſub verbo, *poſſidere*, ſtat prohibitio, quaſi, hęc nolo vti veſtra poſſideatis, ſed nō prohibuerit vſum, proùt faciebat ipſe, maximè in neceſſitate, verba tamèn videntur clara: vndè in hoc illos non ſibi ęquauit, quia ipſe noluit hoſpites eligere, quia fortè ſic expediebat, cum multos haberet comites. vide Caietanum. Ioan. 12. in princip. & ibi etiàm recentiores; *non peram in via, neque duas tunicas*, niſi forent ad arcendum frigus neceſſarię, *neque calceamenta* duplicia, ſed ſandalia, *neque virgam* ſuperfluam, ſicut de tunicis, & alijs ſuperfluis, ſed neceſſariam tantùm, vt ex Marco; nàm hìc non agitur neque de punitoria, neque defenſoria, neque poteſtatiua, quia neque de his ipſe Dominus, non erant hęc huius temporis, ſermo eſt pro itinere, non de alio, volo vt ſitis accincti, celeres abſque vllo impedimento, & ne timeatis quidquàm vobis defuturum, *dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, quo alatur, ideò vobis operarijs meis cibus non deerit. *Quarè* (ecce prouiſio) *in quamcunquè Ciuitatem, aut Caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit* vos recipere, in vobis honorari, *& ibi manete donèc exeatis* de Ciuitate, vel Caſtello, hoſpitio vtimini ad prædicationem, aliud nè reſpiciatis, & nè mutetis illud, vt dixit. Luc.10. diſcipulis miſſis. *Intrantes autèm in domum* illius digni *ſalutate eam*, pro inhabitantes in eà, *dicentes. Pax huic domui*, omne bonum, & felicitatem precamini, *& ſi quidèm fuerit domus illa digna*, ſeù habitatores digni (hinc in electione domuum poſſunt decipi) *veniet pax veſtra*, quam illis optabitis *ſupèr eos, ſi autèm nō fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos*, idèſt nihil quòad domum illam, ſeù illos operabitur, vobis proderit, *& quicumquè non receperit vos* in domo, vel Ciuitate, *neque audierit ſermones veſtros*, ſed illos ſpreuerit, *exeuntes foràs de domo* non recipiente, *vel Ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris*, in teſtimonium ſuprà, idèſt aduersùs illos, ad denotandum exitium, quod eis imminet Euangelium recuſantibus, & propterea ſubdit ad denotandum grauitatem pœnæ imminentis. *Amen dico vobis tolerabilius erit, &c.* & idem repetijt. Luc.10. dum miſit diſcipulos ſeptuaginta duo, & ſolemus quaſi anathema nolle tangere quod reprobis, vel reis ad ſupplicium inſeruiuit, & excuſſio pulueris eſt declaratio eos eſſe abominabiles, & profundo proximos, proùt in Dathan, & Abiron peſſumdandis, ſignificatum fuit omnibus ſecedere ab eorum tabernaculis, quaſi abominabilibus, & ne tangerentur, quæ ad eos pertinebant. Num. 16. 26. Vel excuſſio pulueris denotat Ciuitatem peſſumdandam, propterea enim extrà Ciuitatem fieri iubetur, & ſic fecerunt Paulus, & Barnabas. act.13. 51. & alij. act.22. 23. & expectabat Ionas extrà Ciuitatem Niniue

ue eius excidium. Ion.4.& eſt ac ſi dicerent, in puluerem tu redigeris proùt hunc nos excutimus à pedibus noſtris.

Nec obſtat Lucas cap.10. exeuntes in plateas dicite: etiàm puluerem extergimus in vos, nàm Lucas ibì de eo, quod dicere debuerant, non agere, proùt hic per tres Euangeliſtas, aliòquin ſi intrà Ciuitatem fieret antè exitum illius, iterum puluis reaſſumeretur, & iterum foret excutiendus, quod non dicitur; ſolebat Deus per antiquos Prophetas per hæc viſibilia, & craſſa ſub oculis ponere excidia, quæ verbis eorum minabantur, vt magìs terrerentur homines, mouet enim magis repræſentatio factorum, quàm verba. Et hunc ſenſum habuerunt Iacobus, & Ioannes. Luc.9. 54. contrà Samaritanos non recipientes Ieſum, & eſt ſimilis comminatio Chriſti contrà Ieruſalem occidentem, & lapidantem Prophetas. Si dicis, ex verbis *etiàm puluerem excutite*, vult demonſtrari eis, quòd non ratione ſuorum alimentorum illùc acceſſum fuerit, at nequaquàm, ſed illorum quaſi anathemati ſuppoſitorum nolle etiàm puluerem ex ea Ciuitate contractum, ſed abijcere, præſagientes ex hoc quid Ciuitati illi mali venturum ſit; & ſcriptum eſt: ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſùs eos, qui ſe anguſtiauerunt. *Amen dico vobis tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Iudicij, quàm illi Ciuitati* vos non recipienti, quia ſi in illis hæc facta fuiſſent, & recepiſſent, ideò quia his plus datum, plus etiàm requiretur, & in hoc ſenſu aliàs ſic locutus eſt Dominus, præſertim. Luc.10. vbì ſubditur: tamèn hoc ſcitote quia appropinquauit regnum Dei, dico vobis, &c. Væ tibi, &c. quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, &c. *Eccè ego mitto vos, ſicut oues*, inermes, mites, placidas, obmuteſcentes *in medio luporum*, qui in vos inſurgent, circuibunt ad deuorandum, ſi fieri poſſit. *Eſtote ergò* in medio tantæ malitiæ, & peruerſitatis *prudentes ſicut ſerpentes* (ſerpens enìm callidior cunctis animantibus. Geneſ.3. & hac de cauſa ſerpentis exemplo vtitur) vt illas ſuperetis prudentia tantùm, non armis, vitando ea, quæ vos offendere poſſint, vel nocere, *& ſimplices ſicut columbæ*, ſinceri, ità vt ſi hæc iungas, nolit eos vti ſagacitate ad decipiendum, ſed ad prudentèr in omnibus agendum, vitandum inſidias, ſed cum ſimplicitate, ſinceritate, veritate. *Cauete autèm ab hominibus*, quia mundus in maligno poſitus eſt, nolite fidere, ne decipiamini, *tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos*, quod contigit. acto. 4. *& ad Præſides, & ad Reges ducemini proptèr me*, Euangelium meum, legem meam *in teſtimonium illis, & gentibus*, vt teſtificemini de me, teſtes enim electi fuerunt; eritis mihi teſtes in Ieruſalem, &c. acto.1. & Paulo: te oportet teſtificari, &c. & contrà illos, quia ſtabunt iuſti, &c. in teſtimonium eorum infidelitatis, & reiectionis regni annunciati. Hæc ad aliud tempus in vnum à Matthæo collecta; de his egit in cœnaculo. Ioan. capit. 14. 15. 16. *Cum autèm tradent vos* teſtimonium dicturos, *nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*, Poterant dicere, & quid tùnc faciemus nos miſeri? prouidet Chriſtus dubitationi, quia habebunt ſuggeſtorem, *non enim vos eſtis* tùnc *qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Hìnc eò magìs hæc ſpectare ad dicta in cœnaculo, & Luc. 21. & ſic aufert ab eis omnem ſolicitudinem, & animat ad perſecutiones. Dixerat cauendum ab hominibus, declarat etiàm à coniunctis. *Tradet autèm frater fratrem* etiàm *in mortem*, nulla erit miſericordia, *& Pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus* me non ſequentibus *proptèr nomen meum*, quod oderunt, quod recipere nollent, & quod vos magnificabitis, & extolletis; *qui autèm perſeuerauerit vſquè in finem*, conſtantèr agendo proptèr me, *hic ſaluus erit*, coronabitur, in patientia ſua poſſidebit animam ſuam: à præmio allicit eos ad perſecutiones. *Cum autèm perſequentur vos in Ciuitate iſta*, nolite vos opponere, nolite permanere, niſi ſit neceſſe ad fidem propagandam, *ſed fugite in aliam*, permittit eis fugam, ſic factum, vt in actib. Apoſt. prædixerat perſecutiones, ſi non reciperentur, vt excuterent puluerem de pedibus, nunc quid agendum, nempè ne reſiſtant, ſed ad aliam Ciuitatem prædicaturi accedant

dant

dant (ideò hæc non ſpectant ad hoc tempus, ſed ad aliud) at non multùm proficietis in Iudæa. *Amen dico vobis, non conſummabitis,* circuietis euangelizando *Ciuitates Iſrael, donèc filius hominis veniat*, eſt hoc ſeparatum à fuga; eſt hæc prædictio futurorum, & fructus ſeminis, erunt tales perſecutiones in Iudæa, adeò vos ſpernent, non audient, fugabunt vos, vt differatur admodum conuerſio etiàm vſquè ad finem mũdi, ſeù vſquè ad iudicium, idèſt propè illud, quandò reliquię Iſrael ſaluæ fient, vndè hæc tangunt non Apoſtolos, ſed ſucceſſores, & illius temporis nouiſſimos, in Scriptura enìm pluriès ſub iudicio capitur illud tempus ſub Antichriſto, & pòſt illum vſquè ad diem Iudicij, vt aliàs obſeruaui. *Non eſt diſcipulus supèr magiſtrum, nec ſeruus supèr dominum ſuum* dum ſunt tales, *ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo ſicùt Dominus eius*, ſic enìm æſtimant dum ſunt diſcipuli, & ſerui, & videtur tùnc eis magnum. *Si* me *Patremfamilias* veſtrum *Beelzebub*, dæmonem vocauerunt, ità vt appareat nedum dixiſſe Hebręos Chriſtum in virtute Beelzebub eijcere dęmonia, ſed ipſum eſſe Beelzebub, *quantò magìs domeſticos eius?* dicent; hæc prædicit, vt cum contigerint non pertimeſcant, ne ergò timueritis eos, quia prędixi hoc futurum, vel (& melius, & ad ſequentia congruentius) *ne ergò timueritis eos*, quin faciatis quod veſtrum erit, etſi hęc dixerint; omnia enim ſunt à vobis dicenda. *Nihil enim eſt opertum* legis meæ, *quod non reuelabitur*, quod vos reuelare non debeatis, *& occultum quod non ſcietur*, quod ſciri non expediat; *Ideò quod dico vobis in tenebris*, ſemotis arbitris, proùt parabolas, vel vitia Phariſæorum, quæ illis ſolis declarauit, *dicite in lumine*, apertè, *& quod in aure*, ſecretò, *auditis, prædicate supèr tecta*, palàm, publicè, pro roſtris, quaſi, hæc ad hunc effectum vobis dicta ſunt, vt alios doceatis tempore ſuo; hic verior ſenſus; hæc enìm, vt ſæpè aduerti, ſpectant ad vltima verba Chriſti in cœnaculo; *Et nolite timere eos* (ad idem hæc) *qui occidunt corpus*, quaſi, ne reticeatis hæc, licèt mortem vobis inferre minentur, *animam autèm* pretioſiorem *non poſſunt occidere*, perdere, *ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*, præferre debetis promulgationem Euangelij ſilentio, corpori animã, Deum perſecutoribus; nec timendum vobis, quin veſtri cura non habeatur. *Nonne duo paſſeres* adeò viles *aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet supèr terram ſinè Patre veſtro* Deo? *Veſtri autèm & capilli*, qui ſunt ſuperfluitates corporis, *omnes numerati ſunt*; videte qualis cura veſtrum. *Nolite ergò timere* prædicare, & nomen meum publicate: *multis paſſeribus*, nedum duobus, *meliores eſtis vos*, pretioſiores vos paſſeribus. *Omnis ergò* (ex præmio allicit) *qui confitebitur me* ore *coràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo, qui in cælis eſt:* ſed quid operabitur hæc confeſſio? vt ſcilicèt illic ſit miniſter meus vbi ego. *Qui autèm negauerit* (ex pœna deterret) *me coràm hominibus* ore ſuo, *negabo & ego eum coràm Patre meo, qui in cælis eſt*, quid hoc erit? amen dico vobis neſcio vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere*, quæ deſtruat, *ſed gladium*, diſſenſiones, quæ conſtruant, quæ ædificent, non hìc de amore: *Veni enim* tollere obſtantia legi Euangelicæ, *ſeparare hominem aduersùs Patrem ſuum, & filiam aduersùs matrem ſuam, & nurum aduersùs ſocrum ſuam*, numerat coniunctiores, ſeparare autèm ab illis malis, ab eorum falſa religione, ſecta, vitijs, & reformare, & trahere ad me, & legem meam ſanctam, *& inimici hominis domeſtici eius*, quia vel & hi ſunt inimici detinentes homines, ne conuertantur, ne recipiant legem Euangelicam, & de Chriſto dixit Simeon: in ſignum cui contradicetur; & audiuimus de ſecta hac, quia vbiquè ei contradicitur. acto. cap. fin. repugnat enìm diabolo, quicum nobis colluctatio, carni, mundo, cuius opera condemnantur; quæ enìm conuentio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial? ni mirum, ſi gladium miſit; non cauſa Chriſtus, qui eſt Rex pacificus occaſio malè ab illis ſumpta, qui legem recipere debuerant, at omnia ille proptèr electos, in quorum gratiam etiàm dies breuiabuntur. *Qui amat Patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me*

dignus,

dignus, & qui amat filium, aut filiam ſupèr me, non eſt me dignus: mirari poterat quiſpiam quomodò ſeparandi adeò cari ab inuicèm? reſpondet Chriſtus, ego præferri his debeo, ſum Deus, præferenda diuina humanis, ſpiritualia corporalibus, ſupèr hos caros diligendus ſum, colendus ſum, aliòqui ſecùs faciens non eſt me dignus, reijcietur; at quidni hoc, ſi ipſe creator, redemptor, conſeruator, in quo ſtamus, mouemur, & ſumus? at hi in quos amandos natura ſola ferimur, quidni omnia ei debeamus, à quo omnia recipimus? & pro nobis certando vicit? nonnè leges à victore latæ ferendæ? quidni ſi omnia pro nobis ſeruiunt, bonorum enìm noſtrorum non eget, & hæc nos ducunt ad regna cæleſtia ſemotis his obſtaculis, & ſcrupulis, quæ impediunt? quidni, cum Deus numquàm deſit? at deſunt aliquandò & coniuncti; quidni, cum ſit noſter Dominus abſolutus? non ſic Pater, & alij: quidni, cum ipſe eò vſquè dilexerit, vt filium ſuum vnigenitum dederit, & omnia cum ipſo? malè Adam, qui ne contriſtaret delitias ſuas, ab Eua recepit fructum, & comedit, vxorem Deo præponens. *Qui non accipit Crucem ſuam:* quauis morte paratus ſit pro me mori, *& ſequitur me* pro mundo moriturum, ſi ſic expediat; ſic milites Abimelech, & Gedeonis, *non eſt me dignus*, nedum ergò cari illi poſtponendi mihi, ſed & vita propria; *Qui inuenit animam ſuam;* conſeruat in hoc mundo eo caſu, quo debet pro me effundere vitam ſuã, *perdet illã* in æternum, *& qui perdiderit animam ſuam proptèr me*, morti ſe exponens pro confeſſione fidei, *inueniet eam* in æternum in alio ſęculo. *Qui recipit vos* (à pręmio recipientium eos allicit ad officium prędicationis, & alios ad recipiendum promptos reddit) in hoſpitium, *me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit*, Patrem meum, vndè poteſt dici: ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ*, quatenùs Propheta, *mercedem Prophetæ recipiet*, ſimilem illius ſpeciei, *& qui recipit iuſtum in nomine iuſti*, quatenùs iuſtus, *mercedem iuſti accipiet, & quicumquè potum dederit vni ex minimis iſtis* à me miſſis *calicem aquæ frigidæ*, quidquid minimum, *tantùm in nomine diſcipuli*, quatenùs diſcipulus: *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*, remunerabitur, adeò eſtis mihi cordi omnes euangelizaturi regnum Dei; *Egreſſi autèm* in hac poteſtate *prædicabant, vt pœnitentiam agerent, &c. Et vngebãt oleo multos ægros, & ſanabant*, hæc vnctio non fuit ſacramentalis, tùm quia Apoſtoli tùnc non erant Sacerdotes, nequè data erat eis poteſtas ligandi, & ſoluendi, in extrema autèm unctione peccata oblita, & venialia remittuntur, tùm quia de tanto Sacramento per alios Euangeliſtas ſimilitèr facta eſſet mentio in illa miſſione. Vndè rectè Concilium inſinuari ex Marco, quod futurum erat Sacramentum; inſinuare enìm, eſt in notitiam adducere. Vndè Suetonius de clar. gram. quarè citò manumiſſus Auguſto inſinuatus eſt; quod poſteà Iacobus commendauit, & promulgauit. Dicta verò à Marco reſpiciunt miracula, quæ ab Apoſtolis fiebant, præceperat enim Dominus (vt inquit Matth. capite 10.) infirmos curare, & Luc. 9. vt languores curarent, & ſanare infirmos, & ſubdit *curantes vbiquè*, proùt Marcus *ſanabant*, ſic & idem Marcus cap. fin. de eadem curatione infirmorum miraculoſa, ſupèr ægros manus imponent, & benè habebunt. *Et regreſſi Apoſtoli nunciauerunt Domino*, quæ eis benè ſucceſſerant miraculosè, & tùnc Dominus in eorum præſentia ſaturauit quinquè millia, ne ipſi ex eorum miraculis extollerentur. Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Io. 6. in quibus locis etiàm fit mentio ſanitatis præſtitæ à Domino, quæ non fuit diuerſa à data ab Apoſtolis. Similitèr quandò miſit diſcipulos ſeptuaginta duos, iuſſit vt infirmos curarent. Luc. 10. ex miraculo ſcilicèt, oleum autèm infirmorum non eſt inductum ad miracula ſempèr patranda, & eodem cap. 10. Dominus reuerſis cum gaudio ob patrata miracula iniungit, ne gaudeant ſupèr his, ſed nominum ſuorum in cælis deſcriptione. Facit, quia & Apoſtolis, & Diſcipulis hæc mandata circuituris Ciuitates, & Caſtella, quo caſu ſi moribundos tantùm ſanaturi erant, pro his enìm oleum infirmorum, rari fuiſſent, quos ipſi conueniſſent, & curaſſent, & tamèn multitudinis fit men-

mentio. Vltrà quòd verba Chriſti, *vt curarent infirmos* nimis reſtringerentur. Ad hæc non eſt veriſimile Chriſtum voluiſſe eos vti Sacramento, quo ipſe vſus non erat, nàm vſquè ad hoc tempus baptiſmo, & pœnitentia peccata relaxando virtute excellentiæ vſus fuit, hunc autèm ritum vnctionis traxit Dominus ad Sacramentum, de quo Iac. 5.

CAPVT LIX.

DE NECE IOANNIS BAPTISTAE.

Matth. 14.

1 *IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu :*
2 ** & ait pueris ſuis : Hic eſt Ioannes Baptiſta : ipſe ſurre-*
3 *xit à mortuis , & ideò virtutes operantur in eo . * Hero-*
des enìm tenuit Ioannem, & alligauit eum : & poſuit in
4 *carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui . * Di-*
5 *cebat enìm illi Ioannes : non licet tibi habere eam . * Et*
volens illum occidere , timuit populum : quia ſicùt Pro-
6 *phetam eum habebant . * Die autèm natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis*
7 *in medio , & placuit Herodi . * Vndè cum iuramento pollicitus eſt ei dare quod-*
8 *cumque poſtulaſſet ab eo . * At illa præmonita à matre ſua . Da mihi , inquit ,*
9 *hìc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ . * Et contriſtatus eſt Rex : propter iuramen-*
10 *tum autèm , & eos , qui paritèr recumbebant , iuſſit dari . * Miſitquè, & decol-*
11 *lauit Ioannem in carcere . * Et allatum eſt caput eius in diſco , & datum eſt*
12 *puellæ , & attulit matri ſuæ . * Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius,*
& ſepelierunt illud: & venientes nunciauerunt Ieſu .

Marc. 6.

14 *ET audiuit Rex Herodes , (manifeſtum enìm factum eſt nomen eius) &*
dicebat : Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis : & propterea virtu-
15 *tes operantur in illo. * Alij autèm dicebant : Quia Elias eſt . Alij verò dicebant:*
16 *Quia Propheta eſt , quaſi vnus ex Prophetis . * Quo audito Herodes ait : Quem*
17 *ego decollaui Ioannem , hic à mortuis reſurrexit . * Ipſe enìm Herodes miſit , ac*
tenuit Ioannem , & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Phi-
18 *lippi fratris ſui , quia duxerat eam . * Dicebat enìm Ioannes Herodi : Non licet*
19 *tibi habere vxorem fratris tui . * Herodias autèm inſidiabatur illi : & vole-*
20 *bat occidere eum , nec poterat . * Herodes enìm metuebat Ioannem , ſciens eum*

virum iuſtum & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat,
21 *& libentèr eum audiebat.* Et cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis*
22 *ſui cœnam fecit Principibus & Tribunis, & primis Galilææ.* Cumquè introiſſet*
filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulquè recumben-
23 *tibus; Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi:* & iurauit illi: Quia*
24 *quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* Quæ cum exiſſet, dixit*
25 *matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ.* Cumquè in-*
troiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt protinùs des
26 *mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Et contriſtatus eſt Rex: proptèr iuſiu-*
27 *randum, & proptèr ſimùl diſcumbentes noluit eam contriſtare:* ſed miſſo ſpi-*
28 *culatore præcepit afferri caput eius in diſco. Et decollauit eum in carcere,* & at-*
29 *tulit caput eius in diſco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.* Quo*
audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius: & poſuerunt illud in
monumento.

Luc. 9.

7 *AVDIVIT autèm Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæ-*
8 *ſitabat eo quòd diceretur à quibuſdam:* Quia Ioannes ſurrexit à mortuis:*
à quibuſdam verò: Quia Elias apparuit: ab alijs autèm: Quia Propheta vnus
9 *de antiquis ſurrexit.* Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui: Quis eſt autèm*
iſte, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

COMMENTARIVS.

I*N illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Ieſu;* Sed cur tàm ſerò? reſpondeo, antè carcerem Ioannis Chriſtus aliquos diſcipulos vocauerat, miraculum in nuptijs ediderat, Capharnaum petierat, Ieroſolymam in Paſchate, & deindè per diſcipulos baptizauerat, quæſtio intèr Iudæos, & diſcipulos Ioannis orta erat de baptiſmo, & Ioannes de Chriſto teſtimonium ediderat, & circà hoc tempus Ioannes in carcerem coniectus eſt, antequàm Chriſtus ex Iudæa in Galilæam deſcenderet, ex Matth. 4. cum audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam, & ex Marc. 4. poſtquàm traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam, & vſquè ad illud tempus nondum percrebuerat fama Ieſu, nàm recitata tantùm innotuerant, de quibus Ioa. 4. quòd baptizabat per diſcipulos, quorum plures faciebat, quàm Ioannes, & quia id agebat per alios, & fama Ioannis erat recens, & actus erant ſimiles, nec ipſe Ieſus per ſe faciebat, ſed per diſcipulos, fortè non erat fama adeò nota. Vndè Marcus quaſi de præſenti dicit: manifeſtum enim factum eſt nomen eius. Vltrà quòd antè hoc tempus Herodes fuerat Romæ, & in reditu Herodiadem ſibi copulauerat, ſupèr quia à Ioanne arguebatur, non enim quiſquàm aſſerit Romæ fuiſſe pòſt carcerem Ioannis, ſed tantùm tempore Caij Imperatoris ſucceſſoris Tiberij, qui eum relegauit, vt per Ioſephum. Vndè prima hæc Chriſti geſta illum præterire potuerunt. Pòſt verò carcerem

Ioan-

Digitized by Google

Ioannis, qui exceſſit annum, & menſes, vel voluptatibus cum pellice eneruatus: nihil eſt enim quod magis hominem eneruet, & excœcet, quàm libido, exemplum in Salomone, & Samſone: vel bello ab Areta moto, quod per legatos actum eſt, vt dicit Ioſephus, non per ipſos Reges, perturbatus, animum ad hæc non adiecit, nec quidquàm extraneum ad ſe deferri paſſus eſt, vel alij ad eum curis maximis oppreſſum hæc deferre ſunt auſi, vel fortè apud eum obſcurabatur fama Ieſu per aulicos Ioanni addictos, vel per inuidos Phariſæos Chriſto inſidiantes, ſed tandèm nece Ioannis ſubſecuta, quæ propera fuit ex diſpenſatione diuina, vt fama Ieſu creſceret, iuxtà quod Ioannes dixerat, me oportet minui, illum autèm creſcere, ſtimulis conſcientiæ agitatus, exercitu ſuo per Aretam cæſo, ac diſſipato pòſt decollatum Ioannem, quod huic crudelitati referebatur, vt per Ioſephum, ſibi timens animum adiecit ad famam Ieſu, & hæſirauit Ioannem reſurrexiſſe in virtutibus in ſui perniciem, & ſic opinio tenentium abſentiam, & bellum ingruens fuiſſe in cauſa, cur tàm ſerò fama Ieſu ad eum peruenerit, ſaluari poteſt. Quòd ſi hæc non placent, recurrendum eſt ad opinionem Chryſoſtomi, quæ confirmatur, quia cupiebat videre Ieſum, & nullam diligentiam fecit, ſed inopinatò vidit illum ad ſe à Pilato tranſmiſſum. Poſſunt & addi occupationes bellicæ diſtrahentes, peccata, quibus erat irretitus. Luc. 3. & præſertim libidinis obſcurantis intellectum, & quòd non cogitabat cæleſtia, nàm fama Ieſu, quæ tandèm ad eum peruenit, vtitur ad ſibi, & rebus ſuis proſpiciendum, non animæ. Vel modò diſcipuli iuerant prædicatum, & fama magis diuulgata eſt, ità vt ad Herodem peruenerit; Vel omnes cauſæ inſimùl iungendæ, & veriſimilis eſt admodum, & ſuſtentabilis illa Chryſoſtomi; nàm pòſt carcerem Ioannis fama Ieſu fuit celeberrima, quæ & penetrauit ad Ioannem carcerarum. Sed & antè conuerſabatur Dominus eodem loco, quo Ioannes baptizabat, cum Ioannes loco ceſſiſſet, & ſicut Herodes nouerat Ioannem, quomodò non & fama Ieſu ibi conuerſantis maior ad eum deuenerat? At fortè tùnc deſcenderat Ieſus in Capharnaum, & Ieroſolymam, & abſens erat à loco, in quo Ioannes moram trahebat, reditus enim ab vrbe hoc tempus ſolùm percutiebat. *Et ait pueris ſuis, hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis*, proùt alij ſuſcitati, *& ideò virtutes* miracula *operantur in eo*, quæ non ſolebant; nàm Ioannes nullum fecit ſignum, hæſitabat, inquit Lucas, audiens multorum opiniones, quas refert Marcus, quem cum Matthæo debemus ſic exponere, dum faciunt Herodem aſſerentem Ioannem eſſe, vt propterea cupierit videre Ieſum. Luc. 9. 9. & 23. 8. volens dubio ſuo ſatisfacere, an ex facie eſſet Ioannes.

Nequè placet cum pueris certò locutum eſſe, quòd ipſe eſſet, cum alijs hæſitans, nàm & Marcus, & Lucas generalitèr loquuntur, & certò, non ſe reſtringentes ad pueros, & ſubiecta materia incerta, & diuinatiua id ſuadet, & quia ex timore loquebatur; Vel cum Matthæus explicat de pueris, dicamus cum his ſolis locurum eſſe, & ſic intelligamus Marcum, & Lucam non ſe explicantes ſtrictè ad pueros, & eſt veriſimile id contuliſſe cum his, quibus fidebat. Sed ſi Herodias ſepeliuit caput Ioannis Baptiſtæ in Regia, cur non vidit an exraret, ſed timor aufert omne conſilium, vel ignorauit. Et facta mentione carceris Ioannis, de quo ſuo loco egimus, ſubdit Euangeliſta. *Et cum dies opportunus* ſuis inſidijs *accidiſſet: Herodes natalis ſui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ* (hic, & Pharao ſoli in ſcriptura natalis eorum cœnam feciſſe ſcribuntur) ſed in hoc conuiuio Baptiſtę, in illo Pharaonis pincernæ mors interuenit, ideò vitanda conuiuia: occaſione horum traditur Chriſtus à Iuda: filij Iob, pro quibus conuiuantibus ſacrificabat, mortui. Iob. 1. Vaſthi Regina repudiatur. Baltaſſar, Amnon, Machabæi in dolo mortui. Hic in die naralis ſui conuiuat. Iob. cap. 3. Ieremias cap. 10. maledixerunt illi. *Cumquè introiſſet filia ipſius Herodiadis*, non Herodis, *& ſaltaſſet*, quàm turpe in puella Regia; noluit ſe oſtentare Regina Vaſthi, *& placuiſſet Herodi, ſimulquè recumbentibus*, qui fortè ex hac cauſa, & vt placerent Herodiadi, iuuerunt illam in petitione turpi, ideò Sapiens; cum ſaltatri-

ce ne aſſiduus ſis. Eccleſ.9.9. & Holophernes captus ſandalijs. Iudith.16.11. *Rex ait puella. Pete à me quod vis, & dabo tibi, & iurauit illi, quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei* petas, ſic & Aſſuerus cum Eſther. cap.7.2. fuit ſermo effuſus, non tamèn ad illicitum progrediens manifeſtè ex verbis, vndè nec tenebatur obſeruare, & Dauid non ſeruauit iuramentum contrà Nabal. 1.Reg.25. Hìc Herodes à ſe ipſo, ſed Iacobus, & Ioannes Chriſtum hoc modo capere tentarunt. Mar.10.36. *Quæ puella cum exiſſet* matrem interrogatura, *dixit matri ſuæ, quid petam* tibi gratum, cui ſatisfacere volo? hinc apparet non communicaſſe filiæ improbum conſilium, ſi enim puella illud ſciuiſſet, non exiſſet ad illam interrogatura, vndè quod dicit Matthæus præmonitam fuiſſe à matre, intellige tùnc, quandò exijt ad eam, non quandò ſaltatum iuit; *at illa dixit:* pete *caput Ioannis Baptiſtæ. Cumquè introiſſet ſtatìm cum feſtinatione ad Regem* impulſa à matre timente, ne Rex mutaretur, *petiuit dicens: volo vt protinùs des mihi in diſco*, non oſtenſo, non parato, ſed ſimplicitèr *caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex* verè ex dictis Matthæi, & Marci; & quia durabat bellum cum Areta, & mœtus populi, ad quem tollendum, & ne obijceretur à viro, iuxtà petitionem puellæ, callidè à Matre præmonitæ, *iuſſit* illum *decollari in carcere*, & quaſi pulmentum in diſco ad cœnam afferri, ne fieret commotio; vrgebat & facinus ad nutum ſaltatricis: quòd ſi fictè contriſtatus eſſet, Euangeliſtæ id clarè expreſſiſſent, & in ſubſequentibus aperuiſſent fictionem, proùt in Herode fingente ſe velle Dominum adorare, *proptèr iuſiurandum, & proptèr ſimùl diſcumbentes*, aut præmonitos à matre, aut eam timentes, aut deſiderio ſuo ſatisfacere volentes, & ſilentes, aut pro puella, quæ eis placuit, ſtantes, *noluit eam contriſtare*. Vndè Chriſtus: fecerunt in eo quæcumquè voluerunt. Matth.17.12. *Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput* eius *in diſco, & decollauit eum in carcere* timens populum, ſi publicè id fieret, *& attulit* ſpiculator *caput eius in diſco, & Herodes dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ*, quæ illud in Regia ſepeliuit. *Quo audito diſcipuli eius* Ioannis *venerunt, & tulerunt corpus eius*, quod fortè ab Herode impetrarunt, *& poſuerunt illud in monumento, & venientes nunciauerunt Ieſu*. At illud obſeruandum, Ioannem vita irreprehenſibili nullum feciſſe miraculum, diù in carcere fuiſſe detentum, & inglorium defeciſſe, Chriſtum verò tanta cum gloria, tot ſignis mortuum, ſepulturæ glorioſæ traditum; ſed hoc eſt, quod dixerat Ioannes: me oportet minui, non quia decollatus, ſed fama, illum autèm creſcere, ſcilicèt fama. Aliòquin potuiſſent multi adhùc credere Ioannem fuiſſe Meſſiam, proùt de viuo crediderant, & decipi; ideò ſic ingloriè iuxtà reputationem mundi, martyr verò, & glorioſus in conſpectu Dei mortuus eſt, & ſimili de cauſa noluit Deus corpus Moyſis apparere, ne daretur occaſio idololatriæ, ſupèr quo diſceptabat diabolus cū Michaele apud Iudam in epiſt.

C A-

CAPVT LX.

DE REDITV DISCIPVLORVM, ET CHRISTI DISCESSV TRANS MARE.

Matth. 14.

13 *QVOD cum audiſſet Ieſus, ſeceſſit indè in nauiculã, in*
locum deſertum ſeorſum: & cum audiſſent turbæ, ſecutæ
ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus.

Marc. 6.

30 *ET conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, renunciauerunt ei*
31 *omnia, quæ egerant, & docuerant. * Et ait illis:*
Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui ve-
32 *niebant, & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant. * Et aſcen-*
33 *dentes in nauim, abierunt in deſertum locum ſeorſum. * Et viderunt eos abeun-*
tes, & cognouerunt multi: & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt il-
lùc, & præuenerunt eos.

Luc. 9.

10 *ET reuerſi Apoſtoli, narrauerunt illi quæcumquè fecerunt: & aſſumptis illis*
11 *ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ. * Quod cum cognouiſ-*
ſent turbæ, ſecutæ ſunt illum.

COMMENTARIVS.

C*VM audiſſet Ieſus* à diſcipulis Ioannis occiſum Ioannem reuerſis Apoſtolis, qui *renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant, ſeceſſit indè in nauicula, in locum deſertum, aſſumptis illis*, dicens: *Venite, & requieſcite puſillum, erant enim, qui veniebant* ad illos, *& redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant, & viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedeſtres de omnibus Ciuitatibus concurrerunt illùc, & præuenerunt eos*; hinc cognoſcitur magna deuotio plebis ob ſigna, quæ faciebat ſupèr his, qui infirmabantur, inquit Ioannes, ſeceſſit autèm Chriſtus concipiens dolorem ex interitu Ioannis, & vt diſcipuli quieſcerent.

CAPVT LXI.

SATVRAT DOMINVS QVINQVE MILLIA HOMINVM.

Matth. 14.

14 *ET exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis, &*
15 *curauit languidos eorum. * Veſpere autèm facto, acceſſi-*
runt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus, &
hora iàm præterijt: dimitte turbas, vt euntes in caſtella,
16 *emant ſibi eſcas. * Ieſus autèm dixit eis: Non habent*
17 *neceſſe ire: date illis vos manducare. * Reſponderunt ei:*
18 *non habemus hìc niſi quinquè panes, & duos piſces. * Qui*
19 *ait eis. Afferte mihi illos hùc. * Et cum iuſſiſſet turbam diſcumbere ſupèr fœ-*
num, acceptis quinquè panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum benedi-
20 *xit, & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autèm turbis. * Et mandu-*
cauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos
21 *fragmentorum plenos. * Manducantium autèm fuit numerus quinquè millia*
virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.

Marc. 6.

34 *ET exiens vidit turbam multam Ieſus: & miſertus eſt ſupèr eos, quia erant*
35 *ſicùt oues non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa. * Et cum iàm*
hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus hic, &
36 *iàm hora præterijt: * dimitte illos, vt euntes in proximas villas, & vicos,*
37 *emant ſibi cibos, quos manducent: * Et reſpondens ait illis: Date illis vos man-*
ducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus
38 *illis manducare. * Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum*
39 *cognouiſſent, dicunt: Quinquè, & duos piſces. * Et præcepit illis vt accumbe-*
40 *re facerent omnes ſecundùm contubernia ſupèr viride fœnum. * Et diſcubuerunt*
41 *in partes per centenos, & quinquagenos. * Et acceptis quinquè panibus, & duo-*
bus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis
42 *ſuis, vt ponerent antè eos: & duos piſces diuiſit omnibus. * Et manducauerunt*
43 *omnes, & ſaturati ſunt. * Et ſuſtulerunt reliquias, fragmentorum duodecim*

cophi-

44 *cophinos plenos, & de piſcibus.* * *Erant autèm qui manducauerunt quinquè mil-*
lia virorum.

Luc. 9.

11 *QVOD cum cognouiſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum: & excepit eos, & lo-*
quebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, ſanabat.
12 * *Dies autèm cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimit-*
te turbas, vt euntes in caſtella, villaſquè quæ circà ſunt, diuertant, & inue-
13 *niant eſcas: quia hìc in loco deſerto ſumus.* * *Ait autèm ad illos: Vos date illis*
manducare. At illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quàm quinquè panes, &
duo piſces: niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas.
14 * *Erant autèm ferè viri quinquè millia. Ait autèm ad diſcipulos ſuos: Facite*
15 *illos diſcumbere per conuiuia quinquagenos.* * *Et ità fecerunt. Et diſcumbere fe-*
16 *cerunt omnes.* * *Acceptis autèm quinquè panibus, & duobus piſcibus, reſpexit*
in cælum, & benedixit illis: & fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis, vt pone-
17 *rent antè turbas.* * *Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſublatum eſt*
quod ſuperfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

Ioan. 6.

1 *POST hæc abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis:* * *& ſeque-*
2 *batur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſupèr his,*
3 *qui infirmabantur.* * *Subijt ergò in montem Ieſus: & ibì ſedebat cum diſcipu-*
4 *lis ſuis.* * *Erat autèm proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.* * *Cum ſuble-*
5 *uaſſet ergò oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum,*
6 *dixit ad Philippum: Vndè ememus panes, vt manducent hi?* * *Hoc autem di-*
7 *cebat tentans eum: ipſe enìm ſciebat quid eſſet facturus.* * *Reſpondit ei Philip-*
pus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſquè modi-
8 *cum quid accipiat.* * *Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis*
9 *Petri:* * *Eſt puer vnus hìc, qui habet quinquè panes ordeaceos, & duos piſces:*
10 *ſed hæc quid ſunt intèr tantos?* * *Dixit ergò Ieſus: Facite homines diſcumbere.*
Erat autèm fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergò viri, numerò quaſi
11 *quinquè millia.* * *Accepit ergò Ieſus panes: & cum gratias egiſſet, diſtribuit*
12 *diſcumbentibus: ſimilitèr & ex piſcibus quantùm volebant.* * *Vt autèm im-*
pleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pe-
13 *reant.* * *Collegerunt ergò, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex*
14 *quinquè panibus ordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant.* * *Illi er-*
gò homines cum vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt vè-
15 *rè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* * *Ieſus ergò cum cognouiſſet quia*
venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in mon-
tem ipſe ſolus.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Et exiens de naui, *vidit turbam multam Ieſus, & miſertus eſt eos, & curauit languidos eorum*, ob hanc enim cauſam illum ſequebantur, *& cœpit illos docere multa*. Deindè *ſubijt in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis, erat autèm proximum paſcha, dies feſtus Iudæorum*, ponit tempus ad maiorem miraculi probationem: *Veſpere autèm facto acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iàm præterijt, dimitte turbas, vt euntes in Caſtella emant ſibi eſcas, & reſpondens, ait: date illis vos manducare*. *Cum ſubleuaſſet ergò oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum. Vndè ememus panes, vt manducent hi? hoc autèm dicebat tentans eum*, non ad peccatum, ſed ad probationem, & oſtenſionem virtutis. *Reſpondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſquè modicum quid accipiat*, & nobis hæc pecunia non ſuppetit, quomodò ergò id fiet? quòd enim pecuniam non haberent, apparet, quia apud Marcum ironicè loquuntur, *euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare*; & apud Lucam, *niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas*, & quia ſi habuiſſent ſufficientem pecuniam, & potuiſſet aliundè multitudini prouideri, Chriſtus non feciſſet miraculum; neceſſitate enim non cõcurrente non faciebat ſigna. *Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: eſt puer vnus hic*, inueriſimile fuiſſe diſcipulorum, de quorum ſeruis nullibì, & locutio eſt de incerto, & incognito; *qui habet quinquè panes ordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt intèr tantos?* tantam multitudinem? ſic homines res more humano penſantes. *Dixit ergò Ieſus: Facite homines diſcumbere; erat autèm fœnum*, herba, *multum in loco, diſcubuerunt ergò viri, numero quaſi quinquè millia. Accepit ergò Ieſus panes, & cum gratias* Deo *egiſſet* de miraculo patrando; ſic in Lazaro, & in inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti aſpiciens in cælum benedixit, ac *fregit, & diſtribuit diſcumbentibus, ſimilitèr & ex piſcibus, quantùm volebant*, quantùm ſatis erat ad eos ſatiandos; *Vt autèm impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis* ad maiorẽ miraculi manifeſtationem: *colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergò, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinquè panibus ordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant, & de piſcibus*, vt ex Marco, multiplicatio facta ex præexiſtenti materia, quia Deus nihil de nouo creat, præter animas. *Illi ergò homines cum vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum*, miraculum, *dicebant, quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum* Meſſias ex miraculo; *Ieſus ergò cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum*, tentarent ſic, *& facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus*; deſcenderat enim ex eo turbam ſanaturus, cum illùc primò ſubijſſet cum diſcipulis ex Ioanne; at non inuiſibilis, quia nihil de hoc, & quia cõpulit diſcipulos abire, & populum dimiſit. Dum turbas ſaturat, Apoſtolos, quos requieſcere puſillum monuerat, & in deſertum traduxerat, recreat, panem in eorum manibus multiplicando, quaſi ludens cum ipſis, *date vos illis manducare, vndè ememus panes, vt manducent hi*, excitans eos ad cognitionem miraculi, quod manifeſtum reddit fragmentorum collectione, & viſo hoc magno miraculo non exultarent in paucis ab eis editis, & ſe Deum declarat, qui pauerat populum in deſerto.

C A-

CAPVT LXII.

DE TEMPESTATE SEDATA, ET CHRISTO, ET PETRO AMBVLANTIBVS SVPER AQVAS.

Matth. 14.

22 *ET ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauicu-*
lam, & præcedere eum trans fretum, donèc dimitteret
23 *turbas.* Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus ora-*
24 *re. Veſpere autèm facto ſolus erat ibi. * Nauicula au-*
tèm in medio mari iactabatur fluctibus: erat enìm con-
25 *trarius ventus. * Quarta autèm vigilia noctis, venit*
26 *ad eos ambulans ſupèr mare. * Et videntes eum ſupèr*
mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore
27 *clamauerunt. * Statimquè Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam: ego*
28 *ſum, nolite timere. * Reſpondens autèm Petrus dixit: Domine, ſi tu es, iube*
29 *me ad te venire ſupèr aquas.* At ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de na-*
30 *uicula ambulabat ſupèr aquam, vt veniret ad Ieſum.* Videns verò ventum*
validum, timuit: & cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluum
31 *me fac. * Et continuò Ieſus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi:*
32 *Modicæ fidei, quarè dubitaſti? * Et cum aſcendiſſent in nauiculam, ceſsauit*
33 *ventus. Qui autèm in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, di-*
34 *centes: Verè Filius Dei es. * Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Ge-*
35 *neſar.* Et cum cognouiſſent eum viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regio-*
36 *nem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes: * & rogabant eum, vt vel*
fimbriam veſtimenti eius tangerent. Et quicumquè tetigerunt, ſalui facti ſunt.

Marc. 6.

45 *ET ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere nauim, vt præcederent eum trans*
46 *fretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum. * Et cum dimiſiſset*
47 *eos, abijt in montem orare. * Et cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, &*
48 *ipſe ſolus in terra. * Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ven-*
tus contrarius eis) & circà quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans

ſuprà

49 ſuprà mare: & volebat paterire eos. * At illi vt viderunt eum ambulantem
50 ſuprà mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. * Omnes enim vi-
derunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt eum eis, & dixit eis:
51 Confidite, ego ſum, nolite timere. * Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit
52 ventus. Et plus magìs intrà ſe ſtupebant; * non enìm intellexerunt de panibus:
53 erat enim cor eorum obcæcatum. * Et cum transfretaſſent, venerunt in terram
54 Geneſareth, & applicuerunt. * Cumquè egreſſi eſſent de naui, continuò cognoue-
55 runt eum: * & percurrentes vniuerſam regionem illam, cæperunt in grabatis
56 eos, qui ſe malè habebant, circumferre, vbì audiebant eum eſſe. * Et quòcumque
introibat, in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos,
& deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quot-
quot tangebant eum, ſalui fiebant.

Ioan. 6.

16 VT autèm ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. * Et cum
17 aſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ
18 iàm factæ erant: & non venerat ad eos Ieſus. * Mare autèm, vento magno
19 flante, exurgebat. * Cum remigaſſent ergò quaſi ſtadia viginti quinquè, aut
triginta, vident Ieſum ambulantem ſuprà mare, & proximum naui fieri, &
20 timuerunt, * Ille autèm dicit eis: Ego ſum, nolite timere. * Voluerunt ergò ac-
cipere eum in nauim: & ſtatim nauis fuit ad terram, in quam ibant.

COMMENTARIVS.

ET ſtatìm compulit Ieſus diſcipulos ægrè ab ipſo ſeparari ferentes *aſcendere in naiculam, & præcedere eum transfretum* Tiberiadis *ad Bethſaidam donèc dimitteret turbas; & dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare;* eccè quomodò iterum in montem fugit, *& applicauerunt* versùs *Capharnaum, & tenebræ iàm factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus. Veſpere autèm facto ſolus erat ibi* Ieſus in monte; *nauicula autèm*, in qua erant diſcipuli, qui Capharnaum prætergreſſi erant, *iactabatur fluctibus, erat enìm contrarius ventus*, notat periculum, in quo erant, vt cognoſcatur miraculum ex liberatione; *quarta autèm vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſupèr mare, & volebat præterire eos*, habebat ſe per modum præterire volentis, *& videntes eum ſupèr mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: quia phantaſma eſt, & præ timore* phantaſmatis, vt reputabant, *clamauerunt; ſtatìmquè Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere*, ex quibus verbis aufert timorem. *Reſpondens autèm Petrus*, impatiens videndi Chriſtum, *dixit: Domine, ſi tu es*, idèſt pòſtquàm tu es, *iube me venire ad te ſupèr aquas;* non enim dubitabat tùnc Petrus ipſum eſſe, quia nec iuſſio ſubſequens illum certum reddebat, *at ipſe ait: veni, & deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſupèr aquam, vt veniret ad Ieſum. Videns verò ventum validum timuit* ne mergeretur, & ceſſante fiducia cœpit *mergi*, vndè donum non perſtitit, quia ipſe hæſitauit, *& clamauit, dicens: Domine, ſaluum me fac*, pereo, *& continuò Ieſus*

exten-

extendens manum apprehendit eum, & ait illi: modicæ fidei homo, *quarè dubitaſti?* mergi, ex tua enim dubitatione hoc tibi contigit, *& cum aſcendiſſent in nauiculam* Ieſus, & Petrus, voluerunt ergò eum accipere in nauiculam, dicit Ioannes *ceſſauit ventus*, facta eſt tranquillitas. *Qui autèm in nauicula erant* omnes nautæ, & eò magis Apoſtoli plùs alijs cognoſcentes, *venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè Filius Dei es*, non tamèn cognouerunt eum verè: cum Petrus tantùm ex reuelatione Patris, quandò illum confeſſus eſt, alij in cœnaculo cognouerint, vt in illis locis dictum, præſertim quia dicit Marcus, *& plus magis intrà ſe ſtupebant; non enim intellexerunt de panibus*, quaſi, miraculum præcedens de panibus non fuit ſufficiens ad eos firmandos, quòd qui tale miraculum fecerat, poterat & supèr aquas ambulare, quia Deus; *erat enim cor eorum obcæcatum*, nondum cognoſcebant; *& cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, ſtatim enim nauis fuit in terram, in quam ibant; & cum cognouiſſent eum viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam*, omnes certiorantes, *& obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel* ſaltèm *fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quicumquè tetigerunt, ſalui facti ſunt*, volebat autèm, vt tangerent, ne alteri aſcriberentur miracula, quæ faciebat ad ſui manifeſtationem.

CurChriſtus permiſit Apoſtolos tota nocte procellis peti? vt cognoſcant vbiquè eius adiutorio indigere: in deſerto ob famem, quam multiplicatione panum ſedauerat: in mari ob fluctus, & procellas, & nullum eſſe locum, quo Dei aſſiſtentia non ſit eis neceſſaria, & vt id magis apprehendant, & ſalus magis æſtimetur, etiàm per totam ferè noctem eos permittit agitari, & gaudio panum, & piſcium, etiàm in manibus eorum multiplicatorum ſuccedere tribulationem, & his vita iuſtorum miſcetur. At cur Chriſtus supèr aquas ambulat? nonnè poterat conuenire cum diſcipulis, vt in nauicula ad littus præſtolarentur, vel pedeſter ire, proùt turbæ fecerant? nonnè poterat longè poſitus auxiliari, præſertìm quia nec ſolet miracula ſinè neceſſitate operari? reſpondeo: ſi diſcipuli non ſoluiſſent, & in naui Dominum expectaſſent, non receſſiſſent turbæ, quod Chriſtus intendit, compulit enim eos præcedere, dum turbas dimitteret, non iuit pedeſter, quia turbas non vitabat, nec abſens ſubuenit, quia ſi præſens non fuiſſet, ſalutem ab eo non recognouiſſent; vt enim recognoſcerent, nedum adfuit, ſed & non ſiluit procella, donèc nauem ingreſſus eſt. Secundò, voluit exploratam eis diuinitatem ipſius vndequaquè fieri, vt poſſent mundo de illo certò teſtificari. Experti eum fuerant in tranſmutatione aquæ in vinum, in luce cœcis, vita mortuis, ſalute ægris, cibo famelicis datis, conueniens fuit & oſtendere ſe Dominum, & Deum maris, & aridæ, iuxtà Ionam, vt nullum eſſet elementum, in quo Deum ſe non oſtenderet, quod Apoſtoli poſſent prædicare, & ideò adorauerunt eum dicentes; *verè Filius Dei es*, Tertiò, quandò miſit eos, dedit eis poteſtatem supèr ſpiritibus immundis, & ægris, & illa vſi ſunt, vt autèm erigerentur ad alia miracula maiora (maiora enim his facient, dixit Chriſtus) paſcit turbas eorum miniſterio, & in eorum manibus multiplicatur panis, graditur supèr mare, Petrus intèr eos primus supèr aquas graditur eius imperio, ad modicum derelinquitur àb aquila prouocante pullos ſuos ad volandum, & illicò manu extenſa ſubuehitur, vt intelligant fide magna poſſe omnia effici, ad quam eleuentur, & principium demorſionis modicæ eius fidei aſcribit. Quartò, vt doceret eos facto in tribulatione non deficere, proùt nunc eis contigerat, cùm eſſet cor eorum obcœcatum, vt ne quidèm miraculum proximè præcedens ſufficeret ad illos ſtabiliendos, *non enim intellexerunt de panibus*, dicit Marcus. Quintò, quia traditurus erat doctrinam corporis ſui captu difficilem, conueniens fuit hæc mirabilia circà corpus ſuũ, & Petri ex eius potentia præcedere, vltrà panum, & piſcium multiplicationem, & fimbriæ veſtimentorum eius tactum, quæ omnia ſimùl tendunt ad doctrinam illam difficilem explicandam; & ſtabiliendam. Sextò, non potuiſſet tutus abire, quia via adhùc obſidebatur à turbis illum præſtolantibus, qui viderant ipſum non abijſſe cum diſcipulis, Ioan. 6. 22.

C A-

CAPVT LXIII.
DE CARNE CHRISTI, ET SANGVINE.
Ioan. 6.

22 *ALTERA die, turba, quæ ſtabat trans mare, vidit
quia nauicula alia non erat ibì niſi vna, & quia non in-
troiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauim, ſed ſoli diſcipuli
23 eius abiiſſent :* aliæ verò ſuperuenerunt naues à Tiberia-
de iuxtà locum vbì manducauerant panem, gratias agen-
24 te Domino.* Cum ergò vidiſſet turba, quia Ieſus non eſ-
ſet ibì, nequè diſcipuli eius, aſcenderunt in nauiculas, &
25 venerunt Capharnaum quærentes Ieſum. * Et cum inueniſſent eum trans ma-
26 re, dixerunt ei : Rabbi, quandò hùc veniſti ?* Reſpondit eis Ieſus, & dixit :
Amen, amen dico vobis : quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia mandu-
27 caſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. * Operamini non cibum, qui perit, ſed qui
permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim
28 Pater ſignauit Deus.* Dixerunt ergò ad eum: Quid faciemus vt operemur ope-
29 ra Dei ?* Reſpondit Ieſus, & dixit eis : Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum,
30 quem miſit ille. * Dixerunt ergò ei : Quod ergò tu facis ſignum, vt videamus,
31 & credamus tibi ? quid operaris ?* Patres noſtri manducauerunt manna in de-
32 ſerto, ſicut ſcriptum eſt : Panem de cælo dedit eis manducare. * Dixit ergò eis
Ieſus : Amen, amen dico vobis : Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed
33 Pater meus dat vobis panem de cælo verum. * Panis enim Dei eſt, qui de cæ-
34 lo deſcendit, & dat vitam mundo.* Dixerunt ergò ad eum : Domine, ſempèr
35 da nobis panem hunc. * Dixit autèm eis Ieſus : Ego ſum panis vitæ : qui ve-
36 nit ad me, non eſuriet : & qui credit in me, non ſitiet vmquàm. * Sed dixi
37 vobis quia & vidiſtis me, & non creditis. * Omne, quod dat mihi Pater, ad
38 me veniet : & eum, qui venit ad me, non eiiciam foràs :* quia deſcendi de cæ-
lo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.
39 * Hæc eſt autèm voluntas eius, qui miſit me, Patris : vt omne, quod dedit mi-
40 hi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die. * Hæc eſt autèm
voluntas Patris mei, qui miſit me : vt omnis, qui videt Filium, & credit in
41 eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* Mur-
murabant ergò Iudæi de illo, quia dixiſſet : Ego ſum panis viuus, qui de cælo
42 deſcendi,* & dicebant : Nonnè hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus pa-
trem,*

43 *trem, & matrem? Quomodò ergò dicit hic: Quia de cælo deſcendi?* Reſpon-*
44 *dit ergo Ieſus, & dixit eis: Nolite murmurare inuicem: * nemo poteſt ve-*
nire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in
45 *nouiſſimo die. * Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Om-*
46 *nis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. * Non quia Patrem vi-*
47 *dit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. * Amen, amen dico*
48 *vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. * Ego ſum panis vitæ.*
49 ** Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: * Hic eſt*
50 *panis de cælo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. * Ego*
51 *ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. * Si quis manducauerit ex hoc pane, vi-*
52 *uet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. * Li-*
53 *tigabant ergò Iudæi ad inuicèm, dicentes: Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam*
54 *dare ad manducandum? * Dixit ergò eis Ieſus: Amen, amen dico vobis: Ni-*
ſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habe-
55 *bitis vitam in vobis. * Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangui-*
56 *nem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. * Caro*
57 *enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. * qui manducat*
58 *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. * Sicut*
miſit me viuens Pater, & ego viuo proptèr Patrem: & qui manducat me, &
59 *ipſe viuet proptèr me. * Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Non ſicùt man-*
ducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem,
60 *viuet in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens, in Capharnaum. * Multi*
61 *ergò audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt*
62 *eum audire? * Sciens autèm Ieſus apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc di-*
63 *ſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? * Si ergò videritis Filium homi-*
64 *nis aſcendentem vbi erat prius? * Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt*
65 *quidquam. verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.. * Sed*
ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent
66 *non credentes, & quis traditurus eſſet eum. Et dicebat: Propterea dixi vo-*
67 *bis quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. * Ex hoc*
68 *multi diſcipulorum eius abierunt retrò: & iàm non cum illo ambulabant. * Di-*
69 *xit ergò Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? * Reſpondit er-*
70 *gò ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. * &*
71 *nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. * Reſpondit eis*
72 *Ieſus: Nonnè ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus eſt? * Dice-*
bat autèm Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſ-
ſet vnus ex duodecim.

COMMENTARIVS.

ALTERA *die* pòſt miraculum panum, *turba quæ ſtabat trans mare*, adhùc expectans, *vidit, quia nauicula alia non erat ibi*, qua poſſet Ieſus traijcere, *niſi vna, & quia* obſeruauerunt quòd *non introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauim, ſed ſoli diſcipuli eius abſquè illo abijſſent: aliæ verò ſuperuenerunt naues à Tiberiade iuxtà locum, vbi manducauerant panem, gratias agente Domino; cum ergò vidiſſet turba, quia Ieſus non eſſet ibì, nequè diſcipuli eius, aſcenderunt in nauiculas* illas, *& venerunt Capharnaum quærentes Ieſum, & cum inueniſſent eum trans mare, dixerūt ei: Rabbi, quandò hùc veniſti?* non credo aſſentari turbam, dicendo ei, *Rabbi*, quem prophetam magnum prædicauerat, & Regem conſtituere voluerat, & à quo cibum quærebat, vndè adhùc eum reputabat, & magnifaciebat, & interrogatio eſt conformis eius diligentiæ in illo in monte quærendo, cum non poſſet coniectura aſſequi, quomodo indè euaſiſſet, vijs vndiquè obſeſſis, & naui non viſa. Interrogatio rudis eſt, & turbæ congrua, ideò Chriſtus non reſpondit interrogationi, ſed menti; & adulationibus ſolet ſeuerè reſpondere, nec omittere. *Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidiſtis ſigna*, miracula, quibus me cognoſcere deberetis, & ſequi, mihiquè credere, ad hoc enim fiunt, *ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*; & ſic ob cibum corporalem vilem me ſequimini, *operamini*, nitimini recipere *non cibum, qui perit*, qui in ſeceſſum vadit, *ſed qui permanet in vitam æternam*; ſic cum Samaritana ab aqua elementari ad aquam æternam, *quem filius hominis*, ego, *dabit vobis: Hunc enim Pater ſignauit*, ſanctificauit *Deus*, ſic & Ioan. 10. 36. quem Pater ſanctificauit, ſegregauit, elegit, prædeſtinauit, & miſit in mundum incarnandum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ſum? vult ergò dicere miſſum eſſe à Deo ad huiuſmodi panem dandum, permanentem in vitam æternam, ideoquè ab ipſo quærendum, & non panem pereuntem. *Dixerunt ergò ad eum: quid faciemus, vt operemur opera Dei?* non intelligentes, quòd Chriſtus in ſpecie de cibo ſpirituali dixerat, interrogant genericè de operibus Dei; animalis homo non percipit quæ Dei ſunt, nequè Samaritana intellexit de aqua viua. *Reſpondit Ieſus, & dixit; Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum: quem miſit ille*: hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum; incipit à fide, à fundamento primo, ſinè fide enim impoſſibile eſt placere Deo; ſic cum Samaritana, Martha, Nicodemo, & alijs. *Dixerunt ergò ei: quod ergò tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris?* indicat turba percepiſſe de ſe loqui, dum dixit, *quem miſit ille*; at non ſufficiunt tanta ſigna Capharnai exhibita, multiplicatio panum, & piſcium, tot ſanitates etiàm ex tactu fimbriæ, quæ omnia eis veriſimilitèr innotuerant? ſed quærebant ſigna è cælo, propterea ſubdunt; *Patres noſtri manducauerunt manna* è cælo deſcendens per quadraginta annos *in deſerto*, vbi non erat alius cibus, *ſicut ſcriptum eſt, panem de cælo dedit eis manducare*, is fuit panis cæleſtis, tu verò panem cæleſtem non dediſti, ſed terrenum; non enim tuus pluit de cælo, proùt ille; viderunt noſtri maiora, quàm tu effeciſti, & à Meſſia maiora, quàm illi viderunt, expectantur; Vel quaſi dicant, tuo heſterno hoc ſicùt maius, ità certius miraculum, & longius vſquè ad quadraginta annos protractum; nunc hæc non dicunt quærentes panes, ſed ſeriò argumentantur, & à ſimilitudine miraculi verſantis circà cibum, non cauſa gulæ. *Dixit ergò eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo* verum, *ſed Pater meus Deus dat vobis panem de cælo verum, panis enim Dei eſt qui de cælo de-*

lo de-

lo deſcendit, & dat vitam mundo æternam, non ſeruit ad tempus, proùt ille, & pro populo vno, ſed ſempèr, & pro toto mundo: non reſpondit menti ipſorum præferentium miraculum antiquum nouo, ſed pergit de pane cæleſti explicare, vt eos alliciat, & omnia hæc ad ipſum refert, & applicat ſub typo eodem panis, vt infrà. *Dixerunt ergò ad eum: Domine ſempèr da nobis panem hunc*, ſic Samaritana de aqua; credunt extare panem, quem ſeriò, non irriſoriè petunt, proùt neque Samaritana, aliàs non petituri, ſed non credunt, nec cogitant Chriſtum eſſe panem illum, vel corpus ſuum in Sacramento ſumendum, ideò vtuntur verbo continuatiuo, *ſempèr*, ſic & Samaritana; quod cum deprehenderet Chriſtus, ſtatim explicat ſe eſſe panem illum, *ego ſum panis vitæ. Dixit autèm eis Ieſus: ego ſum panis vitæ*, viuus, viuificans, qui dat vitam mundo: in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Io. 1. 15. panis verus, quem dixi, à Deo vobis datus, *qui venit ad me*, credit in me, *non eſuriet*, ſatiabitur, *& qui credit in me, non ſitiet vnquàm*, omne bonum recipiet, ſatiabitur in craſſitudine anima eius, proptereà dixi hoc opus eſſe Dei, vt credatis in miſſum ab illo, *ſed dixi vobis, quia & vidiſtis me*, ideſt opera, miracula mea, quæ manifeſtant vobis qualis ſim, ità vt me videatis, & cognoſcatis clarè, & *non creditis*; & quamuis non appareat priùs hæc dixiſſe verba, nihil refert, quia ad euitandam repetitionem pluriès hoc faciunt Euangeliſtæ, quibus ſufficit notare quod dictum fuit; *omne quod dat mihi Pater*; quod Pater prædeſtinauit *ad me veniet, & eum qui venit ad me*, à Patre prædeſtinatus, *non eÿciam forâs*, ſed vnà cum Patre fouebo, *quia deſcendi de cælo* carnem ſumpſit, *nõ vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius* Patris, *qui miſit me*, eſt ac ſi dixiſſet ſimplicitèr, vt faciam voluntatem Patris mei, intendens docere ſe ab illius voluntate non diſcrepare, ſed conformem eſſe; nàm abſquè dubio non venit voluntatem ſuam facturus, quam in volitis non habuit diuerſam à Patre: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui ſic, & legem tuam, quam mihi præſcripſiſti in medio cordis mei, ad obſeruandum, obediendum; ſed hac phraſi vtitur more humano ad magis explicandum ſe facere voluntatem Patris, ſic & nos ſolemus dicere; non ergò hic agit de duabus voluntatibus, ſed de humana, tantùm recipiente mandata (nàm diuinæ hoc non accommodatur, in qua Patri æqualis) & illa humana non poteſt in duas diuidi, ſed vna tantùm eſt, & illa diuinæ conformis; & quamuis dixerit, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, illud procedebat à carne horrore mortis, & tamèn paternæ voluntati ſe conformabat, dicens: non ſicùt ego volo; ſed ſicùt tu; ſed hic non agitur, cum non agatur de morte; *non eÿciam* ergò, quia conformis ſum Patri meo. *Hæc eſt autèm voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omne quod dedit mihi*, mihi creditum, *non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud* ad gloriam æternam, ad quam prædeſtinatum eſt, *in nouiſſimo die*, in quo iudicium vniuerſale fiet, ſic Io. 17. 12. quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Vult dicere, ſcitis quarè non creditis vos? quia non eſtis mihi dati à Patre meo, non eſtis de ouibus meis, nàm ſi eſſetis, crederetis, proùt alij mihi à Patre dati, qui ſunt prædeſtinati. *Hæc eſt autèm voluntas Patris mei, qui miſit me, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*, ſic Io. 17. 2. ſicùt dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam; hæc eſt autèm vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, nàm credens in Filium, credit & in Patrem, qui miſit illum, *& ego reſuſcitabo eum* ad gloriam *in nouiſſimo die*; Saluatorem expectamus Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ; hanc enim reſurrectionem nobis ipſe meruit, ſi enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, ex ipſo ergò fit noſtra reſurrectio, ea autèm carnis; proptereà caro eius edenda, ſanguis bibendus, *niſi enim manducaueritis*, &c. *Murmurabant ergò Iudæi* ſcandalizati *de illo* ſecretò, *quia dixiſſet, ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcen*

Digitized by Google

di, & dicebant: nonnè hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? quomodò ergò dicit hic: quia de cælo deſcendi? quaſi, inſanitis, & hìnc collige coniectutam, tùnc vixiſſe Ioſeph. *Reſpondit ergò Ieſus, & dixit eis, nolite murmurare inuicèm, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum* ad gloriam *in die iudicij*, & ad hanc gloriam vos non tracti non eſtis peruenturi: ſed cur Chriſtus non explicat his turbis quomodò deſcenderit, quomodò panis viuus, ſicuti egit cum Nicodemo ſupèr baptiſmo? quia nouerat eos incapaces, & indignos, ſcientem illum, & dignum. *Eſt ſcriptum in prophetis, & erunt omnes docibiles Dei*, ideſt docti à Deo, ſic 1. Cor. 2. 13. in doctrina ſpiritus, hinc Sybillæ non phanatico ſpiritu, ſed Spiritu ſancto loquutæ. Hoc autèm tempore, Meſſiæ, & in lege Euangelica, *omnis, qui audiuit à Patre, & didicit*, ſic tractus ſuauitèr, *venit ad me* promulgatorem huius legis Euangelicæ, & ctedit in me. *Nou quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo*, ego genitus ab æterno, *hic vidit Patrem*, ſic ſuprà Io. 1. Deum nemò vidit vnquàm, vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit: quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt, inquit Paulus, vult dicere, auditus, & doctrina Patris eſt inuiſibilis, nec exiſtimetis hìc illum videre, & audire docentem. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*, quod ſæpiùs ſuprà diximus, ſubdit, *ego ſum panis vitæ*, vitalis, vitam tribuens. *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt* in æternum; nàm non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, ex Paulo. *Hic*, ego, *eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit*, eam gratiam tecipiat, *vt non moriatur*, ſed viuat in æternum, & fiat in eo panis ſaliens in vitam æternam, vt de aqua gratiæ ad Samaritanam. *Patres veſtri*, non noſtri, proùt ipſi dixerunt, & Paulus. 1. Cor. 10. 1. quia ipſe nunquàm vocauit patrem ſuum, etiàm putatiuum ſupèr terram, nequè matrem, quam ſempèr mulierem nuncupauit: quid mihi, & tibi eſt mulier, eccè filius tuus; ſed patrem ſuum dicebat Deum, & in ijs, quæ patris ſui erant, incumbebat, ideò abſtinuit ab alio patre nominando, ſeù matre, cui ſatiſfecit, & etiàm manifeſtationi carnis aſſumptæ, dicendò ſe filium hominis, & tantò minus hic, dum & deſcendere de cælo, & patrem ſuum Deum diceret trahentem ad ſe fideles, & hic ſenſus litteralis, & ſic explicatur cur mulierem matrem dixerit, cur reſponderit: quæ eſt mater mea, &c. ſic nec aſſumit ſibi in patrem Abraham, ſed quem vos pattem veſtrum dicitis, Abraham parer veſter exultauit. Io. 7. ſi filij Abrahæ eſtis, &c. aliòquin ſi patrem, vel matrem vocaſſet ſupèr terram, aperiendum erat myſterium Incatnationis, quomodocumquè, & numquàm de hoc ſermonem habuit, ne innoteſceret dæmoni, & ob difficultatem. At & Moyſes in toto Deuteronomio ſic loquitur: patres veſtri, quod factum, vt magis afficerentur eotum geſtis, vel phraſis eſt Hebræa. *Ego ſum* ille *panis viuus*, viuiſicans, vitam æternam largiens, *qui de cælo deſcendi*, vitam æternam daturus, *ſi quis manducauerit ex hoc pane*, & perſeuerauerit in ea gratia, qua ille conſtituit manducantem, *viuet in æternum*, quia dona mea ſunt ſinè pœnitentia, & irreuocabilia, niſi contrà fiat; hìnc infert ptæcellentiorem hunc panem manna Moyſis; *& panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, non pro Iſracle, non pro populo vno, proùt manna, ſed pro toto mundo, & in hoc implicat clatè mortem ſe pto toto mundo ſubitutum, & ſacramentum toti mundo ſeruiturum, continuando ſermonem, ſempèr enìm loquutus eſt de manducatione reali ſacramentali corporis ſui, carnis ſuæ, quod nunc clariùs explicat iuxtà mentem turbarum de manna corporali cibo loquentium; *litigabant*, contendebant *ergò Iudai ad inuicèm, dicentes: quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* ſic Nicodemus, quomodò poteſt homo naſci denuò? Io. 3. *Dixit ergò eis Ieſus: Amen, amen dico vobis: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam* ſpiritualem *in vobis*, eritis ſpiritualitèr mortui. Agit nunc perterrefaciendo, poſtquàm videt eos incredulos, ſic cum Nicodemo, niſi quis renatus fue-

tus fuerit ex aqua,& Spiritu ſancto,non poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3. 5. 11. Chriſtus non explicat, quia id reſeruabatur in vltima cœna, & Apoſtolis tantùm, nec hora erat, neque hi capaces ad myſterium aſſequendum, propterea minis agit, *niſi manducaueritis*, &c. vult Deus fidem myſteriorum, non quomodò interrogari: mutus redditus Zacharias ſic quærens. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem* (allicit ex præmio, quos terruerat pœna, & minis) *habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die* ad gloriam, quia gratia, quam ex Sacramento recipit, illum euehit, *caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, hoc dicit, ne exiſtimarent ipſum parabolicè loqui, non verè, cum præmiſerit carnem manducandam,ſanguinem potandum. Habet & hæc manducatio, & bibitio effectus ſpirituales, prout cibus, & potus corporalis: nam *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, fit vnio intèr nos, prout fit in cibo corporali, ſed modo excellentiori, ideò verè cibus, verè potus ex effectu,& quid operetur hæc immanentia, ſubiungit, *ſicut miſit me* ad incarnandum *viuens*, viuificans *Pater, & ego viuo proptèr Patrem* quà homo, *& qui manducat me* in me manens, & ego in illo, *& ipſe viuet proptèr me* in æternum; ſicùt mihi dedit vitam Pater, ſic ego do manducanti, intellige ſimilitudinariè. *Hic eſt panis,qui de cælo deſcendit*, maximæ conditionis, *non ſicùt manducauerunt Patres veſtri manna* in deſerto,*& mortui ſunt* ſpiritualitèr, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, & ſic epilogat quod ſæpiùs dixerat. *Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum*, apponit locum, vt maior fides dictis habeatur. *Multi ergò audientes ex diſcipulis eius*, qui eum ſequebantur, non aliquibus electis, quia nondum ſeptuagintaduo electi, *dixerunt: durus eſt hic ſermo*, vt poſſit carnem, & ſanguinem ſuum dare ad manducandum, & bibendum, *& quis poteſt eum audire?* cum ſit horrori, nedum credere, aut obſeruare? *ſciens autèm Ieſus apud ſemetipſum*, à ſe tamquàm Deus, cui nihil occultum, *quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?* quod dixi de carne, & ſanguine meo? non poteſtis apprehendere, non eſtis capaces,impingitis? *ſi ergò videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs?* quod eſt maius, nempè carnem hanc aſcenſuram, & in throno apud dexteram Patris ſeſſuram? *vbi erat priùs*, vndè deſcenderam incarnandus. ſic Io. 17. 5. & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquàm mundus eſſet, apud te, & procedit hoc dictum ratione idiomatum communicatorum, quaſi maiorem habebitis rationem ſcandalizandi, & impingendi, quia id maius eſt, quàm panem, & vinum in corpus meum tranſubſtantiare, & ſumenda dare. Vel cognoſcetis tùnc me eſſe Deum,qui in altis habitat,cui nihil impoſſibile; proptereà eleuemini ad maiora, ad cæleſtia, & ſpiritualia, non alligemini terrenis, carnalibus, me è cælis venientem ſuprà terrena æſtimate, quæ dixi ſpiritualia ſunt, cæleſtia ſunt, ideò ſubdit quæ ſeruiunt ad præcedentium horum intelligentiam: *ſpiritus eſt qui viuificat*, ſpiritualitèr ergò mea verba accipienda ſunt, dum dico carnem meam, & ſanguinem meum ſumenda vitam æternam tribuere; *caro non prodeſt quidquam;* hæc enim ſi carnalitèr, & rudè intelligantur, nihil proſunt, non poſſunt percipi; ſic & cum Nicodemo. Io. 3. ideò ſequitur, *verba, quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*, ſpiritualitèr intellecta dant vitam, ſpiritualitèr ergò ea intelligatis, *ſed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt*; ideò in eis hæc non capiunt, quia fide opus eſt in his apprehendendis, *ſciebat enim ab initio* horum ſermonum, antequàm ſeipſos proderent *Ieſus*, quem nihil latet, *qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum* ad mortem, *& dicebat: proptereà dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*, fuerit prædeſtinatus. *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retrò*, ſeparati ſunt ab eo, receſſeruntà via bona, quam cœperant, *& iam non ambulabant cum illo* ob prætenſam duritiam ſermonis illius. *Dixit ergò Ieſus ad duodecim*, qui non erant intèr illos, *numquid & vos vultis abire?* cum multi diſci-

Digitized by Google

pulorum abijſſent, ne crederetur duodecim iàm electos non eſſe liberos, aut vi quadam ad fidem carnis ſuæ adigi, nec eum habere quemquàm credentem, ſic eos interrogat, & cum non abierint rectè dicitur eis: vos qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. *Reſpondit ergò ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus?* tui maiorem, & parem? *verba vitæ æternæ habes,* quæ docent, inſtruunt ad vitam æternam, quod à nullo alio nobis expectandum, *& nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Petrus hæc ſuo, & aliorum nomine proferens his verbis, fallitur, quia nondum aut ipſe, aut alij eum cognouerant, nàm ipſe ſolus eum cognouit reuelatione à Patre facta, quandò illum confeſſus eſt, alij in cœnaculo ex verbis Chriſti ad Patrem. Io. 17. propterea Ieſus hic eum non extollit, non laudat confeſſionem, proùt ibi. *Reſpondit eis Ieſus: nonnè ego vos duodecim elegi* in Apoſtolos, *& ex vobis vnus diabolus eſt? dicebat autèm Iudam Simonis Iſcariotem, hic enim erat traditurus eum, cum eſſet vnus ex duodecim;* ideò ſuprà aduertit, *ſciebat Ieſus quis eſſet eum traditurus;* æſtimo Iudam bonum electum, proùt Saulem, ſed defeciſſe, proùt & Saul; nominat Iudam Euangeliſta, vt doceat nos præſcientiam Chriſti, & diuinitatem, quam in omnibus conatur oſtendere, & quem ſuprà in genere, & non exprimendo perſonam dixerat, & etiàm docet eius patientiam, qui diù eum tolerauit, & in ſuum conſortium retinuit. Sed hoc dicto Dominus retundit Petrum generalitèr loquentem, ibimus, credimus, cognouimus, quaſi, ne hoc effuſo ſermone vtaris Petre, *vnus ex vobis diabolus eſt,* nedum in quem ea, quæ dicis, futura, vel permanſura ſint; (non enim poteſt ſciri an tùnc Iudas malus) nedum qui à me abeat, proùt diſcipuli, ſed quod peius eſt, ſit mihi contrarius, aduerſarius, traditor, diabolus, Satan.

CAPVT LXIV.

DE REPREHENSIONE PHARISAEORVM IN DISCIPVLOS ILLOTIS MANIBVS MANDVCANTES.

Matth. 15.

1 T*VNC acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ, & Pha-*
2 *riſæi, dicentes: * Quarè diſcipuli tui tranſgrediuntur tra-*
ditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas cum pa-
3 *nem manducant. * Ipſe autèm reſpondens ait illis: Qua-*
re & vos tranſgredimini mandatum Dei proptèr tradi-
4 *tionem veſtram? Nam Deus dixit: * Honora patrem,*
5 *& matrem. * Et qui maledixerit patri, vel matri,*
morte moriatur. Vos autèm dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Mu-
6 *nus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: * & non honorificabit patrem ſuum, aut*
matrem

7 matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.
8 * Hypocrita, benè prophetauit de vobis Iſaias, dicens: * Populus hic labijs me ho-
9 norat: cor autem eorum longè eſt à me. * Sinè cauſa autem colunt me, docentes
10 doctrinas, & mandata hominum. * Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audi-
11 te, & intelligite. * Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod pro-
12 cedit ex ore, hoc coinquinat hominem. * Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt
13 ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? * At ille reſpondens
14 ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.
* Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum
15 præſtet, ambo in foueam cadunt. * Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere
16 nobis parabolam iſtam. * At ille dixit: Adhuc & vos ſinè intellectu eſtis?
17 * Non intelligitis quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſ-
18 ſum emittitur? * Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinqui-
19 nant hominem: * de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,
20 fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. * hæc ſunt quæ coinquinant ho-
minem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinant hominem.

Marc. 7.

1 ET conueniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Ieroſo-
2 lymis. * Et cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius communibus mani-
3 nibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperauerunt. * Phariſæi enim, &
omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem
4 ſeniorum: * & à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ
tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum,
5 & lectorum: * & interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui
non ambulant iuxtà traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus mandu-
6 cant panem? * At ille reſpondens, dixit eis: Benè prophetauit Iſaias de vobis hy-
pocritis, ſicùt ſcriptum eſt: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lon-
7 gè eſt à me. * in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta ho-
8 minum. * Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum,
9 baptiſmata vrceorum, & calicum: & alia ſimilia his facitis multa. * Et di-
cebat illis: Benè irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſerue-
10 tis. * Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et: Qui
11 maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. * Vos autem dicitis: Si dixerit
homo patri, aut matri, Corban, (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi pro-
12 fuerit: * & vltrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri.
13 * reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis: & ſi-
14 milia huiuſmodi multa facitis. * Et aduocans iterum turbam, dicebat illis: Au-
15 dite me omnes, & intelligite. * Nihil eſt extrà hominem introiens in eum, quod
poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt illa ſunt, quæ communicant
homi-

Digitized by Google

16 *hominem. * Si quis habet aures audiendi, audiat. * Et cum introiſſet in domum*
17 *à turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam. * Et ait illis: Sic & vos*
18 *imprudentes eſtis? Non intelligitis quia omne extrinſecùs introiens in hominem,*
19 *non poteſt eum communicare: * quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem va-*
20 *dit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas? * Dicebat autèm; quoniàm quæ*
21 *de homine exeunt, illa communicant hominem. * Ab intùs enim de corde homi-*
22 *num malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, * furta,*
auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtul-
23 *titia. * Omnia hæc mala ab intùs procedunt, & communicant hominem.*

COMMENTARIVS.

TVNC poſt hæc enarrata de carne, & ſanguine ſuo *acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ, & Pariſæi,* illum obſeruantes, *dicentes: quarè diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* non dicunt à nobis, ſed à maioribus acceptas, vt plùs eas ſtabiliant, *non enìm lauant manus ſuas, cum panem manducant,* accedentes ad menſam, quod Marcus magìs explicat, dicens: *communibus manibus, ideſt non lotis, manducare panes.* non erat hoc magnum in nautis, feſſis, famelicis, vel commoditatibus deſtitutis, & ſimplicitèr nullum erat peccatum. *Phariſæi enìm, & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus,* nedum quandò accedunt ad menſam, *non manducant, tenentes traditionem ſeniorum* in his quæ non referunt: *& à foro* venientes, *niſi baptizentur,* lauentur, *non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata,* lotiones *calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum,* & ſic omnia in externis munditijs verſabantur more hypocritarum. *Ipſe autèm* Ieſus *reſpondens ait illis: quarè & vos tranſgredimini mandatum Dei,* quod neceſſariò obſeruandum eſt, *proptèr traditionem veſtrã* humanam, quam illi imprudentèr præfertis. *Nàm Deus dixit: Honora* cum effectu *patrem, & matrem, & qui maledixerit* verbis *patri, vel matri, morte moriatur; vos autèm* ex traditione veſtra *dicitis, quicumquè dixerit patri, vel matri, munus quodcumque eſt ex me* Deo oblatum *tibi proderit, & non honorificabit* in neceſſitate *patrem ſuum, aut matrem ſuam,* benefacit, non contrariatur mandato Dei; & ſic *irritum feciſtis mandatum Dei,* vos homines, *proptèr traditionem veſtram* humanam, inſulſam, liberando filios à ſubueniendis parentibus in eorum neceſſitate, *proptèr traditionem veſtram,* qua vos lucramini munus illud, & ſic ad veſtrum intereſſe contrà Dei præceptum, & ius parentum; vult Deus potiùs obedientiam, quàm ſacrificia, obſeruantiam mandatorum, quàm victimas, vult priùs ſubueniri parẽtibus, quàm offerri ſibi; & Prou. 28.24. dicitur: qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo, & matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt, *& non honorificabit Patrem ſuum, aùt matrem ſuã;* hæc verba in Matthæo videntur Phariſæorum, in Marco, *vltrà non dimittitis,* &c. refertur factum illorum, ità vt vnus verba, alter factum referat, & *ſimilia huiuſmodi, multa facitis* in Dei præcepta, iuſquè hominum ad veſtram vtilitatem, & auaritiam implendam. Cur Dominus obiurget Phariſæos, & Scribas ſupèr præcepto honorandi parentes, potiùs quàm ſupèr alijs, colligitur ex Matthæo, & Marco, quia cum inſtarent in diſcipulos illotis manibus manducantes, vt retineretur traditio eorum, Dominus arguit eos ex eiſdem traditionibus, eſtis (vult dicere) harum veſtrarum traditionum inutilium, & illicitarum adeò tenaces,

naces, vt proptèr illas irrita faciatis mandata Dei, qui iuſſit patrem, & matrem honorari, & vos veſtris inſanis traditionibus peruertitis hoc præceptum, docentes filios, vt dicāt illis egenis; *munus quodcumque*, &c. & quærit geſta maiorum, & Sacerdotum Templi arguere, & ſanare, & cum illis de ſpectātibus ad eorum officium agit potiùs, quàm de alijs vitijs, quibus tenebantur. *Hypocritæ*, ſimulatores, *benè prophetauit de uobis Iſaias, dicens:* ab Iſaia proditi, & manifeſtati. *Populus hic labijs* ore *me honorat, cor autèm eorum*, quod ego requiro, *longè eſt à me;* fingit is populus inſipiens, credens à Domino non videri, & nedum videtur ab omnia vidente, ſed & Iſaias id prædixit, *ſinè cauſa*, fruſtrà, in vanū *colunt me*, adorāt me, & mandata mea pòſthabent, quibus præferunt humana, *docentes doctrinas, & mandata hominum*, quæ ſunt veſtræ traditiones temerariæ; *& conuocatis ad ſe turbis* (dimiſſis ſuperbis Phariſæis, & Scribis) *dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os* cibi, *coinquinat hominem;* propterea lotio manuum tradita ab his parùm curanda, *ſed quod procedit ex ore*, peccatum, *hoc coinquinat hominem*, *ſeù communicat* ex Marco. *Tùnc accedentes diſcipuli eius, dixerunt ei, ſcis quia Phariſæi audito uerbo hoc, non quod intrat in os*, &c. *ſcandalizati ſunt?* vti de non benè dicto. *At ille reſpondens, ait:* non eſt mirum ſi ſcandalizati ſunt, nàm ſunt malæ arbores, & mala arbor non poteſt bonum vllum fructum facere, ſed exciditur, & in ignem mittitur, ideò *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur*, quaſi dicat, non ſunt ij à Deo, ideò non ſtabunt, eradicabuntur; impegerunt in lapidem offenſionis, in petram ſcandali, ruent, ſi ſupèr eos ceciderit, confringentur; ideò beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me; nàm ex hoc ſcandalo omnis ſubuerſio, *ſinite illos*, ſeparamini ab eis, ne eorum cœcitatem contrahatis, ne eorum fermento immiſceamini, ſic populo, dum Chore, & Abiron à terra deglutiendi, *cæci ſunt*, ſibi ipſis, *& duces cæcorum*, quos ipſi obcœcant ſuis doctrinis, & traditionibus; cauete ne vos inficiant, *cæcus autèm ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt*, ſicquè continget vobis. Hi difficiliùs, & ferè numquàm remouentur à vitijs, qui in eis, nedum verſantur, ſed verbo, & lege alios in eiſdem retinent, quia grauantur dum ad palinodiam admonentur: ſic ferè omnes hæreſiarchæ, & falſi doctores; ideò dicendo Dominus, *ſinite illos*, addidit. *ſunt duces cæcorum*, quaſi, tererem tempus, ſi ad intelligentiam eorum, quæ dico, & à recedendo à ſuis traditionibus eos vlteriùs prouocarem. *Reſpondens autèm Petrus dixit ei, ediſſere nobis parabolam iſtam, non quod intrat in os*, &c. *At ille dixit: adhùc & vos ſinè intellectu eſtis?* tanto tempore mecum conuerſamini, & adhùc hæc leuia non percipitis? *non intelligitis, quia omne, quod in os intrat*, ſiuè mundum, ſiuè immundum, *in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?* vndè inquinare non poteſt quod non permanet. *Quæ autèm procedunt de ore*, priùs *de corde exeunt*, de internis, *& ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes malæ*, ad mala perpetranda, ad iudicia temeraria, *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, dolus, oculus malus, ſuperbia, ſtultitia*, & omnia vitia, *hæc ſunt, quæ coinquinant hominem, non lotis autèm manibus manducare non coinquinat hominem*, fruſtratoriæ ſunt ergò traditiones inſulſæ tot lotionum introductarum à Scribis, & Phariſæis, & non attendendæ, ſed proſcribendæ.

C A-

CAPVT LXV.

DE CHANANAEA.

Matth. 15.

21 ET egreſſus indè Ieſus ſeceſsit in partes Tyri, & Sidonis.* Et
22 eccè mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, di-
cens ei: Miſerere mei Domine Fili Dauid: filia mea malè
23 à dæmonio vexatur. * Qui non reſpondit ei verbum. Et
accedentes diſcipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte
24 eam: quia clamat pòſt nos. * Ipſe autèm reſpondens ait:
25 Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.
26 * At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. * Qui reſpon-
27 dens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. * At illa
dixit: Etiàm Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa do-
28 minorum ſuorum. * Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides
tua: fiat tibi ſicùt vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

Marc. 7.

24 ET indè ſurgens abijt in fines Tyri, & Sidonis: & ingreſſus domum, nemi-
25 nem voluit ſcire, & non potuit latere. * Mulier enìm ſtatìm vt audiuit
de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes
26 eius. * Erat enìm mulier Gentilis, Sirophœniſſa genere. Et rogabat eum, vt
27 dæmonium eijceret de filia eius. * Qui dixit illi: Sine prius ſaturari filios: non
28 eſt enìm bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. * At illa reſpondit,
& dixit illi. Vtiquè Domine, nam & catelli comedunt ſub menſa de micis pue-
29 rorum. * Et ait illi: Proptèr hunc ſermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.
30 * Et cum abijſſet domum ſuam, inuenit puellam iacentem ſuprà lectum, & dæ-
monium exijſſe.

COMMENTARIVS.

MODESTIA Chananææ ex quatuor cognoſcitur; nàm ſolùm proponit malum filiæ, proùt Sunamitis cum Eliſæo, & Sareptana cum Elia, & ſorores Lazari cum Chriſto, eccè quem amas infirmatùr, excellit tamèn fides huius, quia Dominum non nouerat, nec ſecum conuerſata erat, proùt ſorores illę, & Sunamitis, & Sareptana cū prophetis, nec petit vt accedat, nequè it Ieſus, ne auertatur à ſuo itinere, quod

non

non ſeruauit Regulus, ſed Ieſus cum eo, qui non diuertit Capharnaum, aliò pergens, nec ſeruarunt ſorores illum vocantes ad ſe, & dicentes: Domine, ſi fuiſſes hic, vt diximus in Regulo, Centurione, filia Archiſynagogi, & quia ſe catulam facit recepturam cadentes micas, quaſi, etſi nobis datus non ſis, cur non micæ? hincque magnam Chriſti potentiam agnoſcit, vt miracula ſint ei micæ, quod placuit Chriſto, vndè Marcus dicit, *propter hoc verbum*, &c. & quò maior modeſtia, & humilitas, eò maior fides, & obſeruantia in fœmina geutili, quæ ſolam famam audierat, non viderat miracula, & in hoc præſtat fidei Centurionis, quia ille in Capharnaum plura vidiſſe, vel ſaltèm certiùs audiuiſſe potuit, & quod ille rogauit, ne accederet, hæc non petijt: ille miſit rogantes, ille dic verbo, hæc nihil effert, nullos rogat à longè clamans, ſtetit in eiſdem terminis. At quia miracula erant in manifeſtationem Deitatis, Chriſtus ſempèr voluit, vt apparerent; nàm ex illorum manifeſtatione glorificabatur Deus, ideò obſeruat Matthæus: *& ſanata eſt filia eius ex illa hora*, & Marcus, *inuenit puellam iacentem ſuprà lectum, & dæmonium exijſſe*, & diximus in Regulo, filia Archiſynagogi, puero Centurionis, & alibi; Hinc raro abſens fecit miracula, ne eluderentur ratione abſentiæ; hoc vnum, filij Reguli, & pueri Centurionis; ſic ne aſcriberentur plagæ, vel earũ ſanatio Magijs Aegyptiacis, dæmoni, vel alteri virtuti, ſed Deo ſuo, obſeruauit Moyſes, vt vel prædiceret eas infligendas, vel tempus liberationis ab illis, quod & expetijt à Pharaone. Exod. 8. & ſeqq. ſic Deut. 32. 27. ſed proptèr iram inimicorum diſtuli, ne dicerent: manus noſtra excelſa, & non Deus fecit hæc omnia. *Et egreſſus indè Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis* mulieri ſubuenturus, *& ingreſſus domum, neminem voluit ſcire*, moralitèr intellige, vel ſic oſtendit velle, *& non potuit latere* proptèr eius famam, verbum enim (*potuit*) non ad illum referẽdum, vndè nil aliud hìc expiſcandum: ſic pluriès dixit illis, quos ſanabat, ne cui dicerent, & tamèn dicebant, quorum vnus inſignis. Mar. 1. 45. at ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ità vt non poſſet manifeſtè introire in Ciuitatem, &c. *mulier enim ſtatìm vt audiuit* (eccè fama) *de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit in domum, & procidit ad pedes eius, & rogabat eum, vt dæmonium eijceret de filia eius clamans. Miſerere mei*, primum orationis iaculum, quia facit cauſam filiæ ſuam propriam. *Fili Dauid*, Meſſias, hìnc fides, ex vicinitate Iudæorum hoc didicerat: *filia mea male à dæmonio vexatur*. Cura filiarum habenda: Dina: Thamar: filiæ Silo. Iud. 21. malè cuſtoditæ, qui ſuorum, & maximè domeſticorum, &c. corporis, & animæ curam non habet infidelis eſt, & infideli deterior. *Vexatur*, vexabatur Saul primus arreptitius in Scriptura, qui alleuiabatur muſica, Sara ab Aſmodæo. Paulus ab angelo Sathanæ, etſi non arreptitij; Iob. Achab. qui illi traditi. *Qui non reſpondit ei verbum* de induſtria; etſi acceſſiſſet ſanaturus, ne videretur couti gẽtilibus, quod excepit Samaritana, & mirati ſunt diſcipuli videntes illum cum ea loquentem, præſertìm quia ſecundùm concordiam euangelicam iàm iuſſerat diſcipulis. In viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne introieritis; Hinc & hìc, & in Samaria quaſi per tranſennam miracula patrauit, & voluit rogari à Iudæis pro Centurione, nequè acceſſit ad domum illius, qui erat gentilis, ſi enim Chriſtus conuerſatus eſſet cum gentilibus, Hæbræi, in quibus primò fundanda fides, ægriùs, & difficiliùs credituri erant illum eſſe Meſſiam eis promiſſum; & ex Actib. Apoſt. & aliundè apparet, quàm duri fuerint in credendo datam gentibus ſalutem, & quomodò retrahebant Apoſtolos, ne gentibus prædicarent. Alij, vt magis exereret fidem, & preces Chananææ: intellectus pius, non litteralis. *Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum dicentes, dimitte eam, quia clamat poſt nos*. Voluit Chriſtus rogari à diſcipulis, vt ſe eximeret à ſcandalo prædicto. Vltrò id faciunt diſcipuli miſericordia moti; ſic Abraham pro Sodomitis; etiàm viuentium preces pro alijs placent Deo, vt in Abraham, Lot pro Segor, Iobo pro amicis, quos idem Deus præmonuit, Elias pro Eliſæo petente duplicem, ideſt magnum ſpiritum, & pro pluuia. *Ipſe*

autèm

autèm reſpondens ait, non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, præſentialitèr. Hoc dicit cum diſcipulis, vt eos magis retrahat à ſcandalo, quandò vident eum inſiſtentem in primo dicto, & nolentem cum gentilibus miſceri, quos Hebræi naturalitèr odio proſequebantur, & vt eos inſtruat, cur recuſet, nec de facili flectatur ad eorum preces, & mulieris. *At illa venit* propiùs ad Chriſtum, *& adorauit eum* fortè genuflexa, *dicens: Domine adiuua me*, proſequitur cauſam vtì propriam. *Qui reſpondens ait, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Vtitur ſimilitudine, *ſicùt non eſt bonum*, &c. *ita*, &c. & ſic non eſt conuitium; abſit enim, vt Dominus conuitiaretur ad ſe accedenti fœminæ probæ roganti pro filia.

Vel loquitur iuxtà conſuetudinem illius temporis. Hoc etiàm puto dictum pro Apoſtolis, vt exiſtiment ægrè moueri ad gratiam reſpectu gentilitatis: etſi ipſe impatiens erat moræ ad illam conferendam, & hìc prudentia Chriſti. *At illa dixit, etiàm Domine, nàm & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*, hìc recognoſcit potentiam Chriſti, quod requiritur in rogante, vndè Marc. 7. *proptèr hunc ſermonem vade, exÿt dæmonium à filia tua*, quod etiàm ſeruit pro Apoſtolis, quaſi, victus ceſſi, & cedo: proùt etiàm quod ſubdit Matthæus, *ò mulier*, &c. quaſi, fide huius moueor, etſi enìm & ipſi rogaſſent, poterat ſuboriri ſcandalum proceſſu temporis. *Tùnc reſpondens Ieſus ait illi, ò mulier, magna eſt fides tua*, & fiducia, *fiat tibi ſicùt vis:* Multùm valet deprecatio iuſti aſſidua. Iacob. 5. exemplum amici, & Iudicis apud Lucam 18. & feruens, proùt hæc: Moſis pro populo: Eliæ cælum claudentis, & aperientis: Pauli optantis anathema eſſe pro ſuis: Ioſue ſiſtentis Solem, obediente Deo voci hominis, voluntatem timentium ſe faciente, & nihil operante quod non reuelet priùs ſeruis ſuis. *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora*; nedum à dæmonio obſidente corpus, ſed & in anima iuxtà conſuetudinem Chriſti ſanantis, infundentis fidem, & iuſtificantis puellam, vt fieret vas aptum, ad quod fiducia matris pertingere non poterat pro filia; vide dicta in paralytico Capharnaita.

CAPVT LXVI.

DE SVRDO, ET MVTO SANATO.

Marc. 7.

31 *ET iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad*
32 *mare Galilææ intèr medios fines Decapoleos. * Et addu-*
cunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt
33 *imponat illi manum. * Et apprehendens eum de turba*
ſeorsùm, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expüens,
34 *tetigit linguam eius: * & ſuſpiciens in cælum, ingemuit,*
35 *& ait illi: Ephphetha, quod eſt adaperire. * Et ſtatìm*
apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur re-
36 *ctè. * Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autèm eis præcipiebat, tantò*
magìs

37 *magìs plus prædicabant : * & eò amplius admirabantur, dicentes : Benè omnia*
fecit : & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

COMMENTARIVS.

E*T iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ intèr medios fines Decapoleos, & adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum* ad ſanandum. Non reprehendit ex hoc Chriſtus hos tanquàm infideles, loquuntur enim iuxtà conſuetudinem Chriſti, quæ apparet in toto contextu Euangeliorum, ſic & cogitauit Naaman : putabam, &c. ſic nec reprehendit Regulum dicentem, deſcende, ſed ſignis non credentem, volentemquè videre : niſi ſigna, &c. deſcenſus enim erat congruus; & de more, & tactus, & præſentia confirmabãt miracula certiùs ab eo fieri, & ex eorum manifeſtatione Deus glorificabatur, & Chriſtus non feciſſet quod ipſi petebant, ſi malè petijſſent; *& apprehendens eum de turba ſeorsùm*, ne videretur auram popularem captare, quia ad hunc effectum etiàm præcepit ne cui dicerent, *miſit digitos ſuos in auriculas eius*, vt conſtaret à quo fieret miraculum, *& expuens tetigit linguam eius* ad eundem effectum, *& ſuſpiciens in cælum*, vt appareat omnia à Deo recognoſcere, & non in Beelzebub hæc operari, *ingemuit* fortè ob naturæ humanæ miſerias, quod aliàs in patrando miraculo non fecit, niſi in Lazaro, *& ait illi : Ephpheta, quod eſt adaperire, & ſtatìm apertæ ſunt aures eius*, nulla mora Deo iubente, *& ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè*, hoc ad manifeſtationem maioris miraculi, vt nedum loqueretur, ſed & rectè, non quòd anteà malè loquutus eſſet, cum dicatur mutus, & ſurdus, *& præcepit illis ne cui dicerent* ex cauſis iàm dictis, *quantò autèm eis præcipiebat, tantò magìs plus prædicabant, & eò ampliùs admirabantur*, ſic & pluriès actum ab alijs, *dicentes : benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*, quod erat ſignum Meſſiæ : tùnc aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt, &c.

CAPVT LXVII.

DE QVATVOR MILLIBVS SATIATIS.

Matth. 15.

29 E*T cum tranſiſſet indè Ieſus, venit ſecùs mare Galilææ: &*
30 *aſcendens in montem, ſedebat ibì. * Et acceſſerunt ad eum*
turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, de-
biles, & alios multos : & proiecerunt eos ad pedes eius, &
31 *curauit eos : * ità vt turbæ mirarentur videntes mutos*
loquentes, claudos ambulantes, cæços videntes : & ma-
32 *gnificabant Deum Iſrael. * Ieſus autèm, conuocatis di-*

T *ſcipulis*

Digitized by Google

ſcipulis ſuis, dixit : Miſereor turbæ, quia triduò iàm perſeuerant mecum, & non
33 *habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Et*
dicunt ei diſcipuli: Vndè ergò nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam
34 *tantam ?* Et ait illis Ieſus : Quot habetis panes ? At illi dixerunt : Septem, &*
35 *paucos piſciculos. * Et præcepit turbæ, vt diſcumberent ſupèr terram. * Et ac-*
36 *cipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis,*
37 *& diſcipuli dederunt populo.* Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod*
38 *ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.* Erant autèm qui man-*
39 *ducauerunt, quatuor millia hominùm, extrà paruulos, & mulieres. * Et, di-*
miſſa turba, aſcendit in nauiculam: & venit in fines Magedan.

Marc. 8.

1 *IN diebus illis iterum cum turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent:*
2 *conuocatis diſcipulis, ait illis :* Miſereor ſupèr turbam: quia eccè iàm triduò*
3 *ſuſtinent me, nec habent quod manducent : * & ſi dimiſero eos ieiunos in domum*
4 *ſuam, deficient in via: quidam enìm ex eis de longè venerunt. * Et reſponde-*
5 *runt ei diſcipuli ſui: vndè illos quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine?* Et*
6 *interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.* Et præcepit tur-*
bæ diſcumbere ſupèr terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, &
7 *dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. * Et habebant piſci-*
8 *culos paucos : & ipſos benedixit, & iuſſit apponi.* Et manducauerunt, & ſa-*
9 *turati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas.* Erant*
autèm qui manducauerant, quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.

COMMENTARIVS.

ET cum tranſiſſet indè Ieſus, ex regione illa, *venit ſecùs mare Galilææ, & aſcendens in montem ſedebat ibì*; ſic & in alio miraculo quinquè millium ſatiatorum; *& acceſſerunt ad eum turbæ multæ*, quæ illum proſequebantur, *habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ità vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes*, quod & fecit cum diſcipulis Ioannis; hoc enim erat ſignum cognoſcendi Meſſiam, *& magnificabant Deum Iſrael*, admiratio hoc parturiebat in illis, & beneficia exhibita; *Ieſus autèm conuocatis diſcipulis ſuis, dixit: miſereor ſupèr turbam*, hìc Ieſus ſpontè cibum propinat; in miraculo verò quinquè millium diſcipuli præueniunt, vt turbas dimittat; at credo diſcipulos, qui ſciebant Dominum inuectum eſſe in turbas in præcedēti miraculo ſatiatas, & vt iterùm ſatiarentur adhærentes, & quia ex eodem miraculo natum fuit ſcandalum regni, & Ieſus aufugit, ſeù ſeceſſit, timuiſſe reprehendi, ſi ſupèr his verba feciſſent, & Dominum ad miraculum inuitaſſent, ideò ne inuentis quidèm panibus, & piſcibus hiſcere audent, non quòd miraculi recentis non recordarentur. Non obſtat dictum Marci, nondùm enim intellexerant de quinque panibus,

erat

Digitized by Google

erat enìm cor eorum obcœcatum, id enim fuit in illo timore procellarum, & phantaſmatis. Non obſtat quod dicit Chriſtus de his duobus miraculis infrà Matth. 16. appellans eos modicæ fidei, quia fortè eo tempore non erat ea modica quæ tùnc. Vel quandò prima vice in primo miraculo multiplicationis præuenerunt vt dimitteret turbas, fidem habebant ſaltèm minorem, quia nec illud miraculum, nec ſedatæ tempeſtaſtis, & ambulationis ſuprà mare, & alia, quæ ſecuta ſunt, viderant, ſed miſericordia moti illud dixerunt, vt ibì, quod hìc non faciunt ex cauſis, quas diximus. *Quia eccè iam triduò ſuſtinent me*; non poterant abſtrahi ab eo ob doctrinam, & miracula, *nec habent, quod manducent* de præſenti, *& ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via, quidam enìm ex eis de longè venerunt*; concludit neceſſitatem, quam requitit pro miraculo, & meritum turbarum ſequentium, *& reſponderunt ei diſcipuli ſui, vndè illos poterit quis hìc ſaturare panibus in ſolitudine?* ignoramus quomodò id fieri poſsit, humana cogitantes, non diuina; *& interrogauit eos, quot panes habetis? qui dixerunt, ſeptem*, quos illi non reputabant, & *præcepit turbæ diſcumbere ſupèr terram, & accipiens ſeptem panes, gratias agens* Deo pro miraculo, *fregit, & dabat diſcipulis ſuis* fragmenta, *vt apponerent, & appoſuerunt turbæ, & habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſſit apponi*, & omnia ex præexiſtenti materia in manibus Chriſti, diſcipulorum, comedentium multiplicabantur, *& manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas; erant autèm qui manducauerant quaſi quatuor millia hominum*, hæc omnia ad manifeſtationem miraculi, quæ & in miraculo quinquè millium ſeruata, *& dimiſit eos*, vt poſſent ad domos proprias remeare, & ſtatim *aſcendens in nauiculam*, ne turbæ quidquam molirentur, *venit in fines Magedan*.

CAPVT LXVIII.

PHARISAEI SIGNVM PETVNT DE CAELO.

Matth. 16.

1 *ET accesserunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes:*
2 *& rogauerunt eum vt ſignum de cælo oſtenderet eis.* * *At*
ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum
3 *erit, rubicundum eſt enìm cælum.* * *Et mane: Hodiè*
4 *tempeſtas, rutilat enìm triſte cælum.* * *Faciem ergò cæli*
dijudicare noſtis: ſigna autèm temporum non poteſtis ſcire? Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum
non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Et relictis illis, abijt.

Marc. 8.

10 *ET ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanu-*
11 *tha. * Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab*
12 *illo ſignum de cælo, tentantes eum. * Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid genera-*
tio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis ſi dabitur generationi iſti ſignum.

COMMENTARIVS.

ET *venit in partes Dalmanutha, & acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes* malo animo, ſeù curioſo, *& rogauerunt eum, vt ſignum de cælo*, cæleſte, in ſole, luna, aere, in ſimilibus, *oſtenderet eis*, quaſi hoc oſtenſo credituros ſe exhiberent, *& ingemiſcens ſpiritu*, commouens in ſe hanc paſsionem, videns quomodò homines ad vana, & inutilia dati eſſent, nec incumberent veritati, *ait: facto veſpere dicitis: ſerenum erit, rubicundum eſt enim cælum. & mane: hodiè tempeſtas, rutilat enim triſte cælum. faciem ergò cæli dijudicare noſtis, ſigna autèm temporum non poteſtis ſcire?* optimè arguit Chriſtus à Cæli ſerenitate, vel tempeſtate ad tempus aduentus Meſsiæ. (vult dicere) tot ſigna habetis temporum, nunc Meſsiam venturum, tot ſigna habetis me illum eſſe ex doctrina, & miraculis, quæ me talem probant, & me non cognoſcitis? cum tamen ex multo minoribus faciem cæli iudicetis? *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*, quod erit reſurrectio, de quo alibì, *& relictis illis* indignis *abijt*, nolens cum eis miſcere multos ſermones. Non recipiunt ſignum, quia non erant credituri, prout de diabolo (dicit Auguſtinus) ad miraculum tentante, tùm quia plura receperant ſufficientia, tùm quia malo animo petebant.

CAPVT LXIX.

CAVENDVM A FERMENTO PHARISAEORVM.

Matth. 16.

5 *ET cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt*
6 *panes accipere. * Qui dixit illis: Intuemini, & cauete*
7 *à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum. * At illi co-*
gitabant intrà ſe, dicentes: Quia panes non accepimus.
8 ** Sciens autèm Ieſus, dixit: Quid cogitatis intrà vos mo-*
*dicæ fidei, quia panes non habetis? * Nondum intelligi-*
9 *tis, neque recordamini quinque panum in quinque millia*
homi-

10 *hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? neque ſeptem panum in quatuor millia*
11 *hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis?* * *Quarè non intelligitis, quia non de pa-*
12 *ne dixi vobis: Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum?* * *Tùnc intel-*
lexerunt quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phari-
ſæorum, & Sadducæorum.

Marc. 8.

13 *ET dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abijt trans fretum.* * *Et obliti*
14 *ſunt panes ſumere, & niſi vnum panem non habebant ſecum in naui.* * *Et*
15 *præcipiebat eis, dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermen-*
16 *to Herodis.* * *Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.*
17 * *Quo cognito, ait illis Ieſus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum*
18 *cognoſcitis nec intelligitis? adhùc cæcatum habetis cor veſtrum?* * *oculos haben-*
19 *tes non videtis? & aures habentes non auditis?* *Nec recordamini,* * *quandò quin-*
que panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis?
20 *Dicunt ei: Duodecim.* * *Quandò & ſeptem panes in quatuor millia: quot ſpor-*
21 *tas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: Septem.* * *Et dicebat eis: Quomo-*
dò nondum intelligitis?

COMMENTARIVS.

ET cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere ad eorum cibum, *& niſi vnum panem non habebant ſecum in naui, qui dixit illis, intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, & fermento Herodis:* manifeſtatur Charitas Chriſti docentis diſcipulos ſuos. *At illi cogitabant intrà ſe dicentes: quia panes non accepimus;* & ſic putabant Chriſtum loqui cauendum à fermento panum, hoc enìm explicat Euangeliſta, & ſecùs dicere non poſſumus. *Sciens autèm Ieſus* cogitationes eorum, *dixit: quid cogitatis intrà vos modicæ fidei, quia panes non habetis?* hoc vos angit? timetis fame mori? *nondum intelligitis, neque recordamini, &c.* quaſi, tot alui, & tamèn ſuperflua fuerunt tanta? *quarè non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* (eccè quid intellexerant clarè ex verbis, *cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum*) *tùnc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina*, à traditionibus legem corrumpentibus *Phariſæorum, & Sadducæorum*, ſic ſuprà: ſinite illos, ſeparamini ab eis, cœci ſunt, & duces cœcorum, &c.

CAPVT LXX.

LIBERAT COECVM.

Marc. 8.

22 E*T venıunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & ro-*
23 *gabant eum, vt illum tangeret.* * *Et apprehenſa manu*
cæci, eduxit eum extrà vicum: & expuens in oculos eius
impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum ſi quid videret.
24 * *Et aſpiciens, ait: Video homines velut arbores ambu-*
25 *lantes.* * *Deindè iterum impoſuit manus ſupèr oculos eius:*
& cæpit videre. & reſtitutus eſt, ità vt clarè videret
26 *omnia.* * *Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: &*
ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

COMMENTARIVS.

E*T veniunt Bethſaidam* patriam Petri, *& adducunt ei cæcum*, & ducentes *rogabant eum, vt illum tangeret*, non id modicæ fidei, ſed quia ſic ſolebat, ideoquè nedum non reprehendit, ſed rogatus facit: ſic & cum filia Archiſynagogi, cum muto, & ſurdo, & alijs, & *apprehenſa manu cæci, eduxit eum extrà vicum* ad fugiendum faſtum, & turbam, & *expuens in oculos eius*, ſic ſaliua cum ſurdo, & muto, & cœco nato, *impoſitis manibus ſuis*, omnia hæc, vt appareat ipſum miraculi patratorem, *interrogauit eum ſi quid videret*, *& aſpiciens, ait: video homines velut arbores ambulantes*; moram ponit, vel vt magìs iuſtificetur cœcus, vel vt magìs appareat quis id præſtet; *deindè iterum impoſuit manus ſupèr oculos eius, & cæpit videre, & reſtitutus eſt, ità vt clarè videret omnia:* tanta facit circà hunc cœcum, ſic cum muto, & ſurdo. *Et miſit illum in domum ſuam, dicens: vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris, nemini dixeris* ad tempus, quia volebat gloriam Dei ſuo tempore.

CAPVT LXXI.

CONFESSIO, ET PRIMATVS PETRI.

Matth. 16.

13 *VENIT autèm Ieſus in partes Cęſareę Philippi: & in-*
terrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines
14 *eſſe Filium hominis? * At illi dixerunt: Alij Ioannem*
Baptiſtam, alij autèm Eliam, alij verò Ieremiam, aut
15 *vnum ex Prophetis. * Dicit illis Ieſus: Vos autèm quem*
16 *me eſſe dicitis? * Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu*
17 *es Chriſtus, Filius Dei viui. * Reſpondens autèm Ie-*
ſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit
18 *tibi, ſed Pater meus, qui in cęlis eſt. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &*
ſupèr hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prąualebunt
19 *aduersùs eam. * Et tibi dabo claues regni cęlorum. Et quodcumque ligaueris*
ſupèr terram, erit ligatum & in cęlis: & quodcumque ſolueris ſupèr terram, erit
ſolutum & in cęlis.

Marc. 8.

27 *ET egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius in Caſtella Cęſareę Philippi: & in*
via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Quem me dicunt eſſe homi-
28 *nes? * Qui reſponderunt illi, dicenies: Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij*
29 *verò quaſi vnum de prophetis. * Tùnc dicit illis: Vos verò quem me eſſe dicitis?*
Reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus.

Luc. 9.

18 *ET factum eſt cum ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli: & inter-*
19 *rogauit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbę? * At illi reſponderunt,*
& dixerunt: Ioannem Baptiſtam, alij autèm Eliam, alij verò quia vnus
20 *Propheta de prioribus ſurrexit. * Dixit autèm illis: Vos autèm quem me eſſe*
dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Chriſtum Dei.

COM-

COMMENTARIVS.

VENIT *autèm Ieſus in partes Cæſaraæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos in via, & cum ſolus eſſet orans, & cum illo diſcipuli,* pòſt orationem, quam in via faciebat, *dicens. Quem dicunt homines* mundi *eſſe filium hominis,* me? non interrogat quaſi ignorans, ſed vt fidem Petri eliciat, illiquè primatum conferat; *at illi dixerunt. Alij Ioannem Baptiſtam,* vt Herodes, qui putabat illum ſurrexiſſe; *alij autèm Eliam,* qui expectabatur; *alij verò Ieremiam, aut unum ex Prophetis,* qui reſurrexiſſet; ex magnitudine miraculorum magnum Prophetam æſtimabant, ſed de antiquis, nō nouum; fortè quia fama erat hos venturos; & cum adhùc homines non agnoſcebant, quanta erat cœcitas hominum, qui adhùc cum non cognouerant ex vitæ ſanctitate, & ſignis ad eorum vtilitatem editis; Ideò Io. 1. in mundo erat, & mundus eum non cognouit; *filium hominis;* nuncupat ſe filium hominis, vt apparebat, de quo non quæritur, ſed de occultis, & diuinis. *Dicunt homines* interrogat de vulgi fama, & opinione, vndè Lucas, *quem me dicunt eſſe turbæ?* non ſingulorum, quia fortè aliqui eum cognouerant: Sed cur non dicunt: alij verò Meſſiam? quia non legitur à quoquam ex turbis, vel alijs dictum, nàm cum illum magnificabant, nomine tantùm Prophetæ honorabant, non Meſſiæ, & infrà ipſe prohibet diſcipulis ne ipſum Meſſiam propalent, & quis dubitat ſi hæc opinio tùnc viguiſſet, proùt viguit de Ioanne Baptiſta, Apoſtolos non fuiſſe dicturos? quænam enìm cauſa eos retinuiſset? Dices, aliquos habuiſse eùm pro Meſſia, at, vt dixi, non interrogat de ſingulorum, ſed communiori voce, vltrà quòd quis ſcit, an cognitio ſingulorum, ſeù aliquorùm ad aures diſcipulorum peruenisset? *Vos autèm,* qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: exigit maiora, quibus maiora tradidit, præmiſit de turbis, vt ad illos magìs informatos deſcendat, *quem me eſſe dicitis* in veritate? ſuprà de opinione interrogauerat. *Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui,* reſpondit Petrus, quia feruentior alijs id ſempèr faciebat, & fecit. Ioan. 6. & pro ſe tantùm reſpondit hìc, quia ſolus dignatus reuelatione, ſolus cognoſcit; ideò etiam ſolus laudatur, extollitur, ad primatum euehitur: alij non leguntur cognouiſse Chriſtum, niſi in oratione in cœnaculo. Io. 17. *tu es Chriſtus,* vnctus, Meſſias, à Deo miſsus in mundum, *Filius* naturalis *Dei viui,* non idolorum mortuorum; *Reſpondens autèm Ieſus, dixit ei: Beatus es,* valdè acceptus, alijs prælatus, priuilegio dignatus; hoc enìm ad laudem, ſeù manifeſtationem beneficij in eum collati, de quo agebatur, non ad beatitudinem, quam mereretur, inſinuandam; tùnc enìm alijs verbis ſe explicaſset. *Simon Bar-Iona* ad deſignandū indiuiduum primum, mox additurus quod iàm dixerat Cæphas, Petrus, cum primò ad eum à fratre ductus acceſſit; *Quia caro, & ſanguis,* idèſt homo, vel humanū omne *non reuelauit tibi;* ſi enìm ab homine accepiſses, humanum, humile, animale fuiſset; & ſic intellige caput. 1. Ioan; qui non ex ſanguinibus, nequè ex voluntate carnis, nequè ex voluntate viri; omnia ſub homine, vel humanis; ſic & illud. Galat. 1. non acquieui carni, & ſanguini ſecùs ſuadentibus, humana, carnalia proponentibus, nequè veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, cum iàm Deus reuelaſſet filium ſuum in me, ſed ex reuelatione diuina abij in Arabiam euangelizaturus; quod clarius fit ex ſequentibus; *ſed Pater meus, qui in cælis eſt;* ideò cæleſtia, diuina pronunciaſti. Quò verò ad confeſſionem Petri, nonnè dixerat Petrus ex perſona omnium Apoſtolorum. Ioan. 6. nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei? nonnè tùnc Deus, à quo omne bonum, reuelauerat? Reſpondeo, tùnc Petrum, & alios non fuiſſe illuſtratos, vt explicitè perciperent, quod nunc ſolus Petrus

clarè

clarè percepit patre reuelante, ſcilicèt filiationem naturalem,& diuinitatem Chriſti,& Incarnationem, ac hypoſtaticam vnionem Verbi Filio hominis, quem ſe Chriſtus appellat iuxtà Auguſtinum, ideò Chriſtus ibi vt Petrum humiliet, dicit: nonnè duodecim elegi,& vnus ex vobis Diabolus eſt? Sed habuiſſe implicitam quandam fidem; nunc verò Patre ſoli Petro reuelante, ſolum Petrum, non alios illuſtratos, ideòquè hic ſolum Petrum confeſſionem nomine proprio non communi emiſiſſe, ſoliquè ipſi à Chriſto attributam reuelationem paternam,& confeſſionem, quod enim tùnc crederent omnes eo vſquè, quò Petrus ſentiebat, eſt admodum veriſimile,quia nec Chriſtus eos reprehendit, proùt Nathanaelem, ſed de ſolo Iuda diabolo loquitur,quem videbat non perſeueraturum, nec curauit dictum, ſeù mentem aliorum, quos nouerat mutandos, & in fide profecturos, non etiàm tùnc cum ageretur de maximo myſterio carnis ſuæ edendæ, erat aliud myſterium maximum immiſcendum, cum non eſſent tales, qui poſſent portare, imò lacte indigerent, ideò ſupèr eo non diſſeruit, nec tùnc eorum fidem procurauit ſtabilire, idemquè ſimilibus de cauſis ſeruauit cum Nathanaele, & Martha, & alijs, at reſeruauit in hunc diem de ſua paſſione mox verba facturus, & Petro reuelatione habita primatum promiſſurus, vndè rem tantam aggrediens orationem præmiſit iuxtà Lucam.

Quod autèm ſoli Petro hæc reuelatio facta ſit, apparet tùm ex verbis Domini, tùm ex facto, primatum illi pollicendo, tùm quia alios vlteriùs non interrogat hac illuſtratione non dignatos; & ſi tùnc Ioan.6. hæc omnes intellexiſſent, quæ nunc Petrus, non reaſſumpſiſſet hæc verba, nec dixiſſet ſoli Petro factam reuelationem à Patre,& iuſſiſſet, proùt hic, vt tacerent; at quod non intellexerint, nequè tùnc, nequè modò, ſed adhùc illuſtratione eguerint conſtat, quia cum Philippus. Ioan. 14. diceret: oſtende nobis patrem, reſpondit Ieſus: tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me, Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Poſſet etiàm dici. Ioan. 6. factam eſſe reuelationem Petro, & perfectè, proùt hic, cognouiſſe, alios imperfectè, quia Chriſtus non ſe reſtringit ad hoc,vel illud tempus. Attamen veriſimiliùs hìc factam reuelationem, dum confeſſio requiritur à Chriſto, & quia hìc Petrus ſolus loquitur in perſona propria, & ex alijs, quæ ſubſequuntur. Fides autèm illa implicita, ſeù non perfecta, quam volunt fuiſſe in Nathanaele,& Martha, erat ſufficiens ad ſalutem, donèc explicitè promulgaretur myſterium Trinitatis,& Incarnationis Chriſti, & ſimilia occulta, vt credo: aliòquin quomodò curando corpora curabat animas,niſi fidem infundendo? & tùnc vel nullus, vel pauci hæc occulta myſteria intelligebant. Fuit ergò ſingularis hæc Petro facta reuelatio,& ſubſequens confeſſio,quam tanto munere Chriſtus compenſauit, ità vt credendum ſit paucis anteà reuelationem adeò apertam innotuiſſe. Reuelauit autèm Ieſus alijs reuelationem factam Petro à Patre, vt frœnum cœteris, quibus eum erat prælaturus, imponeret, & vt acquieſcerent, cum cognoſcerent eum iàm ipſis à Deo prælatum in reuelatione, & ſe eximeret ab eorum indignatione in hac electione facienda, non enim id erat parum momenti,cum ſæpiùs de maioritate intèr ſe diſquiſiuiſſent, & ea de cauſa indignati eſſent,& proptereà etiàm in traditione clauium. Ioan.21.interrogat illum coràm omnibus an plùs illis eum amet, vt omnibus conſtaret non ab re alijs præferri, & hùc alluſerunt vndecim in electione Matthiæ facta per ſortes, & orationem ad Deum; ſicuti etiàm accuſationem Iudæorum à ſe ad Moyſem tranſtulit. Ioan. 5. 45. nolite putare, quòd ego accuſaturus ſim vos apud Patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo ſperatis, & Ioan.12. ego non iudico,cum transfert iudicium ad patrem,qui tamèn omne iudicium dedit filio, ſic Ioa.8. ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet. ***Ego*** Deus te remunerans ***dico tibi***, & dicendo facio, ***quia tu***, qui ſic primus confeſſus es,& cognouiſti myſteria abſcondita, & credidiſti, ***es Petrus***, petra, ***& ſupèr hanc petram*** fundamentalem,ſupèr te Petrum ***ædificabo Eccleſiam meam:*** tu eris fundamentum, tu conuerſus confirmabis fratres, tu paſces agnos meos oues meas, ex amore feruenti, quo me proſequeris, Pater

ter meus tibi reuelauit, ex eodem (ſic enim Ioan.21.ſupèr dilectione interrogatur) ſummus paſtor conſtitueris.

Non poteſt dici, *& ſupèr hanc petram*, idèſt ſupèr me Chriſtum petram angularem (proùt verè eſt) *ædificabo Eccleſiam meam*, nàm verba Chriſti diriguntur in Petrum, diſtinguit ſe à Petro; *ego dico tibi, tibi dabo claues*, quomodò ergò intermediat ſermonem de ſeipſo, & non potiùs proſequitur de Petro? perſona enim loquentis intelligitur excepta etiàm in ſermone generali, nedum particulari, proùt hic. Prætereà intèr ædificantem, & eum, ſupèr quem ædificatur, ſeù fundamentum debet eſſe diſtinctio; cum ergò Chriſtus ſe conſtructorem faciat, & ædificatorem, profectò non poteſt de ſe ipſo loqui. Ad hæc, quid poterat addere Chriſtus, vt intelligeremus verba illa de Petro, non de ſe ipſo cum dixerit, *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſupèr hanc;* verba enim referuntur ad proximiora, & iàm præceſſerat *tu es Petrus*, idèſt petra, & ne hæſitaremus, iterùm reaſſumit, *& tibi dabo claues, & quod cumque ligaueris, &c.* ſcilicèt tu, ità vt clariùs dicere non potuerit. Pondera etiàm verba, *Eccleſiam meam*, quaſi, & ſi ſupèr te ædificata, mea tamèn erit: ſic & cum de facto relaxat oues, & in earum poſſeſſionem ponit Petrum, dicit: oues meas, agnos meos, & ſicuti ibi dantur Petro. Ioan. 21. ſic nunc dicitur ſupèr illum ædificandam Eccleſiam. Inſupèr conſtructio fieret ſupèr Chriſto, & & deindè claues darentur Petro, quia dicitur, *& tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque ligaueris, &c.* quæ verba ad alium trahi non poſſunt, quàm Petrum, quod eſſet incongruum, præſertim quia & his verbis iterùm ſe diſtinguit à Petro; vndè retinendus ſenſus germanus, *& ſupèr hanc petram*, idèſt ſupèr te Petrum, aliòquin tota phraſis corrumpitur; nàm quid ſibi vellet *tu es Petrus*, ſi ibi ſiſtatur oratio, & non iungantur ſequentia, *& ſupèr hanc Petram?* ſi dicis, excurret vſquè ad verba, *& tibi dabo claues*, at non erant neceſſaria prima illa verba, *tu es Petrus*, ſufficientia erant illa ſola, *& tibi dabo*, remanerent ergò illa imperfecta, & in aere abſquè vllo ſenſu; *& portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam;* poterat dicere Petrus, non potero reſiſtere, & onus tantum ſuſtinere, ideò Chriſtus dicit ſic ſtabilitum ædificium, ſic fundaturum, vt quæuis potentia, quæuis vitiorum, perſecutionum, hæreſumue colluuies non ſint præualitura, quæ omnia vno complectitur verbo, *portæ inferi*, cum enim nulla maior potētia, quàm dæmonum, vt Dominus dixerit eum Principem mundi, & Paulus: non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem, ſed aduersùs principatus, & poteſtates, mundi rectores tenebrarum harum, contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, & Iob: non eſt poteſtas, quæ ei comparari poſſit, ſub portis inferi omnia dixit nocitura, & ſub portis intelligitur virtus, potentia quæque, exercitus, milites, vel in eis ſtantes, vel indè prodeuntes in aciem, vti illi Dauidis contrà Abſalonem. Aliàs domum benè ædificatam à ſapiente ſic deſcripſit, qui ædificauit domum ſuam ſuprà petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſuprà petram. Matth. 7. 25. *Et tibi dabo claues*, ſub quibus omnimoda poteſtas, poſſeſſio, dominium *regni cælorum*, eiuſdem Eccleſiæ meæ, vt fiat quod dixi, & quòd de hoc regno intelligat, colligitur ex ſequentibus. *Et quodcumque ligaueris ſupèr terram*, & quidquid ſtatueris, & præceperis obſeruandum, quod indignum ſolutione cenſueris, vel vinculo dignum, *erit ligatum & in cælis*, *& quodcumque ſolueris ſupèr terram, erit ſolutum & in cælis*, ità vt in cælis ratum, vel irritum ſit habendum; quod tu pro ligato, ſolutove habueris; ſi ergò in cælis approbandum, vel reprobandum quod in terra à Petro geſtum, ergò intellectus verus illorum verborum, *& tibi dabo claues regni cælorum*, erit de regno Eccleſiæ, vt ſit diſtinctio intèr regnum, in quo hæc fienda, & intèr illud, in quo approbanda, vel reijcienda; etſi conſequentèr claues etiàm cæli ex hac approbatione, vel reprobatione, veniant, ità vt cui clauſeris, clauſum, cui aperueris, apertum erit, tu ergò eris caput viſibile, Monarcha Eccleſiam meam, regnum meum in terris gubernans, & adminiſtrans, & pòſt te ſucceſſores tui Romani Pontifices, & ſic conueniens fuit, vt Chriſto præſentia cor-

Digitized by Google

corporali abeunte hoc caput viſibile conſtitueretur in terris, ad quod ab ouibus poſſet haberi recurſus, & oues paſcerentur. Hæc promiſſio facta nunc Petro pòſt reſurrectionem fuit executioni demandata, Ioan. 21. dum Chriſtus illi paſcendas oues, & agnos dedit, curæquè ſuæ commiſit. Sed quomodò Deus exuperat omnem ſenſum noſtrum: Petrus confitetur, & Chriſtus non contentus dixiſſe *Beatus es Simon Bar-Iona*, addit, *& ego dico tibi, &c.* ſic cum Abraham: quia feciſti rem hanc, & non pepercisti, &c. cum Salomone: quia non petiſti, &c. Tùnc præcepit diſcipulis ſuis, ne cui dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus; poſtquàm cognouerunt illum eſſe Meſſiam, hoc prohibet, vt nemini dicerent, quia ſi reuelatum eſſet clarè ipſum eſſe Meſſiam, Iudæi eò magis in mortem eius intendiſſent, ideò interrogatus: quouſquè animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus &c. non reſpondit directè, præuidens illicò quod in eis erat exequi tentaturos; hìnc dum Caiphæ interroganti, quia venerat hora eius ſe manifeſtandi, apertè reſpondit: tu dixiſti, & ipſe illicò cum alijs: reus eſt mortis; proptereà in propalando ſe Meſſiam, quod ipſe intendebat, multa prudentia opus erat, & modo humano, ne, ſi ſempèr diuino egiſſet, homo non exiſtimaretur, & intentio ſua fuit nedum Deum, ſed & hominem ſe probare, & quia nondum apti erant ad hæc occulta myſteria prædicanda, non poterant portare modò, conſtat enim Ioan. 14. eos de hoc tempore nondum perfectam Chriſti cognitionem habuiſſe, & ſolus Petrus nunc illuſtratus, alij non, & quod ipſi non intelligebant, nec alios docere poterant; vltrà quòd neque Auditores erant capaces; vndè Chriſtus doctrina, & miraculis ſe manifeſtabat, non verbis tantùm, quæ parùm proderant, & attendebantur obijcientibus hominibus: tu de te ipſo teſtimonium perhibes, & itidèm teſtimonium ſuorum Apoſtolorum parùm fuiſſet attentum.

Dices, Ioannes Baptiſta loquebatur de illo, & proferebat Meſſiam, ſed tùnc paucis innoteſcebat; & ipſe ad hoc munus electus præcucurrit, & hac de cauſa cum eo Dominus diù verſatus non eſt, vt eius teſtimonium ſolidius eſſet; & Apoſtolis non his diebus; ſed pòſt Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcēſionem, & Spiritus ſancti receptionem, reſeruabatur, interim morari debuerant cum Ieſu, vt teſtes eſſent omnium; hoc enim erat tùnc munus eorum. Et ſi miſſi ſunt prædicare Apoſtoli, & Diſcipuli, id fuit ad tempus, & ad eos exercendos, & ſecuriores reddendos, & ad propagationem Euangelij; ideò tùnc maior concurſus factus eſt turbarum ad Ieſum, quæ ideò frequentes anteà non fuerunt, ità vt poſteà quinquè, & quatuor millia pauerit; exijt etiàm fama maior Ieſu, vt tùnc peruenerit vſquè ad Herodem, & abeuntibus limitata eſt facultas, & præſcriptus modus, nequè impoſitum, vt explicarent, quòd ipſe eſſet Ieſus Chriſtus, quod nec intelligebant, nequè Petrus tùnc; expectabatur enim Paſſio, & Reſurrectio, & Spiritus ſancti Miſſio, vt publicaretur hoc nomen ab alijs; vndè dixit: cum exaltatus fuero à terra tùnc cognoſcetis, quia ego ſum, &c. His de cauſis prohibuit, non quòd timeret teneram fidem in animis hominum inſitam imminente paſſione abſquè ſpe reſtitutionis euellendam, non enim ob id ceſſandum erat, quia etſi ſcandalum eſſent paſſuri credentes, diſcipuli diſpergendi, & fugituri, ea tamèn perfectè reintegranda fuit, & dilatanda magis, & expellendus contractus timor, quod mòx apparuit in Nicodemo, Ioſepho, Centurione, & alijs; niſi enim granum frumenti cadēs in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autèm mortuū fuerit, multum fructum affert, & citò etiàm diſcipuli regreſſi ſunt, & faciliùs fuit fidem lapſam inſtaurare, quàm nouam pòſt ſcandalum Crucis in animis hominum inſerere; ſi enim (ſecundùm Ambroſium) ſignum Deitatis maximum fuit mori pro omnibus, quia id nemini aptabatur niſi Deo, faciliùs id apprehenderunt, qui eum cognouerant, & in eum crediderant, quàm qui de nouo ad credendum mouebantur, vel ſaltèm æqualis erat in omnibus ratio. Præthereà ſi id fuiſſet in cauſa, eàdem viguiſſet in Chriſto, ità vt & ipſe debuiſſet abſtinere à publicatione ſui ipſius, quod eſt abſurdiſſimum, cum ad id venerit, idquè ſempèr præſtiterit miraculis, & doctrina, & cum aliquibus clarè. Non obſtat ſubſequens memoria paſſionis eius

cum

cum diſcipulis, quia facta fuit, ne illa, quam citò viſuri erant, deterrerentur, Sed prædicatione foucrentur, & confirmarentur, & retinerentur in fide, ad quod ſeruiuit & transfiguratio illam præcedens, & hæc confeſſio Petri.

CAPVT LXXII.

DE PASSIONE, ET ABNEGATIONE SVI CVM DISCIPVLIS.

Matth. 16.

24 TVNC Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult pòſt me
venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &
25 ſequatur me. * Qui enìm voluerit animam ſuam ſal-
uam facere, perdet eam, qui autèm perdiderit animam
26 ſuam proptèr me, inueniet eam. * Quid enìm prodeſt ho-
mini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ
detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commuta-
27 tionem pro anima ſua? * Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui
28 cum Angelis ſuis: & tùnc reddet vnicuique ſecundùm opera eius. * Amen dico
vobis, ſunt quidam de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donèc videant
Filium hominis venientem in regno ſuo.

Marc. 8.

34 ET conuocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me ſequi, de-
35 neget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. * Qui enim
voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autèm perdiderit ani-
36 mam ſuam proptèr me, & Euangelium, ſaluam faciet eam. * Quid enim,
proderit homini, ſi lucretur mundum totum: & detrimentum animæ ſuæ faciat?
37 * Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua? * Qui enìm me confuſus
38 fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera & peccatrice: & Filius ho-
minis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.
39 * Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hìc ſtantibus, qui non
guſtabunt mortem, donèc videant regnum Dei veniens in virtute.

Luc.

Luc. 9.

23 *DICEBAT autèm ad omnes: Si quis vult pòſt me venire, abneget ſe-*
24 *metipſum, & tollat crucem ſuam quotidiè, & ſequatur me. * Qui enìm*
voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam: nàm qui perdiderit ani-
25 *mam ſuam proptèr me, ſaluam faciet illam. * Quid enìm proficit homo, ſi lu-*
cretur vniuerſum mundum, ſe autèm ipſum perdat, & detrimentum ſui fa-
26 *ciat? * Nàm qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erube-*
ſcet cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.
27 ** Dico autèm vobis verè: ſunt aliqui hìc ſtantes, qui non guſtabunt mortem*
donèc videant regnum Dei.

COMMENTARIVS.

EXINDE *cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis* pòſtquàm iàm innotuerat ipſum eſſe Meſſiam, & Filium naturalem Dei viui ex Petri confeſſione, *quia oportet eum ire Ieroſolymam*, vt ibì recipiant finem tot figuræ, & ſacrificia ex morte illius, *& multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum*, qui illi inſidiabantur, *& occidi* à gentibus, quibus tradendus erat ab illis, *& tertia die reſurgere*, hoc adijcit ad temperandum mortis horrorem; *& aſſumens eum* ſeorsùm *Petrus* zelans, & nimio amore ergà eum flagrans, *cœpit increpare illum dicens. Abſit à te Domine*; longè hoc à te, *non erit tibi hoc*, quid enìm feciſti, vt hæc tibi debeantur? *qui conuerſus* ergà illum, *dixit Petro: Vade pòſt me Satana*, abi à me aduerſarie; *ſcandalum es mihi*, apponis antè me offendiculum, in quod impingam; calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam? *quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt*, à quo ſtatutum eſt, vt occidar pro mundi redemptione, *ſed ea, quæ hominum*, cum ad hæc mouearis quadam humana compaſſione, quæ debet reijci, & poſtponi præceptis, & voluntati Dei. *Tùnc* occaſione horum verborum Petri auertentis eum à morte, *dixit Ieſus diſcipulis ſuis*, & turbæ, & omnibus; *Si quis vult venire pòſt me*, meus eſſe diſcipulus, *abneget ſemetipſum*, nullam ſui curam habeat, ſit etiàm à ſemeptipſo ſeparatus, *& tollat crucem ſuam*, paratus ſit mori *quotidiè*, ſempèr in hac vita, & quauis morte etiàm turpiſſima. Pendēt hæc ab illo Deum præponēdum omnibus, etiàm vitæ noſtræ, *& ſequatur me*; ego dux præcedo, ſequimini; ſic Gedeō, & Abimelech, qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. 1. Ioan. 2. 6. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. 1. Pet. 2. & 4. *qui enìm voluerit animam ſuam*, vitam ſuam *ſaluam facere*, præponendo illam mihi, *perdet eam* in æternum, *qui autèm perdiderit animam ſuam proptèr me, inueniet eam*, recuperabit eam æternam; quàm verò ſuauis, & recipienda ſit hæc eius doctrina, oſtendit; *quid enìm prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur*, dum vitam ſuam ſaluare vult, *animæ verò ſuæ* pretioſioris quouis mundo, quam ſic faciendo maculat, *detrimentum patiatur?* quaſi dicat, nihil, quia omnis comparatio ceſſat; *Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* quaſi, nihil dare poteſt æquiualens, & ne putarent hæc, quæ acturi ſunt futura ignota, vel iniudicata prætereunda, ſubdit; *Filius enìm hominis*, ego, *venturus eſt* in mundum iterum ad iudicium *in gloria*

maieſtate ***Patris ſui cum Angelis ſuis*** , ***&*** ***tùnc reddet vnicuique ſecundùm opera eius;*** reddit quotidiè ſingulis morientibus,ſed loquitur de vniuerſali iudicio, in quo vniuerſalitèr hoc fiet, & factum apparebit, ad terrorem inducendum, & particularitèr pro illis, qui erubeſcent eum, non confitebuntur eum coràm hominibus,& ipſe tùnc illos erubeſcet,ideò: beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me; eccè poſitus eſt hìc in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Luc.2.& ne putetis gloriam regni mei, quam dixi, vel vanam, vel contemnendam. ***Amen dico vobis, ſunt quidam de hìc ſtantibus,qui non guſtabunt mortem*** , non deficient , ***donèc videant filium hominis venientem in regno ſuo*** in gloria,quod contigit in transfiguratione, ideòquè tres Euangeliſtæ de illa mòx agunt. Non loquitur de iudicio vniuerſali , ſuprà enim proximè de eo loquutus eſt , & tùnc venturum ſe dixit cum Angelis;at de oſtenſione gloriæ in transfiguratione, quæ ſubſequitur, & quæ tendebat ad manifeſtandum, & dandum arrham eorum,quæ dixerat ſe redditurum iuxtà opera, præſertim quia dicit: ***ſunt de hìc ſtantibus*** , aliqui ſcilicèt, & tres tantùm viderunt;& hanc gloriam vocat regnum; non poteſt autèm de reſurrectione, & aſcenſione intelligi, quia tùnc nō viſus in gloria, ſed tantùm exercere dotes corporis glorioſi imaginariè.

CAPVT LXXIIII.

DE TRANSFIGVRATIONE.

Matth. 17.

1 *ET pòſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, &*
Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excel-
2 *ſum ſeorsùm:* & transfiguratus eſt antè eos. Et reſplen-*
duit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autèm eius facta
3 *ſunt alba ſicut nix. * Et eccè apparuerunt illis Moyſes,*
4 *& Elias cum eo loquentes.* Reſpondens autèm Petrus,*
dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hìc eſſe: ſi vis,
faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.
5 ** Adhùc eo loquente, eccè nubes lucida obumbrauit eos. Et eccè vox de nube, di-*
cens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.
6 ** Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde. * Et*
7 *acceſſit Ieſus, & tetigit eos: dixitquè eis: Surgite, & nolite timere.* Leuan-*
8 *tes autèm oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.* Et deſcendenti-*
9 *bus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donèc*
10 *Filius hominis à mortuis reſurgat.* Et interrogauerunt eum diſcipuli, dicentes:*
11 *Quid ergò Scribæ dicunt, quòd Eliam opporteat primùm venire?* At ille reſpon-*
12 *dens, ait eis: Elias quidem venturus eſt,& reſtituet omnia.* Dico autèm vo-*
bis, quia Elias iàm venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcum-

que

13 que voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis. * Tùnc intellexerunt di-
ſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.

Marc. 9.

1 ET pòſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem: & du-
cit illos in montem excelſum ſeorsùm ſolos, & transfiguratus eſt coràm ipſis.
2 * Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qua-
3 lia fullo non poteſt ſupèr terram candida facere. * Et apparuit illis Elias cum
4 Moyſe: & erant loquentes cum Ieſu. * Et reſpondens Petrus, ait Ieſu: Rabbi,
bonum eſt nos hìc eſſe: & faciamus tria tabernacula, Tibi vnum, & Moyſi
5 vnum, & Elia vnum. * Non enim ſciebàt quid diceret: erant enim timore
6 exterriti: * & facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens:
7 Hic eſt Filius meus Chariſſimus: audite illum. * Et ſtatim circumſpicientes,
8 neminem ampliùs viderunt, niſi Ieſum tantùm ſecum. * Et deſcendentibus il-
lis de monte, præcepit illis ne cuiquam qua vidiſſent, narrarent, niſi cum Fi-
9 lius hominis à mortuis reſurrexerit. * Et verbum continuerunt apud ſe: conqui-
10 rentes quid eſſet: Cum à mortuis reſurrexerit. * Et interrogabant eum, dicen-
tes: Quid ergò dicunt Phariſæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire pri-
11 mùm? * Qui reſpondens, ait illis: Elias cum venerit primò, reſtituet omnia:
& quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, vt multa patiatur, & contem-
12 natur. * Sed dico vobis quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcumque vo-
luerunt) ſicut ſcriptum eſt de eo.

Luc. 9.

28 FACTVM eſt autèm pòſt hæc verba ferè dies octo, & aſſumpſit Petrum,
29 & Iacobum, & Ioannem, & aſcendit in montem vt oraret. * Et facta
eſt, dum oraret, ſpecies vultus eius altera: & veſtitus eius albus & refulgens.
30 * Et eccè duo viri loquebantur cum illo. Erant autèm Moyſes, & Elias,
31 * viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieru-
32 ſalem. * Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. Et euigi-
33 lantes viderunt maieſtatem eius, & duos viros, qui ſtabant cum illo. * Et fa-
ctum eſt cum diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum: Præceptor, bonum eſt nos
hìc eſſe: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, &
34 vnum Eliæ: neſciens quid diceret. * Hæc autèm illo loquente, facta eſt nubes,
35 & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. * Et vox facta
36 eſt de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite. * Et dum
fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus. Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in
illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

COMMENTARIVS.

E*T pòſt dies ſex*, ſeù fortè *octo* iuxtà Lucam numerantem dies intermediantes illos ſex, *aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum*, Thabor, vt fertur, quidam Libanum, *ſeorsùm* ab alijs, vt oraret. Hos tres ſolos alijs inſcijs, qui aliàs ægrè tuliſſent, quorum ſufficiens teſtimonium, & ne publicaretur, ſi plures, maximè Iudas indignus, & ſuſpectus, & vt tres tribus ſociarentur, hi autèm, qui iàm ſoli admiſſi fuerant ad ſuſcitationem puellæ, & ſic alijs ſemèl prælati, ne, ſi alij vocarentur, cæteri ægrè ferrent; non enim omnes dixerat viſuros, ſed quoſdam de ſtantibus. *Et transfiguratus eſt antè eos*, velutì occulta lux in laterna clauſa, eadem aperta, diffunditur; ſic gloria, quæ in natura diuina, & anima claudebatur, foris prodijt, & corpus, & veſtimenta illuſtrauit, ideò non facie ſola transfiguratus eſt, ſed toto corpore. Quomodò verò? *dum oraret*, inquit Lucas, *facta eſt ſpecies vultus eius altera*, quomodò altera? *reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autèm eius facta ſunt alba ſicut nix*, vndè totum corpus irradiabat, & in veſtimentis etiàm ſplendor manifeſtabatur, qui in illa à corpore emanabat, & hoc magis placet, quàm vt demus nouum miraculum quòad veſtimenta, cum ſplendor à corpore emanans id poſſet, & de facili, cum veſtes potiùs ſint diaphanæ, quàm opacæ, aut impenetrabiles. Hoc autèm gloriæ ſuæ ſignum tradidit, voxquè paterna adhibita, vt certi redderentur qualis eſſet, & poſſent teſtificari de illo omnibus homninibus, quibus erant prædicaturi, quod colligitur ex verbis, *nemini dixeritis viſionem, donèc filius hominis à mortuis reſurgat*, & effectus habetur ex. 2. Pet. 1. 17. & 1. Ioa. 1. 1. & in eiuſdem Euangelio cap. 1. & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. *Et eccè apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes* Moyſes è Limbo, Elias è Paradiſo terreſtri educti, aſſueti viſioni Dei in monte Horeb, ſeù Sinai, & auidi gloriæ, qua nunc tempore Meſſiæ clariùs fruantur, Moyſes, qui apertè de eo ſcripſit. Deu. 18. vndè: ſi crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enìm ille ſcripſit, qui expetierat, mitte quem miſſurus es. Elias fama inſignis, & zelo zelatus pro Domino. Vt etiàm tolleretur fama, quòd Ieſus eſſet Elias, vel vnus ex Prophetis; Moyſes, vt ad Limbum reuerſus conſolaretur patres expectantes educi ex viſione, quam narraret, & nunciaret citò eos gloria fruituros, paſſione Chriſti mòx ſecutura, nàm & de *exceſſu* ſermo interpoſitus ex Luca: Elias verò Enoch, & ex viſione gloriæ confirmati, ac fortiores redditi ambo præeant ſuo tempore antè ſecundum aduentum Chriſti, & teſtimonium more Apoſtolorum reddant. Apocal. 11. hoc enim tempore, Chriſto in terris agente, hæc præſtanda erant, cum pòſt hæc non aliud Euangelium, non alia lex expectetur. 2. Cor. 3. 11. & Chriſtus non ſit venturus, niſi ad iudicandum, vt dicunt in aſcenſione Angeli, & hoc fuit admodum conueniens; ſicut enim Ioannes Baptiſta in baptiſmo vocem paternam dicentem de Ieſu audiuit, vt poſſet manifeſtare, ſic Elias in transfiguratione, vt idem officium præſtaret. Contigit & hoc Paulo manifeſtaturo, cui tamquàm abortiuo apparuit Dominus, & rapto ad tertium Cælum, vt ſuo munere fungi poſſet. At Moyſes non eſt venturus antè iudicium cum Elia, ſed Enoch iuxtà præmiſſa, vt quid enim Enoch reſeruatus viuus? & Moyſem mortuum iàm beatum pòſt millia annorum iterum moriturum, quod eſt inſolens, & martyrio coronandum excitare? & præſumere miraculum? nàm ſi anima beata Moyſis informaret corpus ſuum, illud redderet beatum, quòd ſi iterum moriturum, ceſſandũ à regula, quod non eſt dicendum.

Sed an Moyſes in ſuo proprio corpore aſſumpto apparuerit? credo quòd ſic, tùm

vt

vt ſicut anima, ità corpore lætaretur, Deus enim cum ſeruis ſuis non imperfectè, ſed ad ſatietatem agit,& vt ad terram ei viuenti interdictam etiàm corpore deferretur, & quia videtur magis conuenire, vt proprio, quàm alieno corpore, vel aereo veſtiretur, ideò præſumitur ſic factum, proùt cum Petro precibus S.Stanislai Poloni, qui iterum obdormiuit, & contrà creditorem viduæ precibus S.Seueri 30. Aprilis in martyrologio, præſertim quia nihil hìc imaginarium fuit, & edocti fuerunt diſcipuli illud inueniri, ſuper quo diù controuerſum, & non fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora. Accedit quia *viſi ſunt in maieſtate*, id enim potiùs proprio corpori, quàm alieno attribuendum,& quæ maieſtas in alieno corpore? Item ad imparia aſſumi non debuerant Moyſes, & Elias; ſi Elias in proprio, profectò & Moyſes; nec dicas: vnus mortuus, alius viuus, ideò impares: cogita non ipſos, ſed Ieſum, qui hoc præſtitit, cui omnia viuunt. Inſupèr quid illud tandem? nonnè reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ? quid mirum, ſi ſicuti ipſe per modum tranſeuntis tùnc oſtēdit gloriam ſuam, ità Moyſis corpori per modum tranſeuntis & gloriam quandam habere,& gloriam hāc videre tribuerit? nonnè eſt Moyſes, cuius cornuta facies, in quam filij Iſrael intendere non poterant, dum eſſet in humanis? quid tùnc cum Chriſto? Sed eſt clarus textus, quia dicit *in maieſtate* apparuiſſe, ſua ſcilicèt non aliundè aſſumpta; magis etiàm aſtruitur reſurrectio mortuorum ex corpore Moyſis, cuius ſepulcri locus incognitus erat,& Chriſtus dum dixit ſe paſſurum, dixit etiàm ſe reſurrecturum tertia die; ſicuti ergò de paſſione locuti ſunt, ità facto cenſendum præſtitiſſe, quod ad confirmandam reſurrectionem faciebat. Numquid in ſcena facienda repræſentatio, vt aſſumeret corpus phantaſticum, & aereum? ſi Petrus tabernacula vult ædificare, numquid Moyſi aereo? nec dicas cognouiſſe Moyſem, ſed non aereum; quia ſi in illa gloria illum cognouit, cur non & hanc qualitatem? improbabilia ſunt hæc; teneo igitur in proprio corpore apparuiſſe, proùt Elias, indecens enim fuiſſet vnum proprio, quod in Elia negari non poteſt, alium alieno comparuiſſe; nonnè Samuel excitatus fuit in proprio corpore Saul reſponſa daturus? cur non Moyſes? dicit enim Samuel, quarè inquietaſti me, vt ſuſcitaret, & recitantur verba, quæ dicit textus eſſe Samuelis. 1. Reg. 28. 15. & Eccleſ. 46. 23. & pòſt hoc dormiuit (Samuel) & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & 1. Reg. 15. 35. dicitur: non vidit Samuel vltrà Saul vſquè ad diem mortis ſuæ, moritur autèm Samuel. 1. Reg. 25. 1. nequè vmquàm fit mentio viſionis, niſi quandò excitatus à Phitoniſſa; prætereà nullum dabitur exemplum in ſcriptura mortui apparentis viſibilis in corpore aſſumpto non proprio; & cum dicat Moyſem apparuiſſe, aſſumamus verba in propria ſignificatione, non impropria; & mirum non eſt, ſi Angeli in aſſumpto corpore appareant, quia non habent proprium, & verum, quod aſſumant. *Et dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem*, vltrà dicta, vt innoteſceret Petro,& alijs non eſſe inconueniens, vt pateretur, quod Petro videbatur incongruum; at quàm benè hìc Moyſes, qui exaltauit ſerpentem, & intellexit exceſſum; Elias occidendus in Ciuitate, in qua Chriſtus crucifixus. Apoc. 11. *Petrus verò, & qui cum illo erant* Iacobus, & Ioannes *grauati erant ſomno*, vndè veriſimilitèr nox erat, nàm Euangeliſta loquitur de ſomno naturali, non accidentali. *Et euigilantes Apoſtoli viderunt maieſtatem eius*, Ieſus, proùt oculis corporeis dabatur, *& duos viros* Moyſem, & Eliam, qui ſtabant cum illo: *Et factum eſt cum diſcederent* hi duo viri *ab illo*, à Ieſu; *Petrus* gloria illa allectus timens priuari, *ait ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hìc eſſe, ſi vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*; propterea non permittas illos hinc diſcedere, *non enim ſciebat quid diceret*, erat enim hoc abſonum gloriæ, & maieſtati, quam videbat, *erant enim timore exterriti*, vndè timor non permittebat eos cogitare quod debuiſſent, & apprehendere. *Adhùc eo*, Petro *loquente, ecce nubes lucida obumbrauit*, texit *eos* omnes, pòſtquàm nullus excipitur, *& ecce vox de nube, dicens*, à Sanctiſſima Trinitate efformata, qua certi redderentur Apoſtoli de Chriſti diuinitate, & Ia-

& Iacobus, & Ioannes reuelationem Petri à Deo fuiſſe, proùt dixerat Chriſtus, cuius teſtes eſſe poſſent, nec auderent pręferri Petro, ſed fortè hinc anſam ſumpſerunt petendi primas ſedes in regno, quod terrenum exiſtimabant adhùc rudes. Congruum fuit, vt Apoſtoli viderent gloriam Chriſti, & vocem paternam audirent, cum eius diuinitatem eſſent annunciaturi; nàm non interuenerunt, nec erant cum Ieſu, cum in baptiſmo eadem vox audita fuit ab omnibus pręſentibus; nòn enim plùs ſcire debuerant alij, quàm ipſi teſtes electi. *Hic eſt Filius meus dilectus*, naturalis, *in quo mihi benè complacui*, qui mihi in omnibus placet, qui eſt ſecundum cor meum, qui omnia operatur iuxtà præcepta mea, eſt mihi in omnibus obediens; *ipſum audite*; ſic Deut. 18. Prophetam ſuſcitabit, &c. ipſum audies, &c. obedite illi, ne latum vnguem ab eius verbis diſcedatis; Hinc omnia dicta Chriſti approbata; hinc quæ de morte ſua dixerat credenda, & conuenientia propoſita, *& audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam* proni, erigere ſe non tentantes, *& timuerunt valdè*; vndè erant mentis compotes, & integri, cum apprehenderent timorem, *& acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitquè eis: Surgite, & nolite timere*: apparitiones bonæ turbant in principio, ſed in fine conſolantur; *Leuantes autèm oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum*; iàm enìm alia abſceſſerant. *Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donèc filius hominis à mortuis reſurgat*, quia vana fuiſſet antè huius rei manifeſtatio, proùt tùnc opportuna, ni mirum, ſi tres tantùm adhibuit, vt certa eſſet, non tamèn in ore omnium. *Et interrogauerunt eum diſcipuli* illi tres, *dicentes*: occaſionem ſumunt interrogandi ex viſione Eliæ, *quid ergò Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?* Malach. 4. id habetur, audierunt hoc illi ab illis, eccè lucrum ex tranſfiguratione, & apparitione Eliæ, vt remouerentur hæc falſa ſupèrſeminata à Scribis, & plebi infuſa. *At ille reſpondens, ait eis: Elias quidèm venturus eſt* antè aduentum meum ad iudicium, *& reſtituet omnia*; magnus fauor populi Iudaici, quia reliquiæ Iſrael tùnc ſaluæ fient, conuertet enim corda Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum. Malach. 4. ſcilicèt faciet ſentire filios idem quod Prophetæ, & Patriarchæ, vt credant, & ſaluentur. *Dico autèm vobis, quia Elias* in ſpiritu *iàm venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt*; hinc apparet Iudæos fuiſse complices mortis Ioannis; *ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis* verè, & cum effectu, proùt Ioannes: à ſubtilioribus ad neceſſaria eos retrahit. *Tùnc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis*, Elias ergò venturus cum Enoch, non autèm Ieremias, aut Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, quod alibi reprobauimus, Verba verò Marci; *Elias cum venerit primò, reſtituet omnia, & quomodò ſcriptum eſt in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur*, nempè id etiàm reſtituet, affirmabit, prædicabit, demonſtrabit ſcriptum eſse filium hominis paſſurum, & contemnendum, hoc enim perſuadebit Iudæis, vt credant in illum, & ſaluentur, nàm crux Chriſti Iudæis fuit ſcandalum, & ità non impropriando verba, videtur dici poſſe; nàm annunciabit cum Enoch Chriſtum crucifixum, & reſurrexiſſe eodem modo, quo fecerunt Apoſtoli.

At quomodò Apoſtoli cognouerũt Moyſen, & Eliam? quia ibi gloria, & in gloria datur cuiuſquè cognitio, quòd ſi Aſinæ Balaam, & ſeruo Eliſæi aperti oculi, quid cum Apoſtolis tùnc actum? Sed cur Moyſes, non Abraham adductus? quia erat in maiori æſtimatione Moyſes, & quotidiè ſupèr eius lege diſputabatur, & ſcripſerat de Chriſto, quę non concurrebant in Abraham, & quia Abraham viderat diem ſuum, & exultauerat. Cur non Enoch prædicaturus cum Elia, & venturus contrà Antichriſtum? Reſpondeo duo, vel tres ad ſummum (in quibus ſtat omne verbum) euocandi, qui alijs referrent exiſtentibus in Limbo, & in Paradiſo terreſtri, & cum Moyſe, & Elia his ſatisfactum, in Limbo per Moyſem, in Paradiſo per Eliã; quòd ſi & Enoch cum Elia, ex Limbo etiàm alius fuerat euocandus, & ſic quatuor fuiſſent, & Deus non multiplicat quod per pauciora fieri poteſt. Nec inconuenit Enoch de illo teſtificari etiàmſi non viderit, quia ſuf-

ficit

ficit ab Elia audiſſe, nàm nequè alij Apoſtoli prætèr tres viderant, ſed ab illis tribus audierunt, nequè Matthias perſtiterat in omnibus tentationibus eius, nequè Paulus, & tamèn Apoſtoli fuerunt, qui de illo per totum mundum teſtificati ſunt; & ſi ſufficiens fuit Matthiam intèr diſcipulos vidiſſe Ieſum reſuſcitatum, Paulum cui apparuit tamquàm abortiuo. Item quia ſeruauit cum mortuis, quod cum viuis: nō ſum miſſus niſi ad oues, quę perierunt domus Iſrael, Enoch enim antè promiſſionem claram Meſſiæ factā Abrahæ, & antè diſtinctionem populi, ad quem ipſe non pertinebat, translatus erat; hìnc dicitur. Eccleſ. 44. daturus pœnitentiam gentibus, prout Elias Iſraelitis. Eccleſ. 48. Elias verò erat de populo ſegregato, ni mirum ſi hunc, non illum adhibuit. At cur Enoch reſeruatus pœnitentiam gentibus daturus? credo vltrà alia in Geneſ. 5. expreſſa, quia iudicium futurum primus prædicauit. Iudas in Epiſt. verſ. 14. Eccè venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium, &c.

CAPVT LXXIV.

DE LVNATICO SANATO.

Matth. 17.

14 ET cum veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus
prouolutus antè eum, dicens: Domine, miſerere filio meo,
quia lunaticus eſt, & malè patitur: nàm ſæpe cadit in
15 ignem, & crebrò in aquam. * & obtuli eum diſcipulis
16 tuis, & non potuerunt curare eum. * Reſpondens autèm
Ieſus, ait: O generatio incredula, & peruerſa, quouſquè ero vobiſcum? vſquequò patiar vos? Afferte hùc il-
17 lum ad me. * Et increpauit illum Ieſus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus
18 eſt puer ex illa hora. * Tùnc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò, & dixerunt:
19 Quarè nos non potuimus eijcere illum? * Dixit illis Ieſus: Proptèr incredulitatem veſtram. Amèn quippè dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinàpis. dicetis monti huic, Tranſi hìnc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit
20 vobis. * Hoc autèm genus non eijcitur niſi per orationem, & ieiunium.

Marc. 9.

13 ET veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circà eos, & Scri-
14 bas conquirentes cum illis. * Et confeſtìm omnis populus videns Ieſum,
15 ſtupefactus eſt, & expauerunt, & accurrentes ſalutabant eum. * Et inter-
16 rogauit eos: Quid intèr vos conqueritis? * Et reſpondens vnus de turba, dixit:

Magi-

17 Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum :* qui vbicum-
què eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & are-
18 ſcit : & dixi diſcipulis tuis vt eijcerent illum, & non potuerunt. * Qui reſpon-
dens eis, dixit : O generatio incredula, quamdiù apud vos ero ? quamdiù vos
19 patiar ? Afferte illum ad me. * Et attulerunt eum. Et cum vidiſſet eum, ſta-
tìm ſpiritus conturbauit illum : & eliſus in terram, volutabatur ſpumans.
20 * Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit ? At il-
21 le ait : Ab infantia : * & frequentèr eum in ignem, & in aquas miſit vt eum
22 perderet, ſed ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri. Ieſus autèm ait illi : Si
23 potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti.* Et continuò exclamans Pater pue-
24 ri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam. * Et
cum videret Ieſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, di-
cens illi : Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo : & ampliùs ne
25 introeas in eum.* Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exijt ab eo, &
26 factus eſt ſicut mortuus, ità vt multi dicerent : Quia mortuus eſt. * Ieſus au-
27 tèm tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. * Et cum introiſſet in do-
mum, diſcipuli eius ſecretò interrogabant eum : Quarè nos non potuimus eijcere
28 eum ? * Et dixit illis : Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, &
ieiunio.

Luc. 9.

37 FACTVM eſt autèm in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occur-
38 rit illis turba multa.* Et eccè vir de turba exclamauit, dicens : Magiſter,
39 obſecro te, reſpice in filium meum, quia vnicus eſt mihi : * & eccè ſpiritus ap-
prehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſsipat eum cum ſpuma, &
40 vix diſcedit dilanians eum : & rogaui diſcipulos tuos vt eijcerent illum, & non
41 potuerunt.* Reſpondens autèm Ieſus, dixit : O generatio infidelis, & peruerſa,
42 vſquequò ero apud vos, & patiar vos ? Adduc hùc filium tuum.* Et cum ac-
43 cederet, eliſit illum dæmonium, & diſsipauit. * Et increpauit Ieſus ſpiritum
immundum, & ſanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

Luc. 17.

5 ET dixerunt Apoſtoli Domino : Adauge nobis fidem.* Dixit autèm Domi-
6 nus: Si habueritis fidem ſicut granum ſinàpis, dicetis huic arbori moro: Era-
7 dicare, & tranſplantare in mare : & obediet vobis.* Quis autèm veſtrum ha-
bens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi : Statìm
8 tranſi, recumbe : * & non dicat ei : Para quod cænem, & præcinge te, mi-
niſtra mihi donèc manducem, & bibam, & pòſt hæc tu manducabis, & bibes?
9 * Numquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat ? * Non pu-
to.

10 *to. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.*

COMMENTARIVS.

E*T veniens* poſtquàm deſcendit de monte *ad* alios *diſcipulos ſuos*, quos dimiſerat ad radices montis, *vidit turbam magnam circà eos, & Scribas conquirentes*, altercantes *cum illis* fortè ſupèr dæmoniaco, à quo dæmonium eijcere non valuerant, poſtquàm non conſtat de alia materia; *& confeſtìm omnis populus videns Ieſum, ſtupefactus eſt*, videns illum de repentè apparere, & è monte, *& expauerunt* ad eius aduentum, *& accurrentes ſalutabant eum* geſtientes de ſua præſentia, à quo expectabant ſanitates, & præſertìm lunatici, nouerant enìm neminem potentem reſiſtere virtuti ſuæ experientia longa ducti. ex hac re inſolita arguunt aliqui veſtigia ſplendoris in Chriſto remanſiſſe, proùt Moyſi, ſed eſt inueriſimile, quia prohibuit diſcipulis, ne cui dicerent, tres tantùm adhibuit, & erat in ſua poteſtate funditùs tollere omnem ſplendorem, & credendum noluiſſe eo ſplendore ſuperfundi, quod non erat in poteſtate Moyſis, quem Deus voluit populo magìs conſpicuum reddere, quod non cadebat in Chriſto hoc tempore, & ſi fuiſſet in eo ſplendor, non eſſent moti illo ad ſalutandum, quia tantùm abfuit, vt ſplendore Moſis mouerentur illi, vt imò non poſſent intendere, & diſcipuli aliquid dixiſſent, & propalata eſſet transfiguratio: *& interrogauit eos; quid intèr vos conquiritis?* diſceptatis? non quòd neſciret, ſed volens ex ore ipſorum cognoſcere: *& reſpondens vnus de turba, dixit* (eccè ſupèr quibus conquirebant clarè) *Magiſter attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum*; hoc vitium erat à dęmone, proùt dixi in alio dęmoniaco muto, & ſurdo, *qui vbicumquè eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit*; eccè aliud vitium, & torſio ab eodem dæmone: ex his pater intendit demonſtrare effectus malos dæmonis, qui tamèn non vexabat eum continuò, non quòd diſcederet, & regrederetur; nec verba Chriſti, *& ampliùs ne introeas in eum*, hæc inferunt, ſed vel eſt phraſis Hæbrea affirmatiuis, & negatiuis conſtans, vel maius miraculum reddunt, & obſeſſum ſecuriorem, aliòqui dæmon timens Chriſtum, proùt timuit, qui ideò nolebat accedere, tùnc ad tempus receſſiſſet, ne eiiceretur, & potuiſſet alio tempore regredi, libentèr enim regreditur, dicens: Reuertar in domum meam, &c. *Et dixi diſcipulis tuis, vt eijcerent illum*, poſtquàm te non inueni, *& non potuerunt*, tentantes fruſtrà; puto ex his voluiſſe innuere obligatum fuiſſe Chriſtum ad eijciendum dæmonium, ex quo ſui diſcipuli non potuerant: *Reſpondens autèm Ieſus, dixit: O generatio incredula* fide carens in eijciendis dæmonijs neceſſaria, *& peruerſa*, peccatis plena, ob quæ à dæmonibus malè patimini; hæc verba ad patrem, & alios in vniuerſum, non ad diſcipulos, quos ab omni rubore ſaluos voluit, & ſecretò eos increpauit, nec aliàs ſolebat ſimilia verba coràm alijs in diſcipulos dirigere, non enìm eos adeò acritèr obiurgabat, vel ſaltèm non ſemotis arbitris, & non familiaritèr, proùt quandò dixit: & vos ſinè intellectu eſtis? *quamdiù apud vos ero? quamdiù vos patiar?* numquàm ne crediturí eſtis? ſempèr in incredulitate permanebitis? *afferte illum ad me*, poterat abſens, ſed voluit miraculum apparere à ſe factum, *& attulerunt eum, & cum vidiſſet eum, ſtatìm ſpiritus conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans*; permiſit hoc Dominus, vt magìs appareret magnitudo miraculi, dæmon etiàm timens eijci vendicare ſe voluit acriùs infeſtando, gaudet enìm ipſe hominis moleſtia, quam auget cum putat ceſſaturam: *Et interrogauit patrem eius: quantum temporis eſt, ex quo hoc ei accidit? At ille ait: Ab infantia; & frequen-*

Digitized by Google

quentèr eum in ignem, *& in aquas miſit*, vt eum perderet, numquàm enim ſatiatur inſidijs, & moleſtijs, vſquè ad mortem perſequitur; hìnc tentauit Chriſtum ieiunum longa via conficere, vel præcipitio, quod ſuadebat, & fuit homicida à principio: voluit hæc ex ore patris emanare ad miraculi magnitudinem, *ſed ſi quid potes* (eccè fidei imbecillitas in patre rogante, in filio fortè nulla) *adiuua nos*, me, & filium, *miſertus noſtri*, ex tua miſericordia, non ex meritis noſtris. *Ieſus autèm ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*, dixerat Pater Chriſto, *ſi quid potes*, Chriſtus, *ſi potes credere*, *&c.* apparet de huius infidelitate; *& continuò exclamans* Pater pueri *cum lachrymis aiebat*, *credo*, *Domine* quantùm in me eſt, *adiuua* tu potens *incredulitatem meam*, nunc eſt in via ad gratiam recipiendam, nunc Chriſtus fidem infundit & patri, & puero, vt gratiam recipiant; fatetur coràm omnibus cauſam, ob quam diſcipuli non potuerunt eijcere, ſi iungamus verba Chriſti, & Chriſtus ſupplet, vel euehit ad fidem; *& cum videret Ieſus concurrentem turbam* (de induſtria expectauit concurſum, vt miraculum magìs innoteſceret, vt & in Lazaro) *comminatus eſt ſpiritui immundo*, *dicens illi*, *ſurde*, *& mute ſpiritus* (nedum ergò mutus ſolùm, ſed & ſurdus erat) *ego* Deus *præcipio tibi: exi ab eo*, *& factus eſt ſicut mortuus, ità vt multi dicerent: quia mortuus eſt*, hoc etiàm apparere permiſit, vt magis conſtaret de miraculo, & eius magnitudine. *Ieſus autèm tenens manum eius*, vt appareat à quo fiat, *eleuauit eum, & ſurrexit. Tùnc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò*, cum introiſſet domum, *& dixerunt: quarè nos non potuimus eÿcere illum?* verecundia quadam tenebantur diſcipuli, & fortè cauſa etiàm diſcipulorum Chriſtus tot difficultates apparere voluit coràm omnibus. *Dixit illis Ieſus: proptèr incredulitatem veſtram*; requiritur enìm fides ad dæmonia eijcienda, vt in filijs Seuæ. act. 19. *Amen quippè dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinàpis* acrem, feruidam, non mortuam, nòn diffidentem, *dicetis monti huic*, *tranſi hìnc illùc*, *& tranſibit*, *& nihil impoſſibile erit vobis*, propterea fide armemini, *hoc autèm genus dæmoniorum*, non omnes dæmones, de aliquibus enìm videtur ſermo, *in nullo poteſt exire*, eijci, *niſi in oratione*, *& ieiunio*; & dum ſponſus cum eis erat, orabant, ſed non ieiunabant diſcipuli; & dixerunt Apoſtoli Domino ex Luc. 17. pùto occaſione dæmonis, quem ob eorum incredulitatem, & aliorum dixerat Dominus illos non potuiſſe eijcere, *& ſi habueritis fidẽ ſicut granum ſinàpis*, *dicetis monti huic: tranſi*, *&c. & nihil impoſſibile erit vobis*, & exemplo Patris dæmoniaci dicentis, *adiuua incredulitatem meam*, Apoſtolos tùnc etiàm ſubiunxiſſe, *adauge nobis fidem*; nàm præcedentia, quæ narrat in cap. 17. Lucas, non coniunguntur cum his; petunt ergò augeri fidem, vt patrare poſſint miracula, & non erubeſcere quandò eis non datur, proùt in expulſione huius dæmoniaci; Vel augeri fidem ſimplicitèr; hìnc gratiam ſufficientem augeri, an dici poſſit? ad id facit quod de Ioanne Baptiſta creſcente dicitur, quod Samaritanæ: qui biberit ex hac aqua, gratiæ ſcilicèt, fiet in eo fons, &c. ergò eadem, non noua, ſed in idem recidit, quòd noua ſit gratia, vel prima, remanet tãtùm ſubtilitas, quæ neſcio quò vergat. *Dixit autèm Dominus: Si habueritis fidem ſicut granum ſinàpis* acrem, feruentem, non hæſitantem, *dicetis huic arbori moro* (quæ erat in conſpectu) *eradicare, & trãſplantare in mare, & obediet vobis. Quis autèm veſtrum habens ſeruum arantem*, *aut paſcentem, &c. numquid gratiam habet ſeruo illi*, *quia fecit*, *quæ ei imperauerat? non puto, ſic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*, hoc dicit in humilitate illos continens, cum præmiſiſſet de magna virtute fidei, quam ipſi petierant augeri, hìnc numquàm nobis quieſcendum vſquè in finem, ſempèr operandum, vigilandum, &c. & ſempèr reputare debemus nihil egiſſe, nihil mereri, ſeruos inutiles eſſe, vult in nobis hunc ſenſum, vt in humilitate contineamur, & quod operamur ex huiuſmodi humilitate, fructificet, non quòd ipſe non ſit remuneraturus, & ſeruos operantes non amplexetur, eſt enim de hoc ſcriptura plena: bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt

mihi

mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex; non ſolùm autèm mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius; non ergò dicit ipſe ſeruos inutiles ſibi benè operantes, ſed reputationem, & humilitatem hanc in ipſis deſiderat, & præcipit, quia verè nec beneficijs Dei poſſumus correſpondere, & ipſe quidquid facimus coronat; ſinè ipſo enim nihil poſſumus: & non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; nàm quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. 1. Cor. 2. & propterea benè infertur, proùt Dominus nullam habet gratiam ſeruo imperata exequenti, ſic neque Deus nobis præcepta ſua ſeruantibus, ſuperat enim miſericordia ſua, & gratia omnia noſtra opera.

CAPVT LXXV.

DE SOLVTO TRIBVTO.

Matth. 17.

21 *CONVERSANTIBVS autèm eis in Galilea, di-*
xit illis Ieſus: Filius hominis tradendus eſt in manus ho-
22 *minum: * & occident eum, & tertia die reſurget. Et*
23 *contriſtati ſunt vehementèr. * Et cum veniſſent Caphar-*
naum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Pe-
trum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrach-
24 *ma? * Ait: Etiàm. Et cum intraſſet in domum, praue-*
nit eum Ieſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus acci-
25 *piunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? * Et ille dixit: Ab*
26 *alienis. Dixit illi Ieſus: Ergò liberi ſunt filij. * Vt autèm non ſcandalizemus*
eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit,
tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.

Marc. 9.

29 *ET indè profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam ſci-*
30 *re. * Docebat autèm diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniàm Filius ho-*
minis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſur-
31 *get. * At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum.*

Luc. 9.

44 *DIXIT ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos:*
45 *Filius enim hominis futurum eſt vt tradatur in manus hominum. * At*

illi

illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum antè eos vt non ſentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

COMMENTARIVS.

CONVERSANTIBVS *autèm eis in Galilaa, dixit illis Ieſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominum, & occident eum, & tertia die reſurget*. Erat cor Chriſti ardens ad recipiendum paſſionem: baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor? ideò ſæpè erumpit flamma hæc ad ſimilitudinem habētis præ manibus graue negocium, qui ad illud ſæpè recurrit, vt hanc benè imprimat in diſcipulis, ne ſcandalum ex eius morte contrahant, & addit reſurrectionem, vt temperet mortis horrorem; *& contriſtati ſunt vehementèr*, his auditis; *at illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum antè eos, vt non ſentirent illud, & timebant interrogare eum de hoc verbo*, ſupèr quo iàm Petrum increpauerat; *ignorabant* verè, vndè & *timebant interrogare* vt ſcirent; non enìm poterant cogitare modum, cauſam, & cum Petro dicebant, non erit tibi hoc. *Et cum veniſſet Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant*, Publicani, *ad Petrum*, fortè magis cognitum, quia ibi retinebat domum, vxorem, familiam, *& dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? ait: etiàm:* imò ſoluit. Cur Petrus dicit: *etiàm*, quod affirmat, proùt in Chananæa? fortè neſciens, nec conſiderans, vel æſtimans neminem immunem, vel Chriſtum non contradicturum, ſed omnia ex prouidentia Dei facta, vt à Chriſto edoceremur cum Petro; ideò Chriſtus Petrum præuenit, & ſeriò demonſtrat ipſum non teneri, nec ſuos, ſed ob ſcandalum ſolutionem iubere; ideò hæc auctoritas Chriſti eſt maximi ponderis. *Et cum intraſſet in domum* Petrus, *præuenit eum Ieſus, dicens: quid tibi videtur Simon?* quodnam eſt iudicium tuum? *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit: ab alienis; Dixit illi Ieſus, ergò liberi ſunt filij*; Vndè ego filius Regis Regum liber ſum cum meis. *Vt autèm non ſcandalizemus eos*, quia nunc tempus non eſt hæc probandi. *Vade ad Mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te*, fortè enim in loculis non erat vndè fieret ſolutio, quia in neceſſitate ſola faciebat miracula; *ſcandalizemus* ego & tu iuxtà aliquos, quia & pro Petro ſolutum tributum. Petrus hoc verbo edoctus, dixit ſe non ſcandalizandum in paſſione, ſed reprehenſus, & cecidit iuxtà prædictionē, proùt Thomas, qui dixerat: eamus & nos, & moriamur cum illo. At Paulus nec carnem vult manducare in ęternum, ne ſcandalizet. Dominus ſoluit tributum monitus per Petrum à publicanis, ne ſcandalizaret, ergò non tenebatur ad illud; proùt nequè Petrus, cuius cauſam eandem, vel ſimilem facit, ideò in plurali dicit, *vt nō ſcandalizemus*, & rationem libertatis generalem adducit, quia *filij* Regis *ſunt liberi*, nedum enìm ſunt de familia regis, ſed etiàm rege viuente quaſi Domini. l. in ſuis. ff. de libe. & poſth. quæ generalis ratio ad Chriſtum, & Petrum applicata oſtendit dicere ſe filium Regis Regum, & liberum, & eandem libertatem Petro competere, quem ſibi in ſolutione, & dictis copulauit, & adiunxit.

At cur ſoluit Dominus etiàm pro Petro, qui non conueniebatur à publicanis, nàm ſolùm dicunt, *magiſter veſter non ſoluit didrachma?* non eſt credendum Dominum ſoluiſſe pro Petro, vel Petrum pro ſe abſquè cauſa, cum ipſe Dominus non niſi monitus, & ne ſcandalizaret, & quaſi his coactus ſoluerit; Nec videtur bona cauſa ſolutum tributum pro Petro, quia ipſe ſolus interrogatus, & ſoluens, non alij diſcipuli, quia ſequeretur agentem negocia pro alio ad idem teneri, ad quod is, pro quo negocia gerit, quod eſt abſurdum. Non alia, quia iàm Petrus

cæte-

cæteris prælatus, nunc in quaſi poſſeſſione primatus ex hoc actu conſtituitur, nàm ex actu violento, & indebito id non poteſt elici, cum in neceſſitatibus nemo liberalis, nec præſumuntur hæc intenta cum publicanis, quorum genus improbum,& Dominum voluiſſe ex ea cauſa publicanis plùs dari,quàm par erat,maximè ex pecunia miraculo quæſita. Neque ex oneroſa,& odioſa ſolutione tributi, à quo liber erat, Petro aliquid plùs collatum; ex hoc enim qualis honor? Imò maior fuiſſet honor aliorum diſcipulorum, pro quibus non ſolutum tributum, ſi ad illud tenebantur, & ſub Domino non comprehendebantur. Præterea ſcimus quandò conſignatæ claues Petro. Ioan. 21. non quartaſo, lutumetiàm pro Petro, quia ipſe caput aliorum Apoſtolorum, nàm Apoſtolorum,& Diſcipulorum caput Chriſtus,non Petrus, domino præſente, ſupèr Petro enim ædificanda Eccleſia, non adhuc ædificata. Præterea ad quid hoc, ſi Publicani de ſolo magiſtro interrogauerant? & qualis is actus cum publicanis dare illis indebitum? Imò ſi Petrus maior, vel caput aliorum, tantò minùs pro eo ſoluendum tributum à prætendente libertatem,præſertim cum non requireretur, & ipſe Dominus non niſi monitus, & vitans ſcandalum pro ſe ſoluerit, non enim præſumendum fieri voluiſſe pro Petro, quod pro ſe non feciſſet. Quarè tantò minùs dicendum ſub Petro alios comprehenſos, quia ſic illos etiàm oneraſſet;& ſi in ſolutione pro Petro ſolo myſterium ineſſet, Euangeliſta innuiſſet, fortè alij murmuraſſent, cum frequens eſſet contentio maioratus: at vbiquè ſilentium. Non quinta, ob ſcandalum, prout in Domino; at ſi Petrus nequè pro ſe requiſitus, nequè obligatus, vndè ſcandalum? cur non idem ſcandalum in alijs diſcipulis?nàm quòad publicanos quid an vnus eorum maior,vel minor? Quarè cenſeo in hac incertitudine qualitatis tributi hoc tributum ſoluendum fuiſſe, & impoſitum in familias, ſeù capita familiarum; ducor hac ratione, nàm alioqui quomodò alij diſcipuli cum Chriſto exiſtentes non ſoluiſſent, ſi per capitationem, & ſingulares conuenirentur? non enim præſumendum Chriſtum potentia ſua effeciſſe ne hi paterentur moleſtiam,ſi ipſe & Petrus ſoluerūt;ad quid enim hoc illis priuilegium conferre,ſi capita grauabantur? non enim (capitibus exactis) familia declarabatur exempta, etiàmſi non ſolueret,quia ab illis eorum exemptio depēdebat, ſi vinco vincentem te, multò magis te, & ſi eſſet capitatio, non dixiſsent publicani tantùm de magiſtro,ſed de omnibus ſequacibus,& hæc opinio neminem grauat. Si dicis:non ſoluerunt,quia non fuerunt moniti,at nequè Petrus monitus apparet, ſi quia non ſcandalizabant,& cur Petrus ſolus ſcandalizans?quæ differentię ratio quòad publicanos voraces? ſi quia liberi, eſto, ſed non iuuit hoc Petrum,& ipſum Dominū: ſi quia occulti, at palàm cum Domino verſabantur: ſi quia timori publicanis, & quomodò hoc in illis,quod non in Domino,& Petro?

Sed cur pro Petro nominatim? puto Petrum exiſtimatum obnoxium tributo, quia Capharnai domum, & familiam, cuius ipſe caput erat, olim retinuerat, vt vidimus in Socru. Matth. 8. & quòd Dominus in eadem domo fortè hoſpitaretur cum diſcipulis (etſi id nihil ad rem) & pro tributo fuerit & ipſe Petrus requiſitus, etſi Euangeliſta hæc omittat,intentus Chriſto, prout aliàs in ſimilibus obſeruaui, præſertim in Zacharia,& occaſione huius oneris Petro quoquè inſtantis,& nuncij publicanorum petentium tributum, Dominum illi iuſſiſſe, vt iret captum piſcem cum ſtatere, quia aliundè non ſuppetebat pecunia, in neceſſitate enim tantùm miracula faciebat,& facit Deus, ſinè illa numquàm, nequè ad aliud id referrem, ſalua importantia miraculi, & pro ſe, ſub quo omnes alij diſcipuli, & pro eo, ſub quo eius familia pauper, cui hoc modo ſubuenit Dominus,tributum ſoluetet.

Vel (meliùs) dicendum hanc fuiſſe verè capitationem ad Luc.c.2.& alios Apoſtolos ſeparatim ſoluiſſe,& fortè illam monitionem publicanorum de ſolo magiſtro tetigiſſe, & diſcipulos de per ſe; ſeù ſub nomine magiſtri, etſi Euangeliſta diſcipulos omittat, magiſtro intentus, & Petrum Chriſto iunctum in ſolutione, idquè à Domino manifeſta ex cauſa factum, tùm quia Petrus tetulerat dicta publicanorum; tùm quòd ierat captum piſcem,& ſtaterem,tùm quòd iuſſus erat ſol-

uere, & hoc ne alij murmurarent ſe poſtpoſitos. Vndè quandò Chriſtus dixit *ſolue pro me, & te*, non excluſit alios, etſi Euangeliſta non dicat, intentus ſolùm facto Chriſti ſoluentis, & didrachma ex mari haurientis, & Petrum ſibi iungentis, & ſæpè id euenit, nàm in Viſitatione Mariæ ad Eliſabeth nulla mentio Zachariæ, in Magis nulla Ioſeph; omittitur de Ioanne, quandò ſermo eſt de Chriſto: & eſt admodùm veriſimile Apoſtolos alios imitatos ſuum magiſtrum fuiſſe, & verbum *ſcandalizemus*, omnes Apoſtolos comprehendere, proùt inueriſimile, vt dixi, ipſos exemptos, & liberos, ſi Magiſter, & Petrus ſoluerunt. Et ſi Petrus ſoluit, ergò alij; quia ad quid Petrus, ſi non alij? ad illum grauandum? abſit. Et hoc modo ceſſant omnes amaritudines, & applicantur encomia Patrum ſupèr Petro iuncto Domino in ſolutione, ad quos me remitto, ſenſibus litteralibus intentus. At dices, ſi Chriſtus miraculo quæſiuit ſtaterem pro ſolutione tributi, quomodò ſuppeditata didrachma alijs diſcipulis nihil poſſidentibus? Reſpondeo, in loculis erant pro his, non pro omnibus, ideò Chriſtus pro ſe, & Petro aliundè quæſiuit, & fortè mixtum myſterium, de quo Patres, apud quos videri poteſt.

At ſicùt hoc violentèr, & ob ſcandalum factum nihil ponit in eſſe, nihil præiudicat, non enìm illa tempora excitandi, & defendendi iura exemptionum, ſed ædificandi, & propagandi Eccleſiam, ideò Dominus abſtinuit ſe ab his, proùt quandò vocatus in diuiſorem, interrogatus de cenſu generalitèr loquens, at id latiùs proſequimur in 1. Cor. Sic ad maieſtatem ſuam, & Eccleſiæ ſuæ conſeruandam voluit apparere in ſcripturis ſuis requiſitionem antè ſolutionem, & hac de cauſa vltrò non ſoluiſſe, & ſolutionem factā cauſa vitandi ſcandalum pro ſe, & Petro, & anteà illa verba proferre *ergò liberi ſunt filij* libertatem declarantia, & ſecum Petrum inſerere, & in verbis, & in facto, & in euitando ſcandalo, & ſignantèr in libertate à tributo, vt hæc pro roſtris poſita à Principibus colerentur, & obſeruarentur ergà ſuam Eccleſiam, & Eccleſiaſticos; fit enim mihi inueriſimile Dominum hæc verba protuliſſe, & feciſſe, quæ fecit pro ſe tantùm, ad quid enim hæc inſeruiſſent? nonnè clarum quà Deum ad tributum non fuiſſe obnoxium; & etiàm quà Deum, & hominem, quia tributum hominibus ſolis impoſitum? & tùnc tributum ſoluiſſe quod & in infantia ſoluerat? ſed hæc ſeruire, & probare voluiſſe pro Eccleſia ſua, & Eccleſiaſticis: Regnum verò Eccleſia', vt ex parabolis Domini, & verbis auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius, & Chriſtus pro Eccleſia ponitur. 1. Cor. 12. vbi omnes, & 1. Corinth. 15. de regno eius & Patri tradendo, filios habens Eccleſiaſticos in ſuis ordinibus diſtinctos, Chriſtos Dei Altiſſimi, Filios Dei, cohæredes Chriſti, gubernatores ſtatus, ad menſam Domini accumbentes, & de eius cibo comedentes, Dominus pars hæreditaris meæ; ideò Leuitis non eſt datus funiculus, & Deus voluit ſibi oblata ad ſeruotum ſuorum vſus cedere, vt obſtrueret ora contradicentium, inſanientium, & corrodentium. Vſus autèm eſt Dominus hoc argumento filiorum regis, quo neſcio an aliud vrgentius, vt ſicùt in eis indubitatum, ſic pro Eccleſia, & Eccleſiaſticis filijs ſuis ſciremus eſſe clariſſimum; quod attendentes glorioſi Imperatores, & Reges ſe filios, & oues; ſi enim oues, quomodò ſuprà paſtores? recognoſcentes immunitatem hanc à Deo ortam, quam & gentiles cognouerunt, & ſeruarunt, vt in Pharaone, & in libris Eſdræ, & in fideli Abraham, qui decimas Melchiſedech Sacerdoti Dei altiſſimi perſoluit, ad has enim omnes oues, & ad alia, ad quæ oues, Principes, & à Chriſto clarè pronunciatam, & relictam conſeruarunt, & illibatam voluerunt, & ab alijs acritèr defenderunt eorum legibus, quos etiàm imitantur optimi eorum ſucceſſores à Deo omnem poteſtatem recognoſcentes, vtì ad caulam reductus pœnitens Nabuchdonoſor, & ſceleſtus Antiochus. 2. Machab. 9. omnis enim poteſtas à Deo.

At vbì ſcandalum? quia non ſoluendo interpellati videbantur fraudare velle; maius, ſi ſe defendere voluiſſent vti liberi; præſertim ſi Chriſtus ſe Filium Dei Regis Regum excepiſſet, in quo nequè obtinuiſſet: hinc ab eo ſempèr cauit, potiùs de ſe ſub velo diſſerens, & diſcipulis ne cui dicerent vetans, do-

nèc

Digitized by Google

nèc venit hora eius ſic volentis, & tùnc recepit ſententiam mortis à Caipha, & alijs, quò verò ad Petrum, & alios Apoſtolos quis tùnc capax?

CAPVT LXXVI.

DE MAIORE IN REGNO CAELORVM.

Matth. 18.

1 *IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis*
2 *putas, maior eſt in regno cælorum? * Et aduocans Ieſus*
3 *paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, * & dixit:*
Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini
4 *ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. * Qui-*
cumque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt
5 *maior in regno cælorum. * Et qui ſuſceperit vnum paruu-*
6 *lum talem in nomine meo, me ſuſcipit. * Qui autèm ſcandalizauerit vnum de*
puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in col-
7 *lo eius, & demergatur in profundum maris. * Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe*
eſt enim vt veniant ſcandala: verumtamèn væ homini illi, per quem ſcan-
8 *dalum venit. * Si autèm manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te: abſcide eum,*
& proijce abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm
9 *duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. * Et ſi oculus*
tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum tibi eſt cum vno oculo
10 *in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. * Vi-*
dete ne contemnatis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum
11 *in cælis ſempèr vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. * Venit enim Filius*
12 *hominis ſaluare quod perierat. * Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui centum*
oues, & errauerit vna ex eis: nonnè relinquit nonagintanouem in montibus, &
13 *vadit quærere eam, quæ errauit? * & ſi contigerit vt inueniat eam: amen di-*
co vobis, quia gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonagintanouem, quæ non
14 *errauerunt. * Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pe-*
reat vnus de puſillis iſtis.

Marc. 9.

32 *ET venerunt Capharnaum. Qui cum domi eſſent, interrogabat eos: Quid*
33 *in via tractabatis? * At illi tacebant: ſiquidèm in via intèr ſe diſputaue-*

Digitized by Google

34 *rant, quis eorum maior eſſet. * Et reſidens vocauit duodecim, & ait illis: Si*
35 *quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter. * Et ac-*
cipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cum complexus eſſet, ait il-
36 *lis: * Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit:*
37 *& quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me. * Reſpon-*
dit illi Ioannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo eijcien-
38 *tem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. * Ieſus autèm ait:*
Nolite prohibere eum. Nemo eſt enìm qui faciat virtutem in nomine meo, &
39 *poſsit citò malè loqui de me. * Qui enìm non eſt aduerſùm vos, pro vobis eſt.*
40 ** Quiſquis enìm pòtum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti*
41 *eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. * Et quiſquis ſcandaliza-*
uerit vnum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdare-
42 *tur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. * Et ſi ſcandalizauerit te*
manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas
43 *manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: * vbì vermis*
44 *eorum non moritur, & ignis non extinguitur. * Et ſi pes tuus te ſcandalizat,*
amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos
45 *pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: * vbì vermis eorum*
46 *non moritur, & ignis non extinguitur. * Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te,*
eijce eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos ha-
47 *bentem mitti in gehennam ignis: * vbì vermis eorum non moritur, & ignis*
48 *non extinguitur. * Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.*
49 ** Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit: in quo illud condietis? Habete in*
vobis ſal, & pacem habete intèr vos.

Luc. 9.

46 I*NTRAVIT autèm cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet. * At Ieſus*
47 *videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & ſtatuit illum*
48 *ſecùs ſe, * & ait illis: Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me*
recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me miſit: Nàm qui minor
49 *eſt intèr vos omnes, hic maior eſt. * Reſpondens autèm Ioannes dixit: Præ-*
ceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus
50 *eum; quia non ſequitur nobiſcum. * Et ait ad illum Ieſus: Nolite prohibere: qui*
enim non eſt aduerſùm vos, pro vobis eſt.

COM-

COMMENTARIVS.

IN *illa hora*, tempore *acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: quis putas maior eſt in regno Cælorum?* de temporali regno interrogant, quia, vt ait Marcus, *in via intèr ſe diſputauerāt, quis eorum maior eſſet*, & ſi de cæleſti regno in interrogatione intellexiſſent, non feciſſent ſatìs eorum deſiderio, & ambitioni, ſic & plurìes ſupèr hoc orta eſt intèr eos contentio. Luc. 22. in cœnaculo, & Mater filiorum Zebedei petijt dexteram, & ſiniſtram. Vltrà quòd parùm referebat eis ſcire quis maior in cælo, & compreſſa fuiſſet à Domino hæc curioſitas, & ambitioſorum non eſt tuta cautela. *At Ieſus* (vt ſolet) à regno temporali auocat eos ad cæleſte; vndè *& aduocans* ſtatìm *paruulum*, vt ex actu arctiùs in eis hęc imprimerentur, ſic enìm ſolebant & Prophetæ antiqui, *ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis* ab his veſtris contentionibus maioratus, *& efficiamini ſicut paruuli*, humiles, *non intrabitis* (dixerant, quis eſt, non ſic ille de alio regno, in quod intrandum, non in quo erant) *in regnum cælorum*; ſed meliùs declarat. *Quicumque ergò humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum*, idèſt qui humilitate præcedit, hic maior, *& qui ſuſceperit vnum paruulum talem* in humilitate *in nomine meo* (requieſcit enìm ſpiritus meus ſupèr humilem) *me ſuſcipit, qui autèm ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt*, qui offendiculum poſuerit, qui cauſa fuerit eius perditionis malo ſuo exemplo, *expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*; idèſt meliùs eſt hoc eligere, quàm ſcandalizare; hæc dicit in gratiam paruulorū, & vt accendat eos ad humilitatem; *Væ mundo à ſcandalis*, quia multa mala ab his patitur; *neceſſe eſt enìm vt veniant ſcandala* ob hominum improbitatem, & malitiam, *verumtamèn væ homini illi, per quem ſcandalum venit:* hæc dicit, vt ſi quis illorum fuiſſet cauſa ſcandali prælationis, ſe corrigat, & in futurum caueat, *ſi autèm manus tua, &c.* vult dicere, ſi quid tibi carum, proùt oculus, vel manus, eſt tibi in offendiculum, ſeparare, *abſcide*, fuge, meliùs eſt ſinè illo eſſe, *quam in gehennam mitti, vbì vermis* conſcientiæ, vel roſio carnium *eorum non moritur*, ſed ſempèr pulſat, & rodit, *& ignis non extinguitur*, ſed eſt æternus, dixi vermem conſcientiæ, quia non erunt vermes veri, ſed metaphora hac vtirur ad denotandam doloris acerbitatem, proùt etiàm cum dicitur: ibì erit fletus, & ſtridor dentium, & ſic metaphoricè intelligendus textus. Iudith. 16. & vermes in carnes ſint futuræ roſiones more vermium rodentium; *omnis enìm* ſcandalizans, malus *igne ſalietur*, diſcet, dum igne æterno vretur, ſapientiam, & prudentiam; veniet enìm in cogitationem peccatorum ſuorum timidus; & dicet: hi ſunt, quos aliquandò habui in deriſum, &c. iuxtà illud: diſcite iuſtitiam moniti contemnere diuum, *& omnis victima*, bonus, puſillus, humilis, qui quaſi victima Deo ſe offert ad immolandum, *ſale*, prudentia vera, *ſalietur*, ſeù gloria æterna ſalietur, ſtabilietur; ideò non videtur veriſimile loqui de bonis igne ſaliendis, cum ſemèl in proximis verbis igne vtatur contrà malos, & ſcandaloſos, & igne non vtitur ſcriptura pro bonis, & quia adeſt particula, *enìm*, reddens rationem præcedentium, præcedentia autèm de damnatis. Vltrà quòd id quod ſubdit de victima ſi non applicetur ad bonos, ſed ad ſacrificia, ſtabit ſinè ſenſu. *Bonum eſt ſal* ſapientia, prudentia, *quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?* non eſt ſali remedium vllum, ſi infatuctur; ſic ſi ij, qui prudentes eſſe debent, & alios ſalire, errent, quis eos ad rectum deducet? quaſi, ſi vos, per quos condiendi ſunt populi, inſulſi ſitis, quis vos ad rectam viam adducet? ideò *habete in vobis ſal* prudentiæ, *& pacem habete intèr vos* admodùm neceſſariam, præſertim

cum in mundum ibitis prædicatum, in cœnaculo enim pluriès de illa agit: Ioa. 14. 15. 16. 17. *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis*, humilibus; *dico enìm vobis quia Angeli eorum* eos cuſtodientes, *in cælis ſempèr vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*, vult ergò inferre, ſi contempſeritis, ſub magno eritis periculo, quia cuſtodes eorum potentes, quibus non poteritis reſiſtere. *Venit enim Filius hominis ſaluare quod perierat*, & ego veni ad peccatores ſaluandos, ideò hi non ſunt ſcandalo perdendi. *Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui centum oues, &c.* ſicut paſtor pro vna oue tanta facit, & ea inuenta, gaudet, ſic non eſt voluntas antè patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis, his humilibus, ideò maximè cauendum eſt à ſcandalo horum puſillorum, poſtquàm Deus curam illorum habet. *Reſpondens autèm Ioannes, dixit*, fortè timens ne incurriſſet in id, quod docebat Dominus fugiendum. *Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia*; ex hoc modo loquendi non credo poſſe dici aliqua iàm eiecta, quia & Ieſus erat eijciens dæmonium, quod nondum eiecerat; nec dicatur hìc in plurali, ibi in ſingulari; nàm non ſunt hæc viſibilia, quæ conſpectui hominum appareant, ità vt viderint aliqua eiecta; nequè quòd pluriès viderint, nàm de ſola vice agitur, *& prohibuimus eum*, benè ne, an malè geſtum? *Ieſus autèm ait. Nolite prohibere eum, nemo eſt enìm, qui faciat virtutem*; miracula *in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me*, ſed nomen meum magnificabit, *qui enìm non eſt aduersùm vos*, vobis non contrariatur, ſed ſequitur idem, quod vos facitis, & vtitur eodem nomine, quo vos vtimini in dæmonibus eijciendis *pro vobis eſt*, ex parte veſtra eſt; & huic dicto non obſtat aliud: qui non eſt mecum, contrà me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit. Matt. 12. Luc. 11. nàm is erat ſecum, & congregabat, ſi in nomine ſuo dæmones eijciebat: ibi de dæmonio aduerſario contraria operante.

CAPVT LXXVII.

DE PARABOLA DECEM MILLIA TALENTORVM.

Matth. 18.

15 *SI autèm peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe*
eum intèr te, & ipſum ſolum. ſi te audierit, lucratus eris
16 *fratrem tuum.* * *Si autèm te non audierit, adhibe tecum*
adhùc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium
17 *teſtium ſtet omne verbum.* * *Quòd ſi non audierit eos: dic*
Eccleſiæ. Si autèm Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicùt
18 *ethnicus, & publicanus.* * *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſupèr terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis*
19 *ſupèr terram, erunt ſoluta & in cælo.* * *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſupèr terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre*

20 *tre meo, qui in cælis eſt.* * *Vbi enìm ſunt duo, vel tres congregati in nomine*
21 *meo, ibì ſum in medio eorum.* * *Tùnc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine*
22 *quotiès peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſquè ſeptiès?* * *Dicit illi*
23 *Ieſus: Non dico tibi vſquè ſeptiès: ſed vſquè ſeptuagies ſeptiès.* * *Ideò aſsimi-*
latum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis
24 *ſuis.* * *Et cum cæpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei de-*
25 *cem millia talenta.* * *Cum autèm non haberet vndè redderet, iuſsit eum Do-*
minus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat,
26 *& reddi.* * *Procidens autèm ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe*
27 *in me, & omnia reddam tibi.* * *Miſertus autèm Dominus ſerui illius, dimiſit*
28 *eum, & debitum dimiſit ei.* * *Egreſſus autèm ſeruus ille inuenit vnum de con-*
ſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens:
29 *Redde quod debes.* * *Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patien-*
30 *tiam habe in me, & omnia reddam tibi.* * *Ille autèm noluit: ſed abijt, & mi-*
31 *ſit eum in carcerem donèc redderet debitum.* * *Videntes autèm conſerui eius quæ*
fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narrauerunt Domino ſuo om-
32 *nia, quæ facta fuerant.* * *Tùnc vocauit illum Dominus ſuus: & ait illi: Ser-*
33 *ue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniàm rogaſti me:* * *nonnè ergò oportuit*
34 *& te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* * *Et iratus Domi-*
nus eius tradidit eum tortoribus, quoaduſquè redderet vniuerſum debitum.
35 * *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri*
ſuo de cordibus veſtris.

Luc. 17.

1 *ET ait ad diſcipulos ſuos: Impoſsibile eſt vt non veniant ſcandala: væ au-*
2 *tèm illi per quem veniunt.* * *Vtilius eſt illi ſi lapis molaris imponatur cir-*
cà collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt ſcandalizet vnum de puſillis
3 *iſtis.* * *Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pæ-*
4 *nitentiam egerit, dimitte illi.* * *Et ſi ſeptiès in die peccauerit in te, & ſeptiès in*
die conuerſus fuerit ad te, dicens: Pænitet me, dimitte illi.

COMMENTARIVS.

DOCTRINAE de ſcandalo ſubdit hanc correctionis faternæ, hoc ad dilectionem additur, vt nedum pro inimicis, ſeù in nos peccantibus oremus, ſed etiàm eos corripiamus, & ad viam ſalutis reducamus. *Si autèm peccauerit in te, con*trà te, *frater tuus, vade, & corripe eum intèr te, & ipſum ſolum. ſi te audierit* corripientem, & receſſerit, ſeù recognouerit errorem, pœnituerit, *lucratus eris fratrem tuum; ſi autèm te non audierit, adhibe tecum, vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum*, non ad delicti probationem, ſed ad eius ſalutem

pro-

procurandam, horum præſentia, & verbis, ac ſuaſionibus: in tertio enim tantùm agit de iudicialibus, & quia ſi ad probationem fieret, præſupponeretur, quòd hi adhibiti inueniſſent talem peccantem, aliòquin quomodò probarent, ſi is negat? quod tamèn non præſupponitur; quòd autèm id fiat, vt appareat facta correctio prima, neſcio quid ſibi velit, cum non teneatur corripiens ad probationem horum extrà iudicialium, nec ſupèr his conueniri poſſit. *Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*, Prælato, vel multitudini congregatæ; *ſi autèm Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicùt ethnicus, & publicanus*, ab eius conſortio diſſoluere. *Amen dico vobis, quæcunque vos* paſtores *alligaueritis ſupèr terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſupèr terram, erunt ſoluta & in cælo*; ſimilis hæc ſententia cum illa Petri ſpeciatim, & ſuprà omnes: quodcumque ligaueris ſupèr terram, &c. & apparet hìc etiàm loqui de regno Eccleſiæ, proùt ibi etiàm dixi, cum de gerendis in terra agat, quæ approbabuntur in cælo; alleuiat etiàm his verbis tumorem ſuperbiæ de primatu, cum videant omnibus poteſtatem talem tribui, quam Petro ſoli confitenti præmiſerat, ſed Petro in vniuerſum, vt hìc per alios prolixè. *Iterum dico vobis* plus dico vobis, *quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſupèr terram*, conuenerint ſimùl rogaturi, *de omni re quăcumque petierint fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt*, promittit impetraturos à Patre, ſi concorditèr petierint, ne quis putaret quod dixit de Eccleſia, & de ligandis, aut ſoluendis, vanum futurum. *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo*, in his, quæ ad ſalutem horum, ad Eccleſiæ vtilitatem, & gubernationem ſpectant, in rebus licitis, *ibi ſum in medio eorum*, aſſiſtq; illis, & Matth. 27. ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſquè ad conſummationem ſæculi; hinc quantùm valeat oratio communis aliquorum, & totius Eccleſiæ. Hic de correctione ob iniutiam in nos factam, at de crimine etiàm nos non lædente corripiendus proximus. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quotiès peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſquè ſeptiès? Dicit illi Ieſus, non dico tibi vſquè ſeptiès, ſed vſquè ſeptuagies ſeptiès*, finitum pro infinito, ſempèr, proùt tu vis dimitti tibi ſempèr debita ab eo; demonſtrat hac locutione magnam Dei miſericordiam, qua quiſquè in amorem inimicorum inflammari queat, & ex corde inimicis remittendum. *Ideò aſſimilatum eſt regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis*, & remiſit debitum decem millium talentorum ſeruo vni roganti patientiam haberi in ſe, promittentiquè reſtituturum, is verò à facie Domini elapſus, ſeruum centum denarios ſibi debentem ſuffocabat, volens ſibi ſatisfieri, nec miſericordiam vllam habebat conſerui ſui, quamuis à Domino ipſi tot eſſent remiſſa; vndè tradidit Dominus ſeruum illum tortoribus quòadúſquè redderet vniuerſum debitum remiſſum, & verificatum eſt in illo, & quod habet, auferetur ab eo, *ſic*, inquit (hùc ſcopus parabolæ) *& Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque* iniurias *fratri ſuo de cordibus veſtris*, verè, non fictè, ità vt eos diligatis, pro eis oretis, eis benefaciatis, proùt facit ipſe pater cæleſtis, vt in ſermone in monte. Matth. 6. Luc. 5. eſt huic ſimilis locus. Luc. 17. à princ. vſquè ad verſ. 5. vbi de ſcandalo puſillorum, de lapide molari, de correptione fraterna, & de dimiſſione, & quamuis dicat, *ſi ſeptiès in die peccauerit in te, & ſeptiès in die conuerſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte ei*, quæ non videntur eadem quæ dicit Matthæus, tamèn ſufficit eadem eſſe in ſubſtantia, quia ſub verbo *quotidiè, & ſeptiès*, infinitas etiàm deſignatur, & Lucas refert concluſionem dictorum, vndè etſi non referat interrogationem Petri, & alia dicta à Mattheo, parum curandum, quia eſt tritum quod vnus omittit, alterum narrare, nec id diuerſificare dicta.

C A-

CAPVT LXXVIII.

DE DISCESSV E GALILAEA IN IVDAEAM.

Matth. 19.

1 ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, migrauit à Galilaa, & venit in fines Iudaa trans Iordanem.

Marc. 10.

1 ET indè exurgens venit in fines Iudaa vltrà Iordanem.

Luc. 9.

51 FACTVM eſt autèm dum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe
52 faciem ſuam firmauit vt iret in Ieruſalem. * Et miſit nuncios antè conſpectum ſuum: & euntes intrauerunt in Ciuitatem Samaritanorum vt para-
53 rent illi. * Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ieruſalem.
53 * Cum vidiſſent autèm diſcipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domi-
55 ne, vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos? * Et conuerſus
56 increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. * Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Et abierunt in aliud caſtellum.

Ioan. 7.

1 POST hæc autèm ambulabat Ieſus in Galilæam, non enìm volebat in Iu-
2 dæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. * Erat autèm in
3 proximo dies feſtus Iudæorum, Scenopegia. * Dixerunt autèm ad eum fratres eius: Tranſi hìnc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua,
4 quæ facis. * Nemo quippè in occulto quid facit, & quærit ipſe in palàm eſſe: ſi
5 hæc facis, manifeſta teipſum mundo. * Nequè enìm fratres eius credebant in
6 eum. * Dicit ergò eis Ieſus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autèm
7 veſtrum ſempèr eſt paratum. * Non poteſt mundus odiſſe vos: me autèm odit:

quia

8 *quia ego teſtimonium perhibeo de illo quòd opera eius mala ſunt. * Vos aſcendite*
ad diem feſtum hunc, ego autèm non aſcendo ad diem feſtum iſtum: quia meum
9 *tempus nondum impletum eſt. * Hæc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa.*
10 ** Vt autèm aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non*
manifeſtè, ſed quaſi in occulto.

COMMENTARIVS.

POST *hæc autèm ambulabat Ieſus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere*, & ille abſquè miraculo volebat eos vitare, cum nondum veniſſet hora eius; *erat autèm in proximo dies feſtus Iudæorum, Scenopegia*, ſeù tabernaculorum, quod præbebat occaſionem illùc eundi. *Dixerunt autèm ad eum fratres* conſanguinei *eius*, qui primo anno prædicationis cum Ieſu aſcenderant. Ioan. 2. 12. & interfuerunt in cœnaculo. acto. 1. 15. *Nec enìm fratres eius credebant in eum*, idèſt non reputabant illum eſſe Meſſiam, eſſe Deum, quia cum ipſis creuerat, familiaritèr eo vſi fuerant, nec eleuabantur eum poſſe eſſe Meſſiam, at credebant miracula; nàm interfuerunt geſtis in Galilæa, & Ieroſolymis, quæ nec calumniantur, imò approbant: *vt & diſcipuli tui videant opera, quæ tu facis*; nec enim poterant negari, & ſi miraculis non crediſſent, non impellerent eum ad illa palàm Ieroſolymis facienda, & continuanda, ducti honore, qui in eos vti fratres redundabat, & ſi hoc honore mouebantur, ceſsat conſideratio inuidiæ, vel malitiæ alicuius, eò magìs quia & ſe ipſos ſocios exhibebant, vt patet ex contextu, *aſcendite, ego non aſcendo, tempus meum, &c. Tranſi hinc* à Galilæa, *& vade in Iudæam* ad feſtum, *vt & diſcipuli tui*, quos ibi habes, *videant opera tua*, miracula *quæ facis, nemo quippè in occulto quid facit, & quærit ipſe in palàm eſſe*, in honore, & fama apud homines, proùt tu quæris, volunt dicere, ſeù tu quærere debes; ſed ſi tanta miracula fecerat in primo anno. Ioan. 2. 8. & 4. 45. quomodò hæc dicunt? volebant vt illa continuaret & Ieroſolymis Ciuitate Regia, non in Galilæa in locis obſcuris: *ſi hæc facis*, idèſt quia hæc facis, *manifeſta te ipſum mundo* quis ſis: at manifeſtare ſe volebat Ieſus, ſed inſidias patiebatur, & quia nondum erat hora eius, magna prudentia vtebatur. *Dixit ergò eis Ieſus: Tempus meum* eundi in Iudæam ad diem feſtum *nondum aduenit*, nondum adeſt, nondum concurrunt quæ debent, vt eam; *tempus autèm veſtrum* eundi *ſempèr eſt paratum*, quia alia non expectatis, *non poteſt mundus odiſſe vos*, propterea liberum eſt vobis accedere quandò vultis, *me autèm odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt*, veritas enìm odium parit; ſic oderat Achab Michæam: ego autèm odi illum, quia non Prophetat mihi bonum, ſed malum; propterea non eſt mihi liberum illùc adire, cauendum mihi eſt. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc* Scenopegiæ, bonum enìm accedere ad feſta celebranda, *ego autèm non aſcendo ad diem feſtum iſtum; quia tempus meum nondum impletum eſt:* quomodò pòſt ea aſcendit? *non aſcendo* vobiſcum, ſed ſolùs aſcendit, vel non manifeſtè iuxtà mentem eorum, ſed quaſi in occulto, vel tùnc non erat opportunum, cum dicit, *non aſcendo*, quandò aſcendit opportunum erat, in momento variantur negocia: dum mater petit vinum, nondum venit hora ſua, at impletis hydrijs miraculum operatur; hinc exploditur opinio, quòd verba, *tempus meum nondum eſt paratum, nondum venit*, intelligantur de paſſione, quia non eſſet pòſt aliquot horas, nec mutati ſunt Iudæi, qui quo tempore iuit, adhùc quæſierunt illum apprehendere, & perdere. *Hæc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilea*

tùnc,

tùnc, non iuit cum illis. *Vt autèm*, poſtquàm autèm *aſcenderunt fratres* conſanguinei *eius, tùnc & ipſe* (adueniente opportunitate) *aſcendit ad diem feſtum non manifeſte, ſed quaſi in occultò*, propterea tùnc noluit ire cum conſanguineis, quia in occultò cum eis ire non potuiſſet: & Lucas *factum eſt autem dum complerentur dies aſſumptionis eius*, vt tranſiret de hoc mundo ad Patrem, nàm aſſumptus eſt in cælum. Marc. 16. acto. 1. *& ipſe faciem ſuam firmauit*, ſtabiliuit *vt iret in Ieruſalem* ad feſtum, *& miſit nuncios antè conſpectum ſuum*, antè ſe, *& euntes intrauerunt in vnam Ciuitatem Samaritanorum*, illàc enim euntibus in Ieruſalem tranſire oportebat, *vt pararent illi*, fortè vt citiùs perueniret Ieruſalem, nec detineretur, ne fama præcederet, & inſidias pateretur, *& non receperunt eum; quia facies eius erat euntis in Ieruſalem*, oſtendebat ſe petere Ieruſalem, & magna erat controuerſia intèr Hebræos, & Samaritanos, an in monte Garizim, an in Ieruſalem adorandum eſſet, vt in Samaritana vidimus; vndè Samaritani ægrè ferebant adoratores euntes in Ieruſalem omiſſo Garizim; non enim alia de cauſa fit mentio itineris in Ieruſalem ab Euangeliſta. *Cum autèm vidiſſent diſcipuli eius, Iacobus, & Ioannes* filij tonitrui, *dixerunt* zelo moti aduersùs morem adeò improbum: *Domine vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſummat illos?* ex viſione gloriæ Chriſti animum ſumpſerant, audierant quæ inſtarent Ciuitatibus mala prædicatores non recipientibus, Elias etiàm ſic fecerat contrà milites Ochoziæ. 4. Reg. 1. *& conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, non cognoſcitis in quot mala prorumpitis; *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare*, vos autèm contrarium tentatis; *& abierunt in aliud Caſtellum*, ſeruantes illud: cum perſequuti vos fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam, donèc venerunt è Galilæa ad fines Iudææ trans Iordanem, deindè Ieruſalem, vt infrà.

CAPVT LXXIX.

DE DECEM LEPROSIS.

Luc. 17.

11 *ET factum eſt, dum iret in Ieruſalem, tranſibat per me-*
12 *diam Samariam, & Galilæam.* * *Et cum ingrederetur*
quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi,
13 *qui ſteterunt à longè:* * *& leuauerunt vocem, dicentes:*
14 *Ieſu præceptor, miſerere noſtri.* * *Quos vt vidit, dixit:*
Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum
15 *irent, mundati ſunt.* * *Vnus autèm ex illis, vt vidit*
16 *quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum,* * *& ce-*
17 *cidit in faciem antè pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.* * *Re-*
ſpondens autèm Ieſus, dixit: Nonnè decem mundati ſunt? & nouem vbì ſunt?
18 * *Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* * *Et*
19 *ait illi: Surge, vade: quia fides tua te ſaluum fecit.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

E*T factum eſt dum iret in Ieruſalem* ad feſtum, *tranſibat per mediàm Samariam, & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè*, ne immunditiam alij contraherent; *& leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri*, cura, ſana nos à lepra; *quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, quibus datum erat iudicare de lepra, & lepræ mundatione, hoc fecit ad fidem eorum explorandam, & obedientiam, & ità crediderunt ſe mundandos, ſi obedirent, aliòquin ſi Chriſtus promiſiſſet munditiam, Euangeliſta diceret. Non curauit præſentes, quia ibat quaſi occultus, & ex miraculo in decem magnus excitatus eſſet tumultus, & fama, & factus concurſus hominum. *Et factum eſt, dum irent* obedientes *mundati ſunt* à lepra in momento; miraculosè, & ſic ſanauit abſens, proût puerum Centurionis, filium Reguli, filiam Chananææ. *Vnus autèm ex illis, vt vidit quia mundatus eſt* miraculosè, *regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem antè pedes eius, gratias agens, & hic erat Samaritanus*, redijt ad ſuum medicum, & exultans non poterat ſe continere, ideò fecit tot actus in ſignum gratitudinis, & exultationis ergà ſuum benefactorem. *Reſpondens autèm Ieſus, dixit: Nonne decem mundati ſunt?* publicat ipſe miraculum in omnibus decem factum, alijs præſentibus incognitum, vt ab eo illud recognoſcatur, & & ne ex vnius tantùm regreſſu putent alios non reuertentes non mundatos, *& nouem* mundati *vbì ſunt?* & vt intelligant quomodò id factum, ſubdit: *non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo*, à Deo recognoſcens beneficium, *niſi hic alienigena*, quaſi dicat, quàm parùm grati homines; ſic Samaritanus curauit ſauciatum, quem prætererant Sacerdos, & Leuita, *& ait illi: Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit*; hæc enìm in ſanando requirebatur, & illam commendauit ferè in omnibus, quos ſanabat, & quam ipſe in non habentibus infundebat, vt fierent capaces. Alij nouem abſquè dubio mundati fuerunt & in anima, proût Samaritanus, tamèn non redierunt ad ſanantem, ingratitudinem ſignificantes in animo retentam; nedum quia debuerant redire ad Chriſtum inuentu facilem, à quo ſtatìm diſceſſerant, alio tempore difficilem, & differre acceſſum ad Sacerdotes, tùm quia numquàm leguntur ad Chriſtum gratias acturi, acceſſiſſe, & ideò fortè Chriſtus ſic dicendo innuit nequè acceſſiſſe, nequè alio tempore acceſſuros.

CAPVT LXXX.

DE ADVENTV IN IERVSALEM, ET LANGVIDO SANATO.

Ioan. 5.

1 POST hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus
2 Ieroſolymam. * Eſt autèm Ieroſolymis Probatica piſcina,
quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus
3 habens. * In his iacebat multitudo magna languentium,
cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ mo-
4 tum. * Angelus autèm Domini deſcendebat ſecundùm
tempus in piſcinam: & mouebatur aqua. Et qui prior
deſcendiſſet in piſcinam pòſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detineba-
5 tur infirmitate. * Erat autèm quidam homo ibì triginta & octo annos habens
6 in infirmitate ſua. Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iàm
7 multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? * Reſpondit ei languidus: Do-
mine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam:
8 dum venio enìm ego, alius antè me deſcendit. * Dicit ei Ieſus: Surge, tolle gra-
9 batum tuum, & ambula: * Et ſtatìm ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit gra-
10 batum ſuum, & ambulabat. Erat autèm ſabbatum in die illo. * Dicebant er-
gò Iudæi illi, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum
11 tuum. * Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum
12 tuum, & ambula. * Interrogauerunt ergò eum: Quis eſt ille homo, qui dixit
13 tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? * Is autèm, quis ſanus fuerat effectus,
14 neſciebat quis eſſet. Ieſus enìm declinauit à turba conſtituta in loco. * Poſteà
inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi: Eccè ſanus factus es: iàm noli pecca-
15 re, ne deterius tibi aliquid contingat. * Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis
quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

Ioan. 7.

11 IVdæi ergò quærebant eum in die feſto, & dicebant: Vbi eſt ille? * Et mur-
12 mur multum erat in turba de eo. Quidam enìm dicebant: Quia bonus eſt.
Alij autèm dicebant: Non, ſed ſeducit turbas. Nemo tamèn palàm loquebatur de illo proptèr metum Iudæorum.

COMMENTARIVS.

PERVENIT Chriſtus in Ieruſalem non *manifeſtè*, *ſed quaſi in occultò* in principio feſti, dum ergò latitaret, *Iudæi quærebant eum in die feſto, & dicebant: vbi eſt ille?* ſanitatum donator, & doctor? *Et murmur multum erat in turba de eo*. Turba ergò erat, quæ quærebat, non Principes, & occaſio quærendi erat feſtum, ad quod nouerant eum conuenire ſolere; *quidam enìm dicebant, quia bonus eſt, alij autèm dicebant, non, ſed ſeducit turbas*, hoc fuit motiuum datum à Iudæis contrà Chriſtum coràm Pilato, quòd gentem ſubuerteret à Galilæa vſquè ad Iudæam, &c. *nemo tamèn palàm* liberè in bonum *loquebatur de illo proptèr metum Iudæorum*, qui in eum coniurauerant; ideò dixit: *murmur multum erat*. Vel Iudæi Principes quærebant eum ad necem, infrà Io. 7. verſ. 25. in turba verò varia erat opinio. Io. 7. 12. Dum ſic maneret, nec cognoſceretur, curat languidum.

Poſui hoc quintum caput Ioannis referentis miraculum languidi, & verba Chriſti hìc, quia hoc miraculum, & verba ſucceſſerunt pòſt necem Ioannis Baptiſtæ, nàm dicit Chriſtus: *ille erat lucerna ardens, & lucens*, & ſic meminit illius mortui per verbum, *erat*, & ſi vixiſſet, potuiſſet dicere, adite illum, & de nouo interrogate, quod non dicendo, innuitur illum tùnc mortuum eſſe, & dicta per Chriſtum pòſt ſanatum languidum nimis clara de ſeipſo potiùs percutiunt tempus propinquum paſſioni, in quo liberiùs egit, quàm antè; & Io. 7. fit mentio de hoc miraculo per Chriſtum, & ſupèr illud diſſerit: vnum opus feci, & omnes miramini, & reſpondet iterum concernentibus ſabbatum, & Ioannes non ſeruauit ordinem, ſed ſcopus ſuus fuit vnire materias, & verba Chriſti. Inſupèr veriſimiliùs antè ſecundum iter in Ieruſalem Apoſtolos electos, quibuscum iuit, & tamèn iuxtà concordiam aliorum nondum erant diſtincti, & electi, & res, & facta omnia, quæ ſubiunguntur, ſucceſſerunt in Galilæa, à qua non diſceſſerat tùnc, ſi enìm diſceſſiſſet, fieret mentio actorum in eundo, & redeundo, proùt fit in alijs itineribus Chriſti; at horum nulla memoria. Pòſt mortem autèm Ioannis Baptiſtæ Chriſtus non fuit Ieroſolymis niſi in hoc feſto Scenopegiæ, ideò omnia hæc hic ſituaui.

Pòſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, Scenopegia ſcilicèt, vt Io. 7. idem enim feſtus dies hic, qui ibì: non incertus, *& aſcendit Ieſus Ieroſolymam* ad feſtum cum ſuis diſcipulis occultè, vt diximus. *Eſt autèm Ieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinquè porticus habens. In his* porticibus *iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum:* omnes infirmi illùc accurrebant ſanitatem optatam recepturi. *Angelus autèm Domini deſcendebat ſecundùm tempus*, Deo beneplacitum, incertum *in piſcinam, & mouebatur aqua*, vt cognoſceretur Angelum adeſſe, & tempus eſſe miraculi, *& qui prior deſcendiſſet in piſcinam pòſt motionem aquæ*, cui tùnc virtus ſanatiua conferebatur à Deo, *ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate*. Sed quo tempore, & quotiès in anno id fieret, ignotum; & cum tanta eſſet multitudo expectantium, credendum eſt, quòd ſæpè, aliòquin ſi ad annum, vel menſes, non fuiſſet tanta expectantium multitudo; diuinatiuum enim, & inueriſimile, quòd ibi alia de cauſa detinerentur in porticibus apertis: vltrà quòd languidus hanc frequentiam innuit, dicens, non habere hominem, vt cum mota eſſet aqua, mitteret eum in piſcinam. Nec placet tùnc fuiſſe tempus Angeli aduenientis, quem expectarent, quandò Chriſtus ſuperuenit, quia Euangeliſta indiſtinctè loquitur de expectantibus, & per modum narratiuæ, & hiſtoriæ piſcinæ, nec ſe reſtringit ad tempus aliquod, ſed dicit *ſecundum tempus*, incer-

tum

tum ſcilicèt, & ſubdit, *& qui prior deſcendiſſet ſanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate*.

At cur his diebus miracula in piſcina? credo, quòd ſicùt Deus inſtante Verbi incarnandi tempore aliqua per orbem apud Ethnicos mirabilia effecit, ità multò plura effecerit in populo ſuo, vt oſtenderet gratiarum abundantiam propinquare. *Erat autèm quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua*; non quòd toto hoc tempore ad piſcinam ſtetiſſet, licèt dicendo, hominem non habere, innuat diù ſtetiſſe; anni ergò referuntur ad infirmitatem, non ad ſtationem in loco. *Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet*, cum omnia ei pateant, *quia iam multum tempus haberet* in infirmitate, de qua præmiſit, *dicit ei: Vis ſanus fieri?* interrogat nedum vt appareat à quo ſanitatē recipiat, ſed etiam quia poſtquàm ille à ſe non petit, neſciens Ieſum, illum inuitet ad petendum, vel prodat intentionem, quam ſæpè Deus antè beneficia vult à nobis manifeſtari: petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis; omnis, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Hunc vltrò ſanat Ieſus, & cœcum natum, & ſuſcitat filium viduæ Naim miſericordia motus. *Vis ſanus fieri?* tùnc internè eum Chriſtus catechizat, & in alium mutat, hinc mollitèr reſpondit ſic exhilaratus, putans illum ſibi auxiliaturum ſeriò ad piſcinam ingrediendum ab alijs fortè ſæpè eluſus; vndè mollem reſponſionem non ipſius patientiæ, ſed Chriſti verbis immutantibus, & illum efformantibus tribuendam cenſeo, vel longæ infirmitati, qua deiectus erat. *Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam, dum venio enim ego* impotens, fruſtror, *alius* enim potentior *antè me deſcendit*, & ſanitatem præripit, ſtatum ſuum miſerabilem repræſentat. *Dicit ei Ieſus: Surge*, do tibi vires, *tolle grabatum tuum, & ambula* in ſignum ſanitatis receptæ, vt Deus in hoc glorificetur, & miraculum appareat; *& ſtatim ſanus factus eſt homo ille*: hoc dicit vt appareat de miraculo, cum nulla mora interpoſita; *& ſuſtulit* iuxtà iuſſionem ſanantis ſibi incogniti factam, *grabatum ſuum, & ambulabat* quà volebat, non enim præſcriptus locus à Chriſto. *Erat autem ſabbatum in die illo*, quo nihil licebat portare. *Dicebant ergò Iudæi*, primores, vel officio, vel præeminentia *illi, qui ſanatus fuerat: ſabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum*, ſic eum reprehendebant. *Reſpondit eis: qui me ſanum fecit, ille mihi dixit*, dum ſanitatem conferret; *tolle grabatum tuum, & ambula*, non potui ergò non obedire ſananti, volebatisne me ſanitate, quam triginta octo annis expeto, priuari, ſi non obediſſem? vel ſi ſanitatem contulit, fortè & hoc mihi iniungere potuit. At qualis aſpectus, hominem geſtantem grabatum die feſto per mediam Ciuitatem, & templum coràm omni populo, & Sacerdotibus legem zelantibus, & more canum latrantibus, nec mordentibus, liberum, tutum, innoxium, quod eſt aliud Chriſti miraculum eos retinentis, & ligantis, vt gloria eius appareret.

Sed cur Chriſtus hoc iubet? quia hic diù languebat, viribus defecerat, indigebat homine ponente eum in piſcinam, vt appareat eum perfectè ſanatum; ſic & Paralytico: tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, ſed is domum iubetur ire, quia ſufficiebat, vt videretur à circumſtantibus, at hic ambulare, vt videatur ab omnibus, & ſi hic non circuiſſet cum grabato, miraculum piſcinæ, ſeù Angeli, non Chriſti creditum fuiſſet; vt autèm gloria eius manifeſtetur, iubet circumferre grabatum. *Interrogauerunt ergò eum, quis eſt ille homo* (reſtringunt ſe ad hominem, quod non fecit languidus) *qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula?* Non quærunt quis ſanum fecit, ſed de grabato tantùm, quia ſicùt nota erat omnibus eius infirmitas, ità apparens erat ſanitas, cum viderent onus geſtantem, & ambulantem, vndè ponunt verba illa, *& ambula*, & ſatis erat quod languidus dixerat, *qui me ſanum fecit*, quandò enim non conſtitit de ſanitate, ſeù indiuiduo, vt in cœco nato, fabricarunt proceſſum. Prætereà mouebantur zelo legis ob violationem ſabbati, non ob ſanitatem, propterea ſolicitè de ſabbato interrogant de ſpectantibus ad ſabba-

Bb 2 tum

tum, non ad ſanitatem, qui enim addictus, & intentus eſt negocio, quærit anxiè de illo, cætera omittens, nec mouebantur malitia, vel inuidia, quia ignorabant patratorem miraculi. Vltrà quòd quòad ſanitatem ampliùs deliberandum erat, quia poterant ſuſpicari, vel ex piſcina, vel ab Angelo profectam, hinc Chriſtus languido ſe manifeſtat, vt ab eo recognoſcatur, & ipſe glorificetur. Nec refert quòd dicant, *ille homo*, quia iuxtà languidum de homine, non de Deo, ſeù Chriſto, quem ignorabat, loquentem interrogant, & ſtant in zelo legis, nec ad aliud attendunt; imò ea erat ſabbati obſeruantia, vt nec Chriſtum in ſabbato miracula patrantem rectum eſſe dixerint cœco nato: non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit, ideò ni mirum ſi non quærunt quis ſanitatem dederit, quod non malitiæ, ſed cœcitati, & oſcitantiæ aſcribi poteſt, mouebantur enim ex violatione ſabbati, vndè Euangeliſta cap. 5. 16. proptereà perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato, & Archiſynagogus ille dicebat, vt ſex diebus venirent ſanandi, non ſabbato; niſi velimus dicere hanc cauſam expreſſam eſſe coloris cauſa appoſitam, intùs verò inuidia æſtuaſſe, ſed eſt diuinate, præſertìm quia adhùc ignorabant, quis eſſet ſanans; at poſtquàm petierunt de grabato, non potuerunt interrogare quiſnàm præſtitiſſet ſanitatem languido dicenti illum non cognoſcere. Vnum videtur obſtare, quia quærunt à violante ſabbatum quis iuſſerit, & violantem non puniunt, ſed dimittunt liberum. Reſpondeo cum adhùc ignorarent Ieſum feciſſe hoc miraculũ, non poſſumus in eis arguere calumniam, proùt pòſt ſcientiam habitam à languido, vndè dicit Euangeliſta: proptereà perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in Sabbato, & languidum non puniebant miſericordia moti ob longam eius infirmitatem, vel illum excuſabant ob imperium ſanantis, in illum enìm factum omne languidus reijciebat, dicens: *qui me ſanum fecit*, &c. & ideò volunt ſcire quiſnàm ille ſit, qui id iubere potuerit, *quis eſt ille homo*, &c. vel id ex miraculo Chriſti corum manus retinentis, vt dixi, vel quia cogitarunt de Angelo. Et ſi non impoſuerunt languido, vt intelligeret, & referret, quiſnàm eſſet, animus purior videtur apparere, vltrà quòd neque de illo poterant confidere, credentes futurum gratum ſananti, quem non proderet. Vel etiam iniunxerunt hoc, ſi licet ex euentu arguere, cum poſtquàm ſciuit, illis retulerit. Concludo non odio contrà Chriſtum, non ad obſeruandum miraculum motos, cum neſcirent quis miraculum patraſſet, nec ipſe ſanatus, de quo Euangeliſta, *is autèm, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet*, nec fortè præſumpſiſſe de Chriſto, qui in Ieruſalem erat parùm cognitus, cum à primis miraculis in Paſchate factis receſſiſſet in Galilæam, & tùnc redijſſet occultus, & licèt aliquibus notus eſſet, non omnibus, vel non miniſtris iuſtitiæ, de quibus videtur lo qui infrà Euangeliſta, dicens: vos miſiſtis ad Ioannem, ad quos ſpectabat de his quærere. Hinc firmatur opinio de vna tantùm eiectione è Templo, quia ex illa ſola cognitus fuiſſet, & in ore omnium. *is autèm qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet*, infirmitate enim fractus Ieſum cognoſcere non potuit primò, neque tùnc dum ſanatus fuit. *Ieſus enìm declinauit à turba conſtituta in loco*, quia occultè ſe habebat, non vt interìm deferbeſceret ira Iudæorum, cum neſcirent quis feciſſet, vel iuſſiſſet, ſed vt gloriam vitaret, & poſſet languidus, eo abſente, liberiùs miraculum propalare, quod voluit manifeſtum fieri, cum illud patraſſet in loco publico, in magno concurſu hominum, in die feſto, in infirmo noto, quem voluit publicè grabatum geſtare, non domum, & cui ſe poſteà manifeſtauit, vt reuelaret Iudæis, quod de alio miraculo non legitur. *Poſteà inuenit eum Ieſus in templo*, hinc mutatio languidi, & ſanitas à peccato, quia adijt templum, ad quod Chriſtus eum non amandauerat. Sed quomodò qui non ſinebat, vt quiſquàm transferret vas per templum, dum eiecit negotiatores è templo. Marc. 11. 16. nunc tacet, videns languidum deferentem grabatum? quia illi malè, hic benè ad gloriam Dei, & ex ſuo iuſſu indiſtincto, *& dixit illi: Eccè iam ſanus factus es*, iàm *ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* ex recidiuatione:

uatione: docuit illum, infirmitatem à peccatis ortam, & ſe Deum oſtendit occulta ſcientem, & peccata etiàm ſanantem; ſanabat enim Dominus infirmos in anima, & corpore, & priùs in anima, vt efficerentur apti ad ſanitatem corporis recipiendam ſublato peccato cauſa infirmitatis, quod manifeſtum fuit in paralytico, nàm præmiſit ad illum iuſtificandum: confide fili, fides tua te ſaluum fecit, & ne vllum dubium remaneret, ſubdit: vt autèm ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dicit, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, & idem in hoc languido. *Iàm ſanus factus es, noli ampliùs peccare, ne deterius*, &c. & idem præſtabant Apoſtoli virtute Dei iuſtificantis, vt in claudo, qui eos ſequutus eſt etiàm ad concilium, & fortè ad alia, vndè languidus remanſit iuſtificatus in primis verbis: *Vis ſanus fieri?* vel paulò pòſt antequàm pronunciaret verba illa, *ſurge, tolle grabatum*, vel eodem inſtanti. Nec obſtat, quomodò iuſtificatus eo inſtanti, ſi nondum nouerat Chriſtum? nàm aduertendum, homines iuſtificabantur in fide venturi, donèc promulgaretur Ieſum eſſe Meſſiam, facta verò promulgatione tenebantur credere in illum, qui iàm apparuerat in mundo; cum ergò non eſſet tùnc facta promulgatio ſufficiens, languidus non tenebatur ad fidem in illum, qui Ieſus erat, & Meſſias, quem non nouerat, & cui nondum ipſe ſe manifeſtauerat, ſufficiens ergò tùnc ei fuit fides in venturum, vel in illum, qui iàm venerat ſibi manifeſtandum, & hùc vſquè fide euectus eſt languidus; ſic & in cœco nato, qui pòſt ſanitatem Ieſum cognouit: credo Domine, & procidens adorauit eum: ſufficiens enim fuit diſpoſitio illa credendi in eum, qui Meſſias, ſeù Filius Dei eſſet, & de illo antè dixerat pòſt ſanitatem receptam: *ille homo, qui dicitur Ieſus*, illum non cognoſcens; ſic & quandò dixit Ieſus: *credis in Filium Dei?* dixit, *quis eſt Domine, vt credam in eum?* Non enim ſempèr Deus torrente ſuo nos ingurgitat, vt in Paulo, ſed ſenſim, & pedetentim gratiam infundit. Vndè illos, quos ſanauerat, & præparauerat ad fidem adhibendam in Ieſum vti Filium Dei, poſteà alia vice replebat maiori cognitione, manifeſtans ſe illis. Quinimò dubium eſt, an fides in Ieſum vti Filium Dei viui naturalem fuerit tùnc infuſa, quia communis opinio eſt ſoli Petro infuſam, cum illum talem confeſſus eſt, ideò ſibi dictum fuit: caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis, & cæteri Apoſtoli adhùc ad eam fidem non peruenerant; vndè dicebat: tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? licèt quandò propinquus erat morti credantur fidem illam apprehendiſſe ex ſermone Domini in Cœnaculo, quia crediderunt, quòd tu me miſiſti. Io. 17. imò, & Martha, & Nathanael, qui adeò clarè locuti ſunt, non peruenerunt ad illam fidem Petri. Quòd ſi fides in Chriſtum fuiſſet neceſſaria, Chriſtus ſe illi manifeſtaſſet primò; nàm non deeſt Deus in neceſſarijs. Videndi ſcribentes quandò fides in Ieſum neceſſaria ad ſalutem. *Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis*, qui illum interrogauerant, Phariſæis, Sacerdotibus, vel Miniſtris Templi bona intentione, vt Ieſus cognoſceretur tanti miraculi patrator, non malitia; vndè non dicit, qui dixit, *tolle grabatum*, ſed *qui me ſanum fecit*, nec apparet ex ſuo dicto Chriſtum quidquàm paſſum, imò ipſo volente id geſtum ex prædictis credi poteſt: Et quomodò qui ſanus erat in anima, & admonitus ne peccaret, illicò ſe peccato iterùm mancipaſſet & ingratitudinis, & proditionis, & periculo nouæ infirmitatis ſe expoſuiſſet?

CAPVT LXXXI.

DE COLLOQVIO CHRISTI CVM NICODEMO.

Ioan. 3.

1 *ERAT autèm homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine,*
2 *Princeps Iudæorum. * Hic venit ad Ieſum nocte, & di-*
xit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter, ne-
mo enìm poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit
3 *Deus cum eo. * Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen,*
amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt
4 *videre regnum Dei. * Dicit ad eum Nicodemus: Quo-*
modò poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ
5 *iterato introire, & renaſci? * Reſpondit Ieſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis*
renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.
6 ** Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.*
7 ** Non mireris quia dixi tibi: oportet vos naſci denuò. * Spiritus vbi vult ſpi-*
8 *rat: & vocem eius audis, ſed neſcis vndè veniat, aut quò vadat: ſic eſt om-*
9 *nis qui natus eſt ex ſpiritu. * Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodò*
10 *poſſunt hæc fieri? * Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, &*
11 *hæc ignoras? * Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vi-*
12 *dimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. * Si terrena dixi vobis,*
13 *& non creditis: quomodò, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? * Et nemo aſcendit*
14 *in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo. * Et ſicut Moy-*
15 *ſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ità exaltari oportet Filium hominis: * Vt om-*
16 *nis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. * Sic enìm Deus*
dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in
17 *eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. * Non enìm miſit Deus Filium ſuum*
18 *in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. * Qui*
credit in eum, non iudicatur: qui autèm non credit, iàm iudicatus eſt: quia
19 *non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. * Hoc eſt autèm iudicium: quia lux*
venit in mundum, & dilexerunt homines magìs tenebras, quàm lucem: erant
20 *enìm eorum mala opera. * Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non ve-*
21 *nit ad lucem, vt non arguantur opera eius: * qui autèm facit veritatem, venit*
ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

COM-

COMMENTARIVS.

COLLOQVIVM hoc cum Nicodemo à Ioanne poſitum eſt per anticipationẽ. c.3. vt Ioannes iuxtà eius morẽ vniret materiam baptiſmi, de qua antè, & pòſt ibì agit. Inueriſimile enìm videtur Dominum in principio ſuæ manifeſtationis, & prædicationis egiſſe cum eo de baptiſmo, morte, & cruce ſua, antequàm de illis ageret cum Apoſtolis, quos in his apparet alijs prætuliſſe, quibus nequè hæc communicauit, niſi (excepto baptiſmo) propè transfigurationem, & propè tempus paſſionis; & ſi diceres non ità clarè cum Nicodemo, proùt cum illis, at nequè cum illis tacitè adhùc egerat, & de incredulitate Iudæorum verſ. 11. cum vix tùnc apparuiſſet in Ieruſalem; & cum primo anno Ioannes nondum eſſet diſcipulus, nec iuerit Ieruſalem cum Ieſu, veriſimiliùs ab eo referri ea, quæ vidit ſuo tempore, quàm quæ audiuit ab alijs. Ideòq. hoc colloquium hìc ſituandum duxi, & ad vltimum aduentum Chriſti in Ieruſalem. Io. 7. quandò idem Nicodemus pro Chriſto ſtetit, vt in fin. cap. 7. antè quem Chriſtus diſcipulis de morte, & cruce dixerat, etſi non poſſit dari verè certus locus.

Erat autèm homo ex Phariſæis Nicodemus nomine Princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum, dum moram traheret in Ieruſalem occultè, ***nocte***, ſignis tractus, experturus cominùs quinam eſſet, ſed nocte ob metum Iudæorum, hinc erat diſcipulus occultus. Io. 12.42. & 19.39. Hæc ratio, ſi cap. 3. Io. eſſet locus colloquij, nutaret: Nàm Iudæi tùnc nondum contraxerant odium, aut inuidiam, quæ cœperunt occaſione languidi in ſabbato ſanati, & quia Chriſtus faciebat ſe Deum. Io. 5. 16. & 18. quod fuit de alio tempore, & ſi aliquid erat in eorum animis. Io. 2. 24. 25. ſi illud illius loci, quod non puto, vt infrà in eiectione è templo patebit, nondum eruperat in apertum, & nondum edixerant, vt ſcientes illum indicarent, Io. 11. 56. vel ſequentes extrà Synagogam fierent, Io. 9. 22. & 12. 42. vndè non aderat hoc tempore cauſa timoris. At ſi Ioannes ſcriberet per ordinem, quæ habet cap. 2. & cap. 3. de Nicodemo, procedere poſſet cauſa metus, qui & durauit in Nicodemo, dum in concilio ſtetit pro Chriſto; nàm dicentibus: numquid & tu Galilæus es? ſcrutare Scripturas. &c. Io. 7. in fine, non reſpondit, ſed obmutuit, & hoc etiàm colligitur Io. 12. 42. Vndè tutiùs dicemus acceſſiſſe de nocte opportunitatis cauſa, tùm ſui, tùm magiſtri, qui cum in die publicè doceret, eius copia haberi non poterat niſi de nocte; facit quia deerat aliquandò ſpacium manducandi. Marc. 3. & 6. Vel quia Princeps Iudæorum erat, & pudebat ipſum adire Chriſtum, & fortè in domo pauperis, apud quem hoſpitabatur veriſimilitèr, cum & aliquandò Bethaniam vſquè progrederetur, non habens hoſpites Ieroſolymis. Hìnc is acceſſus magna conſideratione dignus, præſertìm quia Io. 7. 48. dicunt: numquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis? Vel cum is locus hic ad vltimum ingreſſum in Ieruſalem tranſlatus, & tùnc Dominus occultè ageret. Io. 7. 10. poſſet dici de nocte acceſſiſſe, dum Chriſtus latebat. ***Et dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter***, nondum reputat eum filium Dei, ſed iuſtum, Prophetam magnum, vt etiàm ex his, quæ ſubdit, ***nemo enìm poteſt hæc ſigna***, miracula ***facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo:*** & tamèn Chriſtus ad probandum ſe Meſſiam, miracula fecit, & præſertìm præſentibus diſcipulis Ioannis, qui illum interrogatum venerant: tu es, qui venturus es, an alium expectamus? ***Reſpondit Ieſus, & dixit ei***, docens eum, venerat enìm ad eum edocendus, ideò dixit illum Rabbi, & Magiſtrum. ***Amen, amen dico tibi***; more legiſlatoris loquitur, ſic, ego autèm dico vobis. Matth. 5. & 6. hæc enìm noua lex: ***niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei***,

beati-

Digitized by Google

beatitudinem, prima enìm generatio carnalis non ſuffragatur, requiritur ſpiritualis ad regnum Dei videndum, poſſidendum; regnum Dei hìc non potèſt de alio, quàm de beatitudine intelligi; nam baptiſmus aperit cælum, loquitur de ingreſſu, de æternis, ſpiritualibus; hinc alij intellectus non videntur ſubſiſtere. *Dicit ad eum Nicodemus: quomodò potèſt homo naſci, cum ſit ſenex? numquid potèſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* animalis homo non percipit quæ Dei ſunt, ſpiritualia, ſic Nicodemus, ideò fidem habens magiſtro, quærit quomodò poſſit fieri quod non capit; vndè nulla hìc ſuperbia. *Reſpondit Ieſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non potèſt introire in Regnum Dei*, hæc enìm renaſcentia purificat, tollit maculas, & quiſque capax efficitur introitus cæli, in quod nihil intrat coinquinatum; docuit igitur renaſcentiam eſſe ſpiritualem, non carnalem. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, diuerſæ ſunt natiuitates, & diuerſarum diuerſi effectus, ex carnali caro, ex ſpirituali, de qua dixi, ſpiritus educitur; *non mireris* ergò, *quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò*, de ſpirituali enìm intellexi, quæ ſtat cum corporali. *Spiritus vbì vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vndè veniat, aut quò vadat, ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu*; probat mutationem ſpiritualem ab effectibus Spiritus ſancti exemplo venti, cuius ſicùt ſpirantis viam ignoramus, vocem, ſeù ſonum tantùm audimus, ſic fiat in homine, quem Spiritus ſanctus impellit, illuminat, roborat, trahit, & audit homo illius internas voces, & motus; renatus tamèn in ſpiritualem, ignorat vndè hæc mutatio, niſi quòd imaginatur à dextera excelſi, cuius iudicia incomprehenſibilia, nàm nos quid oremus, ſicùt oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis ſcilicèr poſtulare facit gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. 26.

Verbum autèm, *ſpiritus*, intelligo de vento, quia à Chriſto probandum erat, *quod natũ eſt ex ſpiritu* (ſancto ſcilicèt) *ſpiritus eſt*, ſi autèm nixus eſſet probare hoc modo, *ſpiritus* ſanctus *vbì vult ſpirat, &c.* fuiſſet probatio per idẽ, non per diuerſa, vt requiritur; vt ergò ſit ex diuerſis, intelligendum eſt de vento, cui propriè conuenit verbum, *ſpiritus*, verba enìm intelligenda propriè, quandò patitur oratio. Deindè ſi verbum, *ſpiritus*, intelligitur de Spiritu ſancto, quomodò infert, *ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu*, nempè ſancto? verbum enìm, *ſic*, denotat ſimilitudinem à re diuerſa aſſumptam, non identitatem, alìoquin phraſis eſſet ſinè ſenſu, & argumento, ſic & vſus ſimilitudine à diuerſis infrà: *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ità exaltari oportet Filium hominis*. Prætereà, verba, *vocem eius audis, vbì vult ſpirat, neſcis vndè veniat, aut quò vadat*, ſonant corporeum, ergò de vento, non de Spiritu ſancto intangibili, & inuiſibili, cum primo modo propriè, ſecundo impropriè caperentur. Inſupèr, ſi non intelligimus de vento, quæ erunt terrena, quæ Chriſtus infrà aſſerit dixiſſe? Si intelligimus de Spiritu ſancto, quæ erit hæc locutio, Spiritus ſanctus hoc agit, ſic, *& omnis, qui natus eſt ex ſpiritu?* erit enim eorumdem repetitio abſona, nàm in renato ex ſpiritu non producuntur hi effectus, niſi à Spiritu ſancto, & ſufficientia erant prima verba abſquè eo quòd ſubijcerentur alia; *ſic & omnis, qui natus eſt ex ſpiritu*. Vel quæ erit probatio, Spiritus ſanctus id facit, *ſic, & omnis natus ex eo?* eſſet & locutio in abſtracto nemini addicta, nec eo modo producit illos effectus, nec ſic intelligit Chriſtus loquens de perceptibilibus auditu, & applicando ad homines, in quibus operatur, & quos renaſci facit, & his rationibus tolluntur omnes obiectiones recentiorum. Sed & ſpecificè non obſtat prima, quia non aſſumit Chriſtus probare natum ex ſpiritu, ſpiritum eſſe, aut ſimilem Spiritui ſancto ſimplicitèr, id enìm clarum eſt fieri non poſſe, vel demonſtrari, cum Spiritus ſanctus non communicet ſubſtantiam ſuam, prout caro carnem, cum imò, carne manente, fiat immutatio, ſeù renaſcentia in anima, ſed aſſumit probare effectus, quos Spiritus ſanctus generat, & producit in anima hominis, quem immutat, ſeù modum, & originem renaſcendi ſpiritualitèr, quibus efficimur ſimiles Spiritui ſancto, ſeù ſpirituales in operatio-

ratio-

Digitized by Google

rationibus, & effectibus, qui ſubſequuntur; vel potiùs participamus de effectibus illis. Non obſtat ſecunda, nàm non inconuenit vnum verbum diuerſimodè capi etiàm in eadem phraſi, & de verbo, *ſpiritus*, quod diuerſimodè capitur, habetur Act. 2. & Num. 11. præſertim cum meliùs aptetur huic loco, ſi intelligatur pro vento, quàm ſi pro Spiritu ſancto, vt diximus. Non obſtat tertia, quia Chriſtus metaphoricè loquitur, & iuxtà naturam, & propenſionem venti, vt dicunt hìc alij. Non obſtat quarta, quia ſimilitudo venti, licèt corporea, non eſt tamèn generantis, aut producentis, ſed inuiſibilis, & ſæpiùs vtimur ſimilitudine corporea, & è conuerſo ad maiorem intelligentiam ſpiritualiſ,& vt ex terrenis erigamur ad ſpiritualia; videndus Dion. Areop. de cæl. hier. c. 2. & nonnè Chriſtus teſtatur, dixiſſe *terrena?* nō eſt ergò in his inſiſtendū, cum certum ſit ex ore ſuo *terrena* dixiſſe, ſiuè referamus ad ventum, ſiuè ad alia, de quibus non conſtat: Inſupèr, intentio Chriſti fuit docere renaſcentiam eſſe inuiſibilem, & inſenſibilem, nec poterat meliùs, & aptiùs demonſtrari, quàm ex ſimilitudine venti. Prætereà, nonnè Deus in ſibilo auræ tenuis apparuit Eliæ? nonnè in vento vehementi Apoſtolis? quomodò ergò ſimilitudo ab eo ſumpta inconuenit? nonnè Chriſtus dicit: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autèm dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum, & ſic ſimilem facit Spiritum ſanctum aquæ corporeæ? nonnè & in columbæ ſpecie ſupèr Ieſum ſtetit, & in nube in monte Thabor? & in igneis linguis ſupèr Apoſtolos? & quod propiùs eſt, nonnè Chriſtus inſufflauit, dans Apoſtolis Spiritum ſanctum? At vtraquè expoſitio ad idem tendit, quia loquutio eſt de Spiritu ſancto, & exprimuntur vtroquè modo effectus Spiritus ſancti, in quo omnes conueniunt, differentia tota eſt, an ſit ſimilitudo à vento ad Spiritum ſanctum pro maiori explicatione, an non. Hinc quod dicit Chriſtus de proprietate, ſeu effectibus venti, applicatur Spiritui ſancto, & multi Doctores abſquè explicatione ſimilitudinis venti vtuntur hac clauſula ad demonſtrandum virtutes, & effectus Spiritus ſancti, cui ex ſimilitudine venti fuerunt attributi, non quòd ſint contrarij, & nolint hanc eſſe ſimilitudinem venti ad Spiritum ſanctum, etſi alij expreſsè intelligant verbum, *ſpiritus*, non de vento, ſed de Spiritu ſancto in omnibus, intèr quos S. Auguſtinus, cui reſpondetur hìc ab alijs. Hanc verò opinionem quòd hìc de vento, vltrà alios hìc tenet S. Ioannes Chryſ. hom. 29. in 1. ad Cor. cap. 12. col. 1. *Reſpondit Nicodemus* adhùc incapax, *& dixit ei, quomodò poſſunt hæc fieri?* non capiebat hæc ſpiritualia. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei, tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* quæ adeò neceſſaria ſunt & nota? *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*, quod ſæpiùs repetit Chriſtus cum alijs, vt refert Ioannes in progreſſu, ſic 1. Io. 1. quod fuit ab initio quod vidimus, quod manus noſtræ contrectauerunt, &c. Paulus. 2. Cor. 12. vt fidem acquirat, enumerat beneficia à Deo ſibi collata, & ſcio huiuſmodi hominem, ſiuè in corpore, ſiuè extrà corpus, neſcio, Deus ſcit, &c. Vtitur plurali pro ſingulari, quod ſcio loquor, quod vidi teſtor, & eſt hoc familiare. Io. 1. cap. verſ. 45. in princ. huius cap. Nicodemus de ſe ſolo, ſcimus quia à Deo, & in epiſt. prima, vt ſup. & in arduis ſolemus ſic loqui. *Et teſtimonium noſtrum non accipitis*, cum ſolo Nicodemo loquebatur; præcedit enim *tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* & tamèn loquitur in plurali, vt minus acutè agat, non autèm volens abſentes fruſtrà arguere; ſic cum Regulo, vt minus feriret, indefinitè, & in plurali, proùt hìc: niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis, & more huiuſmodi vtimur his diebus; quærit à Nicodemo fidem, vt poſſit fieri capax; nàm hæc non poterant ad oculum demonſtrari. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodò ſi dixero vobis cæleſtia credetis?* reaſſumit nùnc in ſingulari.

At quæ terrena, & creditu facillora cum Nicodemo dixerat? de his enim tantùm agit, de quibus cum Nicodemo loquutus erat, non de alijs; intendebatque Chriſtus ex his, & præcedentibus, *tu es magiſter, &c.* illum ad fidem attrahere, poſtquàm rationibus non mouebatur, ideò hæc faciliora dicit

dicit eſſe creditu, quia *terrena*, cum autèm ſecum ſempèr egerit de baptiſmo, & eius effectibus, quæ omnia proponebat credenda, non alia, vtiquè dicendum cum Chryſoſtomo de baptiſmo tantummodò intellexiſſe, præſertim quia ſermo Domini, & Nicodemi verſabatur in intelligentia effectuum baptiſmi, quorum Nicodemus non erat capax, nec illis fidem adhibebat, vndè non poſſumus ex his terminis egredi. Quòd autèm baptiſmus eſſet quid terrenum, patet, quoniam aqua, lotio, verba in eo concurrunt capacitati hominum ſubiecta, cum ex aqua, & lotione munditia corporalis quæratur, vt in ſpiritualem facillimè traducamur. Et ſi dixeris: effectus Spiritus ſancti renouantis hominem, & donantis gratiam inuiſibilem in baptiſmo non eſt terrenus, reſpondeo Chriſtum non loqui de terrenis ſimplicitèr, quæ manu tangi, vel oculis videri poſſint, ſed de habentibus concurſum, ſeù mixturam inuiſibilem, vt in baptiſmo, fide indigentium, ideò dicitur *non creditis*, & quæ ratione ſocietatis, & concomitantiæ terrenorum eſſent facilè apprehendenda, & credenda; ſunt enim alia pura, & nuda à cōcomitantia terrenorũ tota cæleſtia (quæ nūc nō dicit) creditu, & captu difficiliora, vtì myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, æterna Verbi generatio, proceſſio Spiritus ſancti, & ſimilia. Ex his apparet Chriſtum ſub nomine terrenorum non loqui de vento, cuius ſimilitudine vſus eſt ad ſignificandos effectus Spiritus ſancti, & ad probationem, non ad fidem, hìc enim loquitur de his, quæ ad fidem, dicens, *& non creditis*, imò facillimè credidit Nicodemus argumentum à vento, quod in ſe notum eſt, nequè negari poteſt, ideò dixit, *quomodò hæc poſſunt fieri?* dubitans circà effectum baptiſmi tantùm. Nequè etiàm loqui de templo, id enim diſtat ſatis à colloquio Nicodemi, nequè veriſimile eſt Chriſtum nouas res, & difficiles aſſumere in perſuadendo dubium in fide ſupèr myſterio, de quo agit, ſed quòd circà idem verſetur, nequè dictum de templo erat propoſitum ad fidem; Chriſtus enim per metaphoram de ſuo corpore intelligebat, illi de materiali, vltrà quòd id alterius loci, & temporis, vt tenui. Nequè etiàm loqui de dictis, vel geſtis in Ieruſalem, vel alibi, quæ etiàm terrena eſſent, vel de modo, cum non proponerentur hæc credenda: *Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de Cælo, Filius hominis, qui eſt in Cælo:* proſequitur Chriſtus thema ſuum, vt inducat Nicodemum ad ſimplicitèr ſibi credendum, & quia præmiſerat, *quod ſcimus loquimur, &c. & ſi terrena, &c.* vt magis ſibi fidem adhibeat, ſubdit, ne putes me vana loqui, dum de cæleſtibus ago, nàm de his nullus prætèr me poteſt enunciare, & oſtendit ſe Deum, & ſtringit; nàm ſi cæleſtia ei credenda, quantò magìs terrena? ſic vult inferre; eodem argumento vſus eſt Paulus, vt ſibi crederetur, dicens ſe raptum vſquè ad tertium cælum, & vidiſſe arcana verba, &c. & anteà Moyſes. Deut. 30. habemus textum ſimilem. Io. 1. Deum nemo vidit vnquàm, vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit, & Prou. 30. 4. quis aſcendit in cælum, atquè deſcendit, &c. nec eſt diſputandum quomodò aſcenderit, quia ad ſuam intentionem ſatis erat deſcendiſſe, & eſſe in Cælo, imò dicendo ſe eſſe in Cælo, fide dignior reddebatur, & dum dicit, *nemo aſcendit in cælum, &c.* tangit alios, non ſe ipſum, perſona enim loquentis in ſermone non includitur, & ſic non dicit aſcendiſſe, ſed eſſe, vndè poteſt dici, *nemo*, alius ſcilicèt, *aſcendit in cælum, niſi Filius hominis, qui deſcendit* per Incarnationem, & qui ibì eſt, vt Deus, cum cælum, & omnia impleat, Incarnatus enim non dimiſit quod erat. At ſi *nemo aſcendit*, &c. ergò nequè Enoch, nequè Elias ad Empyreum, ſed ad Paradiſum terreſtrem tranſlati ſunt ſecundùm Irenæum, etſi difficultas ſit, an ex diluuio perierit, in qua eſſem pro negatiua, cum enim de illo legatur, & appoſitum ad cuſtodiam Cherubim, & gladius verſatilis, inueriſimile eſt Scripturam tacuiſſe caſum loci adeò inſignis. Sed dicendũ quòd ſicùt Deus appoſuit Cherubim, ne quis ingrederetur, ità nunc nobis hanc cognitionem abſtulit, hæc ſibi reſeruans, proùt de gloria, vndè Paulus: audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui; & quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt, quæ præparauit Deus dili-

diligentibus ſe. 1. Cor. 2. & ipſe Chriſtus: non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, ſed vide ſcripta in Apoc. cap. 11. ***Et ſicùt Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ità exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam;*** adhùc ad fidem allicit Nicodemum, ſi ſaluari optat, nàm pro crediturìs in ipſum, alioqui perituris dicit, ſe in Cruce exaltandum, & moriturum, eoſquè ſaluandos, & ſua futura morte baptiſmum vim recepturum, ſicùt aſpicientes in ſerpentem æneum à Moyſe erectum ſanabantur; ſi enìm illud in ſerpente terreno, viſibili, & figura; quantò magìs in filio Dei, & figurato in ſerpente illo, quæ dixi fient? ſimili argumento traxit Samaritanam; mulier crede mihi, & Martham: credis hoc? ***Filium hominis***, in præcedenti verſ. dixerat ſe Deū, miſcet humanitatem expreſſiùs, & quia in humanitate implenda erant, quæ dixerat. ***Sic enìm Deus dilexit mundum***: ne putaret Nicodemus ex verbo, ***oportet***, induci neceſſitatem, oſtendit Chriſtus ex charitate Dei ergà homines id prouenire, hanc dixit miſericordiam Zacharias: per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & Maria: recordatus miſericordiæ ſuæ; & Paulus: cum benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, &c. Rom. 8. commendat autèm charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhùc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Non enìm miſit Deus Filium ſuum in mundo, vt iudicet mundum; vt exponeret verba vltima, ***vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, &c.*** vel ne deciperetur Nicodemus in duplici aduentu Chriſti, primo, de quo dixerat ex dilectione Dei, ſecundo quandò veniet iudicare, ideò ſubiungit; nunc non ad iudicium miſſum eſſe, ſed ad ſalutem mundi, iuxtà parabolam; verebuntur filium meum. Matth. 21. 37. & alibì: veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. ***Qui credit in eum*** fide viua ***non iudicatur***, non condemnatur, imò habet vitam æternam, vt dixit, ***qui autèm non credit*** in eum manifeſtatum, & publicatum, & datum ad ſalutem hominum ***iàm iudicatus eſt;*** ſtat enim in prima condemnatione, ex qua nemo ſurgit abſquè fide in Meſſiam, ideò ſubdit, ***quia non credit in nomine***, potentia ***vnigeniti Filij Dei*** liberantis à prima condemnatione, ſeù iudicio; non enìm aliud nomen datum ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Vndè hinc non fit, quìn in iudicio compareant, comparent enìm, tamèn ex ſententia prima antiqua condemnandi: adhùc ex his ad fidem prouocat Nicodemum, & declarat quomodò non venerit iudicaturus; ex his collige verificari, quod in principio dixi, hoc colloquium non eſſe loci, vbì poſitum, ſed præſentis. ***Hoc eſt autèm iudicium quia lux***, ego, ***venit in mundum***, erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, ***& dilexerunt homines mundi magìs tenebras*** ignorantiæ, in quibus verſabantur, nolentes oculos attollere, ***quàm lucem***, lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt; ***erant enìm eorum mala opera***, à quibus nolebant abſtrahi; ***omnis enìm, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur*** mala ***opera eius***. Vndè & Io. 7. me odit mundus, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt; ***qui autèm facit veritatem***, opera vera, fidelia, non falſa, non vana, non mala, ***venit ad lucem***, credit in me, omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Io. 18. 37. ***vt manifeſtentur opera eius*** bona, ***quia in Deo***, in conſpectu Dei ***ſunt facta***, habendo Deum præ oculis, non gloriam quærendo apud homines: & in hoc impegerunt Hebræi; dilexerunt enìm gloriam hominum magìs, quàm gloriam Dei. Io. 12. 43. Vel dixerat, infideles iàm condemnatos, ſubdit cauſam, quia lucem Chriſtum recipere noluerunt, quam cognoſcere poterant, vt & Paulus ad Rom. 1. ſed magìs in tenebris ambulare, idquè quia erant eorum mala opera, quibus retinebantur, quæ ne arguerentur, lucem oderant, at ad bona opera intendentes veniunt ad lucem, vt eorum opera manifeſtentur, facta ſecundùm Dei voluntatem. Hinc etiàm collige colloquium hoc eſſe huius temporis, non vbì poſitum eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LXXXII.

DE VERBIS CHRISTI POST SANATVM LANGVIDVM.

Ioan. 5.

16 *PROPTEREA perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc*
17 *faciebat in ſabbato. * Ieſus autèm reſpondit eis: Pater*
18 *meus vſquè modo operatur, & ego operor. * Propterea er-*
gò magìs quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolùm
ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum,
æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaquè Ieſus, & di-
19 *xit eis: * Amen, amen dico vobis: non poteſt Filius à ſe*
facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enìm ille fe-
20 *cerit, hæc & Filius ſimilitèr facit. * Pater enìm diligit Filium, & omnia de-*
monſtrat ei, quæ ipſe facit: & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos mire-
21 *mini. * Sicùt enìm Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos*
22 *vult, viuificat. * Neque enìm Pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium*
23 *dedit Filio, * vt omnes honorificent Filium, ſicùt honorificant Patrem: qui non*
24 *honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. * Amen, amen*
dico vobis, quia qui verbum meum audit: & credit ei, qui miſit me, habet vi-
25 *tam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam. * Amen,*
amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quandò mortui audient vocem
26 *Filij Dei: & qui audierint, viuent. * Sicùt enìm Pater habet vitam in ſe-*
27 *metipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo: * & poteſtatem dedit ei iu-*
28 *dicium facere, quia Filius hominis eſt. * Nolite mirari hoc, quia venit hora,*
29 *in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei: * & proce-*
dent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in re-
30 *ſurrectionem iudicij. * Non poſſum ego à meipſo facere quidquam. Sicùt audio,*
iudico: & iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam,
31 *ſed voluntatem eius, qui miſit me. * Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, te-*
32 *ſtimonium meum non eſt verum. * Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me:*
33 *& ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me. * Vos miſiſtis ad Ioan-*
34 *nem: & teſtimonium perhibuit veritati. * Ego autèm non ab homine teſtimo-*
35 *nium accipio: ſed hæc dico vt vos ſalui ſitis. * Ille erat lucerna ardens, & lu-*
36 *cens. Vos autèm voluiſtis ad horam exultare in luce eius. * Ego autèm habeo*

teſti-

teſtimonium maius Ioanne. Opera enìm, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam
ea: ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.
37 ** & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque vocem eius*
38 *vmquàm audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis: * & verbum eius non habetis in*
39 *vobis manens: quia quem miſit ille, huic vos non creditis. * Scrutamini Scri-*
pturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ te-
40 *ſtimonium perhibent de me: * & non vultis venire ad me vt vitam habea-*
41 *tis. * Claritatem ab hominibus non accipio. * Sed cognoui vos, quia dilectio-*
42 *nem Dei non habetis in vobis. * Ego veni in nomine Patris mei, & non acci-*
43 *pitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. * Quomodò vos pote-*
44 *ſtis credere, qui gloriam ab inuicèm accipitis: & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non*
45 *quæritis? * Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. eſt qui*
46 *accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. * Si enìm crederetis Moyſi, crederetis*
47 *forſitàn & mihi: de me enìm ille ſcripſit. * Si autèm illius litteris non creditis:*
quomodò verbis meis credetis?

COMMENTARIVS.

P*ROPTEREA perſequebantur Iudæi*, Principes, non plebs, *Ieſũ quia hæc* miracula *faciebat in Sabbato*, quo falsò putabant non licere, moti zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam, credo tamèn hanc in eis veram cauſam fuiſſe, ſi enìm eſſet hæc præſumpta inuidia, vel malitia vera, Chriſtus non niteretur eam tollere ex eorum animis, ſed, ea omiſſa, reſpõderet eorum intentioni iniquæ, vt fecit interrogatus de cenſu Cæſari dando, & de remiſſione peccati in paralytico, & etiàm expreſſiſſet Euangeliſta, proùt in illis, neque bis hanc cauſam poſuiſſet; illi ergò ſtandum. *Ieſus autèm reſpondit eis*, audierant hi languidum dicentem, Ieſum illi ſanitatem contuliſſe, & iuerant, vel reprehenſuri Chriſtum quaſi violatorem Sabbati, vel audituri ab eo cauſam ſui præcepti de grabato portando languido facti, quia iàm Ieſus è latebris in publicum prodierat, Io. 7. 14. iàm autèm die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & hac de cauſa antèquàm id perciperent, cõtrà languidum non potuerunt procedere, neque proceſſerunt à Chriſto conuicti, & vſquè hùc nulla malitia, ſed cœcitas, & zelus inſipiens. *Pater meus* Deus *vſquè modò*, à die creationis rerum, de quo in principio Geneſis, cum quo & ego operatus ſum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Io. 1. non in nouis creationibus, quia poſtquàm requieuit, ceſſauit ab omni opere, quod patrarat, nihilquè noui creat, prætèr animas, ſed in rerum creatarum conſeruatione, quæ aliòqui deſtruerentur, abſquè vlla dierum diſcretione, ſed ſempèr, & continuò operatur; *& ego*, ſic abſquè Sabbati diſcretione illi æqualis *operor*, vtì Deus humana carne indutus, conſeruando, & ad ſanitatem infecta miraculosè reducendo, vt in languido feci, opera enìm ad extrà ſunt toti Trinitati communia. Alio modo reſpondit Matth. 12. 8. Marc. 2. 28. Luc. 6. 5. Dominus eſt Filius hominis etiàm ſabbati, non teneor ego legibus ſabbati, ſuperior ſum his; & cum dicat ibì, Filius hominis, poſſumus interpretari etiàm hic verba (*& ego operor*) vtì de Filio hominis ratione idiomatum communicatorum. *Propterea ergò magìs quærebant eum Iudæi*, principes *interficere, quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum*, iuxtà eorum mentem, *ſed & Patrem*

 ſuum

ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo, nempè illi cooperatorem, etiàm quà hominem ratione idiomatum communicatorum; quia etſi dicebat ſe Filium Dei, non omittebat ſe filium hominis, in qua natura apparebat, abſquè dierum diſcretione operantem; intellexerunt enim verba Chriſti iuxtà eius prolationem, & illorum ſignificationem. *Reſpondit itaquè Ieſus, & dixit eis.* Non eſt credendum Iudæos verba aliqua protuliſſe, quia diceret Euangeliſta, quamuis parùm id referat, cum quid dixerint ignoremus, quid cogitauerint ex Euangeliſta ſciamus, qui refert longum diſcurſum Chriſti, non verba Iudæorum. *Amen, amen dico vobis: non poteſt filius à ſe* ſinè Patre *facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem;* ſic Io. 3. 11. cum Nicodemo: quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur; hinc ibi non eſſe locum ſuum dixi; cum Patre ergò omnia facit; indiuiſa enim ſunt opera ad extrà, ideò ſum illi æqualis, & quæ facio diuina ſunt, & diuinitatem meam demonſtrantia. *Quæcumque enim ille* Pater *fecerit, hæc & Filius ſimilitèr facit* eadem potentia. *Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit;* non quòd amor ſit cauſa demonſtrationis, iuxtà Caietanum, cum ſint hæc naturalia in Deo, ſed more humano loquitur ad captum noſtrum; quia ſolemus dilectis omnia pandere. At potiùs hæc intelligenda, *Pater diligit Filium* quà hominem; *& demonſtrat ei omnia, quæ ipſe facit,* ſed ſuperiora etiàm intelligenda de Chriſto quà Deo, & homine in vno ſuppoſito ratione idiomatum communicatorum, quia agebat de ſe qualis apparebat, & operabatur miracula, & erat homo, & Deus, non quà Deus ſimplicitèr; præſertim quia quæ ſubiungit magìs conueniunt, & aptantur, ſubdit enim, *& maiora his demonſtrabit,* quæ non poſſunt ei accomodari vti Deo ſimplicitèr, & cum omnia ſint coniuncta, videtur melior hæc interpretatio: adde quia ſubiungit & illa verba: *qui miſit illum,* dum de honore ei debito loquitur, vt ſuprà cap. 3. 35. ſic capitur ſimilis locutio, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Et maiora his demonſtrabit,* dabit *ei opera, vt vos miremini. Sicùt enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat, nequè enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicùt honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* In præcedentibus oſtenderat ſe operatorē vnà cum Patre, etſi quà hominem in ſuppoſito diuino ad imitationem Patris; ad huius probationem adducit quæ conſecutura ſunt, ex quibus prima comprobabuntur; nam dicit, *maiora his opera demonſtrabit* mihi Pater, ideſt aſſumar à Patre ad maiora, maiora mihi dabuntur à Patre, ità *vt vos miremini,* quaſi, tùnc me cognoſcetis, vt alibi dixit, & mirabimini me ad eum gradum, & ſtatum aſcendiſſe. Vndè quæ dabuntur non erunt occulta, ſed manifeſta, in conſpectu omnium, vt admiratio ſuccedere poſſit, & cognitio, non ſingularia, ſed plura coaceruata, quia dixit, *maiora* in plurali, non enim ad menſuram dat Deus illi ſpiritum, inquit de illo Baptiſta. Io. 3. 34. Non erunt huius temporis, ſed futuri, quia dicit, *demonſtrabit.* Non erunt de his, quæ ex generatione æterna ei inſunt, ſed quæ vti homo meruit, & vti homini dantur. Non miracula, quia iàm multa patrauerat, ex illiſquè ſe Deum oſtenderat, vt in languido, de quo agebatur, & alijs, & quia maiora non dantur vltrà ſuſcitationem mortuorum, & iàm ſuſcitauerat filiam Archiſynagogi, ob quam nec mirati fuerant ij, cum quibus colloquebatur in Ieruſalem, cum ſucceſſiſſet in Capharnaum, & iàm præterierat, & hìc de futuris, & in ſuſcitatione Lazari nedum mirati non ſunt, ſed magìs excanduerunt, & fremuerunt, non igitur in reſurrectione particulari, ſeù aliquorum.

Quæ ergò illa maiora? ſuſcitatio omnium mortuorum ad vitam, ideò *quos vult* ſuſcitat nedum, ſed *viuificat,* ſeù in reſurrectionem vitæ ducit; nàm omnes quidèm reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, hanc enim reſurrectionem meruit nobis Dominus, ideò Paulus. 1. Cor. 15. 21. & 22. in Chriſto omnes viuificabuntur, & alibi: Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis

ritatis ſuæ: item iudicium viſibile, quia filius hominis eſt, ideſt homo, quia Pater, & Spiritus ſanctus non iudicăt quemquàm viſibilitèr, ſed inuiſibilitèr tota Trinitas, & hæc clariùs repetit à verſ. ***amen, amen,*** vſquè ad verſ. ***non poſſum***, hæc autèm duo apparitura, quia quòad reſurrectionem, manifeſtabitur ſingulis, hanc Chriſtum meruiſſe morte ſua nobis, quòad iudicium, quia cum quolibet in hoc mundo illud exercebit in forma viſibili, humana: omnes enim nos præſentari oportet antè tribunal Chriſti, & tùnc mirabuntur, & cognoſcent æqualitatem Filij cum Patre, æqualemquè ei honorem deberi cum Patre, nequè ex carnis aſſumptione diuinitatem diminutam, quod tùnc non apprehendebant, videntes illum carne circumdatum; hæc enim ei dabuntur, quia illa meruit ſua morte ad glotiam ſuã: proptèr quod & Deus exaltauit illum. Philip. 2. Quia autèm reſurrectio vniuerſalis, quam ipſe meruit, erit communis toti Trinitati, ideò de illa vt communi loquitur, ***ſicut Pater ſuſcitat, &c.*** & non eſt de his, quæ inductura ſunt admirationem, cum vtì Deo hæc illi inſit, & non ſit apparitura, ſed inuiſibilis. At, vt dixi, meritum illius, & iudicium viſibile apparebunt. Ex verbo autèm, ***demonſtrabit***, apparet, quia mittetur. Act. 3. 20. etſi ſciebat ſe iudicem deſtinatum, vt dicit. Et hoc eſt, quod multotiès proferebat: cum venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ; & Caiphæ: verumtamèn videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli; & Ioan. 19. videbunt in quem transfixerunt; & hic eſt, qui conſtitutus eſt Rex viuorum, & mortuorum; hoc enim oſtendit magnitudinem, & maieſtatem illius: hinc dixerunt Angeli: hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ità veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum; & Ioannes: cuius ventilabrũ in manu eius, &c. vt oſtenderet poteſtatem Chriſti; & Dominus volens oſtendere diſcipulis ad quem gradum aſcenſuri eſſent, dixit: ſedebitis & vos ſupèr ſedes duodecim, &c. quaſi maius non poſſet eis conferri, quàm iudicium vnà cum ipſo. Hæc autèm ſeruiunt nedum, vt doceat, ſed vt terreat ipſos, & ad ſe trahat, & eum honorificent, ideò dicit, ***vt vos miremini***, cum me, quem nunc ſpernitis, iudicem videbitis, & ſitis dicturi proùt Luc. 13. coràm te manducauimus, &c. ſic Felix: cum audiſſet Paulum de extremo iudicio diſſerentem, tremefactus Felix, &c. Et verbum (***miremini***) refertur ad illud tempus iudicij, ſicùt Sap. 1. mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Cum autèm ex iudicio Chriſto dato, ipſe non dicat ſe maiorem Patre, ſed æqualem, ***vt omnes honorificent Filium, ſicùt honorificant Patrem***, & iudicium ſit datum à Patre, & humanitati, quia filius hominis eſt, vt illa exaltetur, & non credatur proptèr illam, diuinitatem vllo modo diminutam; vndè & introducens primogenitum in Orbem terrarum, ait, & adorent eum omnes Angeli Dei; abſtinendum à verbis importantibus maioritatem aliquam, nàm in filio nihil pluſquàm viſibilitas, quæ non alterat. ***Sicùt enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat;*** hæc de vniuerſali reſurrectione corporum, & communi Patri, & ſibi, non de ſpirituali animarum, quia loquitur de apparituris, & quia nõ congruit tempori illi, quo omnes mortui; hinc ſubdit etiàm de iudicio vniuerſali, quod ſeruit ad excludendam reſurrectionem particularem. ***Nequè enim Pater iudicat quemquam*** (eccè aliud maius) viſibilitèr quia non eſt homo; ***ſed omne iudicium*** vniuerſale manifeſtum ***dedit Filio*** viſibilitèr in perſona humana iudicaturo, quod meruit proptèr exinanitionem vſquè ad Crucem, dixerat ſuprà de ſuſcitatione: ***ſicùt enim***, &c. ſic hìc: ***nequè enim***, &c. vndè hoc etiàm proùt illud ad maiora illa referendum, nec ſeruit pro ratione præcedentium, ſed ſtat de per ſe: ***Vt omnes honorificent Filium*** incarnatum, adorent latria, ***ſicùt honorificant Patrem***, æqualitèr cum Patre, hoc eſt etiàm de maioribus. ***Qui non honorificat Filium***, ſicùt Patrem, ***non honorificat Patrem, qui miſit illum*** in mundum incarnandum; vt ſic honorificetur, proùt ille mittens honorificatur: introducens enìm primogenitum in Orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Heb. 1. & ſic modò loquitur vtì de Deo, modò vtì de homine, ſeù de vtroquè ſimùl ex communicatione idiomatum; ideò vos

Digitized by Google

non honoratis Patrem, me inhonorando, hæc enìm duo connexa, honor Patris, & honor Filij, vt qui in ſecundo deficit, in primo deficiat, id dicit vt alliciat eos ad ſibi credendum, exemplum in nuncijs Dauid ad Naas Regem: in Angelis ad Sodomitas: in Gabriele ad Zachariam: propheta ad Ieroboam. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit*, quod prædico, *& credit ei*, Deo Patri, *qui miſit me* (ſub hoc omnia credenda, ſub quibus & ſe miſſum: hæc eſt autèm vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chtiſtum) *habet vitam æternam, & in iudicium* condemnationis *non venit, ſed tranſijt à morte* ſpirituali, in qua antè hanc fidem erat, *ad vitam* ſpiritualem, æternam, beatam; ſic Ioannes Baptiſta. Io. 3. 36. qui credit in Filium habet vitam æternam, qui autèm incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſupèr eum, ſimile Deut. 18. 18. de credituro prophetæ mittendo, qui erat Chriſtus. Hæc dicit, vt terreat, & trahat eos ad fidem in eum, & doceat quomodò euadant condemnationem, & tranſeant ad vitam æternam. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quandò mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent: Venit hora, & nùnc eſt* coràm me, quia omnia præſentia antè Deum. Deur. 32. 35. iuxtà eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora, iudicabir Dominus populum ſuum, & Ioan. 16. 2. ſed *venit hora*, quæ verè nondum venerat, vt omnis, qui interficit vos, &c. *quandò mortui* omnes *audient vocem*, imperium *Filij Dei*, cui omnia viuunt, quod exprimet per rubam nouiſſimam, & vocem Archangeli, iuxrà Paulum, & *qui audierint* boni, qui expectant audire vocem, *viuent*, hi boni audituri, quia ſurrecturi ad vitam æternam, quam expetunr in corpore, nàm de iniquis uulla mentio, ſic Matth. 24. 31. mittet Angelos ſuos, & congregabunr electos, non quòd & impij non ſinr congregandi, & reſuſcitandi, ſed quia de illis nulla cura, vel non dicuntur audituri, quia corporum illorum reſuſcitatio erit ad iudicium, condemnationem, & pœnam, non enìm viuunt, qui omni momento moriuntur in doloribus.

Vel hìc de electis, infrà de omnibus promiſcuè, & hic agit de reſurrectione vniuerſali, non ergò hìc de reſurrectione ſpirituali, ſed corporali, proùt & infrà: omnes, qui in monumentis ſunr, &c. nequè de agendis dum eſſet in mundo, nequè de reſurrectione particulari, quia iàm excitauerat filiam Archiſynagogi, & hæc non eſſent maiora illa, de quibus præmiſit, & in quibus verſatur in admirationem inductura, apparitura, à Patre demonſtranda, iudicium annexum habentia, de quo principalitèr agit; non enìm ſunt mirati hi Iudæi Ieroſolymitæ de filio viduæ ſuſcitato, quia in Naim, non de Lazaro, ſed exacerbati, & verbum, *mortui*, plurale, in vno non verificabatur, & quia non ſurrexerunt ad vitam æternam, de qua intelligit ſub verbo, *viuunt*, ex præcedentibus, & ſequentibus clarè, iterùm enìm mortui, & Chriſtus primogenitus ſurrexit non moriturus, hic intellectus ſtabilitur ex ſubiectis verſ. 28. *nolite mirari hoc, quia venit hora quandò mortui, qui in monumentis, &c.* vndè non obſtant verba, *venit hora, & nunc eſt*, quia eiſdem verbis ibì vtitur, vbì certò de vniuerſali Iudicio agit, idem enìm venit, & nunc eſt, ſed hæc duplicantur. *Sicùt enìm Pater habet vitam in ſemetipſo* viuificantem alios, de hac agitur, *ſic dedit & Filio*, etiàm quà homini ratione idiomatum communicatorum *& vitam habere in ſemetipſo*, de ſe enìm loquitur, proùt tùnc in eorum conſpectu, quibus cum loquebatur, apparebat: Ego ſum reſurrectio, & vita. Io. 11. in ipſo vita erat. Ioan. 1. qui credit in me etiàmſi mortuus fuerit viuet. Io. 11. non autèm de his, quæ habet ex generatione æterna, ideò retinens eumdem ſcopum, ſubdit: *& poteſtatem dedit ei* quà homini *iudicium* vniuerſale *facere* viſibile, *quia Filius hominis eſt*, quia homo eſt viſibilis, apparẽs, iudex enìm aliorum debet apparere, vt iudicandi videant, & eum alloqui poſſint, quod non poterat fieri cum Deo inuiſibili. *Nolite mirari hoc*, quod dixi; hæc ſubdit, ne magnitudine rerum paueant, *quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt*, vel vbicumquè. Apocal. 20. *audient vocem*, imperium *Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem* vitæ, ad vitam

æter-

æternam in corpore, & anima, *qui verò mala egerunt in reſurrectionem Iudicij* in ignẽ æternum. Matth. 25. 46. clariùs explicat quod dixerat verſ. 25. *Amen, amen dico vobis &c.* ità vt nulla ſit difficultas, illa, prout hæc de vniuerſali iudicio intelligi, & de vtraque reſurrectione, vna ad vitam, alia ad mortem, ſeù damnationem, de quibus & 2. Machab. 7. 9. 12. 15. reddit rationem cur non debeant mirari, cur ipſe Iudex, & cur benè iudicaturus, hæc enim duo capit ratio reddita, iàm enim quòad reſurrectionem ſatisfecerat, & iudicium erat principale intentum, quod poſtponitur vniuerſali reſurrectioni. *Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam*; dixit enim: poteſtas iudicandi mihi data, quia Filius hominis ſum, ab alio ergò, ſcilicèt Patre hanc recepi, eadem ratione vſus eſt Ioannes Baptiſta. Io. 3. 27. non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo; & cum ab eo receperim, recepi etiàm infallibilitatem iudicādi, ſed latiùs id proſequitur, *ſicut audio* à Patre, *iudico*, ſic ſuprà dixerat verſ. 19. *non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimilitèr facit, Pater enìm diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*, & ſic ſtabilitur intellectus ibi datus, quòd quà homini illa ei dentur, ſeù ratione idiomatum communicatorum ei conueniant, ſic Ioannes Baptiſta. Io. 3. 32. & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur; nec in me poteſt eſſe iudicium diſtortum, *quia non quæro voluntatem meam* facere à Patre diuerſam, *ſed voluntatem eius, qui miſit me* in mundum, Patris, integram. De mortuis iudicandis, non viuis hìc agitur, quia verba refert ad tempus illud, quo omnes mortui reſurgent, quandò verò dicitur iudicaturus viuos, & mortuos, locutio eſt temporis præſentis, quod tempus habet & viuos, non tamèn quòd victuri ſint, & mortem non guſtaturi, nàm ſtatutum eſt hominibus ſemèl mori, ſed quòd poſteà morituri, ſurrecturi, & iudicandi. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum*; magna de ſe dixerat, nunc nititur comprobare dicta, ut credantur, remouet primò obiectionem aliàs factam, *tu de te ipſo teſtimonium perhibes*, ideò non eſt fide dignum, ſed ſuſpectum, modus ſumptus, ut maiori emphaſi dicta confirmet, & tollat obſtantia, liberalitèr concedendo quod opponere poterant; & quia aliàs hoc oppoſuerunt, cenſeo non prouerbialem, ſed eorum locutionem propriam, quam nunc Chriſtus reaſſumit. *Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me*, is eſt Pater, non Ioannes; non enim utitur nunc teſtimonio Ioannis, ſed detegit ipſos, qui illo uſi erant, ſubdens, *vos miſiſtis ad Ioannem, ego autèm non ab homine teſtimonium accipio*, quæ uerba implicant hoc, de quo loquitur, eſſe diuinum, & reijciunt illud Ioannis clarè, præſertìm quia ſubdit, *ego autèm habeo teſtimonium maius Ioanne*, ſed explicat ſe clarè infrà, *& qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*, & Io. 8. ſi ego iudico, iudicium meum uerum eſt, quia non ſum ſolus, ſed ego, & qui miſit me Pater. Prætereà inueriſimile eſt loqui in uerbo incerto de Ioanne, & poſteà illicò uerba clara habere de Ioanne, & uti tacito pro ſe, expreſſo pro alijs. Inſupèr verba, *alius eſt*, inferunt ad quemdam tùnc aſſiſtentem, & confirmantem, quod non applicatur ad Ioannem occiſum, imò ad diuerſum, ſolet & de patre loquens uti huiuſmodi phraſibus quaſi obſcuris: eſt qui quærat, & iudicet, & ſuprà *non quæro voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me*. *Vos miſiſtis ad Ioannem*, hinc eos valdè urget, & utitur teſtimonio Ioannis, ut infrà dicam, quaſi nolens, ſed maiori emphaſi, *& teſtimonium perhibuit veritati*, dicens ſe non eſſe Meſſiam, ſed medium intèr uos ſtantem, & ego ille, & ei credere debueratis de me prædicanti, & ſe excludenti; *ego autèm non ab homine teſtimonium accipio* mihi neceſſarium, & ad meam utilitatem, quia *habeo teſtimoniũ maius Ioanne*, opera; ſed hæc dico, huius facio mentionem, ut uos ei credentes, proptèr quos teſtificatus eſt ad dandam uobis ſcientiam, ut in cantico Zachariæ, *ſalui ſitis*; extrà me enim non eſt ſalus. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Io. 1. cui credere debueratis, hoc dicit, ne

Digitized by Google

uideretur quidquam detrahere Ioanni, uel arguere eos, qui miſiſſent ad eũ, ſed ſi erat, ergò iàm defunctus Ioannes, ideò hic ſituaui hoc cap. 5. Ioannis. *Vos autèm voluiſtis ad horam* tantùm *exultare in luce eius*, illi credere, illi fidem habere, poſteà illicò mutaſtis ſententiam, dicentes: *quid ergò baptizas? &c.* & dixiſtis eum dæmoniacum. Luc. 7. 33. nec baptizati eſtis eius baptiſmo, qui è cælo erat. Matth. 21.25. *Ego autèm habeo teſtimonium maius Ioanne, opera enìm quæ dedit mihi* incarnato *Pater vt perficiam ea*, ideò ſuprà, *& ego operor, & non poſſum à me ipſo facere quidquam, ipſa opera, quæ ego facio*, miracula ſcilicèt, ad quæ concurrit Pater, ad mendacium non concurſurus, *ipſa*, quæ à Patre accepi, & conuertuntur, & idem ſunt cum teſtimonio Patris, *teſtimonium perhibent de me* enunciante, *quia Pater* meus, Deus *miſit me* in mũdum incarnandum, & quòd ſum Meſſias, pro quo cognoſcendo miraculorum patratio à Prophetis prænũciata, ideò diſcipulis Ioannis: ite, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & uidiſtis, cœci uident, claudi ambulant, &c. Cur maius teſtimonium operum, quàm Ioannis? quia facto plus eſt oſtendere, quàm uerbo, quod uerbo oſtendebat Ioannes, facto ipſo declarabant, & manifeſtabant opera, quæ ab alio, quàm Deo fieri non poterant. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*, mecum cooperando in operibus, & miraculis, non enìm poteſt intelligi de uoce delapſa in baptiſmo: hic eſt filius meus dilectus, quia illa pendebant à teſtimonio Ioannis, quo uti nunc nolebat, & quia loquitur de cooperatione inuiſibili, ideò ſubdit, *nequè vocem eius vnquàm audiſtis*, hinc eò magìs excludit uocem in baptiſmo, *nequè ſpeciem eius vidiſtis*, cum ſit ſpiritus, & lucem habitet inacceſſibilem, quem nullus hominum uidit, nec uidere poteſt, & de teſtimonio iugi, & firmo, ideò dicit: *Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem miſit ille, huic vos non creditis*, hæc ſunt difficilia, & nihil ſatisfacit; ſic dicerem, oſtendebat Chriſtus Iudæis habuiſſe ſigna clara ad ſibi credendum: teſtimonium Ioannis, & huic non acquieuerant: opera, & his non credebant, falsò ſibi perſuadentes Deum operibus non concurrere, quæ etiàm calumniabantur: in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia; non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit, etſi Chriſtus eos perſtringeret: ſi mihi non vultis credere, operibus credite; at in his verbis, magìs animaduertite inquit, quia pater cooperando miraculis, perhibuit de me teſtimonium, ſed inuiſibilitèr, *eius enim vocem nequè audiſtis, nequè ſpeciem vidiſtis*, nec viſuri eſtis illum hic viſibilitèr conſpectui veſtro apparentem, & teſtificantem, prout Ioannem, quia Deum nemo vidit vnquàm;. Deus enìm ſpiritus eſt, & verbum eius memoria non tenetis, nequè obſeruatis ſigna vobis data, intèr quæ hoc; quòd ſi Propheta per eum mittendus operibus comprobabit dicta, illi credatis. Deut. 18. & vt in alijs Prophetis Meſſiam miracula operaturum, hoc autèm non exequimini, mihi à Deo miſſo, & hæc operanti non credentes, quòd ſi obſeruaretis dicta à Deo per Moyſen, Deus vobis aperiret oculos, & intelligeretis hæc teſtimonia, & mihi crederetis, ideò *ſcrutamini Scripturas*; proptereà ſubdit, *ego veni in nomine Patris mei*, & ſic d. cap. 18. Deut. dicitur Prophetam in nomine Dei venturum, & operaturum, & quòd Moyſes accuſabit eos, quia narrauit eis omnia, & hanc incredulitatem præſentem prænunciauit, nequè illi credunt. Vel ſic breuiùs, *ego ab homine teſtimonium non accipio, Pater ipſe teſtimonium perhibuit de me, & huius nequè vocem auditis, vel ſpeciem videtis*, proùt hominum, quia ſpiritus eſt ſuperior hominibus, & eorumdem Creator, ideò teſtimonium maius eſt Ioanne, & quouis homine, & nihilominùs, *verbum eius non habetis in vobis manens*, quia non creditis mihi ab eo miſſo, & manifeſto ex ſignis, quæ ipſe per Moyſen. Deut. 18. vt me agnoſceretis, vobis præſignificauit, ideò *ſcrutamini Scripturas*, legite, perlegite, quia *illæ teſtimonium perhibent de me*; vndè colligo, quòd à verſ. *& qui miſit me Pater*, vſquè ad finem cap. inſinuat ſe illum eſſe, de quo per Moyſen. Deut. 18. & alios Prophetas, & qui mittendus erat, & expectabatur. *Scrutamini Scripturas*, aliud hoc

eſt

eſt teſtimonium, ſed vnitum cum teſtimonio Patris, ità vt illius teſtimonium vnicum ſit, ſed diuiſum in duo, in operibus, & Scripturis. Hæc verba important, non quaſi non viderint Scripturas, quas præſupponit vidiſſe, ſed vt intrà medullam euoluant.

Nec obſtant verba, *& non vultis venire ad me*, quia non reguntur hæc ab illis verbis, *ſcrutamini Scripturas*, ſed à ſubſequentibus, *in quibus putatis vitam æternam habere, & illæ teſtimonium perhibent de me*, tùnc enim vtitur contrà eos argumento Scripturarum, & propterea rectè infert, *& non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*. Senſus igitur eſt, etiàm ex Scripturis, quas vos excœcati, vel malè legentes non percipitis, teſtimonium recipio, ideò eas ſcrutamini, proùt ſolemus dicere ad probandum aliquod axioma, videte librum, textum, canonem talem, nedum enim imperamus, ſeù exhortamur, ſed etiàm in fundanda noſtra intentione verſamur, & hoc pacto verba, *& non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*, benè aptantur, & ſic præſupponit eos legere, ideò dicit: *in quibus vos putatis vitam æternam habere*, at non intelligere. Hi intellectus ſunt conformes. Io. 7. 52. quandò dixerunt Nicodemo pro Chriſto ſtanti: ſcrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit, ſunt enim imperatiua, vel exhortatoria verba, & ſimùl ad intentionem eorum facientia, non quòd vellent tùnc eum legere, ſed præſupponebant illum hæc ſcire, at eo vtebantur argumento, & phraſi pro illorum intentione, qua & nos vtimur quotidiè. Prætereà quæ adducebat Chriſtus teſtimonia Dei Patris ex operibus erant præſentia, & tùnc deſeruiebant, ideò veriſimile eſt & hoc poſitum in eodem diſcurſu, & tempore eiuſdem argumenti eſſe, & ſic loqui de Scripturis eis cognitis, at malè perceptis; ſed quomodò intelliguntur verba, *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere?* credo Chriſtum intelligere, in quibus putatis vobis promiſſum, & dandum Meſſiam ad vitam æternam vos euecturum, *& illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me* Meſſia, *& non vultis venire ad me*, credere mihi, *vt vitam*, quam illæ à Meſsia dandam promittunt, *habeatis*, quam ſinè fide in me non eſtis habituri, & ſic ex his ſequentibus clara fiunt verba illa *vitam æternam*; cum autèm Hebræi hanc vitam æternam non expectarent, ſed temporale regnum; non poteſt inferri contrarium ex his verbis, capiendo ea pro Meſſia, vt dixi: *claritatem ab hominibus non accipio, &c.* Non placet repetere dicta; *ego ab homine teſtimonium non accipio*, ſed hoc dicere velle, hæc adducens vobis teſtimonia, non quæro gloriam meam à vobis, quam à Patre expecto. Io. 17. 5. ſed ſalutem veſtram, & vitam, *ſed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis*, & ſic eſtis ſinè vita, quia qui non diligit manet in morte; proùt ſuprà, *ego autèm ab homine teſtimonium non accipio, ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis*; propterea *vt vitam habeatis*, hæc vobis propono, & ad fidem inuito. *Ego veni in nomine Patris mei* cum operibus, miraculis veris, quod erat ſignum datum à Moyſe. Deut. 18. 18. *& non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo* (& veniet) *illum accipietis*, & is erit Antichriſtus, proùt omnes Patres tenent; credendum eſt enim loqui de principaliori, & ſibi magìs oppoſito, & contradicturo, quod alijs citò euaneſcentibus non poteſt accomodari. *Quomodò vos poteſtis credere* mihi, & recipere in Meſſiam, *qui gloriam ab inuicèm accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* poſtquàm tanta eos docuerat, & vltimò dixerat cap. 7. dilectionem Dei eos non habere, tandèm nunc explicat cur credere non poſſint, quia ſuo peccato intellectum obſcurante obcœcati, Dei gloriam non quærant, ſed propriam ab hominibus; hanc eandem rationem non credendi aſsignat Ioannes cap. 12. 40. 43. excœcauit oculos eorum, & indurauit eos, &c. dilexerunt enim gloriam hominum magìs quàm gloriam Dei, timebant enim emolumenta, & fidem perdere apud populum, ſi Chriſtum ſequerentur. Cur gloriam propriam, non Dei quærens, non poteſt credere? quia non curat Deum, ideò Deus ſe illi non manifeſtat: vocaui, & renuiſtis; ego quoquè in interitu veſtro ridebo, &c. Magi quærentes inuenerunt; non quærentes remanent indurati. *Nolite putare quòd ego accuſa-*

cuſaturus ſim vos apud Patrem, *eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.* Dixerat ex Scripturis eos illum agnoſcere poſſe, quas ſcrutari monuerat, nunc cum dixerit non poſſe eos credere ob gloriam vanam, quam apud homines quærerent, omiſſa gloria Dei, qua de re pœnam merebantur, ſubdit non ipſum, ſed Moyſen, in quem ſperabant: nos diſcipuli Moyſi ſumus, Moyſi locutus eſt Deus, quem Moyſen reputatis, accuſaturum; ſed quomodò accuſabat Moyſes? quia Chriſtum non acceptantes habentem ſigna data per Moyſen, præſertim Deut. 18. reos illos faciebat apud Deum; ideò ſubdit: *ſi enim crederetis Moyſi*, *crederetis forſitàn & mihi*, deueniretis ex ſignis ab eo datis in mei cognitionem, *de me enim ille ſcripſit*, cum ergò non credatis mihi, conuincimini non credere Moyſi de me ſcribenti, & teſtimonium illius de me vos reos facit, & conuincit apud Deum. Dicit eos non accuſaturum, & ſuprà dixerat ipſum quærere, vt ſalui ſint, vt vitam habeant, & oſtendit quaſi nolens vti hac acrimonia accuſationis Moyſis, vt eos alliciat ad ſui fidem, & eſt color rhetoricus conuincere illos ex his, in quibus confidunt, & quibus fidem adhibent, proùt teſtibus ad ſui fauorem examinatis contrà producentem facientibus; ſic quandò dixit: *teſtimonium ab hominibus non accipio*, *vos miſiſtis ad Ioannem*, videtur ſimilis color rhetoricus, prima facie videri nolle vti teſtimonio Ioannis, & tamèn illo vti cum maiori emphaſi, obijciendo eis quomodò fidem ad horam præſtiterunt Ioanni, deindè receſſerunt, & encomia Ioannis proferre, *Erat lucerna ardens*, *& lucens*, vt oſtendat illi fuiſſe adhibendam fidem, & quò magis exaltat Ioannem, eò magis eius teſtimonium reddit irrefragabile. Cum ergò ſcriptura Moyſis (quam non attendunt) illos conuincat, & accuſet, ſeruit nobis vt Scripturas verſemur, & iuxtà illas operemur, aliòquin nos accuſaturas, & conuicturas. *Si autem illius litteris non creditis*, ſigna Meſsiæ dantibus, *quomodò verbis meis credetis?* qui de me ipſo loquor? Hebræi non crediderunt ſignis, nec Scripturis, ideò remanſerunt cœci, Magi crediderunt ſigno ſtellæ viſæ, & Scripturę: orietur ſtella ex Iacob, ſeù traditioni Balaam, ideò inuenerunt natum, quærentes illum; vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Si dixerint Hebræi, non habuimus ſigna cæleſtia, imò habuiſtis idem, quod Magi, quod & vobis inſeruire poterat. At ſingularia, Angelos paſtoribus apparentes à principio, in medio, vocem paternam in Baptiſmo, cum columba, & hiatu cæli; & Transfiguratione in fine, quæ in Cruce, & Reſurrectionem, ſignum principale. Vnum obſerua, videns Chriſtus, quomodò mouerentur, & excitarentur ex dictis Moyſis: Moyſi locutus eſt Deus, de illo loquitur, & de eius Scripturis, & vult in Transfiguratione tribus teſtibus munita, qui eam reuelarent, vt dicit Petrus in ſua prima Epiſt. Moyſen adeſſe, & noluit hoc ipſo uiuente publicari, ut eo mortuo tutiùs crederetur, ea fuit cura populi ſui conuertendi.

CA-

CAPVT LXXXIII.
CONTINVATIO DICTORVM CHRISTI.
Ioan. 7.

14 IAM autèm die feſto mediante, aſcendit Ieſus in tem-
15 plum, & docebat. * Et mirabantur Iudæi, dicentes:
16 Quomodò hic litteras ſcit, cum non didicerit? * Reſpon-
dit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed
17 eius, qui miſit me. * Si quis voluerit voluntatem eius fa-
cere: cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego à
18 me ipſo loquar. * Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam pro-
priam quærit. qui autèm quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt,
19 & iniuſtitia in illo non eſt. * Nonnè Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex
20 vobis facit legem? * Quid me quæritis interficere? * Reſpondit turba, & dixit:
21 Dæmonium habes: quis te quærit interficere? * Reſpondit Ieſus, & dixit eis:
22 Vnum opus feci, & omnes miramini: * Propterea Moyſes dedit vobis circum-
ciſionem: (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in ſabbato circumciditis
23 hominem. * Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moy-
24 ſi: mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in ſabbato? * Nolite iu-
25 dicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. * Dicebant ergò quidam
26 ex Ieroſolymis: Nonnè hic eſt, quem quærunt interficere? * Et eccè palàm loqui-
tur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes quia hic eſt Chri-
27 ſtus? * Sed hunc ſcimus vndè ſit: Chriſtus autèm cum venerit, nemo ſcit vn-
28 dè ſit. * Clamabat ergò Ieſus in templo docens, & dicens: Et me ſcitis, & vn-
dè ſim ſcitis: & à me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos ne-
29 ſcitis. * Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. * Quærebant ergò
30 eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora
31 eius. * De turba autèm multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cum
32 venerit, numquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit? * Audierunt Phariſæi
turbam murmurantem de illo hæc: & miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros
33 vt apprehenderent eum. * Dixit ergò eis Ieſus: Adhùc modicum tempus vo-
34 biſcum ſum: & vado ad eum, qui me miſit. * Quæretis me, & non inuenie-
35 tis: & vbì ego ſum, vos non poteſtis venire. * Dixerunt ergò Iudæi ad ſemet-
ipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? numquid in diſperſionem
36 Gentium iturus eſt, & docturus Gentes? * Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæ-

retis

Digitized by Google

37 *retis me, & non inuenietis: & vbì ſum ego, vos non poteſtis venire?* * *In no-*
uiſsimo autèm die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: Si quis
38 *ſitit, veniat ad me, & bibat.* * *Qui credit in me, ſicùt dicit Scriptura, flumi-*
39 *na de ventre eius fluent aquæ viuæ.* * *Hoc autèm dixit de Spiritu, quem ac-*
cepturi erant credentes in eum: nondum enìm erat Spiritus datus, quia Ieſus
40 *nondum erat glorificatus.* * *Ex illa ergò turba cum audiſſent hos ſermones eius,*
41 *dicebant: Hic eſt verè propheta.* * *Alij dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam*
42 *autèm dicebant: Numquid à Galilæa venit Chriſtus?* * *Nonnè Scriptura dicit:*
Quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbì erat Dauid, venit Chri-
43 *ſtus?* * *Diſſenſio itaquè facta eſt in turba proptèr eum.* * *Quidam autèm ex ip-*
44 *ſis volebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſupèr eum manus.* * *Venerunt*
45 *ergò miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quarè non*
46 *adduxiſtis illum?* * *Reſponderunt miniſtri: Numquàm ſic locutus eſt homo, ſi-*
47 *cùt hic homo.* * *Reſponderunt ergò eis Phariſæi: Numquid & vos ſeducti eſtis?*
48 * *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aùt ex Phariſæis?* * *ſed tur-*
49 *ba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* * *Dixit Nicodemus ad eos, ille,*
50 *qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis: Numquid lex noſtra iudicat*
51 *hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?* * *Reſponderunt,*
52 *& dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide*
53 *quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* * *Et reuerſi ſunt vnuſquiſque in do-*
mum ſuam.

COMMENTARIVS.

I*AM autèm die feſto mediante*, dimidiatis feſti diebus, non quòd tùnc deferbuiſſet furor Sacerdotum in eum, quia in hoc capite apparet contrariū, ſed paſſurus non erat teneri, aut occidi: *Aſcendit Ieſus in templum, & docebat*, ſic faciebat vbiquè in Synagogis, *& mirabantur Iudæi, dicentes, quomodò hic litteras ſcit, cum non didicerit*, ſed cum ipſe nutritus eſſet in Nazareth, quomodò Ieroſolymitæ poterant hoc dicere? ſed fortè Nazaræni ſui, qui & idem dixerunt, hoc propalauerunt Ieroſolymitis indagantibus de illo, illumquè in omnibus obſeruantibus, & in Galilæam vſquè ea de cauſa euntibus. *Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me* in mundum ad Incarnandum, loquitur ergò quà homo, proùt apparebat, & de doctrina humana, ſeù infuſa, cum dicat: *miſit me*; fatetur ergò ſe ab hominibus non didiciſſe, ſed à Patre mittente, ſeù ſanctiſsima Trinitate; & aliàs: quæ enìm audiui à Patre, hæc loquor in mundo, ſic cum Prophetis, qui omnia loquebantur de ore Dei, ſic cum Ioanne: ego vox clamantis in deſerto, cui & dictum quid nunciaret, ſic cum Apoſtolis, ſic de Spiritu ſancto, quæcumque audiet loquetur, & annunciabit vobis, at in eo vtì Deo procedente à Patre, & Filio. *Si quis voluerit voluntatem eius*, qui me miſit, *facere*, ſeruare mandata ſua, *cognoſcet de doctrina mea, vtrum à Deo ſit, an ego à me ipſo loquar*, ex meo capite, ex mea inuentione, contraria legi Dei mei, illuſtrabitur enìm à Deo ad hoc vt percipere poſſit, quaſi dicat: enitimini igitur facere voluntatem Dei, & cognoſcetis de doctrina mea, & proficietis; ſum enìm ad vos miſſus doctor. Ioel. 2. ſi er-

gò nunc

gò nunc eam non percipitis, euenit, quia non poteſtis credere, gloriam ab inuicèm quærentes, & non gloriam Dei. Io. 5. *qui à ſemetipſo*, à propria inuentione *loquitur*, *gloriam propriam quærit*, quia nititur inuentionem ſuam tamquàm ſuam notam reddere, & auram captare, *qui autèm quærit gloriam eius, qui miſit eum*, proùt facit legatus fidelis, *hic verax eſt*, & fide dignus, quia remouet à ſe omnem gloriam, ſpoliat ſe omni intereſſe, nullam auram captat, & *iniuſtitia in illo non eſt*, quia non attribuit ſibi quod eſt alterius, ſcilicèt mittentis, cum ergò (vult dicere) ego quæram gloriam Patris mei, non meam, dicamquè ad hunc effectum doctrinam meam à me prolatam non eſſe meam, ſed mittentis, profectò verax ſum, & iniuſtus non ſum, & fide dignus reddor. *Nonnè Moyſes dedit vobis legem*, vtiquè, *& nemo ex vobis facit*, obſeruat *legem* Sabbati? quia *in ſabbato circumciditis*, vt infrà, *quid ergò me quæritis interficere*, quia ſanaui in Sabbato? & hoc argumentum confirmat, vt infrà: intellectus ergò hic verus, tùm ex ſequentibus, quæ rem claram reddunt, tùm quia hæc eſt appendix dictorum pòſt ſanatum languidum, ſeù idem ſermo, vt ex contextu, & verbis obſeruare licet. *Reſpondit turba; & dixit; Dæmonium habes*, ideſt quæris contentiones, diſcordias, proùt dæmon; turba enìm loquens ignorabat mentem Iudæorum primorum, *quis te quærit interficere?* quaſi, nos id non quærimus, ideò non placet, *dæmonium habes*, ideſt ex dæmone id vis cognoſcere, cum negetur à turba id tentari. *Reſpondit Ieſus, & dixit eis*, proſequens ſermonem, iniuriæ non dans reſponſum, ſed patientèr ferens, præſertìm quia id non tendebat in ſubuerſionem operum ſuorum mirabilium, proùt quandò non ſibi eijcienti dæmones, ſed dæmonio attribuebant: *Vnum opus feci*, ſanitatem dando languido, vnum opus intelligit in hoc acceſſu ad feſtum hoc, quia aliàs multa miracula fecerat. Io. 2. & 3. & 4. 45. hinc apparet rectè hìc poni ſanitas languidi, & ſermonem eſſe pòſt illum ſanatum, *& omnes miramini* de tanto miraculo, & non profert verbum, *miramini*, modeſtiæ cauſa, quia illicò ſubdit: *mihi indignamini*, & nō præſefert modeſtiam admiratio miraculi in alijs animaduerſa; vel *vnum opus feci, & omnes miramini*, reſpondit turbæ dimiſſo conuitio, ſed ſub turba his, qui volebant eum interficere, nonnè indignati eſtis, quia *vnum opus feci*, ſanando languidum in Sabbato? ſic ſupponens eorum oculis cauſam, quam & Ioannes ponit c. 5. qua putabant illum morte dignum, vt omnibus præſentibus innoteſceret calumnia, & innocentia appareret, & ipſi conuerterentur. Deindè proſequitur ſuum primum ordinem tendentem ad cauſam tollendam, quem cœperat à turba interruptum. *Propterea:* dixerat: *nonnè Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* infert nunc, non ſeruatis legem à Moyſe datam (loquitur iuxtà mentem illorum, vt conuincat eos.) Quia *Moyſes dedit vobis circumciſionem* à patribus principium habentem, ideò dicit (*non quia ex Moyſe eſt ſed ex patribus*) quaſi, non dedit ille hanc nouam & tamèn ob circumciſionem octauo die feſtiuo perficiendā *in ſabbato circumciditis* contrà legem Moyſis latā ſupèr obſeruatione ſabbati; *ſi circumciſionē accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moyſis* ſupèr circūciſione lata *mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?* ſi enìm licet illud vobis, quia bonum, cur non idem bonum mihi? ſi illud pro vtilitate hominis permittitur, cur non id mihi pro eadem? Vel etiàm poteſt dici non reſpondere turbæ, ſed proſequi quod intendebat, vel vtrumque ſimùl aggredi, & perficere. Poſſet & ſumi ſic argumentum; ſi Moyſes non potuit immutare legem circumciſionis à patribus emanantem lege noua ſabbati, quomodò vultis vos immutare, ſeù calumniari miracula mea virtute diuina facta; ità vt faciendo illa in ſabbato, incurram? circumciſio enìm eſt ab homine in actu, ſeù miniſterio, licèt ex præcepto Dei fiat, & miraculum factum à me fuit à Deo, & verbo tantùm abſquè vlla operis mixtura. Hìnc collige ſabbati obſeruationem non fuiſſe in præcepto antè legem Moyſis, vide Gen. 2. *Totum hominem*, quòad corpus, erat enim infirmus à planta pedis vſquè ad uerticem, & de apparentibus, non inuiſibilibus loquitur.

An

Digitized by Google

An autèm animam ſanauerit? ex geſtis, & dictis ab homine apparet, & in anima ſanum redditum, & quia dictum ei: *iam ampliùs noli peccare*, & regularitèr ſanando corpus, ſanabat & animam, etſi non quæreret de fide, vt in paralytico oblato ab alijs: confide fili, remittuntur tibi peccata tua; in momento enim infundebat gratiam inuiſibilem, qua illuminati credebant, & idem arbitror eueniſſe in Malcho, etſi de fide non interrogato, quia nec languidus, nec hydropicus de illa interrogati, nec datur diuerſa ratio in Malcho, cum ſempèr perfecta ſint opera Dei. Deut. 32. Petrus quoquè vltrò ex ſe ſanauit claudum, & Aeneam, nihil de fide interrogans, & tamèn claudus illum ſecutus eſt, vndè & ille, & Aeneas creduntur in anima ſanati à Deo. *Nolite iudicare ſecundùm faciem*, licitum vobis facientes, quia vos eſtis, & mihi negantes, quia ego ſum, *ſed iuſtum*, æquum *iudicium iudicate*, æqualitèr mihi, proùt vobis tribuentes; vel non dicatis circumciſionem à vobis in ſabbato factam, licitam, quia à vobis; miraculum in languido, quia meum, illicitum. *Dicebant ergò quidam ex Ieroſolymis: nonnè hic eſt, quem quærunt interficere? & eccè palàm loquitur, & nihil ei dicunt*, & nullam moleſtiam inferunt; vndè hoc? quænàm hæc nouitas? *numquid verè cognouerunt Principes, quia hic eſt Chriſtus?* poſtquàm tutò ſic permanet, & palàm? Manſio Chriſti docentis in templo intrepida, & tuta hoc faciebat illos cogitare, & veriſimile eſt attraxiſſe multos ad fidem. *Sed* (in contrarium arguebant) *hunc* Ieſum *ſcimus vndè ſit*, patria, & parentibus; *Chriſtus autèm*, Meſſias autèm *cum venerit, nemo ſcit vndè ſit*, ignorabimus vndè ſit, fortè hoc aſſumebāt ex Iſaia: generationem eius quis enarrabit? vel Michæa: egreſſus eius à diebus æternitatis; nàm quòad patriam nouerant, dixerunt enìm Herodi ex Bethlehem oriturum, vndè neceſſariò primo modo intelligebant; *clamabat ergò Ieſus in templo docens*, & dicens: *& me ſcitis, & vndè ſim ſcitis*, quia pluriès vobis id dixi: *& à me ipſo non veni*, nec ego mihi ſolus teſtimonium perhibeo, *ſed eſt verus*, & fide dignus, *qui miſit me* in mundum ad vos, *quem vos neſcitis*, quia ipſe teſtificatus eſt de me in doctrina, quam ab eo receptam promulgo; & in miraculis, quibus ille aſsiſtit; loquitur hìc de natura diuina, quia humanam iàm dicebant cognoſcere, vndè vanum fuiſſet de cognita, in qua conueniebant, diſſerere, & cum doceret, & cogeretur dictis per turbam reſpondere, credendum eſt dixiſſe quæcumque erant in hoc propoſito dicenda, vndè proſequitur, *ego ſcio eum*, quia in ſinu eius ſum. Io. 1. *quia ab ipſo ſum* ab æterno, *& ipſe me miſit in mundum* incarnandum, vult dicere, ſum Filius eius, nempè Dei. Filius enìm nouit Patrem, & quæ Patris ſunt, & ſic eludit quod dixerunt ignorandum fore vndè Meſſias eſſet, quandò venerit, ſed arguit eos neſcire mittentem; quòd autèm turba, vel alij intellexerint Chriſtum ſe Meſſiam, & Dei Filium facere, conſtat, quia ſubditur: *quærebant ergò eum apprehendere* illi præſentes, intèr quos & mixtus aliquis Princeps, vel Phariſæus, licèt nihil referat; ſicùt quandò dixit: antequàm Abraham fieret, ego ſum, ex quibus intellexerunt ſe facere Deum, & voluerunt illum lapidare audientes, tùnc enìm in fragranti crimine non quæritur de auctoritate; ſed videtur reddi certum, quia fit mentio infrà quandò Principes, & Phariſæi miſerunt miniſtros, vt illum caperent, quod ſi id tùnc contigiſſet, ab Euangeliſta diceretur, nec duplicaretur conatus capturæ: nec poteſt applicari, iàm decreuerant illum capere, ergò qui conati ſunt capere, illi fuerunt; nàm primò non conſtat, quòd decreuiſſent capere illum, quia id ſtabilitum fuit in concilio coràm Caipha. Ioan. 12. ſecundò apparet clarè præſentes motos fuiſſe verbis Chriſti ad capturam; non poteſt dici Ioannem loqui per anticipationem de captura, ob quam miſerunt poſteà Principes, & Phariſæi, quia moti ſunt illi ob turbam murmurantem, non ex illis verbis: *Et nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius*, & cum nollet ipſe, fruſtrà nitebantur. *De turba autèm multi crediderunt in eum* (eccè ſi ſe Filium Dei, & Meſſiam faciebat in verbis illis, *à me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, &c.*) & dicebant fide firma ſuffulti, *Chriſtus*, Meſsias

cum

cum venerit, numquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit? quaſi dicant, non; hic ergò Meſſias, in quem concurrunt ſigna à Prophetis prædicta, & non eſt modus dubitandi de perſona, ſed magìs affirmandi, & excludendi alios, & argumentum hunc eſſe Meſſiam ad fidem firmandam. Vel Meſſias, qui expectatur venturus non poteſt facere maiora ſigna, ergò is, qui hæc facit, Meſſias eſt, ſigna oſtendunt hunc eſſe Meſſiam. *Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc*, & grauabantur, inuidia ardebant, *& miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum* fortè tamquàm turbæ ſeductorem, prout poſteà dixerunt Pilato, & ſuprà verſ. 12. *Dixit ergò eis Ieſus: Adhùc modicum tempus vobiſcum ſum, &* tranſacto hoc modico tempore *vado* per mortem *ad eum, qui me miſit*, & tùnc me apprehendetis; ſic & dixit referentibus de Herode volente eum occidere, *quæretis me* tùnc, poſtquàm diſceſſero à vobis, *& non inuenietis*, quia non veniam, non deſcendam niſi iudicaturus, refertur hoc idem Io. 13. 33. de ſe loquente, non de putatiuo alio Meſſia, vel membris, vel Apoſtolis, dicit enim: quæretis me, & vbì ego ſũ, &c. & ſuprà, *vado ad eum, qui me miſit, & vbì ego ſum* in cælo, vndè numquàm diſceſsi, *vos non poteſtis venire* infideles, & peccatis obnoxij, & ſic quia non me recepiſtis, nec recipitis, dum hìc ſum, excludemini à patria cæleſti, & comminatur eos in impœnitentia, & damnatione morituros, quia quærent ſinguli quandò non erit tempus; dixit aliàs: *ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini, & quò ego vado, vos non poteſtis venire*, ſimilitèr hìc, *non inuenietis*, ſed in peccato veſtro infidelitatis moriemini. *Dixerunt ergò Iudæi ad ſemetipſos, quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? numquid in diſperſionem gentium iturus eſt*, ideſt ad gentes toto Orbe diſperſas (quia vnica erat regio Iudaica) *& docturus gentes?* & ſic manus noſtras euaſurus? cognoſcebant ex his qualis is eſſet doctor, & quæ eius doctrina, & fortè hæc verba timoris, ne gentes doceret, à quibus pòſt eius mortem apoſtolos auertebant, *quis eſt hic ſermo, quem dixit, &c.* os huiuſmodi proiectum rodebant, nec capere poterant. *In nouiſſimo autèm die magno feſtiuitatis* Scenopegiæ *ſtabat Ieſus*, & nemo apprehendebat eum, *& clamabat dicens: ſi quis ſitit*, quiſque ille ſit, ſalutem animæ, cæleſtia, regnum cælorum, non mundana, quia quærit fidem; ſubdit enìm, *veniat ad me, & bibat, qui credit in me* &c. ſi enìm mundana, præmiſiſſet vt ea dimitterent, & cœleſtibus incumberent, omnes quidèm vocat, ſed hanc ſalutem ſitientes, ideò ſtrictè loquitur *ſi quis ſitit*, Iſaias itidèm omnes ſitientes ſpiritualia vocauit, aquæ enim hæ non aptabantur ſitientibus terrena, oportebat priùs mutare ſitim, vt in Samaritana: loquitur Chriſtus, & Iſaias de ſitiente, & bibente, ſicùt autèm bibitio eſt ſpiritualis, ità ſitis, aliòquin ſitiens terrena non haberet cæleſtia: carnalis non percipit quæ Dei ſunt, etetenim priùs ſitis mutanda; vndè non excluduntur peccatores, ſed qui non mutati non poterant eorum ſalutem, & cæleſtia ſitire, ſimilitèr quandò dicit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, non vocat otioſos, ſed in labore, & onere actu poſitos. *Qui credit in me*, docet quomodò ad ſe veniendum per fidem, *ſicùt dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, denotare vult exuberantiam, & plenitudinem ſpiritus dandam, & hæc in Scripturis habetur, nec ex eiſdem conandum eſt probare ad litteram, quòd flumina fluant de ventre eius, quia non eſt is ſcopus, ſed quem dixi; ſic & cum Samaritana: qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hanc exuberantiam oſtenderunt Apoſtoli pòſt receptum Spiritum ſanctum in prædicationibus, & conuerſione mundi, ſic dicitur. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. *Hoc autèm dixit de Spiritu* ſancto, *quem accepturi erant credentes in eum*, & in die Pentecoſtes, & aliàs pluriès, vt in Act. Apoſt. *nondum enìm erat ſpiritus datus, quia Ieſus*, qui promiſit illum mittere, & miſit *nondum erat glorificatus* per mortem, reſurrectionem, Aſcenſionem, ſeſsionem ad dexteram Patris; *ex illa ergò turba cum audiſſent hos ſermones eius, dicebant: Hic eſt verè Propheta*, non pſeudo, prout dicebāt Principes,

at Propheta ſimplicitèr, non ille. Deut. 18. quia ſubdit, *alij dicebant, hic eſt Chriſtus*, quibus non reſpondet Dominus, quia iàm ſatìs ſuprà reſponderat, dum dixerunt, *hunc autèm ſcimus vndè ſit: Alij dicebant, hic eſt Chriſtus*, Meſſias, *quidam autèm dicebant, numquid à Galilæa venit Chriſtus?* & ſic contrariabantur dicentibus illum eſſe Meſſiam, *Nonnè ſcriptura dicit: quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem Caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* non ergò poteſt eſſe is, qui ex Nazareth ortus eſt. *Diſſenſio itaquè facta eſt in turba proptèr eum* ob harum opinionum diuerſitatem. *Quidam autèm ex ipſis* diſſentientibus (& ſic de turba, non de miniſtris) *volebant apprehendere eum, ſed nemo miſit ſupèr eum manus*, quia nondum venerat hora: adhùc modicum vobiſcum ſum, dixerat. *Venerunt*, reuerſi ſunt *ergò miniſtri* miſſi ad illum capiendum *ad Pontifices, & Phariſæos*, qui miſerant, hiſcere non valentes, admirati loquelam eius, ideò *& dixerunt eis* illi præuenientes, & expectantes prædam, *quarè non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: Numquam ſic locutus eſt homo, ſicùt hic homo*, verba ſua ſuauia nos tenuerunt. *Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Numquid & vos ſeducti eſtis?* ſempèr ſiſtunt in hac phreneſi Chriſtum eſſe Seductorem, quam & pòſt mortem ſeruarunt, dicentes Pilato: Seductor ille dixit, & ad eos remouendos vtuntur exemplo Principum: *numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* & decipiebantur, *ſed turba hæc, quæ non nouit legem*, ignorans, quæ illum ſequitur, quod nequè voluit exprimere, *maledicti ſunt. Dixit Nicodemus ad eos* (eccè vnus credens, quem ignoratis) *ille, qui venit ad eum* latitantem *nocte, qui vnus erat ex ipſis* congregatis, *numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat* mali? non debemus iudicare inauditum. *Reſponderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es?* defenſor Galilæi? *ſcrutare Scripturas, & uide quia a Galilæa Propheta non ſurgit*, ſed à Bethlehem, vt ſuprà alij. *Et reuerſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam*, diſſoluit enìm Deus conſilia eorum ex vnius Nicodemi paucis verbis, proùt illis Chuſai. 2. Reg. 17. conſilium Achitophel, & Pauli, dum in conuentu mouit Phariſæos contrà Sadducæos, dicens: hodiè de reſurrectione iudicor. act. 23.

CAPVT LXXXIV.

DE ADVLTERA.

Ioan. 8.

1 *IESVS autèm perrexit in Montem Oliueti: * & dilu-*
2 *culo iterum venit in templum, & omnis populus venit*
3 *ad eum, & ſedens docebat eos. * Adducunt autèm*
Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam:
4 *& ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter,*
5 *hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. * In lege au-*
tèm Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergò
6 *quid dicis? * Hoc autèm dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. Ie-*
7 *ſus autèm inclinans ſe deorsùm, digito ſcribebat in terra. * Cum ergò perſeuera-*

rent

rent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſinè peccato eſt veſtrum,
8 *primus in illam lapidem mittat.* * *Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in terra.*
9 * *Audientes autèm vnus pòſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus: & re-*
10 *manſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans.* * *Erigens autèm ſe Ieſus, dixit*
11 *ei: Mulier, vbì ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnauit?* * *Quæ dixit:*
Nemo, Domine. Dixit autèm Ieſus: Nec ego te condemnabo: Vade, & iàm
ampliùs noli peccare.

COMMENTARIVS.

IESVS *autèm perrexit* pernoctaturus *in Montem Oliueti, & diluculò iterùm venit in templum* prædicaturus; ſic in principio feſti Scenopegiæ ſanauit lauguidum, poſteà feſto mediante in templo, & deincèps crederem quolibet die vſquè ad nouiſſimum diem feſti, ſuprà cap. 7. *& omnis populus venit ad eum*, turba ſola audiebat, *& ſedens docebat eos. Adducunt autèm Scribæ, & Phariſæi* inquieri *mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio*, interrumpentes ſermonem eius, *& dixerunt ei: Magiſter*, appellando eum magiſtrum, nolebant ab eo ſententiam ferri, ſed conſilium quid agendum, proùt à magiſtro, *hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio*, ità vt illa negare non poſſit, vel tergiuerſari; *In lege autèm Moyſes mandauit nobis huiuſmodi* adulterantes *lapidare, tu ergò quid dicis?* ſequendane lex hæc Moyſis? *Hoc autèm dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum*, ſed intentio eorum non videtur fuiſſe expiſcari, ſi vel ad miſericordiam, vel ad crudelitatem reſpexiſſet, quia ſi ad miſericordiam, exercuiſſet quæ humanitatis ſunt, nec dixiſſet contrà, ſed prætèr legem, & cum eam dimiſerit, videtur amplexatus hâc partem, ſi ad crudelitatem, non erat obiectum verum, ſi iuxtà legem dixiſſet, imò dixit: *primus in illam lapidẽ mittat*, quod erat iuxtà ordinem legis, & nemo contradixit, ſeù crudelitatem oppoſuit, & vtroque caſu erant ipſi liberi in acceptanda, vel reſpuenda eius ſententia, vel conſilio. Vndè dicendum, vel quòd putarent ipſum interpretationem aliquam daturum legi, ſupèr qua poſſent cauillari, vel, etſi id non admodum placet, illum contrà mulierem ſententiam laturum mortis (quod Hebræis non licebat, vndè Pilatus in Chriſtum dedit eis poteſtatem: accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum, & tùnc illi dixerunt: nobis non licet interficere quemquàm; qui enìm non poteſt conſequens, non poteſt neceſſarium antecedens) & hoc modo eum accuſare, vide ſcripta. acto. 4. Vel admiranda ſapientia Chriſti, qui vtrumque fecit, & neutrum fecisse oſtendit. *Ieſus autèm inclinans ſe deorsùm digito ſcribebat in terra*, verè, aliòqui non diceret *ſcribebat*, & aliquid non otioſum, cum numquàm vanum quidquam impeccabilis fecerit, at non otioſum, ſi ſaltèm ne videretur eorum malitijs condeſcendere, proùt quandò finxit ſe longiùs ire, vel quaſi ſeueritatem ſeruans, ne illos reſpiceret tentantes; quid autèm ſcriberet, diuinare eſt, *cum ergò perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe* moleſtia eorum victus, *& dixit eis: Qui ſinè peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat* Sermo erat cum deprehenſoribus, dicunt enìm *deprehendimus in adulterio*, quaſi, antequàm ſententiam legis exequamini, mundate vos. *Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra*, oſtendens parùm curare ſua hæc commenta. *Audientes autèm vnus pòſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus;* non tumultuosè, præcipitantèr, impetuosè, non ab imprudentioribus, ſed à ſenioribus, prudentioribus, maioris auctoritatis cœptum, & cauſa egreſſionis fuerunt verba à Chriſto prolata, dicit enìm Euangeliſta *audientes*, vndè ſcriptura Chri-

ſti in terra nihil ad hoc; Veriſimilitèr maculas ſuas, & peccata illis manifeſta reddidit, dum dixit, *qui ſinè peccato eſt veſtrum*, quorum rubore ſuffuſi abierunt re infecta. ***Et remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans***, vbi fuerat ſituata ab accuſantibus, & alij auditores primi, ***erigens autèm ſe Ieſus***, *dixit ei: Mulier vbi ſunt, qui te accuſabant?* hoc modo eam in conſiderationem erroris inducens, ***nemo te condemnauit?*** ſicut dixeram poſſe ſinè peccato exiſtentes, ***nec ego te condemnabo. Vade, & iàm ampliùs noli peccare***, dimiſit ergò liberam à peccato, & quauis pœna, & etiàm à culpa; ſimilibus enim verbis vſus eſt cum languido, & Magdalena; & Dei perfecta ſunt opera. Deut. 32. & ſi Chriſtus voluiſſet omninò eſſe immunis ab hoc iudicio, etiàm abſtinuiſſet ab huiuſmodi verbis eam liberantibus. At cum deducta eſſet mulier ad ſupremum tribunal, decuit eam ibì iudicari, quæ non poterat coràm inferioribus ampliùs deferri, ni mirùm ſi diuina agente potentia omnes inferiores iudices abacti, & eiecti foràs, & in terra ſcripti fuerunt iuxtà Ierem. 17. 13. qui etiàm peccatis pleni rectum iudicium ferre non poterant, cum peccata intellectum obſcurent. 2. Cor. 13. licèt enim eſſet in fragranti deprehenſa, multa poterant eam excuſare, puta vis, vel metus, ſaltèm à pœna ordinaria, ſi non à tota. Nec vocantur amplius hi iudices, ſed accuſatores, ***vbi ſunt, qui te accuſabant?*** & ſolus Deus Iudex pronunciat, ideò nullus hiſcere auſus eſt. Quærant igitur Iudices recta conſcientia inueniri, dum ſententias proferunt, ſi rectum iudicium velint ab ipſis emanare, & hoc eſt quod intendit Chriſtus, *qui ſinè peccato, &c.* non quòd à peccatoribus iudicium abſtulerit. Aeſtimo hanc mulierem velut niuem ad ſolis apparitionem intùs ſole ipſo Chriſto agente liquefactam, & contritam ſpem etiam liberationis concepiſſe, dixiſſequè: eccè qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? eccè Dominus auxilitor meus, quis eſt, qui condemnet me? Iſa. 50. 9. ſicùt enim ſanans in corpore, ſanabat in anima, cur non liberans à morte corporali, abſtulerit & ſpiritualem? & à principio? ſicuti paralytico coràm eo appoſito illicò dictum: confide fili, remittuntur tibi peccata tua, antequàm ſanaretur; ſi enim opus hoc conſideratur, manus Domini fuit, vt hæc liberanda coràm ipſo præſentaretur, & malitia præſentantium in Dei gloriam, & mulieris liberationem conuerteretur: ſed vt dixi, res redditur clara ex verbis, ***vade, & iàm ampliùs noli peccare.***

CAPVT LXXXV.

DE DICTIS CHRISTI.

Ioan. 8.

12 *ITERVM ergò locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux*
mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habe-
13 *bit lumen vitæ.* * *Dixerunt ergò ei Phariſæi: Tu de te ipſo*
teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.
14 * *Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhi-*
beo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio vn-
dè veni, & quò vado: vos autèm neſcitis vndè venio,
15 *aut quò vado.* * *Vos ſecundùm carnem iudicatis: ego non iudico quemquam:*

* *& ſi*

16 * & ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, &
17 qui miſit me, Pater. * Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum te-
18 ſtimonium verum eſt. * Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & te-
19 ſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater, * Dicebant ergò ei: Vbi eſt Pa-
ter tuus? Reſpondit Ieſus: Nequè me ſcitis, nequè Patrem meum: ſi me ſcire-
20 tis, forſitàn & Patrem meum ſciretis. * Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazo-
phylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat
21 hora eius. * Dixit ergò iterum eis Ieſus: Ego vado, & quæretis me, & in pec-
22 cato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire. * Dicebant er-
gò Iudæi: Numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego vado, vos
23 non poteſtis venire? * Et dicebat eis: Vos de deorsùm eſtis, ego de ſupernis ſum.
24 Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. * Dixi ergò vobis quia mo-
riemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in
25 peccato veſtro. * Dicebant ergò ei: Tu quis es? Dixit eis Ieſus: Principium, qui
26 & loquor vobis. * Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, ſed qui me miſit,
27 verax eſt: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. * Et non cognouerunt
28 quia Patrem eius dicebat Deum. * Dixit ergò eis Ieſus: Cum exaltaueritis Fi-
lium hominis, tùnc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicùt
29 docuit me Pater, hæc loquor: * & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me
30 ſolum: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſempèr. * Hæc illo loquente, multi cre-
31 diderunt in eum. * Dicebat ergò Ieſus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos
32 manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis: * & cognoſcetis veritatem,
33 & veritas liberabit vos. * Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus, & nemi-
34 ni ſeruiuimus vmquàm: quomodò tu dicis: Liberi eritis? * Reſpondit eis Ieſus:
Amen, amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.
35 * Seruus autèm non manet in domo in æternum: filius autèm manet in æternum.
36 * Si ergò vos filius liberauerit, verè liberi eritis. * Scio quia filij Abrahæ eſtis:
37 ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis. * Ego quod vi-
38 di apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidiſtis apud Patrem veſtrum,
39 facitis. * Reſponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis
40 Ieſus: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. * Nunc autèm quæritis me in-
terficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo: hoc
41 Abraham non fecit. * Vos facitis opera Patris veſtri. Dixerunt itaquè ei: Nos
42 ex fornicatione non ſumus nati: vnum patrem habemus Deum. * Dixit ergò eis
Ieſus: Si Deus Pater veſter eſſet: diligeretis vtiquè me, ego enìm ex Deo pro-
43 ceſsi, & veni: nequè enìm à me ipſo veni, ſed ille me miſit. * Quarè loque-
44 lam meam non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum. * Vos ex
patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat
ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cum loquitur
45 mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius. * Ego autèm
46 ſi veritatem dico, non creditis mihi. * Quis ex vobis arguet me de peccato? Si

47 *veritatem dico vobis, quarè non creditis mihi? * Qui ex Deo eſt, verba Dei*
48 *audit. Propthereà vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. * Reſponderunt ergò*
Iudæi, & dixerunt ei: Nonnè benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, &
49 *dæmonium habes? * Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo: ſed honorifico*
50 *Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. * Ego autèm non quæro gloriam meam:*
51 *eſt qui quærat, & iudicet. * Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum*
52 *ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. * Dixerunt ergò Iudæi: Nunc co-*
gnouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ: & tu
dicis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum.
53 ** Numquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & Prophetæ*
54 *mortui ſunt. Quem te ipſum facis? * Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico me ipſum,*
gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia
55 *Deus veſter eſt: * & non cognouiſtis eum: ego autèm noui eum: Et ſi dixero*
quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem
56 *eius ſeruo. * Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit, &*
57 *gauiſus eſt. * Dixerunt ergò Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes,*
58 *& Abraham vidiſti? * Dixit eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, antequàm*
59 *Abraham fieret, ego ſum. * Tulerunt ergò lapides, vt iacerent in eum: Ieſus*
autèm abſcondit ſe, & exiuit de templo.

COMMENTARIVS.

HAE ſunt appendices ſermonis pòſt languidum ſanatum, proſequitur enim Chriſtus adhùc materiam illam cœptam. dixerat: & me ſcitis, & vndè ſim ſcitis, qui credit in me flumina de ventre eius fluent, &c. ex quibus & Meſſiam, & Filium Dei, & Deum ſe manifeſtauerat, nunc continuans, dicit ſe lucem mundi, hic enim ſermo ſequens nihil ad negocium adulteræ commune habet, ſed proſequutio eſt ſermonis cœpti à Phariſæis, & Scribis interrupti. *Ego ſum lux mundi* illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ſequimini igitur me, reſpicite me ſolem veſtrum, *qui ſequitur me* per fidem, *non ambulat in tenebris* ignorantiæ, vel peccati, *ſed habebit lumen vitæ*, in quo vita erat, & vita erat lux hominum, illuminabitur ad vitam veram, & æternam, non fallacem, & momentaneam, & ex his verbis dicebat ſe Deum, & Meſſiam. *Dixerunt ergò ei Phariſæi*, intelligentes quà tenderent verba hæc: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes*, ſic docens: *teſtimonium tuum non eſt verum*, falſum eſt, non probat tuam intentionem; *Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum*, probans *eſt teſtimonium meum, quia ſcio vndè veni*, nempè è cælis, Filius Dei viui, *& quò vado*, nempè per mortem ad cælum, ſeù è cælis veniens, & ad cælos rediens non poſſum non teſtificari verum; *vos autèm* obijcientes meum teſtimonium verum non eſſe, *neſcitis vndè venio, aut quò vado*, ſi enim ſciretis hoc, non diceretis teſtimonium meum verum non eſſe. *Vos ſecundùm carnem iudicatis*, carnaliter ſecundùm homines iudicatis, condemnatis me, non ſpiritualitèr, ſeù ſecundùm ſpiritum, vt deberetis; dixerat illos neſcire vndè veniret, aut quò iret, nunc ignorantiam hanc procedere dicit, quia iudicant ſecundùm carnem, carnales affectus; vndè iudicium

non

non eſt iuſtum, & ſuprà cap.7. dicit: nolite ſecundum faciem iudicare, *ego non iudico quemquam* nunc; nàm non miſit me Pater, vt iudicem mundum nunc. Ioan. 3. *& ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt*, iuſtum abſquè miſtura paſſionis, *quia ſolus non ſum*, vt ex affectu proprio moueri poſſim, proùt vos, *ſed ego, & qui miſit me, Pater*, ità vt ſimus duo iudicantes, dum ego iudico; hæc ferè ſecundùm alios. At meliùs *vos ſecundùm carnem*, vt dixi, *iudicatis* me, *ego* ſic dicendo *non iudico quemquam*, quia de me ipſo loquor, vndè non teſtificor ſolus, *quia ſcio vndè veni, & quò vado*, cum alios non iudicem, *& ſi* ſic *iudico ego* de me, *iudicium meum uerum eſt*, iuſtum, *quia ſolus non ſum*, dum de me dico, vt affectu proprio moueri poſſim, *ſed ego, & qui miſit me, Pater*, ità vt ſimus duo, & ſic nulla erit conditionalis. *& in lege ueſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium uerum eſt*, verum eſſe præſumitur, fidem habet; *ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater* in mundum. *Dicebant ergò ei: Vbi eſt Pater tuus?* quærunt hoc malitioſè, vt apertè diceret Patrem ſuum Deum, quem ſubobſcurè dixerat, nec intendunt de loco vbi ſit, ſed quis eſt Pater tuus, quod ex reſponſione Chriſti, quæ præſumitur conformis interrogationi, conſtat de ſcientia Patris loquentis: *Reſpondit Ieſus: Nequè me ſcitis*, qui coràm vobis præſens viſibilis aſto, *neque* conſequentèr *Patrem meum*; qui enim videt, ſcit me; videt, ſcit & Patrem, dixit Philippo. Ioan. 14. 9. quomodò *nequè me ſcitis*, cum ſuprà cap. 7. dixerit: & me ſcitis, & vndè ſim ſcitis? ibi, & me ſcitis, ideſt ſcire, diſcere poteſtis, & deberetis ex doctrina, & miraculis, & alijs, quæ me demonſtrant quis ſim, hic ſimplicitèr *nequè me ſcitis*, quia ex illis nolebant cognoſcere, *ſi me ſciretis, forſitan*, vtiquè *& Patrem meum ſciretis* iuxtà præmiſſa, quia ego in Patre, & Pater in me eſt, & ideò verbum, *forſitàn*, affirmat, & Ioan. 14. 7. loco (forſitàn) ponitur vtiquè, Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtiquè cognouiſſetis. *Hæc verba locutus eſt Ieſus in Gazophilacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum*, quamuis id vellent, *quia nondum venerat hora eius*, qua ipſe vellet capi, & meminit fortè Gazophylacij, quia ērat locus ſeparatus ad theſaurum recondendum, in quo de facili apprehendi poterat. *Dixit ergò eis iterùm Ieſus* (eccè quomodò hæc eſt continuatio ſermonis. cap. 7. nàm & ibi hæc dicta) *ego vado* ad Patrem glorificandus per mortem, *& quæretis me*, quandò hora, tempus non erit, non cognoſcentes nunc horam veſtram, dies veſtros, proùt dixit Ieruſalem, ſupèr eam lachrymãs, & in peccato veſtro infidelitatis, quaſi proprio ob nimiam veſtram duritiem moriemini, & damnabimini impœnitentes. *Quò ego uado*; vado autèm ad cœlum ad dexteram Dei ſeſſurus, *uos* infideles, & in peccatis fixi *non poteſtis uenire*, quia illùc nihil introibit coinquinatum. *Dicebant ergò Iudæi: numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego uado, uos non poteſtis uenire?* Interficiet ne ſemetipſum, vt manus noſtras effugiat? ſed quæ hæc conſequentia: quouis modo morientes ad aliam vitam transferuntur, ad quam & ipſi per mortem transferendi, vndè non benè colligunt, ergò nos illùc non poſſumus ire, ſed difficultas eſt, an in reſurrectionem vitæ, an Iudicij; non poterant ipſi ad gloriam, ad quam ipſe aſcenſurus erat, euehi, is erat ſcopus Chriſti, at eorum diuerſus; ſtabant ipſi in inuentione in mundo, non pòſt mortem; *& dicebat eis: Vos de deorſùm eſtis*, & manetis, nec eleuamini ad cæleſtia, de terra eſtis, de terra loquimini, *ego de ſupernis ſum*; ideò *quò ego uado, uos non poteſtis uenire. Vos de mundo hoc eſtis*, & mundana ſapitis, *ego non ſum de hoc mundo*, ſed è cælo deſcendi. *Dixi ergò uobis, quia moriemini in peccatis ueſtris*, in quibus fouemini, quæ non proijcitis; *ſi enim non credideritis quia ego ſum* Deus: *ſum* enim ſoli Deo conuenit. Exod. 3. quod infrà intellexerunt, & voluerunt lapidare eum, *moriemini in peccato ueſtro* infidelitatis. *Dicebant ergò ei: Tu quis es?* cum ſe vident arctari de eius perſona interrogant, ſic ſuprà: *vbi eſt Pater tuus? Dixit eis Ieſus: Principium* omnium me eſſe dico, per quod omnia facta ſunt. Ioan. 1. Pater meus operatur, & ego operor. Ioan. 5. 17. Deus, qui & dignatus ſum mortalis apparere, vt vobiſcum loquar,

& con-

& conuerſer, quod ad maximum donorum omnium reputare deberetis. Ioan. 4. 10. ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, &c. In verbo, *principium*, dicit ſe Deum; In verbis, *qui & loquor uobis*, dicit ſe hominem. *Multa habeo de uobis loqui, & iudicare* in hac perſona, in qua loquor; quia Pater omne iudicium dedit Filio; vltrà quæ dixi, quæ nunc omitto, quia non veni nunc vt iudicem, ſed vt ſaluem mundum; illud nunc ſcitote, quæcumque vel de me, vel de vobis explicaui vera eſſe, *quia qui me miſit, uerax eſt: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo;* hinc: teſtimonium meum verum eſt, ideò credite, id enim ſignum datum eſt vobis. Deut. 18. *& non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum*, quòd ſi cognouiſſent, ad lapides confugiſſent, proùt infrà. *Dixit ergò eis Ieſus: cum exaltaueritis filium hominis* in Cruce, *tùnc cognoſcetis, quia ego ſum* Deus, Meſſias, *& a me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor, & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum*, ſed ab eo gubernor, *quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſempèr*. Sic: hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Veniet tempus, quo me cognoſcetis, & verba, quæ loquor, quibus credere debueratis, ſcilicèt pòſt mortem, meam reſurrectionem, Spiritus ſancti miſſionem, & ne putetis me à Patre derelictum, quia ſum ipſi conſubſtantialis, ipſe mecum eſt, ideò credere deberetis mihi, *& facio* quà homo *ſempèr quæ ei ſunt placita*; loquitur ad eorum intelligentiam, cum hæc non poſſent non eſſe, & loquitur vt homo, ſic alibì: facio voluntatem eius, qui miſit me; loquebatur enim, & apparebat vt homo. *Hæc illo loquente*, & intùs in corda eorum operante, *multi crediderunt in eum. Dicebat ergò Ieſus ad eos, qui crediderant ei, Iudæos: ſi vos manſeritis*, permanſeritis *in ſermone meo*, in præceptis meis, *verè diſcipuli mei eritis;* nàm qui diligit me, ſermonem meum ſeruat, *& cognoſcetis veritatem*, quia ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, & illuſtrabimini; hoc dicit plantis nouellis, ne auerterentur multitudine, vel difficultate rerum, *& veritas liberabit vos* à peccatis, de his enim ſermo præcedens, *in peccatis ueſtris moriemini*, & ſubſequens, *omnis, qui facit peccatum;* ſed quomodò veritas liberabit à peccatis? quia cognoſcentes eam, cognoſcent quæ amplexanda, quæ vitanda, & illa amplexabuntur, ſi hæc vitabunt. *Reſponderunt ei*, non credentes, ſed alij, ideſt ex Sacerdotibus, & Leuitis, qui profitebantur legem, & erant intelligentes, quod conſtat ex fine capitis, cum audientes verbum, *ſum*, intellexerunt ſe Deum facere, & tulerunt lapides; hi enim Chriſtum non recipiebant, ſed turba; vltrà quòd inueriſimile eſt credentes tàm citò defeciſſe, & mutaſſe ſententiam: nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me, quòd ſi fuiſſet, nec Euangeliſta meminiſſet credentium momentaneorum; *ſemen Abrahæ ſumus*, de populo electo, & de ſeruitute ægyptiaca educto, *& nos præſentes nemini ſeruiuimus umquã, quomodò tu dicis: liberi eritis?* cum Abrahæ mentionem faciant, videntur de Iudæis in genere loqui, ſed tamèn ſeruitutem reſtringere ad illam non ſubiectorum, ſed mancipiorum. *Reſpondit eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Fruſtrà dicitis vos filios Abrahæ, ne ſerui credamini; nam *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, & de hàc ſeruitute loquor, quà peccator in vinculis conſtituitur, & pœnæ ſubijcitur, non iuuit Epulonem hæc filiatio, qui Patrem vocabat Abraham, Ioannes etiàm dicebat: & nolite dicere: Patrem habemus Abraham; *ſeruus autèm non manet in domo in æternum*, quia poteſt eijci, & eijcitur etiàm à domo Domini peccator, proùt ſeruus, etſi enim peccator cum pijs, & iuſtis, qui filij ſunt, permaneat in Eccleſia, ad tempus eſt, non in æternum, ſed donèc ventilabro purgetur area, & fiat ſeparatio Zizaniorum à tritico, & tùnc eijcietur in æternum in tenebras exteriores, non ſibi, ſed diabolo præparatas; *Filius autèm*, iuſtus ſcilicèt *manet in æternum* in domo, in gloria, regno. Si ergò Filius in æternùm manens in domo, & Dominus liberauerit vos (& liberabit certè per mortem ſuam, qua delebit chyrographum peccatorum, quæ ſeruos vos faciunt, ideò ſuprà dixit, *cum exaltaueritis Filium hominis, &c.* ſi in eum credideritis, & fidem ope-

operibus ſociaueritis, eritis verè liberi; ideò credite, nec velitis in alio confidere; *ſcio quia filij* deſcendentes *Abrahæ eſtis*, eccè loquitur Chriſtus in vniuerſum, ideò & ipſi eodem modo loquebantur, vt dixi ſuprà, at dum illum ſequimini, ac imitamini, *ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus*, quo me vobis Deum, & Meſſiam declaro, *non capit in vobis*, non intrat in vos, non eſtis illius capaces, imò nec *audire poteſtis ſermonem meum*, vt infrà, quod opus non eſt imitatorum, & filiorum Abrahæ Deo grati, & fidelis, & nihilominus ſermonem meum recipere deberetis, quia *ego quod vidi apud Patrem meum*, à quo edoctus ſum quà homo, *loquor*, & Patrem meum Deum veſtrum dicitis, vndè de veritate dictorum meorum non poteſtis ambigere, *& vos* inſidiantes vitæ meæ, me interficere volentes *quæ vidiſtis*, didiciſtis *apud Patrem veſtrum* diabolum homicidam, *facitis*, exequimini, hoc peccato maximo vos maculantes: *Reſponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt*, cuius iàm diximus eſſe filios, iſquè bonus, alium Patrem non habemus. *Dicit eis Ieſus: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*: & ſic facto declarabitis vos eſſe tanti Patris filios. *Nunc autèm* opera eius non facitis; nàm *quæritis me interficere*, me inquam *hominem*, qui nullo modo infenſus fui vobis, ſed *qui veritatem* (vt probaui) *vobis loquutus ſum*: & loquor: *hoc Abraham non fecit*, non enìm occidit quemquam innocentem, ergò non facitis illius opera. *Vos facitis opera Patris veſtri*, diaboli ſcilicèt. *Dixerunt itaquè ei: nos ex fornicatione*, ex idololatria *non ſumus nati*, Iudæi ſumus, *vnum Patrem habemus Deum*, quem colimus, vltrà Abraham, à quo deſcendimus, ſub *fornicatione* agunt de idololatria, quia ſubiungunt non de Patre carnali, ſed diuino, qui colitur. *Dixit ergò eis Ieſus. Si Deus Pater ueſter eſſet*, & vti Patrem eum diligeretis, *diligeretis utiquè me; ego enìm ex Deo* Patre *proceſſi* per æternam generationem, *& ueni* in mundum incarnandus, *nequè enìm à me ipſo ueni, ſed ille me miſit* ad faciendum ſuam voluntatem, *quarè loquelam meam non cognoſcitis?* diuinam doctrinam cæleſtem afferentem, quam à Patre meo audiui: ſed dicam vobis cauſam, hoc totum eſt *quia non poteſtis audire ſermonem meum* proptèr odiũ, quo me proſequimini; ſic enim nec vocem inimicorum, quos odio proſequimur, audire ſuſtinemus. *Vos ex Patre diabolo eſtis*, non ex Deo, *& deſideria* eiuſdem *Patris ueſtri* ad eius imitationem *uultis facere* me occidendo: *ille homicida erat ab initio*, Adam enìm ad peccatum inducẽdo occidit in anima, & corpore, & cum eo totum genus humanũ, *&* ab initio *in ueritate non ſtetit*, in qua creatus erat, ſuperbia captus, & vanagloria, contrarius veritati, *quia non eſt ueritas in eo*, quia illam amiſit: *eum loquitur mendacium, ex proprijs* ab eo malè quæſitis *loquitur, quia mendax eſt*, & *Pater* auctor *eius* primus; primus enim illud dixit: nequaquàm moriemini. Geneſ. 3. *Ego autèm ſi ueritatem* vos liberaturam *dico, non creditis mihi* à Deo procedenti, & incarnato ad vos redimendos. *Quis ex uobis arguet*, conuincet *me de peccato* verè? quaſi, teſtimonium meum non poteſtis repellere ex vitio aliquo, *ſi ueritatem dico uobis* ego iuſtus, & innocens, cui nihil opponere poteſtis, *quarè non creditis mihi?* ſed potiùs diabolo mendaci in omni immunditia verſanti? *Qui ex Deo eſt*, à parte Dei, filius Dei, *uerba Dei audit*, proùt mea eſſe dixi; vndè infert, *propterea uos non auditis*, vt dixi, nec *audire poteſtis ſermonem meum*, tantò minùs obſeruatis, *quia ex Deo non eſtis*, cuius filios vos falsò facitis, dixerunt enìm, *unum Patrem habemus Deum. Reſponderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu*, variæ religionis proùt illi, ſeù illis addictus, fortè nouerant conuerſionem Sichar, ſanitatem leproſo Samaritano datam; ſed primum magis placet, *& dæmonium habes?* quod colis, ſeù in tui poteſtate, quo vteris, non tu poſſideris à dæmonio quaſi arreptitius: ſic illud: in Beelzebub principe dæmoniorum, &c. in virtute dæmonis operatur; & illud: venit Ioannes, & dicitis: dæmonium habet, & hoc eſt, quod dicunt: *nonnè benè dicimus*, quia allàs id dixerant in Beelzebub, &c. ſed de Samaritano nullibi aliàs: Et quòd verba, *dæmonium habes*, ſic intelligantur, obſerua quandò ſcriptura loquitur de arreptitijs, numquàm vtitur

tur

tur hac phraſi, dæmonium habet, ſed vexatur, & ſimilibus. *Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum,* dicas vel non reſpondere iniuriæ, *Samaritanus es tu*, quia non omnibus ſolebat iniurijs reſpondere, ſed (illis omiſſis) in ſuo ſermone progredi, proùt ſuprà quandò dixerunt: dæmonium habes, quis te quærit interficere? nec admodum referebat, quia ſi de origine, quam non reſpiciunt, ſed iniuriæ cauſa proferunt, notorium erat vndè eſſet apud illos, nempè de Nazareth, ſi de moribus, clara erat innocentia, cum ſe ſupponat eorum argumento, ſi de lege, iàm totiès verba habita erant, nec erat materia inculcanda, quæ numquàm habuiſſet finem; & tùnc verba ſequentia, *ſed honorifico Patrem meũ,* non diabolum, determinabunt antecedentia tantùm, *ego dæmonium non habeo,* non id, de quo nihil dicit; Vel (meliùs) tacitè vtrique iniuriæ reſpondet ex verbis (*inhonoraſtis me*) quæ duo illa comprehendunt; qui enim honorificat Patrem ſuum Deum, firmat nec dæmonium habere, nec Samaritanum eſſe vitioſum, illi enim Deum ſolum non honorificabant miſcentes idòla. Reſpondet autèm hìc conuitijs, quia in vtroque de honore Dei, pro quo erat, & ſubuerſione ſuorum operum, & doctrinæ, dum dæmoni, & ſciſmatico illa tribuebant, quod erat peccatum in Spiritum ſanctum, quæ ipſe ſempèr acritèr à calumnijs defendit, agebatur, quod conſtat & in obiecto: in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, quod erat peccatum in Spiritum ſanctum propriè, quod Deo eſt horrori, & impunitum non dimittit; vndè Ochoziæ nuncios ad Beelzebub in Accaron mittenti per Eliam dictum ex hoc facto illum moriturum. 4. Reg. 1. *Honorifico Patrem meum*, cui ſatisfacio redimendo mundum, ad quem veni proptèr eius honorem, quem homo peccando læſerat, *& uos inhonoraſtis me* his conuicijs. *Ego autèm non quæro gloriam meam* pro his, quæ vobis dico, ſed ſalutem veſtram; vndè non mereor à vobis ſic conuitiari, *eſt qui quærat* gloriam meam Pater meus me exaltaturus. Philip. 2. *& iudicet*, condemnet, puniat vos, inurbanè mecum agentes. *Amen, amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauit, mortem non uidebit in æternum,* ſed ad vitam ingredietur: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, quæ in ſermone Chriſti comprehendebantur: *Dixerunt ergò Iudæi: Nunc cognouimus* meliùs quàm anteà, non quòd priùs non præſumerent cognoſcere, *quia dæmonium habes*, idèſt ex eius inſtigatione loqueris ob verba ſuperba, & arrogantia, quia vt dixi, non dicebant ipſum arreptitium, cum non faceret actus corporis arreptitijs ſimiles. *Abraham mortuus eſt, & Prophetæ* viri Deo cari, & Sancti; ſtatutum eſt enim ſemèl hominibus mori, *& tu dicis,* audes dicere: *Si quis*, qualis ſit, *ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum,* intelligebant hæc carnalitèr. *Numquid tu maior es Patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt?* numquid tu maior Prophetis? *& Prophetæ mortui ſunt*, quomodo ſermones eorum, hoc quod dicis tu etiàm in ipſiſmet efficere non potuerunt? *Quem te ipſum facis?* quòuſquè ſuperbia extolleris? quis es tu? *Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me,* explicat clariùs quod ſuprà dixerat, *ego gloriam meam non quæro, eſt qui quærat* nempè Pater meus, ne igitur ſuperbiæ, vel vanæ gloriæ ſermones meos aſcribatis: *Pater* autèm *meus eſt qui glorificat me,* ſic Hebr. 5. Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu; *quem vos dicitis quia Deus veſter eſt.* Explicat clarè qualis Pater ſuus, *& non cognouiſtis eum,* quia ſi illum ſciretis, & me ſciretis, vt iam dictum, *ego autèm noui eum,* & enarraui quis ſit. Ioan. 1. *Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax,* qui dicitis falsò illum agnoſcere; *Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo,* & quem ego dico vobis, ſermo eius eſt, quem vos ſeruare deberetis, & ſic à morte liberaremini. *Abraham Pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt:* Abraham (cui iàm reuelatum erat Myſterium Incarnationis Filij Dei, & ex lumbis eius naſciturum; in Iſaac vocabitur tibi ſemen) deſiderauit videre, ſcire diem meum, Incarnationis meæ, omnes enim Patres interpellabant: mitte quem miſſurus es, vidit oculis mentis in Limbo per reuelatio-

nem,

nem, & gauiſus eſt, ſciens citò è carcere educendum morte mea ex præordinatione Dei ſecutura. Dum ergò dicit, *exultauit vt videret*, denotat deſiderium Abrahæ, dum dicit, *vidit*, quod eſt de præterito, diem Incarnationis, qui præceſſerat, non mortis, qui nondum venerat, demonſtrat; etſi iuxtà doctrinam Chryſoſtomi, ſequuta Incarnatione, omnia deindè implenda erant ex Dei præordinatione; non ergò vidit, quandò vidit arietem hærentem cornibus, &c. quia quomodò pro illo figuram? quomodò pro ariete Chriſtum? quomodò tùnc exultauerat, vt videret, qui dolore emortuus erat ob filij necem indictam? quomodò ille dies Domini? nihil congruit iudicio meo. *Dixerunt ergò Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* eſt modus loquendi excludens intentionem, non terminans ætatem. Dicendo, *& Abraham vidiſti*, hoc dicunt pro impoſſibili; quomodò autèm dicunt *vidiſti*, ſi ille vidit? *Dixit eis Ieſus: Amen, amen dico uobis, antequã Abraham fieret, ego ſum* Deus æternus. *Tulerunt ergò lapides, ut iacerent in eum* priuata auctoritate, nulla loci habita ratione, proùt Nazareni eum præcipitare volentes; *Ieſus autèm abſcondit ſe*, inuiſibilem ſe reddidit, *& exiuit de templo*.

CAPVT LXXXVI.

DE COECO NATO.

Ioan. 9.

1 *ET præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate:*
2 ** & interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis pec-*
3 *cauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? * Re-*
ſpondit Ieſus: Nequè hic peccauit, nequè parentes eius:
4 *ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. * Me oportet ope-*
rari opera eius, qui miſit me, donèc dies eſt: venit nox,
5 *quandò nemo poteſt operari. * Quamdiù ſum in mundo,*
6 *lux ſum mundi. * Hæc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſpu-*
7 *to & liniuit lutum ſupèr oculos eius, * & dixit ei: Vade, laua in natato-*
ria Siloe (quod interpretatur Miſſus.) Abijt ergò, & lauit, & venit vi-
8 *dens. * Itaquè vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dice-*
bant: Nonnè hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic eſt.
9 ** Alij autèm: Nequaquàm, ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat: Quia ego ſum.*
10 ** Dicebant ergò ei: Quomodò aperti ſunt tibi oculi? * Reſpondit: Ille homo, qui*
11 *dicitur Ieſus, lutum fecit: & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad na-*
12 *tatoria Siloe, & laua. Et abij, laui, & video? * Et dixerunt ei: Vbì eſt il-*
13 *le? Ait: Neſcio. * Adducunt eum ad Phariſæos, qui cæcus fuerat. * Erat au-*
14 *tèm Sabbatum quandò lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius. * Iterum ergò*
15 *interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet. Ille autèm dixit eis: Lutum mi-*

hi

Digitized by Google

16 hi poſuit ſupèr oculos, & laui, & video.* Dicebant ergo ex Phariſæis quidam:
Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. Alij autèm dicebant:
17 Quomodò poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat intèr eos.* Di-
cunt ergò cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autèm
18 dixit: Quia Propheta eſt.* Non crediderunt ergò Iudæi de illo, quia cæcus
19 fuiſſet, & vidiſſet, donèc vocauerunt parentes eius, qui viderat:* & inter-
rogauerunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus na-
20 tus eſt? Quomodò ergò nunc videt?* Reſponderunt eis parentes eius, & dixe-
21 runt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt:* quomodò au-
tèm nunc videat, neſcimus: aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum
22 interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.* Hæc dixerunt parentes eius,
quoniàm timebant Iudæos: iàm enìm conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum con-
23 fiteretur eſſe Chriſtum, extrà Synagogam fieret.* Propterea parentes eius dixe-
24 runt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate.* Vocauerunt ergò rursùm homi-
nem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos ſcimus quia hic
25 homo peccator eſt.* Dixit ergò eis ille: Si peccator eſt, neſcio: vnum ſcio, quia
26 cæcus cum eſſem, modò video.* Dixerunt ergò illi: Quid fecit tibi? quomodò
27 aperuit tibi oculos?* Reſpondit eis: Dixi vobis iàm, & audiſtis: quid iterum
28 vultis audire? numquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?* Maledixerunt er-
gò ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autèm Moyſi diſcipuli ſumus.
29 * Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autèm neſcimus vndè ſit.* Re-
30 ſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enìm mirabile eſt quia vos neſcitis vn-
31 dè ſit, & aperuit meos oculos:* Scimus autèm quia peccatores Deus non audit:
32 ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* A ſæculo
33 non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Niſi eſſet hic à Deo, non
34 poterat facere quidquam.* Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es
35 totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foràs.* Audiuit Ieſus quia eiecerunt
36 eum foràs: & cum inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* Re-
37 ſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, vt credam in eum?* Et dixit ei
38 Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* At ille ait: Credo
39 Domine. Et procidens adorauit eum.* Et dixit Ieſus: In iudicium ego in hunc
40 mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Et
audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Numquid
41 & nos cæci ſumus?* Dixit eis Ieſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. nunc
verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

C A-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

ET *præteriens Ieſus* factus viſibilis, pòſtquàm de tem̃plo exierat, hinc quandò ſuprà c.8. in fi. dixit: abſcõdit ſe, non eſt vſus verbo, *præteriens*, vel tranſiens, proùt in Nazareth; trãſiens per mediũ illorũ ibat, ideò ibì viſibilis, in abſcõdendo autèm inuiſibilis; *vidit*, & reſpexit oculo ſuæ benignitatis *hominẽ cœcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli eius*, qui illi ſe ſociauerant, vel in templo, vel in exitu: *Rabbi: quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cœcus naſceretur?* interrogant more ſimpliciũ, non cogitãtes alias ſubtilitates animarũ transmigrantium, quæ non cadebant in illis rudibus, qui exiſtimare ſolent hæc à peccatis prouenire, proùt Barbari de Paulo. acto. 28. 4. & amici Iob. & Semei in Dauid. 2. Reg. 16. 18. reſpondetur. Exod. 4. quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cœcum? nonnè ego? ne iudices ſeruum alienum, Domino ſuo ſtat, &c. Vndè *reſpondit Ieſus: Nequè hic peccauit, nequè parentes eius*, tollens huiuſmodi cogitationes inſanas, *ſed ut manifeſtentur opera Dei* mirabilia, miracula *in illo*, & accingens ſe ad miraculum, dicit. *Me oportet* ad Dei, & meam manifeſtationem *operari opera* magna *eius*, *qui miſit me* in mundum ob beneficium hominum, *donèc dies eſt*, donèc in mundo ſum, donèc mundum præſentia mea illumino, *uenit nox*, quæ inſtat mortis meæ, *quandò nemo poteſt operari*, nequè ego operabor in mundo, ſed in cælo exiſtens, ſedenſquè ad Dei dexteram, *quamdiù ſum in mundo* in hac carne viſibili, *lux ſum mundi*, totum enim mundum illuſtro præſentia mea; declarat verba ſuperiora, proùt dixi, propterea cœcum hunc illuminare decreui. *Hæc cum dixiſſet*, nulla alia mora interpoſita, exultans in beneficio conferendo, *expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutũ ſupèr oculos eius*, ſputo vtitur, non puuere, ſeù terra ſola, quia ſolo puluere non poterat linire oculos, puluis enìm ſolus diſperſus eſſet, præſertìm quia lauandus longiùs abire debuerat, vtitur autèm contrario remedio, quod ſcilicèt cœcitatem rectè videnti poſſet afferre, vt tollat calũniam obiectam, dæmonium poſſidere, quo vtatur ad miracula patranda, quia dæmon non poteſt mirabilia efficere, niſi applicando naturalia, & noluit illum illicò ſanare, ſed miſit lutoſum ad aquas Siloe diſtantes per milliare, vt videretur ab omnibus, & miraculum non poſſent calũniari, & vt radices altiùs ageret, & obiectiones multas pateretur in eius abſentia, ex quibus vel vanis, vel dilutis miraculum fieret manifeſtius, *& dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe (quod interpretatur miſſus)* priùs etiàm fortè alia cum eo dixerat, præſertìm ad excitandam fidem, quam ſempèr requiſiuit, aliòquin quomodò paſſus eſſet cęcus luto liniri? hinc argui poteſt quali fide eum fulſerit: *Abijt ergò, & lauit, & uenit uidens* gratias acturus, & ſanitatem publicaturus, & recogniturus; non eſt autèm quærendum, an oculos haberet integros, vel fractos, ſeù mancos, quia diuinabimus, & an luto vſus fuerit pro materia deficiente, an ex nihilo, quia quandò oculi fuiſſent fracti, vel defectuoſi, ſuppleſſet ex materia præexiſtente, non ex nihilo, cum à prima creatione nihil Deus creet de nouo prætèr animas; ſic gratias acturus acceſſit leproſus Samaritanus, ſic Naaman Sirus leproſus cum Eliſæo, dicitur enìm. 4. Reg. 5. 15. reuerſuſquè ad virum Dei cum vniuerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coràm eo, & ait: Verè ſcio quòd nõ ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantùm in Iſrael, &c. qui Naaman minùs crediidt, quàm noſter cœcus, ille enìm cum eſſet ei dictum: vade, & lauare ſeptiès in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, & mundaberis, iratus recedebat, dicens: putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me, numquid, &c. is autèm ad ſola verba,

uade, laua in natatoria Siloe, abijt credens ſe viſum recepturum. At vterque iubetur longiùs abire, & cœcus hic, vt à populo videretur, & tantum miraculum manifeſtaretur, & Naaman cum ſuo comitatu, vt nedum ſciret ipſe Deum eſſe in Iſrael, quod ſignificauit Eliſæus Regi; ſed etiàm vt populus ex ſuo acceſſu cum tanto comitatu ad Iordanem, & reditu cum mundatione à lepra, & in gentili idem cognoſceret. Illuſtratus etiàm fuit Naaman à Deo, quia ſi Deum largitorem ſanitatis non recognouiſſet, non recepiſſet ſanitatem, ideò redijt corpore, & mente ſanus, dicens: Verè ſcio, quòd non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantùm in Iſrael, tulitquè onus duorum burdonum de terra, & rogauit, quomodò ſe à Remmon tutum redderet; ſic & claudus; & Aeneas ſanati ab Apoſtolis in corpore, etiàm in anima cognoſcuntur illuſtrati, vt in act. Apoſtol. diximus. *Itaquè vicini*, ad quos fortè, & domum propriam videns declinauerat, *& qui viderant eum priùs* cœcum, *quia mendicus erat*, omnibus indigens; *dicebant: Nonnè hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat?* de noto loquuntur. *Alij dicebant: Quia hic eſt. Alij autèm: Nequaquàm, ſed ſimilis eſt ei,* mutatio enim oculorum alium effingebat. *Ille verè dicebat: Quia ego ſum* ille cœcus, quem dicitis, nunc videns. *Dicebant ergò ei; Quomodò aperti ſunt tibi oculi?* ſi tenebat clauſos oculos, ergò Chriſtus illos non inunxit, ſed ſupèr illos, ſcilicèt ſupèr palpebras cooperientes eos. *Reſpondit: Ille homo,* (nondum peruenerat ad perfectionem fidei) *qui dicitur Ieſus, lutum fecit,* (id nouerat à circumſtantibus, à puero illum ducente) *& vnxit* illo *oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & laua;* ſic cum leproſis: ite, oſtendite vos Sacerdotibus abſquè expreſſione manditici recipiendæ, *& abij, laui* iuxtà mandatum, *& video, & dixerunt ei: Vbi eſt ille? ait: neſcio*, nondum enim ad Ieſum redierat. *Adducunt eum ad Phariſæos, qui cœcus fuerat*, ad quos delatum tantum miraculum. *Erat autèm Sabbatum, quandò lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius;* id dicit Euangeliſta ad aperiendum anſam, quam captarunt Phariſæi. *Iterùm ergò interrogabant eum Phariſæi* ad eos adductum *quomodò vidiſſet*, non poterant capere cœcum videre. *Ille autèm dixit eis: Lutum mihi poſuit ſupèr oculos, & laui, & video: Dicebant ergò ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit,* ſi enim à Deo eſſet, præcepta Dei cuſtodiret. *Alij autèm dicebant: quomodò poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* quæ oſtendunt virtutem diuinam? cui non concurreret Deus in manifeſtationem huius, & doctrinæ, quam ſeminat, aſſertiuè dicunt; *non poteſt*, eſt enim res manifeſta, *& ſchiſma erat intèr eos*, non conueniebant; ſic Paulo proferente verba: hodiè de reſurrectione iudicor, ſchiſma natum intèr Phariſæos, & Sadducæos. *Dicunt ergò cœco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* expiſcantur, vt reprehendant illum ſi benè de Ieſu ſentiret, non vt diſcant. *Ille autèm dixit, quia Propheta eſt*, nondum ad perfectam fidem euectus erat. *Non crediderunt ergò Iudæi de illo, quia cœcus fuiſſet, & vidiſſet, donèc vocauerunt parentes eius, qui viderat,* qui ſciebant miraculum à Chriſto patratum, cœcus enim domum petierat ſe oſtenſurus ſuis, quod colligitur ex mentione vicinorum; quò maior diligentia Phariſæorum, eò maior manifeſtatio miraculi; ità vt nolentes cooperentur intentioni Chriſti. *Et interrogauerunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis* (nihil ipſi affirmant) *quia cœcus natus eſt? quomodò ergò nunc uidet?* omnia volunt ab illis, nihil ipſi efferunt. *Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cœcus natus eſt, quomodò autèm nunc uideat, neſcimus, aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus*, ſciebant, ſed noluerunt dicere, *ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur*, hoc eſt alienum à nobis. *Hæc dixerunt parentes eius* (detegit cur nihil efferre voluerunt) *quoniam timebant Iudæos; iam enim conſpirauerant Iudæi* in vnum conuenientes, *ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum*, Meſſiam, *extrà Synagogam fieret*, excommunicaretur, *propterea parentes eius dixerunt*, nolentes à Synagoga eijci, *ætatem habet; ipſum interrogate. Vocauerunt ergò rurſum hominem, qui fuerat cœcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos ſcimus*

quia hic homo peccator eſt, fatere veritatem, non enìm ab homine hoc, quem ſcimus peccatorẽ, patratum eſt miraculũ, ſed à Deo; da ergò illi gloriam, ab eo recognoſcas viſum, non à Ieſu; ſi enìm recognouiſſet à Deo, Ieſum excludere videbatur ſecũdùm eos, quẽ nec excluſiſſet, cum Chriſtus non quæreret, niſi gloriam Patris, ipſiq. omnia attribueret & nihilominùs ſic à Patre glorificabatur, vt ipſe dicebat eis ſuprà cap. 8. eiſdem verbis vſus Ioſue cum Achan ad veritatem eruendam: Da gloriam Deo, qui te manifeſtauit ex ſortibus. *Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt, neſcio*, hoc modo incipit ad excludendum eum eſſe peccatorem, & eſt modus loquendi aptus, quaſi, non conuenio quòd ſit peccator, *unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò uideo* per illum; vndè non poteſt ſtare illum eſſe peccatorem, & mihi lucem præbuiſſe. *Dixerunt ergo illi, quid fecit tibi? quomodò aperuit tibi oculos?* cum ab eo non potuiſſent extorquere, miraculi patratorem nõ fuiſſe Ieſum, ad miraculum ipſum calumniandum, quod inſimulare non poterant, ſe conuertunt, ideò de modo, non de miraculo interrogant, & illum retentant nouis interrogationibus, quaſi non valentes ſibi perſuadere tantum miraculum; vel vt in aliquam varietatem eum reducant. *Reſpondit eis: Dixi uobis iàm, & audiſtis* omnia, *quid iterum ultis audire?* refero me ad ea, quæ dixi: *numquid & uos uultis diſcipuli eius fieri?* cognita veritate tanti miraculi, ſupèr quo me adeò exactè interrogatis? apparet ſimplicitèr, & ſincerè loqui, nõ reſpiciens ad eorum malitiam, & his verbis, *& uos uultis*, facit ſe diſcipulũ; quod & Iudæi maledictionẽ inferẽtes, & dicentes, *tu diſcipulus eius ſis*, animaduerterunt, & diſcipulus, nempè ſeguax, non qui aſtiterit diù doctrinę Chriſti, nec enìm erant & ipſi tales Moyſi diſcipuli, ſed tantùm doctrinam eius ſequi prætendebant, imò diſcipulus oculis corporis, & animæ ſanus, vt iàm loquatur quæ decent, qui ſolido cibo alantur: *Maledixerunt ergò ei*, conuitia iniecerunt in eum, *& dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis*, quem adeò effers, *nos autèm Moyſi diſcipuli ſumus*, à quo nolumus recedere, *Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus*, & ſic quæ dixit à Deo proceſſerunt, vndè diſcipulatus noſter eſt firmus, *hunc autèm neſcimus vndè ſit*, vndè doctrinam, quã ſeminat, receperit; ſuprà c. 8. dicebãt: Chriſtus cum venerit, neſcimus vndè ſit, hunc autèm ſcimus vndè ſit, vndè vel ſibi contrarij, vel ibì de origine, hìc de doctrina. *Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enìm mirabile eſt*, admiratione dignũ, *quia uos neſcitis undè ſit*, ad quos ſpectat hæc cognoſcere, qui eſtis capita populorũ, ſapientes, *& aperuit meos oculos: Scimus autèm*, exploratum, certum eſt, *quia peccatores Deus nõ audit*. Sic cœcus verſ. 31. Turbæ verſ. 16. Phariſæi verſ. 24. & Prouerb. 28. qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio èius erit execrabilis; non enim impetrat inimicus; Deus profitetur ſe non auditurum preces impiorum. Iſa. 1. 15. nequè illis ſubuenturas preces piorum, Noe, Danielis, Iob. Exechiel. 14. 14. 20. prohibet Ieremiæ ne oret pro populo. Ierem. 14. & Samueli prò Saule. 1. Reg. 16. legimus. 2. Machab. 9. de Antiocho ſceleſto orante non exaudiendo, imò pijs nocet ſocietas cum impijs; vndè Ioſaphat Regi dictum: Impio præbes auxilium? & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris? & idcircò iram quidèm Domini merebaris. 2. Paralip. 19. 2. & cœcus cenſetur à Chriſto illuminatus, dum contrà Iudæos ad defenſionem Chriſti ſtabat; & ipſum non loqui; ſed Spiritum Patris in eo, & Chriſtus ſanabat infirmos in corpore, & anima; & ſi cœcus, Turbæ, vel Phariſæi erraſſent, à Chriſto, vel Euangeliſta fuiſſent correcti, ſicùt dictum Caiphæ declaratum. Ioan. 11. & dictum cœci tenent hìc Euthimius, & Theophilactus.

Si profers. Matth. 7. 22. multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Reſpondeo intelligi ſecundùm iuſtitiam, quam tùnc habebant, dum illa operabantur, in qua poſteà non perſeuerauerant, non autèm quòd dum eſſent impij illa fecerint, hinc Chriſtus ſubdit de perſeuerantia, vtens exemplo domus benè fundatæ, & habemus exemplum Iudæ proditoris, qui dùm bonus erat, virtutes operabatur. Luc. 10. & tamèn damnatus eſt. Si niteris dicto Pauli: Si linguis hominum lo-

loquar, & Angelorum, &c. quaſi velit ſtare gratias gratis datas abſquè charitate. Reſpondeo id non intendere Paulum, ſed eo modo loquendi oſtendere præſtantiam charitatis, non aliud, quod non firmat. Si dicis impium exaudiri vnà cum Eccleſia orantem in oratione Dominica, reſpondi, dum de illa actum, alio modo hoc intelligendum. Dices publicanum peccatorem exauditum, dicentem: propitius eſto mihi peccatori, at tùnc non erat peccator, ſed pœnitens petens dimitti peccata, quod cum faceret iuſtificabatur; ſic Dauid conſecutus remiſſionem, dicèndo: peccaui: Dixi, confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies; at hìc agitur de perſeuerante in peccato.

Sed quia negari non poteſt verum axioma omnium Theologorum, gratias gratis datas ſtare poſſe cum peccato mortali, & eſt pulchrum exemplum in Moyſe, & Aaron incredulis. Num. 20. qui non ſanctificauerunt Deum coràm populo in aqua è petra educenda, & tamèn miraculosè educta eſt, dum non crederent, fortè quia periclitabatur fides, maximè quia hi erant capita populi, & coràm populo hæc fiebant præſtolante auidè aquam. Nec dicas, crediderunt ad ſecundam percuſſionem, non ad primam, quia diuinas, & ſi id actum, vel Deus eis pepercifſet illicò mutatis, vel non dixiſſet pòſt factum: quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coràm filijs Iſrael; nàm Deus non ſolet peccata, quorum nos pœnitet (pœnituiſſet enìm eos, infidelitati fidem ſubrogando) reuelare, imò tegere. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Vel ſi reuelaſſet, etiàm fidem ſubſecutam dixiſſet, ſicut dixit peccatum primum, nec pœnam irrogaſſet omnibus notam vnà cum cauſa; & Moyſes etiàm non tacuiſſet ſuam fidem, & fratris ſubſecutam; vndè non credendum eos mutatos, & illicò, & non vnum tantùm, ſed ambos incredulos manſiſſe. Et prophetia etiàm impijs data, Lamech, Balaam, Caiphæ, Sauli. Ideò dictum cœci intelligendum vel vt plurimùm Deum vti bonis, quibus abundat, cum ſeruauerit ſibi ſeptem millia, quæ non curuauerunt genua antè Baal, & eorum precibus annuere. Matth. 21. 22. Marc. 11. 24. Aut piè credi poſſe aliquandò infundere auxilium impio, vt auertatur ab impietate antequàm miracula faciat; ſic Chriſtus iuſtificabat, quos ſanabat. Vel Deum non operari miracula ad preces impij, proùt loquitur cœcus, ſed vti illo inſtrumento ad illa patranda ad aliorum vtilitatem, puta ratione fidei, vel alterius neceſſitatis; & nedum ea non cedere in approbationem impietatis in miniſtro, ſed illam quandoquè manifeſtare, vt in exemplo Moyſis, & Aaron incredulorum. Gratiam verò gratis datam modò impartitur Deus malis, vtì illi in nomine ſuo eijcienti dæmonia à Iacobo, & Ioanne prohibito. Luc. 9. 49. modò non, vt filijs Sceuæ. act. 19. 13. Diſcipulis qui non potuerunt eijcere dæmonium. Matth. 17. Sed hactenus pro dicto cœci. Omnia hæc Scholaſticis dimittens. Videndus S. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 16. & 172. art. 4. & quæſt. 179. art. 2. *A ſæculo non eſt auditum quia quis aperuit oculos cœci nati*, vultis hoc rarum miraculum peccatori à Deo concedi? *niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quidquam*, vel ſimplicitèr, vel circà reſtitutionem lucis. *Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus eſt totus, & tu doces nos?* ex cœcitate præcedenti formant argumentum falſum, quod iàm Ieſus reiecerat, illi conuiciandi, & tumorem emittunt, *& eiecerunt eum foràs*, excommunicauerunt, propter eà Euangeliſta mentionem facit huius decreti ſuprà verſ. 22. vel à ſe eiecerunt ſimplicitèr. *Audiuit Ieſus quia eiecerunt eum foràs, & cum inueniſſet eum* de induſtria, *dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Ieſus: & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt, At ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum.* Hinc apparet imperfectio fidei cœci, & fidem paulatim à Deo in eo inſertam, & homines tùnc ad fidem Meſſiæ nondum cogniti, & publicati non fuiſſe arctatos; at profectò magnum beneficium collatum cœco. Chriſtum ſanantem in corpore, ſanaſſe & in anima, proùt & in paralytico, & languido apparet, promptitudinem cœci in credendo ſimplici verbo Chriſti

ſti

ſti intùs tùnc agentis, & actum latriæ ab eo præſtitum. *Et dixit Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum veni* ſaluans, & damnans, proùt in iudicio diuerſæ feruntur ſententiæ; ſed quomodò? *vt qui non vident videant, & qui vident cœci fiant*, id factum ipſo prædicante, etſi eſſet lux vera, quæ illuminat, &c. quærentes enim illum, qui non videbant, viderunt; putantes autèm ſe videre, & de legis nomine ſuperbientes, & lucem non attendentes cœcati ſunt, exemplum in ſole non illuminante, in tenebris ſe occultantem, ſic de illo Simeon. Luc. 2. eccè poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur, ſic lapis offenſionis factus multis, ideò ipſe: Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me, ideſt non impegerit in me, &: confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, quæ verba hìc aptantur. *Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erãt,* illum obſeruantes, eiquè inſidiantes, *& dixerunt ei: Numquid & nos cœci ſumus?* eccè eorum ſuperbia, & tentatio, vt aliquid ſubtrahant quod arguant. *Dixit eis Ieſus: Si cœci eſſetis*, ità vt non cognoſceretis veritatem, quam ego prædico, *non haberetis peccatum*, ſic: ſi non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem peccatum non haberent, ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit: proùt ad propoſitum hoc cœci nati, *à ſæculo non eſt auditum, &c. nunc verò dicitis, quia videmus*, eccè quomodò proferebant verba, *numquid & nos cœci ſumus?* per ironiam, facitis vos ſapientes qui non eſtis, *peccatum veſtrũ manet* ignorantię, & indurationis, quia nõ recipitis Meſſiam ad vos miſſum.

CAPVT LXXXVII.

DE BONO PASTORE.

Ioan. 10.

1 *AMEN, amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in*
ouile ouium, ſed aſcendit aliundè: ille fur eſt, & latro.
2 ** Qui autèm intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. * Huic*
3 *oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias*
4 *oues vocat nominatìm, & educit eas. * Et cum proprias*
oues emiſerit, antè eas vadit: & oues illum ſequuntur,
5 *quia ſciunt vocem eius. * Alienum autèm non ſequuntur,*
6 *ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. * Hoc prouerbium di-*
7 *xit eis Ieſus: Illi autèm non cognouerunt quid loqueretur eis. * Dixit ergo eis ite-*
8 *rum Ieſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. * Omnes*
9 *quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oues. * Ego*
ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredie-
10 *tur, & paſcua inueniet. * Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & per-*
11 *dat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. * Ego ſum paſtor*
12 *bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. * Mercenarius autèm,*
& qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, &

13 *dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oues: * mercenarius au-*
14 *tèm fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. * Ego ſum*
15 *paſtor bonus: & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ. * Sicut nouit me*
16 *Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. * Et*
alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, &
17 *vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. * Propterea me di-*
18 *ligit Pater: quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. * Nemo*
tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam,
19 *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo.*
20 ** Diſſenſio iterum facta eſt intèr Iudæos proptèr ſermones hos. * Dicebant autem*
21 *multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis? * Alij dice-*
bant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis: numquid dæmonium poteſt cæ-
corum oculos aperire?

COMMENTARIVS.

A*MEN, amen dico vobis.* ſuprà cap.8. in fine dixerat: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum; principium ergò huius cap. 10. eſt quædam appendix, ſeù continuatio ſermonis. cap.8. in qua ſe Meſſiam expectatum oſtendit, vitam æternam ouibus morte propria daturum, non enim poſſunt hæc connecti cum fine cap. 9. proximè præcedentis, quia ibi obitèr de cœcitate Phariſæorum dixit, & finiuit, ideò hìc non continuat de cœcitate, ſed inſtruit, vt dixi. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium* (verus enim paſtor claues retinet oſtij) *ſed aſcendit aliundè*, quàm per oſtium, *ille fur eſt, & latro*; hæc eſt nota mali paſtoris. *Qui autèm intrat per oſtium, paſtor eſt ouium* verus, *huic oſtiarius aperit*, quia cognoſcit illum, *& oues vocem eius audiunt* eis notam, *& proprias oues vocat nominatìm*, quia omnes cognoſcit, & omnibus nomina indidit, *& educit eas* ad paſcua; *& cum proprias oues emiſerit, antè eas vadit: & oues illum* eis notum *ſequuntur, quia ſciunt vocem eius* notam. *Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo*, timentes, *quia non nouerunt vocem alienorum* ſibi incognitorum. *Hoc prouerbium dixit eis Ieſus*, proferens ſigna ad bonum, & malum paſtorem cognoſcendum, quod explicat infrà, nec ab eo recedendum, quamuis non omnia explicet, quia multa vacant in parabolis, & videtur ſuperfluum hìc quærere quis oſtium, quis oſtiarius, vel alia, quia refert Chriſtus quæ contingere ſolent in ruralibus in hoc prouerbio; *Illi autèm* Phariſæi audientes *non cognouerunt, quid loqueretur eis*, quid vellet ſignificare. *Dixit ergò eis iterum Ieſus* ſe explicans. *Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium*, Meſſias, per quem omnes oues ſaluandæ intraturæ, nàm non eſt datum aliud nomen ſub Cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri: *omnes quotquot venerunt* ſimulantes ſe paſtores, Meſſias à Deo miſſos, *fures ſunt, & latrones*, quia non ſunt ingreſſi per oſtium, de illis enìm nil dictum, vel prophetatum, & *non audierunt eos oues*, fortè dixit de Iuda, & Theoda. act.5. *ego ſum oſtium* ſaluans; *per me ſi quis* (ex ouibus ſcilicèt) *introierit*, per fidem mihi credens, non ex paſtoribus tantùm (licèt & hi quòad Chriſtum oues, quia præcedit, *ego ſum oſtium* ouium) *ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur*, liberè omnia aget, & exequetur, *& paſcua inueniet*, vbi paſcatur, & cubet, nàm educetur, & emittetur ad paſcua vt ſuprà, illuſtrabitur, ad

eum

Digitized by Google

eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus; ***Fur non venit*** (ſupèr prouerbio circuit) ***niſi vt furetur, & mactet, & perdat***, proùt Iudas, & Theodas, dicens ſe aliquem. acto. 5. vel ſaluaturum, vel ducturum populum, vel vti Meſſiam, vel alium, ſufficit præfectum fuiſſe alijs abductis, & de his intelligendum, quia alios non habemus; ex quo inferre vult Chriſtus, ne cadat in mentem veſtram me quaſi vnum ex his, qui fuerunt ruina aliorum ſequacium, quinimò adſum pro ſalute veſtra. ***Ego veni*** oſtium verum, ***vt vitam habeant***, retineant quam habent (ſtat in oppoſitione furis mactantis) & quod plus eſt, ***& abundantiùs habeant***, æternam ſcilicèt vitam, beatam (hìnc vide quàm benè coniunguntur hæc dictis in fine cap. 8. vt ſuprà dixi) in meæ vitæ præiudicium; nàm ***ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis***, ad illarum defenſionem contrà fures, & feras rapere tentantes, ***mercenarius autèm, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues***, quas non curat, ***& fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues***, illis in ore lupi relictis, ***mercenarius autèm fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus*** ſiuè perdantur, ſiuè ſaluæ fiant, ***ego ſum paſtor bonus, & coguoſco*** oues ***meas, & cognoſcunt me meæ:*** nunc neceſſariò agit de prædeſtinatis, non enìm non prædeſtinatis accomodatur, ***cognoſcunt me meæ***, pro quibus etiàm animam pono; ſi enìm pro omnibus, & pro illis, ideò videtur retinenda ſententia Auguſtini; ***ſicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem***, ſic ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, de cognitione enìm clarè loquitur, non de alia re, ***& animam meam pono pro ouibus meis***, ne illæ pereant, more boni paſtoris, proùt ſuprà dixerat, ***& alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili*** Iſraelitico, ***& illas oportet me***, conuenit me, ***adducere***, gentiles ſcilicèt, ***& vocem meam audient***; populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, ***& fiet vnum ouile, & vnus paſtor***, vnientur duo muri, duæ maceriæ, quarum ego lapis angularis; ***Propterea me diligit Pater***, in me ſibi complacet Pater meus, ***quia ego pono animam meam*** iuxtà eius mandatum pro ouibus, ſed pono illicò reaſſumpturus, ***vt iterum ſumam eam***, non more aliorum à doloribus inferni retētorum; Vel operabor quod dixi de vno ouili, licèt animam meam ſim pro omnibus poſiturus, quia diligit me Pater, vt iterum ſumam eam, quia ego pono eam; hinc Paulus: exinaniuit ſemetipſum, &c. proptèr quòd & Deus, &c. Philip. 2. ***Nemo tollit eam à me***, me inuito, ***ſed ego pono eam à me ipſo*** voluntariè, oblatus eſt, quia ipſe voluit, ***& poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo***, nempè ponendi, & ſumendi animam meam. Commendat autèm charitatem ſuam Deus, quia cum adhùc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Rom. 5. 8. ***Diſſenſio***, ſchiſma, ***iterum facta eſt intèr Iudæos proptèr ſermones hos*** graues. ***Dicebant autèm multi ex ipſis: dæmonium habet***, poſſidet, in ſua poteſtate retinet, ***& inſanit***, ſed ſecundum contrarium primo: ***quid eum auditis?*** cur teritis tempus in audiendo illius inſanias? ***Alij*** meliùs ſentientes ***dicebant: Hæc non ſunt verba dæmonium habentis***, ſed ſaluare animas volentis; probabant miraculo: ***numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?*** & ſic confutabant alios malè dicentes.

C A-

Digitized by Google

CAPVT LXXXVIII.

DE MISSIONE SEPTVAGINTA DVORVM DISCIPVLORVM, ET REDITV.

Luc. 10.

1 POST hæc autèm deſignauit Dominus & alios ſeptuagin-
ta duos. & miſit illos binos antè faciem ſuam in omnem
2 ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus. * Et dice-
bat illis: Meſsis quidèm multa, operarij autèm pauci. Ro-
3 gate ergò Dominum meſsis vt mittat operarios in meſſem
ſuam. * Ite: eccè ego mitto vos ſicùt agnos intèr lupos.
4 * Nolite portare ſacculum, nequè peram, nequè calceamen-
5 ta, & neminem per viam ſalutaueritis. * In quamcumque domum intraueritis,
6 primùm dicite: Pax huic domui: & ſi ibì fuerit filius pacis, requieſcet ſupèr illum
7 pax veſtra: ſin autèm, ad vos reuertetur. * In eadem autèm domo manete eden-
tes, & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enìm operarius mercede ſua. No-
8 lite tranſire de domo in domum. * Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, &
9 ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in il-
10 la ſunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. * In quamcumque
autèm ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius,
11 * dicite: * Etiàm puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in
12 vos: tamèn hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei. * Dico vobis, quia
13 Sodomis in die illa remiſsiùs erit, quàm illi ciuitati. * Væ tibi Corozain, væ ti-
bi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt
14 in vobis, olìm in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent. * Verumtamèn Tyro,
15 & Sidoni remiſsiùs erit in iudicio, quàm vobis. * Et tu Capharnaum vſquè
16 ad cælum exaltata, vſquè ad infernum demergeris. * Qui vos audit, me au-
dit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autèm me ſpernit, ſpernit eum, qui
17 miſit me. * Reuerſi ſunt autèm ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine,
18 etiàm dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo. * Et ait illis: Videbam Sata-
19 nam ſicùt fulgur de cælo cadentem. * Eccè dedi vobis poteſtatem calcandi ſuprà
ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupèr omnem virtutem inimici: & nihil vobis no-
20 cebit. * Verumtamèn in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubijciuntur: gau-

dete

21 *dete autèm, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. * In ipſa hora exultauit*
Spiritu ſancto: & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cæli, & terræ, quòd abſcon-
diſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiàm Pater:
22 *quoniam ſic placuit antè te. * Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo*
ſcit quis ſit Filius, niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit
23 *Filius reuelare. * Et conuerſus ad diſcipulos ſuos, dicit: Beati oculi, qui vident*
24 *quæ vos videtis. * Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges volue-*
runt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non
audierunt.

COMMENTARIVS.

P*OST hæc autèm deſignauit*, elegit *Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos*, proùt Apoſtolos, *antè faciem ſuam*, antè ſe, vt præirent *in omnem Ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus* præſentialitèr, *& dicebat illis: Meſſis quidèm multa, operarij autèm pauci*, proptereà vos pauci incumbite, nec non *& rogate ergò Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam*, ſic cum Apoſtolis. Matth. 9. in fin. ſic mittebat omnes operarios inuentos in platea ad vineam, vt in parabola. Hæc dicebat Ieſus, oſtendens opus magnum, & arduum, ac neceſſarium, quia multa meſſis, pauci operarij, & iubet vt rogent, vt afficiantur magis ad onus eis mòx imponendum, in quod Paulus valdè incumbebat, dicens: ſed nihil horum vereor, dummodò conſumem curſum miniſterij huius, & nos quotidiè facimus, dicentes: adueniat regnum tuum. *Ite* interim vos: *ecce enim ego mitto vos ſicùt agnos intèr lupos:* Apoſtolis ſicùt oues!, ſed nulla differentia, manſuetum, & pacatum vterque animal; & Chriſtus, quem imitari debebant, modò agnus, modò ouis eodem reſpectu vocatur Iſa. 53. durat vſquè hodiè hæc miſsio intèr lupos, vndiquè anguſtiæ, quò te vergas lupi ſunt, omnes mali, & aduerſantes prædicationi, & inſidiantes prædicatoribus; nequè hìc agitur de dæmonibus, dicitur enim *intèr lupos. Nolite portare ſacculum, nequè peram* ad cibum, *nequè calceamenta*, intellige duplicia, voluit eos expeditos, celeres, & ab euangelizatis cibum ſumere, non ſecum deferre, ideò etiàm ſubdit: *& neminem per viam ſalutaueritis* ad eundem finem, ne moram in prædicando interponant, non quòd rusticè agant; proùt Eliſæus Giezi. 4. Reg. 4. accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade, ſi occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi. *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: pax huic domui*, precamini illi omne bonum, *& ſi ibì fuerit filius pacis*, pace dignus, *requieſcet ſupèr illum pax veſtra*, quam imprecati eritis: *ſin autèm, ad vos reuertetur*, nihil operabitur ad profectum domus indignæ. *In eadem autem domo*, quam elegiſtis, & ad quam declinaſtis, *manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt*, non quærentes condita edulia; hinc cum Martha ipſe: porrò vnum, ferculum ſcilicèt, eſt neceſſarium; *dignus eſt enim operarius mercede ſua*, digni eſtis qui alamini ab illis; proùt operarius mercede. *Nolite trāſire de domo in domum*, ne videamini vagi, & contriſtemini hoſpitem primum, *& in quamcumque Ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis*; nolo enim vos curam habere ciborum, *& curate infirmos, qui in illa ſunt*, dat gratiam curationum, *& dicite illis: appropinquauit in vos regnum Dei*, ad quod aſpira-

aſpirare poteſtis. Hoc annunciauit Ioannes, Chriſtus, Apoſtoli, *In quamcumque autèm Ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: etiàm, puluerem, qui adhæſit nobis de Ciuitate veſtra, extergimus in vos,* nolentes vobiſcum in quoquam participare; *tamèn hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei,* non vult etiàm ob non admiſsionem eos prætermittere hanc prædicationem, & propterea reſpondit Ioanni, & Iacobo petentibus licentiam inuocãdi ignem ſupèr Samaritanos eũ non recipientes: neſcitis cuius ſpiritus eſtis: mihi vindicta, & ego retribuam. *Dico vobis, quia Sodomis in die illa* iudicij *remiſſiùs erit, quàm illi Ciuitati,* ſi mittit intèr lupos, ni hi efficiantur ergà miſſos manſueti, quæ inſtat pœna, adeò voluit eos magni fieri, adeò æſtimauit ſuorum iniuriam: ſicùt miſit me Pater, & ego mitto vos, qui vos ſpernit, me ſpernit, hæc cogitent lupi, & manſueſiant. De exprobratrione Ciuitatibus facta alibi. Matth. 11. *Qui vos à* me miſſos *audit, me* mittentem *audit,* quia pro me legatione fungimini, *& qui vos ſpernit, me ſpernit,* proùt in legatis miſsis à Dauid ad Regem Hanon. 2. Reg. 10. *Qui autèm me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me,* quia vos gloriam meam, ego gloriam Patris quærimus, vndè contrà facientes Patrem offendunt. *Reuerſi ſunt autèm ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiàm dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* Vel Chriſtus non dederat illis hanc facultatem (vt reor verius) quia infrà eam illis confert, vel ipſi non animaduerterant eis datam in illis verbis, quæ dixerat, *curate infirmos,* quod minùs credo, at verbum, *etiàm,* denotans quid plus, *& gaudium* inferunt, vel non datam, vel non animaduerſam. Dices, quomodò ſinè facultate data eijciebant dæmonia? rectè, in nomine Ieſu, proùt legimus de alijs non diſcipulis, & præſertìm de illo, quem prohibuerunt Iacobus, & Ioannes. *& ait illis: Videbam* dum eijceretis *Satanam ſicùt fulgur cadentem de cælo,* proùt dum de cælo cecidit, ideò nihil noui refertis, & hoc videtur magìs ad litteram, & ſimpliciùs, fulgur autèm non denotat fulgorem, ſeù lucem Satanæ, ſed velocitatem caſus, & regitur à verbo *cadentem,* vt quid enìm de eius luce loqui, de cuius infirmitate verbum erat? *De cælo cadentem* tranſlatiuè loquitur à caſu illo cæli ad hunc è mundo, ſeù ex arreptitijs, vt minùs apprehendatur, noluit enim clarè loqui. Atqui vt tutiùs id in poſterum faciatis, *eccè dedi,* do *vobis poteſtatem calcandi ſupèr ſerpentes, & ſcorpiones* animalia venenoſa, *& ſupèr omnem virtutem inimici,* poteſtatem diaboli, *& nihil vobis nocebit,* hanc addit, quam primò non dederat, vt magìs eos lætificet, & recognoſcat labores pro eo deſumptos. Intelligo autèm hæc verba de ſerpentibus, ſicùt alio loco: ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, vt in veneno Ioanni propinato, & vipera Pauli, & quia quòad dæmonia ſubijcit, *& ſuprà omnem virtutem inimici,* is enìm eſt dæmon per excellentiam inimicus homo, vt in parabola zizaniorum: non enìm veriſimile eſt idem repeti eodem contextu, & ad quid de dæmonibus translatiuè, & ſub metaphora loqui; ſi de illis in eadem clauſula, & in toto ſermone clarè loquitur? vltrà quòd verba, quæ poſſunt ſtare propriè, non ſunt impropriãda, & verba, *nihil eis nocebit,* quæ regulant præcedentia, inferunt quæ præcedunt eſſe diuerſa, & plura, non vnum; & verba etiàm Pſalmi: ſupèr aſpidem, & baſiliſcum, poſſunt intelligi ad litteram de animalibus, quia ſuprà Propheta dixerat: ab incurſu & dæmonio meridiano, addendo autèm: *& ſuprà omnem virtutem inimici,* indicat ſe primò non explicaſſe hanc poteſtatem, ſi enìm ſimùl dediſſet, non iterum daret, perpetua enìm ſunt beneficia Dei, niſi nos ea proijciamus. Vel fortè quia. Gen. 3. ſub ſerpente dæmon, & hìc idem, ſed placent magìs ſuperiora. *Veruntamèn in hoc nolite gaudere, quià ſpiritus vobis ſubijciuntur;* id enim non dat vobìs firmitatem regni, ad quod omnia dirigenda, proùt nec excluſis dicentibus: nonnè in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, ſed extollimini ad maius gaudium, quod vobis indico, *gaudete autèm quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis,* id enìm maximè ſperare poteſtis, ſi perſeueraueritis, ſed ad perſeuerantiam inuitat.

Digitized by Google

uitat. Non enim affirmat ipſorum nomina ſcripta, ſed ſic eis ſperandum, & ſupèr hoc gaudium verum eſſe, & in hoc perſiſtendum ad aliorum excluſionem; ſi enim dixiſſet eos prædeſtinatos, ſegnes reddidiſſet, quos volebat laborantes, & vſquè in finem perſeuerantes, & id non ſolebat Dominus, ſed in patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras; gaudete autèm & exultate; eccè enim merces veſtra copioſa eſt in cælo, & ſic ceſſant difficultates. Vnde non arguit eos gaudij capti, ſed occaſionem maioris & firmioris adijcit, excitat ad maiora, & ad officium, ad quod erant electi, alacriùs obeundum, ſi enim voluiſſet arguere, & humiles reddere, non addidiſſet materiam noui gaudij, ob idquè puto hos diſcipulos nomine Chriſti vtentes, ob idquè rectè agentes nullam maculam ex gaudio illo contraxiſſe, quam aliòqui magiſter deterſiſſet, non ſolam cautelam adhibuiſſet. *In ipſa hora exultauit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor, &c.* iàm dictum alibi. Matth. 10. *Et conuerſus ad diſcipulos ſuos dixit, beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Oculi corporales, quia ſubdit: *multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre*, vndè ſtrictè loquitur de corporalibus hìc. Optaſſent enim corporalitèr videre, proùt hi, vt Ezechias: non videbo Dominum Deum in terra viuentium, & quia addit, *& audire quæ auditis, & non audierunt*, quæ non poſſunt trahi ad ſpiritualem auditum, proùt nec illa Matth. 13. ſimilia; veſtri autèm beati oculi, quia vident de præſenti, & aures veſtræ, quia audiunt de præſenti, *dico enim vobis, quia multi Prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt*, quomodò autèm trahatur ad oculos mentis, non aſſequor, nàm verba poſſunt ſtare in propria ſignificatione, & ſermo eſt de his, quæ præſentibus, non abſentibus competebant, oculis verò mentis, & auribus mentis videre, & audire etiàm abſentibus dabatur, ſic de corporali præſentia intellexit: pauperes ſempèr habebitis vobiſcum, me autèm non ſempèr habebitis; Si dicis, parum hoc fuiſſet, niſi credidiſſent, parum vtiquè ſinè fide, ſed loquitur Chriſtus nunc de prærogatiua videntium, quam ponit ſuprà alios non admiſſos ad viſionem, hoc enim fuit priuilegium de per ſe, & magnum, & diſtinctum ab illo fidei; at ex hac viſione poſteà poterat ſubſequi, & ſequebatur facilior aditus ad fidem, vndè cum hoc priuilegium ſtare poſsit ſinè alio, cur illud huic annectimus tamquàm neceſſarium? in pluribus conſiſtit beatitudo, etiàm in hoc, ſcilicèt, in viſione Chriſti corporali. Vndè Simeon: nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei corporales ſalutare tuum, de corporalibus ergò intelligit, ſic quandò dicitur: videbit omnis caro ſalutare Dei; & : quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt; & : vidimus eum quaſi vnigenitum; & : quod fuit ab initio, quod vidimus, & teſtamur, &c. & ego vidi, & teſtimonium perhibui; & tamquàm abortiuo apparuit & mihi, vna enim beatitudo non excludit aliam; ſic Chriſtus reſpondens mulieri: beatus venter, &c. non negauit, ſed addidit: quinimò qui audiunt, &c. qui eſt alius gradus beatitudinis, qui & hìc ſuccedere faciliùs potuit, ſic cum Thoma: quia vidiſti me Thoma credidiſti, non excluſit ſuum modum, ſed addidit: beati, qui non viderunt, & crediderunt; alia ergò beatitudo maior prima, quandò ex viſione fidem apprehenderunt, & nullibi dubium videntibus magnam præſtitam occaſionem ſe informandi in fide, cum audierint multa, & potuerint de multis interrogare, & certiores fieri ab eo, qui poterat: omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & volebat, & vocabat: venite ad me omnes, qui laboratis, &c. ſic Samaritani illi dicebant mulieri: quia non iàm proptèr tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus, & ſcimus, &c. & multò plures crediderunt in eum proptèr ſermonem eius. Io. 4. & ipſi Samaritanæ Dominus dixit: ſi ſcires donum Dei tibi factum ex meo colloquio, & viſione; Dices non credentium, & ſi viderint, quomodò beati oculi? at habuerunt hoc priuilegium, ſed hi illo abuſi ſunt, fuit etenim in ruinam multorum, qui & in reſurrectionem, vt dixit Simeon, ipſis imputandum; abſquè dubio enim, quomodò beati nedum non amantes,

ſed

ſed nec credentes. hinc fortè ad diſcipulos ſolos credentes bis beatos, quibuſcum loquebatur,& conuerſus ad diſcipulos,inquit Lucas, hæc verba dirigit. At obſtat, quia Chriſtus ad Patrèm dixit: quia reuelaſti ea paruulis,& ſic loquitur de ſpiritualibus oculis, & de illuſtratione; eſto, ſed ex diuerſis non infertur,aliud ibì,aliud hìc. Imò ſi cum Patrre di ſpiritualibus, ad diſcipulos conuerſus de corporalibus egit, quòd autèm ex viſione corporali nata ſit illuſtratio mentis, & beatos oculos mentis dixerit, proùt potuit eſſe, ſic quod intenderit, diuinare eſt,cum nõ ſe explicet. Concludo, Chriſtum voluiſſe dicere beatos diſcipulos, quibus datum erat in carne illum videre, & audire, quod alijs iàm defunctis fuerat negatum, licèt optantibus. *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges*, magni viri, *& iuſti voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire* à me *quæ auditis, & non audierunt*, hìnc magnum priuilegium conceſſum vobis, negatum tot viris magnis id expetentibus; ideò eò magìs agit de oculis corporalibus, quia & hi oculis mentis potuerunt videre, & auribus mentis audire, proùt Abraham, qui vidit oculis mentis, & exultauit, cum autèm neget, de oculis, & auribus corporalibus intelligit.

CAPVT LXXXIX.

DE EO, QVI INCIDIT IN LATRONES.

Luc. 10.

25 *ET eccè quidam Legisperitus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?
26 * At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt?
27 quomodò legis? * Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicùt teipſum.
28 * Dixitquè illi: Rectè reſpondiſti, hoc fac, & viues.
29 * Ille autèm volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad
30 Ieſum: Et quis eſt meus proximus? * Suſcipiens autèm Ieſus,dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiàm deſpo-
31 liauerunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. * Accidit autèm vt
32 ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo præteriuit. * Similitèr &
33 Leuita cum eſſet ſecùs locum, & videret eum,pertranſiit. * Samaritanus autèm quidam iter faciens, venit ſecùs eum: & videns eum, miſericordia motus eſt.
34 * Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, & impo-
35 nens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. * Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: &
36 quodcumque ſupererogaueris, ego cum rediero reddam tibi: * Quis horum trium vide-*

37 *videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? * At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus. Vade, & tu fac ſimilitèr.*

COMMENTARIVS.

ET *eccè quidam Legiſperitus ſurrexit tentans illum*, malo animo accedens, volens illum capere in ſermone, *& dicens: Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* fortè de hac audierat Ieſum loquentem. *At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodò legis?* quomodò interpretaris? *Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*, quantum potes, *& proximum tuum ſicùt te ipſum. Dixitquè illi* Ieſus: *rectè reſpondiſti, hoc fac*; adimple, *& viues*, vitam æternam poſſidebis. *Ille autèm volens iuſtificare ſeipſum*, ne videretur tentaturus acceſsiſſe ſupèr re facili, quæ Iuriſperitum præterire non debuerat, difficiliora aſſumens, *dixit ad Ieſum: & quis eſt meus proximus?* vt ſciam in quos dilectionem exhibeam? ſeù adhùc tentans, vel ſuperbiens, & iuſtum ſe volens oſtendere præ faſtu; quem enim tentantem dixit Euangeliſta, non declarat mutatum (prout Marc. 12. non longè es à regno Dei, quem tentantem dixit Matthæus cap. 22.) ſed adhùc interrogantem, & verbum *iuſtificare* malum importat, prout verbum *volens*, ex quo videtur elici complacentia quædam, ideò perſeuerantem puta; magis tamèn placet quod primò dixi: *Suſcipiens autèm Ieſus* ſermonem *dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiàm* magna impietate *deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis*, ne eos perſequeretur, *abierunt ſemiuiuo relicto*, caſus miſericordia dignus. *Accidit autèm vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo* ſic malè affecto *præteriuit*, non reſpexit illum, *ſimilitèr & leuita cum eſſet ſecùs locum*, vt non indigeret longè diuertere, *& videret eum* moribundum, *pertranſijt. Samaritanus autem quidam* ex ſciſmatico populo *iter faciens* longum (quod non illi) *venit ſecùs eum, & videns eum, miſericordia motus eſt*, commota ſunt viſcera eius, *& appropians* (non fuglens, proùt illi) *alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum* vulneribus propria, *& imponens illum in iumentum ſuum*, de quo ipſe deſcendit, *duxit in ſtabulum, & curam egit, & altera die* ob negocia ſua nolens immorari, *protulit duos denarios* (ſauciatus enim nihil habebat, cum furto omnia ſubtracta) *& dedit ſtabulario, & ait: curam illius habe, & quodcumque ſupèrerogaueris*, vltrà duos denarios tibi datos, *ego cum rediero*; (redibo autèm citò) *reddam tibi*, ità vt nihil paſſutus ſis; ſic Dauid cum Aegyptio. 1. Reg. 30. 11. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: qui fecit miſericordiam in illum*, Samaritanus; *& ait illi Ieſus: Vade, & tu fac ſimilitèr* non habito reſpectu quis ille ſit, qui tui indigeat, proùt Samaritanus nullum habuit reſpectum, quòd expoliatus, & ſauciatus eſſet Iudæus, quicum non coutebatur. Vndè ex omnibus his rectè colligitur declaratum à Domino *quis proximus*; nàm ſi Samaritanus fecit miſericordiam extraneo, inimicæ gentis, & dicitur Legiſperito: *tu fac ſimilitèr*, nempè cuicumque, etiàm Ethnico, & Samaritano, profectò concluditur vnumquemque hominum eſſe noſtrum proximum, non iuſtum ſolùm, non Iudæum, ſeù Gentilem, non correſpondentem tantùm, ſed qualis qualis is ſit noſtri indigentem, cui benefacere debeamus, & exhibere dilectionem opere, & veritate, proùt Samaritanus illi, qui incidit in latrones, non verbo, & lingua, & habetur Leuit. 19. 18. vndè ſumitur axioma: diliges amicum

tuum, ſeù proximum tuum; nam gloſſa, & odio habebis, erat corruptio, maximè quia præcedit: non quæres vltionem, nec memor eris inimicitiæ ciuium tuorum: Sed quarè hìc Dominus vult à Legiſperito tentâte explicari: *In lege quid ſcriptum eſt? quomodò legis? & ille reſpondens, diliges, &c.* at Matth.22.Marc.12. ipſemet dicit. Reſpondetur: hìc Legiſperitus non interrogauit de maximo mandato, ſed *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* at ibi: quod eſt mandatum magnum in lege? ideò hic à legis perito, ibi à ſeipſo profertur; & quòd hæc vera ſint, quandò hic Legiſperitus interrogat, *& quis eſt meus proximus?* non refert ad eum explicationem, ſed ipſe reſpondet, & declarat exactè.

CAPVT LXC.

MARTHA EXCIPIT CHRISTVM.

Luc. 10.

38 F*ACTVM eſt autèm, dum irent, & ipſe intrauit in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomi-*
39 *ne, excepit illum in domum ſuam,* & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiàm ſedens ſecùs pedes Domini au-*
40 *diebat verbum illius. * Martha autèm ſatagebat circà frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait: Domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?*
41 *dic ergò illi, vt me adiuuet. * Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha,*
42 *Martha, ſolicita es, & turbaris ergà plurima. * Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

COMMENTARIVS.

F*ACTVM eſt autèm dum irent*, viſitando Ciuitates, & Caſtella, *& ipſe intrauit* cum ſuis *in quoddam Caſtellum*, Bethaniam, & *mulier quædam Martha nomine, excepit illum* ad conuiuium *in domum ſuam*, quia iàm Magdalena terrena omnia negligebat, & Chriſtum ſuum comitabatur etiàm in domo propria, vt contingit his, qui ad domos proprias è longinquò aliquandò diuertunt, Magdalena enìm miniſtrabat Domino de facultatibus ſuis in Galilæa, & ſequuta eum erat in Ieruſalem. Marc. 15. 41. vel de Martha ſola, quia ſola Martha miniſtrauit, ſola excepit, cum Maria intenta eſſet verbo; dicimus enìm domum noſtram, licèt cum alio ſit communis, & ſi nec Mariæ fuiſſet, ſed ſoliùs Marthæ, Martha non petijſſet adiutorium Mariæ in miniſtrando,

ſtrando; *& huic* Marthæ *erat ſoror nomine Maria, quæ etiàm ſedens ſecùs pedes Domini* more catellæ Dominum non deſerentis, ſed cuſtodientis *audiebat verbum illius:* id præponit, & ſeruit verbum, *etiàm*, vt querelæ Marthæ originem explicet, nec ere do vt includat etiam Martham ſediſſe aliquandò, quia id non explicat, imò de directò, & aduerſatiuè ſubdit: *Martha autèm*, aliter ſcilicèt quàm Maria, *ſatagebat,&c.* ideò verbum, *etiàm*, commitatur relatiuum *quæ*; nàm cum dixiſſet, Marthæ ſororem fuiſſe Mariam, vt referret quid quæque earum ageret, ſubdit de Maria, *quæ etiàm, &c. Martha autèm ſatagebat*, angebatur *circà frequens miniſterium*, quod declarat Chriſtus. *Martha, Martha ſolicita es. Quæ ſtetit*, conſtitit, *& ait: Domine, non eſt tibi cura, quod ſoror mea* Magdalena *reliquit me ſolam miniſtrare?* quaſi, *Domine*, nobis familiaris debueras id aduertere, ſola enim nimis premor, non poſſum vt vellem citò præparare; *dic ergò illi, vt me adiuuet*; optabat illius adiutorium, vt citiùs pararetur Domino, timebat enim nimium differre prandium, nec vlla mala voluntate mouebatur; ideò Dominus dat remedium, vt vni ſoli ferculo incumbat, nec Mariam amoueat. *& reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris ergà plurima*, ſolicitudo tua tanta eſt, vt etiàm turbatione angaris. *Porrò vnum* ferculum *eſt neceſſarium*, natura paucis cõtenta, ne adeò grauerìs. *Maria* verò ſoror tua *optimam partem elegit* potiùs me audiendi, quàm tibi adiuuandi, *quæ non auferetur ab ea* per me, cum in hoc mihi admodùm placeat. Cur nulla mentio Lazari, qui cum ſororibus conuiuebat, vt ex cap. 11. & 12. Ioannis? quia Euangeliſta narraturus erat quæſtionem ortam intèr Martham, & Magdalenam à Chriſto deciſam, in quà nullà pars Lazari, ideò de illo nulla mentio, agitur enim hic de miniſterio non virili, ſed fœmineo. At opportunè meminit Lazari. Io. cap. 12. dum eſſet vnus ex diſcumbentibus, non miniſtrantibus. Cur Martha non alloquitur Mariam, ſed Chriſtum? quia iàm Maria ſe totam Chriſto addixerat, in eumquè iurauerat, nihilquè vel inſcio, vel non iubente eo hiſcere, vel agere audebat, quod Martha rectè nouerat, vndè vt illam ad Ieſum mittat, dicit nedũ magiſter adeſt, ſed te vocat. Io. 11. inſupèr amore Ieſu preſſa erat, & nihil prætèr ipſum admittebat, vt Paulus cum Chriſto crucifixus, & adeò etiàm contemplationi, vel ferè ſtupori, & extaſi data erat, poſtquàm reſipuit, molem peccati cognouit, & contrita eſt, vt numquàm appareat vocem emiſiſſe antè Paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti (horrens peccatum, & timens in ſermone non offendere, ità vt Chriſtus ipſam ſilentem bis defenderit à duobus Phariſæis) niſi ſemèl in morte Lazari, quandò dixit: Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non eſſet mortuus. Io. 11. nec plura, tota ab eo dependens, etſi Martha multa ſubiecerit; multaquè ſecum Dominus, quæ non cum Maria, fortè quia Chriſtus Magdalenam iàm credentem ſciebat, nec titubantem, vtpotè, quæ eum diù comitata viderat ſigna magna, quæ fecerát, quòd ſi Chriſtus iuſſiſſet eam miniſtrare, libentèr obediuiſſet, proùt quandò pòſt Reſurrectionem voluit eum tangere, iuſſa vt abiret nunciatum fratribus: aſcendo ad patrem, &c. & tùnc opportunum non eſſe: nondum enim aſcendi ad Patrem, illicò munus Apoſtolicum exequitur, etſi arderet Chriſti amore, qui eò magis in ea creuerat, quò viderat morientem, vt ad ſepulchrum accedens dolore ebria quemquè interrogaret, vt illum inueniret, & antè mortem, & pòſt ad eius pedes proſterneretur, quaſi catella fidelis, vt hic, & in domibus Phariſæorum, & dum occurrit pro Lazaro, & pòſt Reſurrectionem volens tenere, & dum tenuit cum alijs mulieribus, vndè euenit quod dixerat Dominus opportuniùs facturã. At lachrymis obtinebat, quod non verbo pro ſe quidèm apud Phariſæum illis rigans pedes veniam habuiſſe à Chriſto certiorata, pro Lazaro verò, vt Ieſum commouerit, & ad ſepulchrum, vt prima meruerit illum videre à mortuis reſurrexiſſe.

CAPVT LXCI.

DE ORATIONIS PERSEVERANTIA.

Luc. 11.

1 *ET factum eſt : cum eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit,*
dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum : Domine , doce nos
2 *orare , ſicùt docuit & Ioannes diſcipulos ſuos . * Et ait il-*
lis : Cum oratis, dicite : Pater ſanctificetur nomen tuum.
3 *Adueniat regnum tuum . * Panem noſtrum quotidia-*
4 *num da nobis hodiè . * Et dimitte nobis peccata noſtra ,*
ſiquidèm & ipſi dimittimus omni debenti nobis . Et ne nos
5 *inducas in tentationem: * Et ait ad illos: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit*
6 *ad illum media nocte , & dicet illi : Amice , commoda mihi tres panes , * quo-*
niam amicus meus venit de via ad me , & non habeo quod ponam antè illum ,
7 *** & ille deintùs reſpondens dicat : Noli mihi moleſtus eſſe , iàm oſtium clauſum*
8 *eſt , & pueri mei mecum ſunt in cubili , non poſſum ſurgere , & dare tibi . * Et*
ſi ille perſeuerauerit pulſans : dico vobis , etſi non dabit illi ſurgens eo quòd ami-
cus ſit , proptèr improbitatem tamèn eius ſurget , & dabit illi quotquot habet ne-
9 *ceſſarios . * Et ego dico vobis : Petite, & dabitur vobis : quærite, & inuenietis :*
10 *pulſate , & aperietur vobis . * Omnis enìm , qui petit , accipit : & qui quærit ,*
11 *inuenit : & pulſanti aperietur . * Quis autèm ex vobis Patrem petit panem ,*
numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi ?
12 *** Aut ſi petierit ouum : numquid porriget illi ſcorpionem ? Si ergò vos cum ſitis*
13 *mali , noſtis bona data dare filijs veſtris : quanto magìs Pater veſter de cælo da-*
bit Spiritum bonum petentibus ſe ?

COMMENTARIVS.

ET factum eſt cum eſſet in quodam loco, in itinere *orans , vt ceſſauit , dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum* , qui fortè non interuenerat in monte quandò docuit ; docuiſſe enim in monte orationem Dominicam, veriſimile, quia & de ieiunio , & de eleemoſyna , & alijs egit , vndè non omiſiſſet quod erat ſingularius, & Deo gratius , & quod à principio præmiſiſſe credendum ; *Domine , doce nos orare , ſicùt docuit & Ioannes diſcipulos ſuos .* exemplo Ioannis vult Ieſum mouere, *& ait illis, cum oratis , dicite : Pater* noſter , cuius explicationem iàm dixi, & quamuis aliqua omittat

Sanctus

Digitized by Google

Sanctus Lucas, nihil refert, quia is mos Euangeliſtarum; & aliud non quærendum. *Et ait ad illos*, nedum docuit orare, ſed perſeuerantèr ad obtinendum, ideò ſubdit: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte*, tempore etiàm intempeſtiuo, *& dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes*, aliquid minimum datu facile, *quoniam amicus meus venit de via* peregrinus feſſus ad me, *& non habeo quod ponam antè illum*, quia omnia conſumpſi cœnando, *& ille deintùs reſpondens dicat, noli mihi moleſtus eſſe, iàm oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi*, importuna eſt hora, & tempus, ego, & pueri mei nimium pateremur. more ſponſæ loquitur: expoliaui mè tunica mea, quomodò induar illa? laui pedes meos, quomodò inquinabo illos? Cant. 5. 3. *& ſi ille perſeuerauerit pulſans, dico vobis: etſi non dabit illi ſurgens eò quòd amicus eius ſit*, ſub hoc titulo amicitiæ, *proptèr improbitatem*, importunitatem *tamèn eius ſurget* quaſi inuitus, *& dabit illi quotquot habet neceſſarios*, nedum panes tres petitos. *Et ego dico vobis: petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis*, perſeuerantes eſtote, ne deterreamini, ſi citò non recipiatis, *omnis enim, qui petit* perſeuerantèr, *accipit, & qui quærit* perſeuerando, *inuenit, & pulſanti* perſeuerantèr *aperietur*, ſic cum Anna perſeuerante. 1. Reg. 1. cum Chananæa, & alijs. *Quis autèm ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piſcem, numquid pro piſce ſerpentē dabit illi? aut ſi petierit ouum, numquid porriget illi ſcorpionem?* quaſi, non, quia non eſſet hoc Patris amantis! *ſi ergò vos cum ſitis mali* (ſolus enim Deus bonus) *noſtis bona* carnalia *data* vobis à Deo *dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter de Cælo dabit ſpiritum bonum* (eccè quid petas, non terrena, non caduca) *petentibus ſe*, & perſeuerantibus? Vult ergò nedum orantes, ſed perſeuerantes.

CAPVT XCII.
OBIVRGATIO PHARISAEORVM.

Luc. 11.

37 *ET cum loqueretur, rogauit illum quidam Phariſæus vt*
38 *pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit. * Phariſæus au-*
tèm cæpit intrà ſe reputans dicere, quarè non baptizatus
39 *eſſet antè prandium. * Et ait Dominus ad illum: Nunc*
vos Phariſæi quod deforìs eſt calicis, & catini, munda-
tis: quod autèm intùs eſt veſtrum, plenum eſt rapina,
40 *& iniquitate. * Stulti nonnè qui fecit quod deforìs eſt,*
41 *etiàm id, quod deintùs eſt, fecit? * Verumtamèn quod ſupereſt, date eleemoſy-*
42 *nam: & eccè omnia munda ſunt vobis. * Sed væ vobis Phariſæis, quia de-*
cimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & chari-
43 *tatem Dei: hæc autèm oportuit facere, & illa non omittere. * Væ vobis Phari-*

44 *ſeis, quia diligitis primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro.* * *Væ*
vobis quia eſtis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes ſu-
45 *prà, neſciunt.* * *Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter,*
46 *hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.* * *At ille ait: Et vobis Legiſperitis*
væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi vno digito
47 *veſtro non tangitis ſarcinas.* * *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Propheta-*
48 *rum: patres autem veſtri occiderunt illos.* * *Profectò teſtificamini quòd conſen-*
titis operibus patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos au-
49 *tem ædificatis eorum ſepulchra.* * *Proptereà & ſapientia Dei dixit: Mittam ad*
50 *illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur.* * *Vt inqui-*
ratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à ge-
51 *neratione iſta,* * *à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ, qui perijt in-*
52 *ter altare, & ædem. Ità dico vobis, requiretur ab hac generatione.* * *Væ vo-*
bis Legiſperitis quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introi-
53 *bant, prohibuiſtis.* * *Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, & Le-*
54 *giſperiti grauiter inſiſtere, & os eius opprimere de multis,* * *inſidiantes ei, &*
quærentes aliquid capere de ore eius, vt accuſarent eum.

COMMENTARIVS.

ET *cum loqueretur* verba, quæ præmiſſa ſunt, *rogauit illum quidam Phariſæus, vt pranderet apud ſe* bona intentione motus, quam poſteà mutauit, & *ingreſſus* Ieſus in domum eius, *recubuit* ad menſam. *Phariſæus autem cœpit intrà ſe reputans*, cogitans *dicere, quarè non baptizatus eſſet*, lotus eſſet *antè prandium*, non lauaſſet manus, hoc etiàm obiectum fuit diſcipulis, ut uidimus. *Et ait Dominus ad illum.* Nunc ex traditionibus ueſtris inſipidis *vos Phariſæi* duplices, *quod deforis eſt calicis, & catini, mundatis*, exteriora tantùm, & uaſa, non uos, ſeù uos externè mundatis, *quod autem intùs eſt veſtrum*, non uaſa, *plenum eſt rapina, & iniquitate*, omni ſpurcitia, & peccato. *Stulti nonnè qui fecit quod deforis eſt*, quod apparet, *etiam id, quod deintus eſt* hominibus non apparens, ſed Deo, *fecit?* quarè ſi mundatis quaſi ſub præcepto quod deforis eſt, cur non mundatis quod intùs ſub eodem? *Veruntamen* do uobis conſilium bonum, ablutionem tutam, *quod ſupereſt* ultrà neceſſarium, *date eleemoſynam, & eccè omnia* tàm foris, quàm intùs *munda ſunt vobis*; eleemoſyna enim liberat à peccato, vt dicunt etiàm Daniel, Tobias, Sapiens in Prouerb. non ergò hìc per ironiam in re tanti momenti, de qua & aliàs: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; etſi requiratur pœnitentia, quod intellige ſeruatis ſeruandis, & in caſu poſſibili, & habili, ideò infrà, *præteritis iudicium, & charitatem Dei*, quaſi hæc eleemoſynæ annectens, & quomodò ironia? hoc enim deſtrueret eleemoſynæ vim, quod abſit à Chriſto factum. *Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentam, & rutam, & omne olus*, hæc minuta attenditis, aucupantes auram popularem, perſuadere tentantes ex obſeruantia horum minimorum vos eſſe probos, & in veritate *præteritis iudicium*, quia non rectè iudicatis cum proximo, *& charitatem Dei*, quem non diligitis, errantes in his maioribus; *hæc autem* maxima *oportuit facere, & illa* etiam minima *non omittere*; hinc apparet fuiſſe hæc quoquè debita, & non eſt mirum, ſi egit de eleemoſyna reſpiciente

Deum,

Digitized by Google

Deum, pro quo datur, & proximum, cui datur, quæ erat medicina horum. *Væ vobis Phariſæis, quia diligitis* ambitioſè *primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes* reuerentiales *in foro*, in conſpectu hominum. *Væ vobis quia eſtis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes ſuprà neſciunt*, abſconditis enim vitia veſtra, nec finitis, ut cernantur, ne fidem apud homines perdatis; mihi autèm hæc apparent. *Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis* ſibi conſcius, putans de ſe quoquè dici, *ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam contumeliā nobis facis*, falsò id dicebat, quia non erat hoc propoſitum Chriſti, ſed emendationem quærebat. *At ille ait: & vobis Legiſperitis væ, quia oneratis homines oneribus*, traditionibus, & mandatis vltrà legem, *quæ portare nō poſſunt, & ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas*, iubetis, ſed non facitis, & digito veſtro ea mouere non vultis; *Væ vobis, qui ædificatis monumentā Prophetarum, patres autèm veſtri occiderunt illos. Profectò teſtificamini quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum, quoniàm quidem ipſi eos occiderunt, vos autèm ædificatis eorum ſepulchra*. Quia ædificare ſepulchra bonum opus in ſe erat, non ab ædificio ſepulchrorum eos damnat, cum non ædificarent verè, quaſi eo modo viderentur conſentire operibus patrum ſuorum, renouantes in his eorum memoriam, nàm ſi hoc voluiſſent, potiùs erat ædificare memorias eorumdem patrum occidentium; vel quòd vellent iuſti haberi, etſi in necem Chriſti conſpiraſſent, quia hic eſſet longus trames, & longa illatio, nec tanta expenſa fidem apud populum ipſi auari emiſſent, cum hæc facere poſſent alijs modis, prout faciebant. Ad hæc; ſi ædificaſſent, aut erat expenſa publica, & non potuit eſſe mala in ſe, aùt priuata vnius, & alterius, & hæc non potuit trahi ad vniuerſum, vel ad malam eorum intentionem, cum non eſſent diuerſæ religionis, ſed eiuſdem. Dicerem igitur non imputari eis ædificia, quæ verè non faciebant, ſed eſſe ſermonem prouerbialem ad indicandum eos continuare opera patrum ſuorum occidentium, quorum ſe declarabant filios, non ex ædificijs, ſed ex occiſione Ioannis Baptiſtæ, & inſidiantes, & occidere volentes Chriſtum ſummum Prophetam, & eius ſequaces; cum enim pòſt mortem reſtet ſepulchrum, vt denotaret eos ſequi veſtigia occidentium, & proſequi eorum cædes, vtitur hac metaphora, ſub ſepulchris tamèn mortes eaſdem intelligens. Vndè Stephanus: ſicùt patres veſtri, & vos, quem Prophetarum non ſunt perſequuti patres veſtri? Act. 7. 51. ſic & Moyſes. Num. 32. 14. & eccè vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris incrementa, & alumni hominum peccatorum; ſed is intellectus clarè colligitur ex Matth. cap. 23. 29. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus pātrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum (eccè ex verbis tantùm procurabant ſe eximere ab hac ſuſpicione) itaquè teſtimonio eſtis vobiſmetipſis me perſequendo, & occidere tentando, quia filij eſtis, imitatores eorum, qui Prophetas occiderunt, & ſciens eorum malam voluntatem, & intelligens de eiſdem cædibus non ædificijs, ſubdit: Implete menſuram patrum veſtrorum, & obiurgat eos: ſerpentes, &c. & ideò eccè ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, &c. eccè quomodò ornabant ſepulchra, & hìc apud Lucam, *& ſapientia Dei dixit, &c.* & prædicit quid futurum ſupèr generatione illa, in cuius deſtructionem operabantur, & quòad pœnam illis comminatam ob ſequelam hanc patrum in cædibus *à ſanguine Abel, &c.* ſic 1. Reg. 15. recenſui quæcumque fecit Amalec pòſt quadringentos annos, & Gen. 15. necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum, & in Pſal. 108. in memoriam redeat iniquitas Patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Lucas ergò breuiatè loquens intelligendus iuxtà Matthæum, & præſupponendam in vtroque conſpirationem in necem Chriſti, de qua ipſe pluriès, propter ædificia enim hæc non eſſent paſſi. *Propterea & ſapientia Dei dixit: mittā ad illos Prophetas, & Apoſtolos: & ex illis* à me miſſis *occident, & perſequentur, vt inquiratur*, requiratur *ſanguis omnium prophetarum*,

Digitized by Google

phetarum, &c. vide Matth. 23. credo eſſe verba Chriſti in tertia perſona loquentis, ut ſolet, dum ſe Deum, aut hominem facit, non Euangeliſtæ hæc interponentis in continuato ſermone, præſertìm quia ſubdit: *ita dico vobis*, & colligitur Matth. 23. eccè mitto, &c. vbi in perſona propria loquitur de eodem, nec video quomodò Euangeliſtæ accomodari poſſint. *Væ uobis Legisperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ*, quam debueratis aperire, & manifeſtare, *& ipſi non introiſtis* malitia veſtra, *& eos, qui introibant*, vel introituri erant, *prohibuiſtis*, id enìm à vobis requiretur, quia malè in officio veſtro verſati eſtis. *Cum autèm hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, & legis periti grauitèr inſiſtere, & os eius opprimere de multis*, quaſi in faciem eius multa effundere, *inſidiantes ei*, vt aliquid venarentur, *& quærentes aliquid capere de ore eius, vt accuſarent eum*, hùc ſempèr tendebant cum conuincerentur, cum eorum vitia publicaret, cum non poſſent obiectis reſpondere, præſertìm coràm populo, coràm quo volebant iuſti apparere; ſic legimus Saulem expetijſſe à Samuele honorari coràm populo. 1. Reg. 15. 30.

CAPVT XCIII.

DE FERMENTO,

ET HYPOCRISI PHARISAEORVM, ET CONFESSIONE NOMINIS CHRISTI.

Luc. 12.

1 *MVLTIS autèm turbis circumſtantibus, ità vt ſe inui-*
cèm conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: Attendi-
2 *te à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. * Nihil*
autèm opertum eſt, quod non reueletur: nequè abſcondi-
3 *tum, quod non ſciatur. * Quoniàm quæ in tenebris dixi-*
ſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in
4 *cubiculis, prædicabitur in tectis. * Dico autèm vobis ami-*
cis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & pòſt hæc non habent am-
5 *pliùs quid faciant. * Oſtendam autèm vobis quem timeatis: timete eum, qui,*
poſtquàm occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. ità dico vobis, hunc
6 *timete. * Nonnè quinquè paſſeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non eſt in*
7 *obliuione coràm Deo? * Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. No-*
8 *lite ergò timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos: * Dico autèm vobis: Omnis,*
quicumque confeſſus fuerit me coràm hominibus, & Filius hominis confitebitur
9 *illum coràm Angelis Dei: qui autèm negauerit me coràm hominibus, negabitur*
10 *coràm Angelis Dei. * Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remit-*

tetur

tetur illi: ei autèm, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur.
11 ** Cum autèm inducent vos in Synagogas, & ad magiſtratus, & poteſtates, no-*
12 *lite ſoliciti eſſe qualitèr, aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis. * Spiritus enìm*
ſanctus docebit vos in ipſa hora quid oporteat vos dicere.

COMMENTARIVS.

MVLTIS *autèm turbis circumſtantibus, ità vt ſe inuicèm conculcarent* (ſola turba ſequitur) *cœpit dicere ad diſcipulos ſuos* ex multa humanitate illos docens: *Attendite à fermento*, corruptela, *Phariſæorum, quod eſt hypocriſis*, nihil enìm turpius in Chriſtiano homine, quàm duplicitas, fictio. *Nihil autèm opertum, quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur*, ideò hæc eorum vitia tandèm manifeſta fient, non poſſunt abſcondi, nàm *& quæ in tenebris* occultè *dixiſtis, in lumine*, clarè, in apertò *dicentur, & quod in aurem loquuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis*, ideò nihil malè agendum ſecretò, quaſi non reuelandum. Vndè Propheta: Quò ibo à ſpiritu tuo? &c. & dixi: forſitàn tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis; at id fruſtrà, quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicùt dies illuminabitur, ſicùt tenebræ eius, ità & lumen eius. & dixit Dominus Dauid per Nathan: tu feciſti occultè, ego autèm faciam in conſpectu ſolis huius, & fecit per Abſalon. *Dico autèm vobis amicis meis* (vos enìm dixi amicos, &c.) *ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant*, hæc dicit ne metu aliquo adducerentur ad hypocriſim, & fictionem ſequendam, cum & is poſſit has parere, *oſtendam autèm vobis quem timeatis. Timete eum, qui poſtquàm occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ità dico uobis: hunc timete.* Vt hac cogitatione eos tutiores reddat aduersùs perſecutiones, & ne deficiant à fide ob illas: *Nonnè quinquè paſſeres ueneunt dipondio, & unus ex illis non eſt in obliuione coràm Deo? ſed & capilli capitis ueſtri omnes numerati ſunt*, quorum nullus cadet; *nolite ergò timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Ne putarent derelictos iri, & ad eos confirmandos, & audaces reddendos. *Dico autèm vobis: omnis quicumque confeſſus fuerit me coràm hominibus, & filius hominis confitebitur illum coràm Angelis Dei; ei autèm qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur*, eccè in quo nolebat eos vti fictione, ſeù hypocriſi, ideò ex primo allicit eos ad confeſſionem ſui, & ex pœna auertit à negatione; quam pœnam magis explicat remittendam quidèm eum non cognoſcenti, & reputanti tantùm hominem, at cognoſcenti illum Deum, & neganti contrà conſcientiam, quod eſt blaſphemare in Spiritum ſanctum, à quo ſcilicèt illuſtrationes procedunt, non remittendam. *In Spritum ſanctum* quod eſt attributio diuinorum operum diabolo. Marc. 3. dicebat enìm dæmonium habere, &c. Cum autèm inducent vos in Synagogis, &c. poterant dicere; quid reſpondebimus intèr tot doctores, legiſperitos? confundemur, ideò præmittit Spiritum ſanctum affuturum, & ſic illos corroborat, & animat.

CA-

CAPVT XCIV.

DE ABIICIENDA SOLICITVDINE DIVITIARVM.

Luc. 12.

13 *AIT autèm ei quidam de turba : Magiſter , dic fratri meo*
14 *vt diuidat mecum hereditatem .* At ille dixit illi : Ho-*
mo, quis me conſtituit iudicem , aùt diuiſorem ſupèr vos ?
15 ** Dixitquè ad illos : Videte, & cauete ab omni auaritia :*
quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his
16 *quæ poſsidet . * Dixit autèm ſimilitudinem ad illos , di-*
cens : Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attu-
17 *lit : * & cogitabat intrà ſe, dicens : Quid faciam , quia non habeo quo congregem*
18 *fructus meos ? * Et dixit : Hoc faciam : Deſtruam horrea mea, & maiora fa-*
19 *ciam : & illùc congregabo omnia , quæ nata ſunt mihi , & bona mea , * & di-*
cam animæ meæ : Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos : requieſce,
20 *comede, bibe, epulare . * Dixit autèm illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam*
21 *repetunt à te : quæ autèm paraſti, cuius erunt ? * Sic eſt qui ſibi theſaurizat, &*
22 *non eſt in Deum diues . * Dixitquè ad diſcipulos ſuos : Ideò dico vobis : Nolite*
23 *ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis: nequè corpori quid induamini. * Ani-*
24 *ma plus eſt quàm eſca , & corpus plus quàm veſtimentum . * Conſiderate coruos*
quia non ſeminant , nequè metunt , quibus non eſt cellarium, nequè horreum, &
25 *Deus paſcit illos . Quantò magìs vos pluris eſtis illis ? * Quis autèm veſtrum*
26 *cogitando poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? * Si ergò nequè quod*
27 *minimum eſt poteſtis , quid de cæteris ſoliciti eſtis ? * Conſiderate lilia quomodò*
creſcunt : non laborant, nequè nent : dico autèm vobis, nec Salomon in omni glo-
28 *ria ſua veſtiebatur ſicùt vnum ex iſtis . * Si autèm fœnum , quod hodiè eſt in*
agro , & cràs in clibanum mittitur , Deus ſic veſtit : quantò magìs vos puſillæ
29 *fidei ? * Et vos nolite quærere quid manducetis , aùt quid bibatis : & nolite in*
30 *ſublime tolli : * hæc enìm omnia gentes mundi quærunt . Pater autèm veſter ſcit*
31 *quoniàm his indigetis . * Verumtamèn quærite primùm regnum Dei , & iuſti-*
32 *tiam eius : & hæc omnia adijcientur vobis . * Nolite timere puſillus grex, quia*
33 *complacuit Patri veſtro dare vobis regnum . * Vendite quæ poſsidetis, & date*
eleemoſynam . Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non defi-
34 *cientem in cælis : quo fur non appropiat : nequè tinea corrumpit . * vbi enìm the-*

ſaurus

35 ſaurus veſter eſt, ibì & cor veſtrum erit.* Sint lumbi veſtri præcincti, & lu-
36 cernæ ardentes in manibus veſtris,* & vos ſimiles hominibus expectantibus do-
minum ſuum quandò reuertatur à nuptijs: vt, cum venerit, & pulſauerit,
37 confeſtìm aperiant ei.* Beati ſerui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit
vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, &
38 tranſiens miniſtrabit illis.* Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia
39 vigilia venerit, & ità inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autèm ſcitote, quo-
niàm ſi ſciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtiquè, & non
40 ſineret perfodi domum ſuam.* Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis,
41 Filius hominis veniet.* Ait autèm ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc para-
42 bolam: an & ad omnes?* Dixit autèm Dominus: Quis, putas, eſt fidelis di-
ſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupèr familiam ſuam, vt det
43 illis in tempore tritici menſuram?* Beatus ille ſeruus, quem cum venerit dominus
44 inuenerit ità facientem.* Verè dico vobis, quoniàm ſuprà omnia, quæ poſſidet,
45 conſtituet illum.* Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Domi-
nus meus venire: & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere,
46 & inebriari:* veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua
47 neſcit, & diuidet eum, partemquè eius cum infidelibus ponet.* Ille autèm
ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſe-
48 cundùm voluntatem eius, vapulabit multis:* qui autèm non cognouit, & fe-
cit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autèm, cui multum datum eſt, mul-
49 tum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plùs petent ab eo.* Ignem
50 veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Baptiſmo autèm
51 habeo baptizari: & quomodò coarctor, vſquè dum perficiatur?* Putatis quia
52 pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem:* erunt enìm ex
53 hoc quinque in domo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres diuidentur: pater
in filium, & filius in patrem ſuum, mater in filiam, & filia in matrem, ſo-
54 crus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.* Dicebat autèm & ad tur-
bas: Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatìm dicitis: Nimbus venit:
55 & ità fit.* & cum auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit.* Hypo-
56 critæ faciem cæli, & terræ noſtis probare: hoc autèm tempus quomodò non proba-
57 tis?* Quid autèm & à vobis ipſis non iudicatis quod iuſtum eſt?* Cum autèm
58 vadis cum aduerſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne
fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te
59 in carcerem.* Dico tibi, non exies indè, donèc etiàm nouiſſimum minutum
reddas.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

AIT *autèm ei quidam de turba : Magiſter, dic fratri meo*, qui fortè præſens erat, *ut diuidat mecum hæreditatem*: nolebat is in communione manere, interpellabatur Chriſtus vti Iudex, nō vti vir probus, quod colligitur ex reſponſione Chriſti dicentis: *Homo, quis conſtituit me iudicem, aùt diuiſorem ſupèr uos?* quaſi, vndè mihi hæc auctoritas? quis illam mihi cōtulit? reſponſio enim præſumitur conformis interrogationi; Chriſtus noluit ſe in his ingerere, venerat ſaluaturus animas, non temporalia iudicaturus; ideò dixit: regnum meum non eſt de hoc mundo; ſoluit tributum in natiuitate, & cum Petro; reſpondit in genere: quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo; non erant hæc aſſumenda in his diebus. *Dixitquè ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritia*, ſiti poſſidendi diuitias, *quia non in abundantia cuiuſquam vita* bonis præferenda *eius eſt ex his quæ poſſidet*, quod probat ſubiuncto exemplo. *Dixit autèm ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiuſdam diuitis* (alter Nabal is) *vberes fructus ager attulit; & cogitabat intrà ſe, dicens: quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* ſolicitudo inſipida. *Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illùc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi* in agro, *& bona mea, & dicam animæ meæ*: (totus is terrenus) *anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare*, erat is Epicurus, vel de illis, quorum Deus venter eſt. *Dixit autèm illi Deus*, in cuius manu poſitæ ſortes noſtræ: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*, proùt contigit Baltaſſari. Daniel. 5. *quæ autèm paraſti* in annos ſingulos ſeruitura, *cuius erunt?* congregaſti, & neſcis cui relinques illa; *ſic eſt qui ſibi theſaurizat* ad ſuum commodum rantùm, *& non eſt in Deum diues*, non congregat in cælo theſaurum, quod ſit, dando eleemoſynam: *Dixitquè ad diſcipulos ſuos: ideò dico vobis, &c.* de his apud Matthæum c. 6. de ſermone in monte; *nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicùt vnum ex iſtis*, magìs enim concinnè, magiſquè elegantèr accomodantur naturalia, quàm artificialia, *& nolite in ſublime tolli*, & ne ambiatis magna, ſed eſtote humiles. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*, vos prædeſtinare ad gloriam, tantò magìs dabit hic neceſſaria, intellige multis ex vobis, quia Iudas præſcitus, & fortè alij, non tamèn de numero Apoſtolorum, ideò non dicit omnibus, & dicit *grex*, extrà quem non eſt ſalus, ergò dummodò ſint de grege, & perſeuerent, proùt dixi ſuprà in illis verbis: gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam*, vt faciliùs regnum vobis paratum adipiſcamini, ſic docet, nedum ad aliena inhietis, nedum veſtra reperatis, proùt iuuenis petens diuiſionem hæreditatis, nedum veſtra conſeruetis, vt in luxurias inſumatis, proùt diues, ſed pauperibus omnia elargimini, theſaurizantes in cælo, à curis liberi, cum Dominus ſit prouiſurus verſ. 22. cum ſeqq. *facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt* in cælo, vtitur metaphora ſacculorum, qui fiunt in terra ad conſeruandos theſauros, *vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit*, ſi enim theſaurum in cælo reconderis, ibì & cor veſtrum erit ſempèr; ideò Paulus: noſtra conuerſatio in cælis eſt. Ad hæc nedum ſolicitudo temporalium abſit à vobis, ſed *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quandò reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei*: ſitis parati ad mortem, ne improuiſa apprehendamini, proùt diues ſtultus poſtquàm ignoraris horam, nec à ſubitanea tuti eſtis, & ad excipiendum Dominum in ea tamquàm furem venientem,

proùt

proùt prudentes ſerui expectantes Dominum præcincti, & cum lucernis, quæ duo innuunt diligentem, & paratam præſtolationem, & alibi Dominus ſempèr admonet ad vigilandum: *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd ipſe* Dominus, viſa tanta diligentia, *præcinget ſe* ad miniſterium, *& faciet illos* ſeruos *diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Correſpondet, quos enim reperit paratos ad eum expectandum, excipiendum, & miniſtrandum, eos ille excipit, eiſquè miniſtrat, & inebriat ab vbertate domus ſuæ in cælo, hoc enim repreſentatur, *& ſi in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia uenerit, & ità inuenerit, beati ſunt ſerui illi,* vult inferre, quia non certa hora aduentus Domini: in horis etiàm difficilibus vigilandum, vt tales inueniamur, ideò ſubdit parabolam: *Hoc autèm ſcitote* ad inducendos illos ad vigiliam, *quoniàm ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtiquè,* quauis hora, *& non ſineret perfodi domum ſuam,* ne amitteret terrena, temporalia, *& vos eſtote* ſempèr *parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet* vocatum ad aliam vitam, vt à regno æterno nō excludamini. *Ait autèm ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* & Dominus ſubijcit parabolam diſpenſatoris, qua innuit parabolam illam maximè ſpectare ad paſtores ſupèr alios conſtitutos. *Dixit autèm Dominus: Quis putas* (Petre), *eſt fidelis* ſeruus, *& prudens* (bonæ conditiones ſerui) *quem conſtituit Dominus ſupèr familiam ſuam,* ſupèr oues ſuas paſcendas, *vt* ſeruus ille *det illis,* familiæ *in tempore* opportuno, debito, *tritici,* verbi Dei *menſuram? Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus* (ſic ex parabola, non quòd vnquàm diſceſſerit, qui vbiquè eſt) *inuenerit ita facientem* ſeruum, proùt ipſe ordinauit. *Verè dico vobis, quia ſupèr omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum;* ſic Pharao Ioſeph, Nabuchodonoſor, & Baltaſſar Danielem, dabit illi præmium, beatificabit illum in gloria. *Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire,* promittit ſibi longam vitam, *& cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, bibere, & inebriari,* & omninò à iuſſis recedere, proùt populus Moyſen cum Deo in monte ſtantem expectans. *veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat,* ex improuisò, *& hora, qua neſcit,* vti fur, *& diuidet eum,* morte afficiet, *partemque eius* (ſic dicit poſtquàm vſus eſt verbo, *diuidet*) imò totum *cum infidelibus* ſeruis *ponet,* vel proùt & Apoc. 21. 8. pars, portio illorum erit in ſtagno ardenti cum alijs damnatis, erit pars reſpectu aliorum ibi exiſtentium. *Ille autèm ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis* ob ſcientiam, & contumaciam, *qui autèm non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis* ob ignorantiam, quæ in hoc excuſabit, ideò Petrus 2. 2. 21. meliùs enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm pòſt agnitionem retrorsùm conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. *Omni autèm, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo,* quàm ab illo, cui parum datum, vel commendatum; cum enim augentur dona, & rationes augentur donorum, reddenda ratio villicationis commiſſæ. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* ſic connecti poteſt ſuperioribus, ne perturbemini, ſi contrà vos ſeruos, & diſpenſatores meos ſupèr familiam totius mundi præfectos inſurgent incendia, dum legem meam Euangelicam ex officio vobis iniuncto promulgabitis, quia *ueni ignem mittere in terram* per hanc promulgationem; omnia enim ſus deque euertenda malitia hominum, non Euangelij cauſa; at ego Dominus *quid* aliud *uolo niſi ut accendatur?* propagetur ſcilicèt Euangelium per totum orbem, etſi ſecututum ſit incendium, quod promulgationis huius occaſione proferendæ curandum non eſt; de hoc igne. Iſa. 64. & in Pſal. Dominus regnauit exultet terra. Quidam per verba *ignem ueni mittere in terram* putant intelligi debere Spiritum ſanctum, vel charitatem, ſeù amorem, at credo magis intelligendum de prædicatione Euangelica eo modo, quo dixi, nàm poſtquàm aſcendit, miſit Spiritum ſanctum. Et hìc agitur de perſecutionibus,

& diſſidijs orituris ex promulgatione legis Euangelicæ, & ſe declarat ex ſubſequentibus verbis, *putatis, quia pacem ueni dare in terrã? Non, dico uobis*, quæ verba repetitiua magis explicant, *ſed ſeparationem*; *erunt enim ex hoc*, *&c*. Aliòquin quomodò ſtabunt hæc ſimùl, eodemquè contextu, *ueni ignem mittere*, *& ueni dare ſeparationem*, ſi prima de Spiritu ſancto intelligantur? At quòd hæc ſint eadem, apparet ex Matth. 10. vbì nullum verbum de igne, ſed de hac ſeparatione. Si etiàm percurrantur c. 10. Matth. & hoc 12. Luc. apparebit agi de perſecutionibus, & fermè eſſe eadem verba, materia, & occaſio, quæ cœpit, vt cauerent à fermento Phariſæorum, vt in Luca; ab hominibus in Matthæo; & Marc. 8. circà finem aliqua ſimilia habentur. Intentio etiàm Chriſti fuit hìc confirmare diſcipulos, ne auerterentur à promulgatione, ad quam electi erant ob perſecutiones futuras, ideò illas voluit eis notas facere, vt minùs perturbarentur. Confirmantur hæc, quia de hac ſeparatione egit alibì, dicens: qui non odit Patrem, &c. non eſt me dignus: qui non baiulat crucem ſuam (eccè perſecutiones) verbera, cruces, & ſequitur me, non eſt me dignus. Itèm ex legatione Apoſtolorum, qui ſubituri erant onus, quod ipſemet aſſumpſerat, ignem mittendi, & id aliud non fuit, niſi prædicare Euangelium omni creaturæ, vndè poſteà ſecuta ſeparatio. Si dicis, quis in cordibus credentium hæc infigebat? vtiquè Spiritus ſanctus, ſed non loquitur Chriſtus de effectibus Spiritus ſancti, ſed de euenturis occaſione promulgationis, tribulationibus, inſidijs, ſeparationibus; nàm Matth. 10. 35. ſicùt hìc de igne, ibì *veni enim ſeparare*, eccè effectus ignis mittendi, ſic apud Lucã, erũt enim, &c. diuidentur, &c. Et quandò voluit de miſſione Spiritus ſancti agere, expreſsè egit cum diſcipulis milliès, non occultè, non per ambages, & hìnc non poteſt id colligi, quia loquitur de his, quæ ipſe venit acturus in perſona; & Chriſtum veniſſe mittere ignem, colligitur Matth. 3. cuius ventilabrum, &c. & Malach. 3. Niſi dicamus poſſe intelligi, vel amorem, vel charitatem, vel Spiritum ſanctum, quæ omnia in idem reincidunt, cum Spiritus ſancti virtute mouerentur fideles ad credendum, & ſubijciendam colla legi Euangelicæ, ex quo poſteà ſequebantur gladij, ſeparationes à caris, perſecutiones, mortes, ſic etiàm dictum: baptizabit Spiritu ſancto, & igni, qui coincidit cum Spiritu ſancto, vt ibi dictum. At id non euenit, niſi pòſt mortem Chriſti, Reſurrectionem, Aſcenſionem, miſſionem Spiritus ſancti, & prædicationem ab Apoſtolis cœptam, & ideò dicit antè iſta: *baptiſmo autèm, &c*. & alibì: niſi granum, &c. Vidi pòſt recentiores hanc opinionem tribulationũ defendentes hìc, & Matth. 10. 34. qui iudicio meo rectè loquuntur. *Baptiſmo autèm habeo baptizari, & quomodò coarctor vſquèdum perficiatur?* habeo aquis tribulationum immergi, mori: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, & quo angor deſiderio, donèc perficiatur, ea eſt prõpta mea voluntas pro hominibus redimendis mori; antequàm ignis ille accendatur, id præcedere debet: deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. *Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem*, repetìt quod dixerat. *Ignem*, &c. per alia verba, vt deſcendat ad ſeparationem carorum occaſione promulgationis legis Euangelicæ, prout proſequitur. Addit Matthæus, &, pro quia inimici hominis ſunt domeſtici eius retinentes, ne ad fidem accedat. *Dicebat autèm & ad turbas: Cum uideritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit, & ità fit, & cum auſtrum flantem, dicitis, quia æſtus erit, & fit. Hypocritæ, faciem cæli, & terræ noſtis probare: hoc autèm tempus* aduentus mei Meſſiæ adeò certum, & clarum *quomodò non probatis* (ſimile Matth. 16.) me recipiendo, & amplexando? *Quid autèm & à vobis ipſis* ex eo quod ipſi ſcitis, & clarè cognoſcitis *non iudicatis quod iuſtum eſt?* circà tempus Meſſiæ; credendum enim proſequi eandem materiam, non aliam, & quod ſubdit ad eandem materiam ſpectare, verum, certum, & non ſecundùm faciem, ſeù paſſiones; hæc omnia, vt doceret inſtare quæ dixerat, imò præſentia; ideò ſic eos compellat, vt ad fidem alliciat. *Cum autèm vadis cum aduerſario, &c*. ſi vos obſeruaretis, poſſetis in cognitio-

gnitionem aduentus Meſſiæ venire, id facite dum eſtis *in via*, ne vobis cum Deo accidat quod malæ fidei, in qua, & vos eſtis me cognoſcentes, & non recipientes, debitoris quia nedum in carcerem vt ille, ſed in ignem æternum mittemini.

CAPVT XCV.

DE GALILAEIS OCCISIS A PILATO.

Luc. 13.

1 *ADERANT autèm quidam ipſo in tempore, nuncian-*
tes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit
2 *cum ſacrificijs eorum. * Et reſpondens dixit illis: Puta-*
tis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint,
3 *quia talia paſsi ſunt? * Non, dico vobis: ſed niſi pœni-*
4 *tentiam habueritis, omnes ſimilitèr peribitis. * Sicùt illi*
decem & octo, ſuprà quos cecidit turris in Siloe, & occi-
dit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint pratèr omnes homines habitantes in
5 *Ieruſalem? * Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis omnes ſimilitèr*
6 *peribitis. * Dicebat autèm & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam*
7 *plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit: * Di-*
xit autèm ad cultorem vineæ: Eccè anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum
in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccide ergò illam: vt quid etiàm terram occu-
8 *pat? * At ille reſpondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vſquè*
9 *dum fodiam circà illam, & mittam ſtercora: * & ſiquidèm fecerit fructum: ſin*
autèm, in futurum ſuccides eam.

COMMENTARIVS.

ADERANT autèm quidam ipſo in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum Galilæorum, qua de cauſa ignotum, probabilior ſecundùm aliquos pro cenſu non ſoluendo; ſed cum ab impoſitione prima tempore Cirini vſquè ad hanc diem tanta eſſet temporis intercapedo, videtur reijcienda: miſtus autèm ſanguis illorum cum ſacrificijs, quia quo tempore in templo ſacrificia offerebant, interempti ſunt, & ſic miſtus ſanguis victimarum, & occiſorũ, & fortè nuciabant Chriſto hæc noua, & grauia, vt fieri ſolet non alia de cauſa, quia erant Galilæi, vndè & ipſum exiſtimabãt originem habere. ***Et reſpondens***

dixit illis : Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Putabant hi ob grauia peccata grauem occiſos Dei vindictam eo in loco ſacrificantes recepiſſe, proùt amici Iob eius calamitatẽ peccatis imputantes, Semei Dauid illi exprobrans, & Barbari contrà Paulum, cujus manum vipera inuaſerat : vtiquè homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari vltio non ſinit eum viuere. Act. 28. 4. ſed Chriſtus oſtendit eos decipi, proùt Barbari decepti in Paulo cecinerunt palinodiam. Act. 28. 7. amici Iob à Deo reprehenſi, Semei pœnitens: ſic Ioſias bonus occiſus. *Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis*, proùt Niniuitæ, & Achab, *omnes ſimilitèr peribitis*, omnia trahit ad ſpiritualia de more ſuo: *ſicuti illi decem & octo, ſuprà quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint pratèr omnes homines habitantes in Ieruſalem?* exemplo recenti dicta comprobat. *Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis* à peccatis veſtris, cum omnes ſitis peccatores, *omnes ſimilitèr peribitis : Dicebat autèm & hanc ſimilitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatã in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autèm ad cultorem vineæ, eccè anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, ſuccide ergò illam, vt quid etiàm terram occupat?* inutilia enìm reſecanda. *At ille reſpondens, dicit ei : Domine dimitte illam & hoc anno, vſquè dum fodiam circà illam & mittam ſtercora, & ſi quidèm fecerit fructum*, dimittes: *ſin autèm* fructum non fecerit *in futurum ſuccides eam*, vt vis; hoc enìm merebitur cum tempus prorogatum non ſiuerit; hoc dicit cultor, non quaſi defeciſſet in triennio, ſed quia volebat maiora facere, & ſic dicendum, præſertim in applicatione ad Chriſtum, qui quarto anno plura fecit, moriens, reſurgens, aſcendens, Spiritum ſanctum mittens, & Apoſtolos ad prædicandum, iuxtà aliquos; ſed non video quomodò de ſe loquatur Dominus, cum ad propoſitum occiſorum à Pilato, & ſub turri in Siloe velit auditores diù toleratos per tres annos, & quattuor, & dicentes velle emendari, vigilantes & cautos ad bonum reddere, ne improuiſa morte & ipſi opprimantur, proùt illi, vel & ad Iudæos non fructificantes, proùt & ad eos applicatur ficus iuſſu Domini arefacta, & tùnc verba (*niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimilitèr peribitis*) trahentur rectè ad ſubuerſionem Ieruſalem per Romanos.

CAPVT XCVI.

DE MVLIERE INCLINATA.

Luc. 13.

10 *ERAT autèm docens in Synagoga eorum ſabbatis. *Et ec-*
11 *cè mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem*
& octo : & erat inclinata, nec omninò poterat ſursùm re-
12 *ſpicere. * Quam cum videret Ieſus, vocauit eam ad ſe,*
13 *& ait illi : Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. * Et*
impoſuit illi manus, & confeſtìm erecta eſt, & glorifica-
14 *bat Deum. * Reſpondens autèm Archiſynagogus, indi-*
gnans, quia ſabbato curaſſet Ieſus : dicebat turbæ : Sex dies ſunt, in quibus opor-
tet ope-

15 *tet operari : in his ergò venite , & curamini , & non in die ſabbati . * Reſpon-*
dens autèm ad illum Dominus dixit : Hypocritæ, vnuſquiſque veſtrum ſabba-
16 *to non ſoluit bouem ſuum , aùt aſinum à præſepio , & ducit adaquare ? * Hanc*
autèm filiam Abrahæ , quam alligauit Satanas , eccè decem & octo annis non
17 *oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati ? * Et cum hæc diceret, erubeſcebant om-*
nes aduerſarij eius : & omnis populus gaudebat in vniuerſis , quæ glorioſè fie-
bant ab eo .

COMMENTARIVS.

ERAT *autèm docens in Synagoga eorum* Iudæorum *ſabbatis* ex more. *Et eccè mulier , quæ habebat ſpiritum infirmitatis*, ſpiritum eam infirmam reddentem *annis decem & octo , & erat inclinata, nec* omninò *poterat ſursùm reſpicere* , ſic diabolus vult homines in terram, nón ad cælum reſpicientes ; *Quam cum videret* oculis ſuæ miſericordiæ *Ieſus* vltrò motus (nota contrà eos, qui dicunt hæc dæmonem non effeciſſe in muto , quod & obſeruaui in lunatico, ſed magìs conſtat ex verbis, *quam alligauit Satanas*) *vocauit eam ad ſe , & ait illi : Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua , & impoſuit illi manus* , ne alteri aſcriberetur miraculum, & fortè vocando cathechizauit , maximè quia omnia ſpontè, miſericordia motus , vt & in Vidua Naim , languido , cœco nato , & alijs , *& confeſtim erecta eſt , & glorificabat Deum . Reſpondens autèm Archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet Ieſus:* (hæc peſtis omnes infecerat, nec poterant capaces fieri) *dicebat turbæ : ſex dies ſunt, in quibus oportet operari, in his ergò venite, & curamini, & non in die ſabbati:* prohibebat die ſabbati recipi ſanitatem ab infirmis cœcus iſte Archiſynagogus . *Reſpondens autèm ad illum Dominus, dixit : Hypocritæ,* nedum Archiſynagogo, ſed alijs aſſentientibus reſpondit . *Vnuſquiſque veſtrum ſabbato non ſoluit bouem ſuum , aut aſinum à præſepio , & ducit adaquare ? Hanc autèm filiam Abrahæ* , ex ſemine eius, & credentem, *quam alligauit Satanas* , (eccè quomodò diabolus inficit) *eccè decem & octo annis non oportuit ſolui à vinculo iſto* diabolico *die ſabbati ?* non licuit die ſabbati benefacere pro muliere mihi nullum opus facienti, ſolo verbo ſananti , ſi licet vobis pro boue , & aſino operari die eodem ? *Et cum hæc diceret* clara, & manifeſta, *erubeſcebant* confuſi *omnes aduerſarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo.* Sola turba ſapiens, cui reuelatio facta, putantes ſe ſapientes cœci.

CAPVT LXCVII.

DE REGNO DEI.

Luc. 13.

18 *DICEBAT ergò: Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſi-*
19 *mile æſtimabo illud? * Simile eſt grano ſinàpis, quod ac-*
ceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, & factum
eſt in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in
20 *ramis eius. * Et iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum*
21 *Dei? * Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcon-*
22 *dit in farinæ ſata tria, donèc fermentaretur totum. * Et*
23 *ibat per ciuitates, & caſtella docens, & iter faciens in Ieruſalem. * Ait autèm*
illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur? Ipſe autèm dixit ad illos:
24 ** Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent in-*
25 *trare, & non poterunt. * Cum autèm intrauerit paterfamilias, & clauſerit*
oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis:
26 *& reſpondens dicet vobis: Neſcio vos vndè ſitis: * tùnc incipietis dicere: Man-*
27 *ducauimus coràm te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti. * Et dicet vo-*
28 *bis: Neſcio vos vndè ſitis: diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. * Ibì erit*
fletus, & ſtridor dentium: cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, &
29 *omnes Prophetas in regno Dei, vos autèm expelli forâs. * Et venient ab Orien-*
30 *te, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei. * Et eccè*
ſunt nouiſsimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt nouiſsimi.

COMMENTARIVS.

DICEBAT ergò, numquàm quieſcebat, ſempèr docens: *Cui ſimile eſt regnum Dei?* Eccleſia, *& cui ſimile æſtimabo*, dicam *illud? ſimile eſt grano ſinàpis*, & fermento, &c. de his alibi. ***Et ibat per Ciuitates, & Caſtella docens, & iter faciens in Ieruſalem***, vbi mori volebat, feſtinans ad mortem. ***Ait autèm illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt***, pauci ne ſunt ij, ***qui ſaluantur? Ipſe autèm dixit ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam***, quaſi cum violentia; ideò: à diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, & dicens ***anguſtam portam*** denotat paucitatem ſaluandorum; ***quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt***, quia non adhibuerunt diligentiam in ea quærenda, quam debuerant; ***Cum autèm intrauerit Pater familias*** (translatitio ſermone vtitur, & quid ſit venturum ob oculos ponit, & quaſi depingit, vt magis moueat) ***& clauſerit oſtium***, vult dicere, con-

tinget

tinget proùt patre familias ingreſſo, & clauſis ianuis *incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis, & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos vndè ſitis:* non ſunt ſcripta nomina veſtra. *Tùnc incipietis dicere: Manducauimus coràm te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti*, vndè benè tibi noti ſumus (hoc dicent alloquentes Chriſtum non intrà ſe. Vide in Languido) *& dicet vobis* iterum: *Neſcio vos vndè ſitis; diſcedite à me omnes operarij iniquitatis*; non enim permanſiſtis in prima bonitate, ſed defeciſtis, ideò non eſtis digni corona, & ingreſſu domus meæ, in quam nihil intrat coinquinatum. *ibi*, in loco, ad quem vos mittet, *erit fletus, & ſtridor dentium* extremus dolor, *cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei; vos autèm expelli foràs*, eccè cruciatus reorum, viſio bonorum in gloria, à qua ipſi deciderunt, vt in Epulone, & quod plus eſt, *& venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei*, gentiles nempè, de quibus & in Centurione, quod erit vobis grauius, *& eccè* infert ex hoc vltimo *ſunt nouiſſimi, qui erant primi, & ſunt primi, qui erant nouiſſimi*, confudetur ibi ordo, qui nunc eſt in mundo in perniciem veſtram; nàm Ethnici præcedent vos.

CAPVT LXCVIII.

RELATIO DE HERODE VOLENTE OCCIDERE CHRISTVM.

Luc. 13.

31 *IN ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi:*
Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.
32 ** Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Eccè eijcio dæmo-*
nia, & ſanitates perficio hodiè, & cràs, & tertia die
33 *conſummor. * Veruntamèn oportet me hodiè, & cràs, &*
ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire
34 *extrà Ieruſalem. * Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis*
Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quotiès volui congregare filios
35 *tuos quemadmodum auis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti? * Eccè relinquetur*
vobis domus veſtra deſerta. Dico autèm vobis, quia non videbitis me donec ve-
niat cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

COM-

COMMENTARIVS.

I*N ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi, exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere*. Aliqui tenent hanc fictionem Phariſæorum; ego credo eos verum dixiſſe, quia iàm Herodes ſuſpicabatur ipſum eſſe Ioannem, & ſibijpſi timebat, & Chriſtus non diceret: *dicite vulpi illi*, ſed contrà referentes inuectiuam feciſſet; ſed cur hæc referunt Chriſto eius inimici? ſitientes eius ſanguinem? vel hi erãt amici, vel neutrales, aut quia inimici timebant id Herodi non ſucceſſurum, & metu iniecto putabant eum ex ditione Herodis eijcere, & eum peruenturum in Ieruſalem, & ibì deſiderium ſuum expleturi; ſed ſi erat in ditione Herodis, id non congruit huic loco, cum iàm diſceſſiſſet à Galilæa, ad quam non eſt ampliùs reuerſus, vndè ſituandus eſt antè diſceſſum à Galilæa pòſt necem Ioannis Baptiſtæ. *Et ait illis, ite, & dicite vulpi illi: Eccè eÿcio dæmonia, & ſanitates perficio hodiè, & cràs, & tertia die conſummor. Verumtamèn oportet me* ex præordinatione diuina *hodiè, & cràs, & ſequenti die ambulare*, operari, & Ieruſalem perueniam ibì moriturus, ibiquè antè conſpectum eius ſtaturus, *quia non capit Prophetam perire extrà Ieruſalem*, quaſi, nemo tollit à me animam meam, non poſſum rogare Patrem, &c. nil ad me metus hic, ſermo hic, progredior ad quæ miſſus ſum, moriar quandò mihi placuerit, & in Ieruſalem, quam elegi, non poterit ipſe hæc immutare. *Ieruſalem, Ieruſalem, &c.* at ſupèr his verbis alibi dictum.

CAPVT XCIX.

DE HYDROPICO.

Luc. 14.

1 *ET factum eſt cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam Prin-*
cipis Phariſæorum Sabbato manducare panem, & ipſi ob-
2 *ſeruabant eum.* * *Et eccè homo quidam hydropicus erat an-*
3 *tè illum.* * *Et reſpondens Ieſus dixit ad Legiſperitos, &*
4 *Phariſæos dicens: Si licet Sabbato curare?* * *At illi ta-*
cuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.
5 * *Et reſpondens ad illos dixit: Cuius veſtrum aſinus, aut*
6 *bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?* * *Et non po-*
7 *terant ad hec reſpondere illi.* * *Dicebat autèm & ad inuitatos parabolam, in-*
8 *tendens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos.* * *Cum inuitatus fue-*
ris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus
9 *ab illo.* * *Et veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum:*
10 *& tùnc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere.* * *Sed cum vocatus fue-*
ris,

ris, vade, recumbe in nouiſſimo loco: vt, cum venerit qui te inuitauit, dicat
tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. Tùnc erit tibi gloria coràm ſimùl diſcumbenti-
11 *bus: quia omnis, qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.*
12 * *Dicebat autèm & ei, qui ſe inuitauerat: Cum facis prandium, aut cœnam,*
noli vocare amicos tuos, nequè fratres tuos, nequè cognatos, nequè vicinos diui-
13 *tes: ne fortè te, & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio.* * *Sed cum facis conui-*
14 *uium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:* * *& beatus eris, quia non habent*
15 *retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.*

COMMENTARIVS.

E*T factum eſt cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum*, qui illum inuitauerat; *Sabbato manducare panem*, ad cõuiuium, *& ipſi*, Phariſæi ſcilicèt *obſeruabant eum*, vt in aliquo capere poſſent; ſic ſubintroducti falſi teſtes ſubintroierunt explorare libertatem Apoſtolorum. Gal. 2. 4. ***Et eccè homò*** (eccè occaſio) ***quidam hydropicus erat antè illum***, quem ipſi fortè ibì de induſtria poſuerant, ***& reſpondens Ieſus dixit ad Legiſperitos, & Pariſaos, dicens: Si licet Sabbato curare?*** quaſi, cur non licet? ***At illi tacuerunt*** neſcientes quid dicerẽt, & timentes conuiuas. ***Ipſe verò apprehenſum*** hydropicum ***ſanauit eum***, vt appareret ipſe medicus, nec alteri virtuti id attribueretur, & ne miraculum poſſent calumniari, nàm de Sabbato non curabat; vndè dici non poteſt ex tactu voluiſſe occaſionem dare oppoſitioni inobſeruantiæ Sabbati, ***ac dimiſit***, vanam gloriam docens vitandam. ***Et reſpondens ad illos, dixit***, intentioni eorum, quam ſciebat, reſpondit: ***Cuius veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum in die Sabbati?*** nulla Sabbati habita ratione? ſi hoc in animalibus, & cum tantò labore, quid in homine, & ſinè opera, ſolo nutu? ***& non poterant ad hæc reſpondere illi***, adeò conuincebantur. ***Dicebat autèm & ad inuitatos parabolam***; numquàm à docendo deſiſtebat, vt nouiſſima loca occuparent, nàm ſe humiliantes exaltari, exaltantes ſe humiliari, & hoc modo humilitatem docuit etiàm in conuiuio ſeruandam. ***Dicebat autèm & ei, qui ſe inuitauerat***, vt quandò facit conuiuium non vocet eos, qui illum reinuitare poſſunt, & fiat ſibi retributio temporalis, ſed ***pauperes, claudos, debiles, & cæcos, quia non habent retribuere tibi*** ex bonis caducis, ***retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum***, in qua recipieris ab eis in æterna tabernacula: benefac iuſto, & habebis retributionem, ſi non ab ipſo, certè à Domino.

CAPVT C.

DE PARABOLA COENAE MAGNAE.

Luc. 14.

15 *HAEC cum audiſſet quidam de ſimùl diſcumbentibus, di-*
xit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.
16 ** At ipſe dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam,*
17 *& vocauit multos. * Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ*
dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata ſunt om-
18 *nia. * Et cœperunt ſimùl omnes excuſare. Primus dixit*
ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam:
19 *rogo te habe me excuſatum. * Et alter dixit: Iuga boum emi quinquè, & eo*
20 *probare illa: rogo te habe me excuſatum. * Et alius dixit: vxorem duxi, &*
21 *ideò non poſſum venire. * Et reuerſus ſeruus nunciauit hæc domino ſuo. Tùnc*
iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis: &
22 *pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc hùc. * Et ait ſeruus: Domi-*
23 *ne, factum eſt vt imperaſti, & adhùc locus eſt. * Et ait Dominus ſeruo: Exi*
24 *in vias, & ſepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. * Dico au-*
tèm vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam
25 *meam. * Ibant autèm turbæ multæ cum eo: & conuerſus dixit ad illos.*

COMMENTARIVS.

AN hæc ſit eadem cum illa Matt. 22. videtur quòd non ex lectura valdè diſſimili. *Hæc* prædicta *cum audiſſet quidam de ſimùl diſcumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*, qui fruetur conuiuio illo ſpirituali, beatifico. An is rectè ſenſerit? videtur, proùt mulier: Beatus venter, &c. moti ex ſpiritu à verbis Chriſti concepto, ſermo enìm Dei penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. ità vt nec comprimi poſſit, quin exuberet, & effluat, & ſi is dicit *Beatus, &c.* quomodò malè ſenſit? & Chriſtus in parabola eum non tangit, & veriſimilitèr illum correxiſſet, ſi malè ſenſiſſet. *At ipſe dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*, Iudæos omnes, *& miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iàm parata ſunt omnia*, magna diligentia hominis iſtius demonſtratur. *Et cœperunt ſimùl omnes excuſare: Villam emi, &c.* ſic Achab inhians vineæ Naboth, pro qua cœnam recuſauit, hic ob delitias, de quibus. Eccleſ. 24. *Iuga boum emi*, ad villicos terræ addictos, & operi. *Vxorem duxi*. Eua

cade-

cadere fecit Adam: Achab Iezabel: Samſonem Dalida: Mulieres multæ Salomonem, & dicit *non poſſum*, quia adigunt homines ad ſuam voluntatem, ideò Paulus hortatur ad virginitatem. 1. Cor. 7. *& reuerſus ſeruus nunciauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus Pater familias* videns ſe ſperni, *dixit ſeruo ſuo, exi citò in plateas, & vicos Ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc hùc*, nempè gentiles; hi enim accedent ad conuiuium, quod Iudæi recuſarunt; *& ait ſeruus: Domine, factum eſt vt imperaſti, & adhùc locus eſt, & ait Dominus ſeruo: exi in vias, & ſepes, & compelle* ſuauitèr *intrare* & etiàm calamitatibus, & miſerijs; ſic Achab mutatus, Manaſſès reſipiſcens, Nabuchodonoſor recognoſcens, his preſſi, *vt impleatur domus mea*, hìnc non erit iudicium, donèc ſedes illæ impleantur. *Dico autèm vobis, quòd nemo virorum illorum* Iudæorum, *qui vocati ſunt* primò *guſtabit cœnam meam;* ſunt verba patris familias; nàm introducuntur interlocutores, & ſi ad ſe applicaſſet, quis vmquàm id eſſet aſſecutus? & quandò vult de ſe loqui, vtitur verbo: ſic erit, vel ſimilibus. Hinc colligitur diuitias, & commoditates multa præſtare impedimenta: Hìnc auxilia Dei inuitantis, inuitatos vocantis, quærentis, mittentis, & amantis ſedes impleri; & magna ſocordia inuitatorum, qui poterant, & quæ habebant retinere licitè, & ad menſam accedere. Aman vocatus à Regina Eſther gloriabatur; ſi Iacob ſeptem anni pauci dies videbantur præ amoris magnitudine, quid nobis agendum pro cœna hac magna?

CAPVT CI.

OMNIBVS RENVNCIANDVM.

Luc. 14.

26 S*I quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & ma-*
trem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, ad-
hùc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſci-
27 *pulus.* * *Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit pòſt*
28 *me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* * *Quis enìm ex vobis*
volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſum-
29 *ptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum,* * *ne,*
poſteaquàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vi-
30 *dent, incipiant illudere ei,* * *dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non po-*
31 *tuit conſumare?* * *Aut quis rex iturus committere bellum aduersùs alium regem,*
non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum vi-
32 *ginti millibus venit ad ſe?* * *Alioquin adhùc illo longè agente, legationem mit-*
33 *tens rogat ea, quæ pacis ſunt.* * *Sic ergò omnis ex vobis, qui non renunciat om-*
34 *nibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* * *Bonum eſt ſal. Si autèm*
35 *ſal euanuerit, in quo condietur?* * *Neque in terram, neque in ſterquilinium vti-*
le eſt, ſed forâs mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

COM-

COMMENTARIVS.

SI quis venit ad me, (præſcribit quid ſeruandum ab ijs, qui illum ſequi volunt) *& non odit patrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus*, præmiſit de inuitatis recuſantibus ire ad cœnam, docet nunc pro illo ſequendo, & cœna acquirenda etiàm dimittenda nedum villam, boues, vxorem, ſed omnia, etiàm vitam ipſam. Intelligitur de omnibus, qui ſi non re, affectu omnibus rebus renuncient, præponendo Deum omnibus, etiàm vitæ, & ſuadetur, quia loquitur ad turbas, quarum ſingulos homines non eſt veriſimile ad diſcipulatum perfectum, ſed communem tantùm attrahere, & traducere; nec dicas, profert, *ſic qui non renunciat, &c.* nàm reſpondeo, ſicùt Pater, mater, & fratres non poſſidentur, dicendo, *ſic*, intelligit eo modò renunciandum his, quę poſſidentur, quomodò dimittendi parentes, & alij, at parentes à nobis facto non ſeparamus, ſed illis Deum re, & affectu præponimus, itidèm nec poſſeſſa, ſed affectu dimiſſo, illis Deum anteponimus. At præſtat omnia facto dimittere; ſed hæc alibi. *Et qui non baiulat crucem ſuam* tribulationum, & anguſtiarum, *& venit pòſt me*, qui ad crucem propero, illa patiendo proptèr me; & paratus vitam pro me effundere, *non poteſt meus eſſe diſcipulus*; vult ergò nos totos, & integros, non diuiſos. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, &c. aut quis Rex, &c.* quaſi, qui cogitat ad diſcipulatum meū peruenire, debet conſiderare an ea, quæ propoſui, perficere poſſit antequàm accedat, proùt ædificaturus turrim, vel bellum initurus. *Bonum eſt ſal*, bonum eſt me ſequi, *ſi autèm ſal euanuerit*, ſi me ſequens receſſerit, *in quo condietur? neque in terram, neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foràs mittetur*, quia ſanari non poteſt; ſic à me recedens difficultèr reuertitur, & reducitur; *qui habet aures audiendi, audiat*, vult dicere, hæc benè cogitetis, quia multum valent.

CAPVT CII.
DE CONVERSATIONE CVM PECCATORIBVS.
Luc. 15.

1 *ERANT autèm appropinquantes ei Publicani, & peccatores vt audirent illum.*
2 ** Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*
3 ** Et ait ad illos parabolam iſtam dicens:*
4 ** Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, nonnè dimittit nonagintanouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donèc inueniat eam?*

5 eam ?* Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens:* & veniens
6 domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia
7 inueni ouem meam, quæ perierat.* Dico vobis, quòd ità gaudium erit in cælo
ſupèr vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupèr nonagintanouem iuſtis, qui
8 non indigent pœnitentia.* Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit
drachmam vnam, nonnè accendit lucernam, & euertit domum, & quærit di-
9 ligentèr, donèc inueniat ?* Et cum inuenerit conuocat amicas, & vicinas, di-
10 cens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram ?* Ità
dico vobis, gaudium erit coràm Angelis Dei ſupèr vno peccatore pœnitentiam
11 agente.* Ait autèm: Homo quidam habuit duos filios:* & dixit adoleſcentior
12 ex illis Patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et di-
13 uiſit illis ſubſtantiam.* Et non pòſt multos dies, congregatis omnibus, adole-
ſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibì diſſipauit ſub-
14 ſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.* Et pòſtquàm omnia conſummaſſet, facta
15 eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.* Et abijt, & adhæſit vni
16 ciuium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam vt paſceret porcos.* Et
cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo
17 illi dabat.* In ſe autèm reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei
18 abundant panibus, ego autèm hìc fame pereo!* Surgam, & ibo ad Patrem
19 meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coràm te:* iàm non ſum di-
20 gnus vocari filius tuus: fac me ſicùt vnum de mercenarijs tuis.* Et ſurgens
venit ad Patrem ſuum. Cum autèm adhùc longè eſſet, vidit illum pater ipſius,
& miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſupèr collum eius, & oſculatus
21 eſt eum.* Dixitquè ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coràm te, iàm non
22 ſum dignus vocari filius tuus.* Dixit autèm pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte
ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & cal-
23 ceamenta in pedes eius:* & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & man-
24 ducemus, & epulemur:* quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perie-
25 rat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari.* Erat autèm filius eius ſenior in
26 agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam, & cho-
27 rum:* & vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent.* Iſquè di-
xit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſal-
28 uum illum recepit.* Indignatus eſt autèm, & nolebat introire. Pater ergò illius
29 egreſſus, cœpit rogare illum.* At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Eccè tot annis
ſeruio tibi, & numquàm mandatum tuum præterìui, & numquàm dediſti mi-
30 hi hædum, vt cum amicis meis epularer:* ſed poſtquàm filius tuus hic, qui de-
uorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſagi-
31 natum.* At ipſe dixit illi: Fili, tu ſempèr mecum es, & omnia mea tua ſunt:
32 * epulari autèm, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, &
reuixit: perierat, & inuentus eſt.

COMMENTARIVS.

AGITVR de cura, & diligentia in peccatore conuertendo tribus parabolis; & vt ſe vindicet à Iudicio Phariſæorum, & homines ad id accendat, quàm gratum Deo, & Angelis ſit hoc munus aperit. *Erant autèm appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum*, & ſanarentur, & quia eos libentèr amplexabatur, & fouebat, pro quibus dicebat veniſſe, *& murmurabant Phariſæi, & Scribæ dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, quaſi ex hoc malè iudicantes contrà eum; ſic & Phariſæus publicanum quaſi peccatorem reſpuebat, vt in alia parabola, talis enim præſumitur quis, qualis is, cum quo verſatur.

Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens; duplici parabola eos confutat, paſtoris habentis centum oues, quarum vnam amiſſam quærit, dimiſſis nonaginta nouem in deſerto. & gaudentis pro inuenta; & mulieris drachmas decem habentis, ad quarum vnam amiſſam ſolam inueniendam omnia ſubuertit, & gaudentis de inuenta, vocatis in vtraque vicinis, & alijs, quod ſolemus in magna lætitia, in qua omnes vellemus congaudentes, non valentes illam in nobis continere; deindè ſubdit. *Dico vobis; quòd ità gaudium erit in Cælo ſupèr vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupèr nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia*. Et *ità dico vobis, gaudium erit coràm Angelis Dei ſupèr vno peccatore pœnitentiam agente*, cur hoc? ob hanc nouam actionem peccatoris, & geſta pro peccatore, quæ iuſtis non conueniunt, *Ait autèm:* alia parabola filij prodigi reuerſi ad patrem docet de gaudio ſupèr peccatore: auge parabolam, ſi id facit pater terrenus, & alij ſecum, quid faciet pater cæleſtis cum Angelis, & iuſtis? longa, ſed clara, & facilis eſt, depingit peccatorem à Deo auerſum, diù vagantem, qui tandèm ad pœnitentiam reuertatur, & à Deo lætiſſimè excipiatur. *Homo quidam*, Deus *habuit duos filios* iuſtos, ſibiquè hærentes, ſed vnus iunior malè ſuaſus cœpit digredi, *& dixit adoleſcentior ex illis Patri*, Deo, *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, & diuiſit illis ſubſtantiam, & non pòſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam*, ſic ex parabola, quæ reduci poteſt, filium iuniorem à Deo multis donis, & gratijs dotatum (diſtribuit enim vnicuique Deus dona ſua proùt vult) in ſuo libero arbitrio poſitum, quod Deus non cogit, cum donis, & gratijs à Deo receptis, quibus non priuat quemquam antè peccatum, à Deo receſſiſſe in longinqua, à Deo enim auerſus longinqua petere dicitur, *& ibi* à Deo longinquus, oblitus à Deo recepiſſe tot dona, ingratus *diſſipaſſe omnem ſubſtantiam ſuam*, omnia dona, & gratias *viuendo luxuriosè*, ad quæ propenſiores iuuenes, *& poſtquam omnia conſummaſſet*, ità vt de proprio nihil haberet vndè viueret, (peccatum enim denudat pauperem peccatorem) & in beſtiam eſſet conuerſus: homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, hoc in Nabuchdonoſor: *facta eſt fames valida in regione illa*, panis, ad litteram verbi Dei in ſenſu de quo agimus; proùt dicit Abraham Abimelech: forſitàn non eſt timor Dei in loco iſto. Geneſ. 20. 11. & inducam famem non panis, ſed verbi Dei, *& ipſe cœpit egere*, non habens conſulentem, *& abijt, & adhæſit vni ciuium regionis illius*, vt fami conſuleret; ſic peccator imprudens pòſt peccatum hæret ciui regionis mundi ſibi ſimili, nec expergiſcitur, quia conuerſatio illa ad bonum non ducit, *& miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos*, nedum non iuuit illum, ſed propoſuit occaſionem continuandi in luxurijs, quæ per porcos deſcribuntur, *& cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*; tantùm dabatur

illi

illi panis arctus, & aqua breuis, quibus ſatiari non poterat; vtitur hac phraſi ad oſtendendum miſerum ſtatum peccatoris; fortè is ciuis erat dæmon, qui peccatorem ſuum factum egentem, & famelicum miſit ad paſcendos porcos, ad infamia miniſteria, nec dabat illi ſufficientia; multa enim ad alliciendum promittit adoraturis eum, vt legimus, ſed nihil obſeruat, neminem vmquàm liberum dimittit, ſempèr decipit, & ſubtrahit de promiſſis, numquàm hominem explet, vt ſempèr in vinculis peccatorum conſtringatur. *In ſe autèm reuerſus* (Domino auxilium ſuggerente ex vexatione, quæ tribuit intellectum) *dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*, cibis bonis, lectione ſacrorum librorum, vſu Sacramentorum, illuſtrationibus; *ego autèm hìc fame pereo* nihil audiens, vel legens, vel faciens quod filium, ſeù Chriſtianum deceat, imò nec valens ſiliquas porcorum percipere vt ſatier. *Surgam, & ibo ad patrem meum*, ad Deum venerabundus, & genuflexus, contritus corde, & dicam ei. *Pater*, pater autèm eſt, non poterit non miſereri; ſi vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, *peccaui in cælum, & coràm te*, ſic Dauid: tibi ſoli peccaui, & malum coràm te feci, *iàm non ſum dignus vocari filius tuus*, humiliat ſe, qui ſuperbè à patre receſſerat, *fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis*, ſic Abigail ad Dauid: fac me ancillam tuam; vt lauem pedes ſeruorum tuorum, filiatio mihi non debetur; Verba aptat, antequàm congrediatur cum Patre, vt in occurſu ex illis ad miſericordiam patrem alliciat, *& ſurgens venit ad Patrem ſuum*, & tùnc iuſtificatus remanſit. Dixi: confitebor aduersùm me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei; *Cum autèm adhùc longè eſſet* (ecce promptitudo Dei in remittendo reuertenti peccatori) *vidit illum Pater ipſius*, Deus, cui omnia præſentia, *& miſericordia motus eſt*, cuius ſunt plena viſcera: miſericordia eius ſupèr omnia opera eius, & (præuenit) *accurrens cecidit ſupèr collum eius* ex magna amoris teneritudine, *& oſculatus eſt eum* in ſignum veræ pacis, & amicitiæ reintegratæ. *Dixitquè ei filius*, (vult enim Dominus confeſſionem noſtram pòſt contritionem) *Pater, peccaui in Cælum, & coràm te, iàm non ſum dignus vocari filius tuus*. Pater Deus impatiens in peccatoribus acceptandis interrumpit ſermonem integrum, quem filius conceperat, ſuſtinere non valens alia verba proferri, & præſertìm illa, *fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis*, inſpicit enim cor. Dauidi vnum verbum ſatìs fuit: peccaui, &c. *Dixit autèm Pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam*, primam veſtem innocentiæ imponit Deus, *& induite illum, & date illi annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum* de melioribus, *& occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat* peccato, *& reuixit* pœnitentia, *perierat, & inuentus eſt* (eccè gaudium ſupèr peccatore, qui eſt ſcopus parabolæ) *& cœperunt epulari*; quàm eſt Deus verax, obſeruans, citò dans, contrarius in omnibus diabolus, vt vidimus. *Erat autèm filius eius ſenior in agro*, operi intentus, *& cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit ſimphoniam, & chorum, & vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent*, nolebat enim inſcius ingredi, *iſquè dixit illi: Frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autèm, & nolebat introire. Pater ergò illius egreſſus cœpit rogare illum*, vt introiret, & indignationem deponeret. *At ille reſpondens, dixit Patri ſuo: Eccè tot annis ſeruio tibi, & numquàm mandatum tuum præteriui, & numquàm dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*, ità durè mecum te habuiſti, *ſed pòſtquam filius tuus hic* ſceleſtus, *qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum; at ipſe* Pater *dixit illi, fili, tu ſempèr mecum es, & omnia mea tua ſunt*, quia ſimùl conuiuimus, nec diuiſus es, vndè participas omnium bonorum meorum, ideò non potes conqueri, *epulari autèm, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic*, non alienus, non ignotus, ſed frater, *mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt*.

Hæc,quæ dixit de fratre,poſita ſunt ad complementum parabolæ,& ad demonſtrandum clarè, quomodò dicatur ſuprà, *ità gaudium erit ſuper vno peccatore, &c.* nempè quia *perierat, & inuentus eſt*, & ſolemus de his inuentis lætari, & gaudere, quia præbent nouam cauſa lætandi, quam non præbent non amiſſa, & non inuenta, ſed apud nos exiſtentia,non autèm quòd iuſtus aliquis de hoc conqueratur, cum à Deo id rectè fiat,& conformes ſint Dei voluntati.

CAPVT CIII.

DE VILLICO INIQVO, ET EPVLONE.

Luc. 16.

1 D*ICEBAT autèm & ad diſcipulos ſuos: Homo qui-*
dam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffama-
2 *tus eſt apud illum quaſi diſsipaſſet bona ipſius. * Et vo-*
cauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde ra-
tionem villicationis tuæ: iàm enìm non poteris villicare.
3 ** Ait autèm villicus intrà ſe: Quid faciam quia Domi-*
nus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo,
4 *mendicare erubeſco. * Scio quid faciam, vt, cum amotus fuero à villicatione,*
5 *recipiant me in domos ſuas. * Conuocatis itaquè ſingulis debitoribus Domini ſui,*
6 *dicebat primo: Quantùm debes Domino meo? * At ille dixit: Centum cados olei.*
7 *Dixitquè illi: Accipe cautionem tuam: & ſede citò, ſcribe quinquaginta. * De-*
indè alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait il-
8 *li: Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta. * Et laudauit Dominus villicum*
iniquitatis, quia prudentèr feciſſet: quia filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis
9 *in generatione ſua ſunt. * Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona*
10 *iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. * Qui*
fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in
11 *maiori iniquus eſt. * Si ergò in iniquo mammona fideles non fuiſtis: quod verum*
12 *eſt, quis credet vobis? * Et ſi in alieno fideles non fuiſtis: quod veſtrum eſt,*
13 *quis dabit vobis? * Nemo ſeruus poteſt duobus Dominis ſeruire: aut enìm vnum*
odiet, & alterum diliget, aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non po-
14 *teſtis Deo ſeruire, & mammonæ. * Audiebant autèm omnia hæc Phariſæi, qui*
15 *erant auari: * & deridebant illum. Et ait illis: Vos eſtis, qui iuſtificatis vos*
coràm hominibus: Deus autèm nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum
16 *eſt, abominatio eſt antè Deum. * Lex, & Prophetæ vſquè ad Ioannem: ex*

eo

17 *eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.* * *Facilius eſt au-*
18 *tèm cælum, & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* * *Omnis,*
qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à
19 *viro ducit, mœchatur.* * *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura,*
20 *& byſſo: & epulabatur quotidiè ſplendidè.* * *Et erat quidam mendicus, nomi-*
21 *ne Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus,* * *cupiens ſaturari*
de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat: ſed canes venie-
22 *bant, & lingebant vlcera eius.* * *Factum eſt autèm vt moreretur mendicus,*
& portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autèm & diues, & ſe-
23 *pultus eſt in inferno.* * *Eleuans autèm oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit*
24 *Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* * *Et ipſe clamans dixit: Pater*
Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui
25 *in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* * *Et dixit*
illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſi-
26 *militèr mala: nunc autèm hic conſolatur, tu verò cruciaris.* * *Et in his omni-*
bus intèr nos, & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi, qui volunt hinc
27 *tranſire ad vos, non poſſint, neque indè huc tranſmeare.* * *Et ait: Rogo ergò te*
28 *pater vt mittas eum in domum patris mei.* * *Habeo enim quinque fratres, vt*
29 *teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* * *Et ait illi Abra-*
39 *ham: Habent Moyſen, & Prophetas: audiant illos.* * *At ille dixit: Non Pa-*
31 *ter Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* * *Ait au-*
tèm illi: Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſur-
rexerit, credent.

COMMENTARIVS.

D*ICEBAT autèm & ad diſcipulos ſuos. Homo quidam, &c.* Annecti poteſt hæc parabola ſuperioribus hoc modo. Egerat ſuprà de gaudio pro conuerſione peccatoris, qui ad fruendum beatitudinem aſſumitur à Patre, nũc docet viam ad illam beatitudinem perueniendi facilem, nempè diſpergendas opes in pauperes ob regnum, & beatitudinem illam exemplo villici iniqui. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum* hominem *quaſi* quòd *diſſipaſſet bona ipſius*, quæ adminiſtrare rectè debuerat; ſic Adam, Cain, Sodomitæ, ædificatores turris Babel diffamati apud Deum, *& vocauit illum*, volens cauſas intelligere, *& ait illi: Quid hoc audio de te*, te nempè diſſipare bona mea tibi commiſſa? *redde rationem villicationis tuæ*, tuæ adminiſtrationis; *iàm* enim impoſterum *non poteris villicare. Ait autèm villicus intrà ſe*, ſibi conſulere volens. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationẽ?* qua magnificor, apud alios, & nulla re indigeo? nàm ab illa depoſitus ſpernar; ſic Samſon ſectis capillis, Thamar ſtuprum paſſa ab Amnon, & non habebo vndè neceſſitatibus meis prouideam; *Fodere* enim *non valeo*, aſſuetus dominicis delitijs, *mendicare erubeſco*, qui in villicatione mea alijs ſubueniebam, *ſcio quid faciam, vt, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me* alij *in domos ſuas. Conuocatis*

itaquè ſingulis debitoribus Domini ſui dicebat primo: Quantùm debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitquè illi: Accipe cautionem tuam, ne illa conueniri poſſis, *& ſede citò, ſcribe* aliam cautionem pro *quinquaginta, deindè alij dixit, &c. & laudauit Dominus* ille *villicum iniquitatis*, iniquum, *quia prudentèr*, non tamèn iuſtè, illum decipiendo, *feciſſet, quia filij huius ſæculi* iniqui *prudentiores filijs lucis*, bonis *in generatione ſua*, in negocijs ſuis *ſunt:* loquitur à communitèr accidentibus, & quia plures ſequuntur tenebras mundi, quàm lucem. *Et ego vobis dico* exemplo huius villici prudentis, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, diuitijs iniquis; ſic loquitur non quòd diuitiæ tales, quæ potiùs ſpinæ dicuntur. Luc. 8. nàm & Abraham, & Iacob, Iob, & alij diuites, ſed perſiſtens in parabola, & villico aliena elargiente, quæ erant ei mammona iniquum, in applicatione enim parabolæ intelligit bona noſtra propria diſpenſanda pauperibus, nàm & incerta aliena diſpenſata non prodeſſent nobis, ſed incertis dominis, *vt cum defeceritis*, moriemini, *recipiant vos in æterna tabernacula*, in cælum, non quòd illi recepturi, cum de omnibus pauperibus ſit ſermo, & non omnibus pauperibus id datum, ſed bonis perſeuerantibus, qui omnia dimiſerunt nullo retento, ſed ſic loquitur ſtans in parabola, vt ſicut egit villicus, vt reciperetur in domibus creditorum, ſic nos agamus, vt recipiamur in cælum à Domino, qui induit perſonam pauperum, dicens: quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; & eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Villici ſunt omnes homines vocandi ad reddendam rationem villicationis à Deo eis dimiſſæ, etiàm in minimo, etiàm verbo otioſo; at quæ miſericordia Iudicis fungentis nobiſcum officio aduocati, quo & apud Patrem, nàm docet nos quomodò ſuum Iudicium eludere poſſimus, opes in pauperes diſpergendo; ſic Matthæus, ſic Zachæus ab eo edocti; ſic egit cum Adam, Caino, Dauid edocens illos ſe noſſe eorum peccatum, ne fortè negarent illud, & damnarentur; in quod impegit miſer Cain. *Qui fidelis eſt in minimo*, in minimis rebus ei creditis, *& in maiori fidelis eſt*, ideſt, eſſe præſumitur, ideòquè maiora ei credenda ſunt; ſic ſeruo: quia in pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui; Vult ergò dicere: fidelitatem amate in rebus vobis creditis, etiàm minimis, quia ſi in eis rectè vos habueritis, ad maiora aſſumemini, ne imitemini villicum hunc iniquum in ſua iniquitate; ſi parua habetis, & in paruis facite vobis amicos pauperes, *& qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt* eſſe præſumitur; quia ſemel malus ſempèr præſumitur malus in eodem genere mali; *ſi ergò in iniquo mammona* (iniquo hìc, quia iniquè adminiſtratum à villico) *fideles non fuiſtis*, vel eritis quod eſt minimum; *quod verum* bonum *eſt*, mammona, quod eſt malus (in idem enim recidit quod ſuprà dixit) *quis credet vobis? & ſi in alieno adminiſtrando* (alienum vocat adminiſtrationem bonorum alterius, perſiſtens in parabola villici aliena adminiſtrantis) *fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit uobis?* nàm in alieno diligentes eſſe debueratis, cum illius vobis eſſet reddenda ratio, in veſtro, in proprio non ſic., cum illius eſſetis veri domini, & diſpenſatores, non dicas ergò (*alieno*) ideſt diuitijs, quæ in morte dimittuntur: nàm dicitur: vendite quæ poſſidetis: poſſidete paratum vobis regnum in ſignum dominij, at arguit ab his terrenis ad æterna bona, ſi in his non fuiſtis fideles, non dabuntur vobis æterna, non quòd veſtra illa, etſi parata à conſtitutione mundi, hæc non, ſed iuxtà illud: ſerue bone, & fidelis, quia ſupèr pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam intra in gaudium Domini tui. *Nemo ſeruus poteſt duobus dominis ſeruire*, ratio, *aut enim unum odiet, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet*, infert: *non poteſtis Deo ſeruire*, eleemoſynas largiendo, *& mammonæ*, diuitias auarè congregando, & pauperibus non diſtribuendo, propterea affectus à diuitijs abſtrahendus, vt poſſitis illas elargiri pauperibus; hæc enim ſunt conſecutiua ad parabolam. *Audiebant autèm hæc omnia Phariſæi, qui erant auari* (ecce quò omnia præmiſſa tendant) *& deridebant illum*, quia non iuxtà eorum ſenſum loquebatur. *Et ait illis: Vos eſtis, qui iuſtificatis*, iuſtos *vos* falſò

sò oſtenditis *coràm hominibus* interiora non perſcrutantibus; *Deus autèm nouit corda veſtra*, quæ ſunt illi aperta; ideò coràm illo non iuſtificamini, coràm quo deberetis, & à quo mercedem expectare poſſetis, quam ab hominibus vanam recipitis, *quia quod hominibus altum eſt* apparet, videtur ſublime, bonum, *antè Deum* internè videntem, *abominatio eſt*, abominabile, turpe, vitioſum eſt. *Lex, & Propheta*, qui terrena promittebant *uſquè ad Ioannem: ex eo* verò *regnum Dei euangelizatur*, publicatur, exponitur capiendum, ità vt nunc non diuitijs cogendis, ſed in eis diſpergendis ſit inſiſtendum, *& omnis* de illo audiens, & benè ſentiens *in illud* acquirendum *uim facit*, mutata ſunt tempora illa primæua, temporalia in ſpiritualia, propterea & vos dimiſſis temporibus illis in hoc regnum incumbite, rapere illud ſatagite, *faciliùs eſt autèm cælum, & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere*. Hæc, ſubdit ne putarent legalia per eum abrogari, ideò dicit omnia in eis præſcripta euentura, & multa in meliora commutanda, proùt illud de libello repudij; ideò exempli gratia hoc ſubdit: *omnis, qui dimittit, &c.* ſed de hoc infrà Matth. 19. poſteà ad eundem finem adducit hyſtoriam Epulonis. *Homo quidam erat diues, &c.* Ex hac hiſtoria cognoſcitur differentia iudiciorum Dei, & hominum; hiſtoria verò eſt quia nominatur perſona. *Homo quidam erat*, non eſt; præterit enim figura huius mundi, *diues, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè* more Epicureorum nihil cogitans, niſi edamus, & bibamus cràs moriemur. 1. Cor. 15. 19. ſic & ille ſtultus euangelicus. Luc. 12. 19. Nabal. 1. Reg. 25. quorum Deus venter eſt, inquit Paulus, hinc tumor, & ſuperbia, vt pauperem non reſpiceret. *Et erat quidam mendicus nomine lazarus*, qui apud homines erat obſcurus, & eius nomen ignorabatur, alióquin ex eius nomine deprehendi poterat & nomen diuitis, quem Chriſtus prodere noluit, imò & iuxtà concordiam tùnc Chriſtus erat in oppidis Iudææ, non in Ieruſalem, ſi enim diues, & Lazarus Ieroſolymitæ fuiſſent, & in Ieruſalem hæc dixiſſet Dominus, de facili nomen diuitis ſciri poterat ex Lazaro nominato. At quia non erat neceſſarium ad hiſtoriam ſcire nomen Lazari, ſed ſufficiebant deſcriptiones illius perſonæ, cum tamèn Chriſtus illud expreſſerit, puto id factum, vt nobis innoteſceret eius virtus, & pro Sancto ab Eccleſia honoraretur, vt ſit, nomina enim iuſtorum produntur ad honorem, quos nouit Deus ex nomine; ſic Moyſi: noui te ex nomine, proùt & Iob; reorum nomina ſcire inutile, ideò illorum nomina, & ſtatum regularitèr ignoramus. *Qui iacebat ad ianuam eius*, vt non poſſet non illum videre, *ulceribus plenus*, quibus ad commiſerationem moueretur diues, *cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis*, vt non poſſet diues non audire petentem, & deſiderium, & neceſſitatem etiam ore exprimentem, *& nemo illi dabat*, nec diues, nec ſerui Dominum imitantes; *ſed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius*, ità vt canibus diuitis mendicus eſſet largior, quàm diues mendico homini, ideò dicit (*ſed &*) ampliatiuè ad præcedentia. *Factum eſt autèm, vt moreretur mendicus, & portaretur*, duceretur, aſſociaretur *ab Angelis*, non enim veriſimile à pluribus portatum, & ſi hic interpretatio hæc, quantò magis dicendum ductum Ieſum, non portatum à Diabolo? vt tenuimus: *in ſinum Abrahæ* tranquillum ab Abraham denominatum Patre credentium. Hinc non omnes per ignem probandi, vt dixi in Epiſtol. 1. ad Cor. Lazarus enim per illum non fuit probatus, ſed rectè delatus ad requiem, *mortuus eſt autèm & diues, & ſepultus* non ampliùs extrahendus *in inferno: eleuans autèm oculos ſuos, cum eſſet in tormentis* (eccè quid in inferno damnati agant.) *vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius*, non corporali, ſed ſpirituali, vt ſuprà *in ſinum Abrahæ*, Deo permittente, vt magis torqueretur ex aliorum ſtatu bono; præſertim eius, quem nec reſpicere dignabatur, & in quem peccauerat, vndè dicunt in inferno: hi ſunt, quos aliquandò habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, &c. eccè quomodò computati ſunt intèr Filios Dei, & intèr Sanctos ſors illorum eſt; *à longè* dicit, tùm ob magnum chaos interpoſitum, tùm ne requiem illam guſtaret, omni enim in inferno deſtituuntur,

hinc

hinc etiàm fortè præmiſit ſtatum ſuum miſerabilem dicens (*cum eſſet in tormentis*) *& ipſe clamans dixit*: *Pater Abraham miſerere mei*: cum vocet Patrem Abraham, Hebræus erat, ſic enim Paulus Hebræus. Rom. 4. 1. Quid ergò dicemus inueniſſe Abraham Patrem noſtrum ſecundùm carnem? & Ioan. 8. 39. Pater noſter Abraham eſt, & quia dicit ſuos habere Moyſen, & Prophetas; & Abraham nuncupat eum filium, *miſerere mei*: vides enim miſerias, in quibus infixus ſum; qui noluit miſereri mendici, fruſtrà miſericordiam petit à non daturo, prout de Antiocho ſceleſto orante Dominum, à quo miſericordiam non erat cõſecuturus. 2. Machab. 9. 13. Ad Abraham autèm recurrit, quia ſciebat illum præſidere loco illi, vti Patrem credentium, & multarum gentium. Rom. 4. *& mitte* (ecce in quo volebat ſui miſereri Abraham) *Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*; parum petit qui micas negauit, parum profuturum, nec recipit, quia omni remedio deſtituti damnati, ideò ignis æternus, infernalis, numquàm ceſſans, linguæ meminit ad denotandum ſitis vehementiam, quam in mundo in lingua ſuprà alia membra ſentimus, in lingua cruciatur prima ad guſtum, *qui epulabatur quotidiè ſplendidè*. Petit autèm mitti Lazarum, tùm oculis ſuis repreſentatum, tùm quia adhùc reſeruabat ſuprà illum in mente ſua ſuperioritatem quandam, prout in mundo, ideòque etiàm petit illum mitti ad ſuos, ignorans mutatas ſortes, & qui erat in caput factus in caudam, & qui in caudam in caput. Petit guttam aquæ extenuans petitionem, vt faciliùs impetret remedium, non quòd guttam aquæ tantùm optaret, quam ſciebat parum profuturam; ſi enim exaudiſſet eum Abraham, putabat non ità arctè ſecum ſe habiturum; petebat micam Chananæa, ſed ſub illa ſanitatem filiæ.

Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimilitèr mala; nunc autèm hic conſolatur, tu verò cruciaris; exprobrat tacitè primùm Abraham diuiti crudelitatem, & malè geſta, prout Christus ad inferos deſcendens in carcere ſpiritibus prædicauit exprobrando. 1. Pet. 3. 19. 20. & ſignificat vnumquemque recipere ſecundùm opus eius, & diuerſimodè in hoc mundo, & illo agi. Deindè negat petita, ſubdens; *& in his omnibus inter nos, & vos magnum Chaos firmatum eſt, vt hi, qui volunt*, vellent, nàm nemo vult, *hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque indè huc tranſmeare*. non ergò poſſum tibi obſequi, dicit de chaos metaphoricè ad exprimendam impoſſibilitatem, *Et ait: rogo ergò te Pater*; pòſtquàm id nòn potes, *vt* ſaltèm *mittas eum in domum Patris mei*, ad quam potes. Moyſes enim de Limbo venit ad transfigurationem, Samuel ad Saulem: *habeo enim quinquè fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locum tormentorum*, credendum moueri ex naturalibus, quæ non perduntur in damnatis, prout neque in dæmonibus, ideò vocat Patrem Abraham, & fratres ſuos, & filius ab Abraham vocatur.

Et ait illi Abraham: Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos; iuxtà illos operentur. ſic Petrus 2. cap. 1. 19. pòſtquàm dixit de Transfiguratione, ſubdit: & habemus firmiorem propheticum ſermonem, &c. *At ille dixit: Non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam, agent.* Loquitur iuxtà opinionem hominum imprudentium, & diuitum mundi per eum retentam, qui de his fabulantur, & parum credunt de alio ſæculo, vel ſaltèm non attendunt, quæ de illo dicuntur certa in ſcripturis, vel vana reputant. *Ait autèm illi: Si Moyſen, & Prophetas non audiunt*, qui Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt. 2. Pet. 1. 21. *neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*. Hebræi Lazarum reſuſcitatum occidere voluerunt; Chriſti reſurrectionem occultare tentarunt, nedum conuerſi ſunt. Vrget Dominus Hebræos in Abraham ſuo confidentes hac hiſtoria, prout Ioannes: & ne velitis, dicere intrà vos: Patrem habemus Abraham, cum nihil profuerit Epuloni Hebræo illum inuocanti bonis operibus deſtituto; Quia pòſt parabolam villici, vt eius exemplo moueamur ad eleemoſynam, ſubdit hiſtoriam crudelis Epulonis colligitur reperiri plures crudeles in pauperes, quàm miſe-

miſericordes, quia ſi de miſericordibus extitiſſet hiſtoria, eam protuliſſet, proùt de immiſericordi, niſi velimus parabolam Samaritani fuiſſe hiſtoriam.

CAPVT CIV.

INTERROGATIO DE REGNO DEI.

Luc. 17.

20 *INTERROGATIO autèm à Phariſæis: Quandò*
venit regnum Dei? Reſpondens eis, dixit: Non venit
21 *regnum Dei cum obſeruatione: * Nequè dicent: Eccè hìc,*
22 *aut eccè illìc. Eccè enìm regnum Dei intrà vos eſt. * Et*
ait ad diſcipulos ſuos: Venent dies quandò deſideretis vi-
23 *dere vnum diem Filij hominis, & non videbitis. * Et*
dicent vobis: Eccè hìc, & eccè illìc. Nolite ire, nequè
24 *ſectemini. * Nàm ſicùt fulgur coruſcans de ſub cælo in ea, quæ ſub cælo ſunt, ful-*
25 *get: ità erit Filius hominis in die ſua. * Primùm autèm oportet illum multa pa-*
26 *ti, & reprobari à generatione hac. * Et ſicùt factum eſt in diebus Noe, ità erit*
27 *& in diebus Filij hominis: * Edebant, & bibebant: vxores ducebant, & da-*
bantur ad nuptias, vſquè in diem, qua intrauit Noe in arcam: & venit di-
28 *luuium, & perdidit omnes. * Similitèr ſicùt factum eſt in diebus Lot: Ede-*
bant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant:
29 ** qua die autèm exijt Lot à Sodomis, pluit ignem, & ſulphur de cælo, & om-*
30 *nes perdidit: * ſecundùm hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur. * In illa*
31 *hora qui fuerit in tecto, & vaſa eius in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui*
32 *in agro, ſimilitèr non redeat retrò. * Memores eſtote vxoris Lot. * Quicumquè*
33 *quæſierit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit*
34 *illam, viuificabit eam. * Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno:*
35 *vnus aſſumetur, & alter relinquetur: * Duæ erunt molentes in vnum: vna*
aſſumetur, & altera relinquetur: duo in agro: vnus aſſumetur, & alter relin-
36 *quetur. * Reſpondentes dicunt illi: Vbi Domine? * Qui dixit illis: Vbicumquè*
fuerit corpus, illùc congregabuntur & aquilæ.

COM-

COMMENTARIVS.

INTERROGATVS à *Phariſæis: Quandò venit regnum Dei?* hic *regnum Dei* intelligitur dies Iudicij, quo regnabit Chriſtus, depoſitis omnibus inimicis: iuxtà Pſal. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Donèc ponam inimicos tuos, &: Dominus à dextris, &c. & Paulus. 1. Cor. 15. propterea *reſpondens eis, dixit,* intelligens de die Iudicij: *Non venit regnum Dei cum obſeruatione*, quia de illo die nemo ſcit, nequè Angeli, nequè Filius, ſolus Pater, & cum loquatur de futuro, non de præterito, non aptatur intellectus, vel de aduentu primo Meſſiæ, vel de Eccleſia, vel de virtutibus, quæ omnia ſunt aliena, & quia omnia, quæ ſubiunguntur Iudicium reſpiciunt. *Nequè dicent*, dicturus eſt, vel dicere poterit verè aliquis in eo puncto; *Eccè hic, aut eccè illic:* quia Iudicium illicò fiet, nec dabitur tempus hæc colloquẽdi, & tùnc omnes mortui, & reſuſcitati. Interim *eccè regnum Dei intrà vos eſt*, eſt præſens, quia ego ille ſum, qui venturus ſum, qui Iudex aſſiſtam, regnabo, regnumquè diſtribuam, iuxtà illud Ioannis: medius autèm veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, & hoc dicitur regnum. Matth. 24. 14. non autèm erunt illi, qui falsò dicentur à pſeudoprophetis, *Et ad diſcipulos ſuos* conuerſus *ait*, ne putarent imminere quem dixit incertum, & in obſeruabilem: *Venient* (priùs ſcilicèt) *dies* cum perſecutiones patiemini ab Antichriſto, & ſequacibus, *quandò deſideretis videre vnum diem Filij hominis*, ideſt illum diem Iudicij, qui eſt vnus ſolus Filij hominis in terra, *&* *non videbitis*, quia non erit adhùc tempus præfixum, & determinatum. *Et dicent vobis* tùnc: *Eccè hic, & eccè illic* adeſt, loquitur hìc de tempore antè diem Iudicij, non de eodem illo die, proùt ſuprà, ideò *nolite ire, neque ſectemini*, ne decipiamini; erit enim dies cognitus, quandò erit, *nàm ſicùt fulgur coruſcans de ſub cælo in ea, quæ ſub cælo ſunt, fulget: ità erit Filius hominis in die ſua*, quæ ſibi datur ad iudicandum omnes, clarus, manifeſtus, apparens omnibus, non ignotus, vt ab alijs audire neceſſe ſit. *Primùm autèm oportet illum multa pati*, etiàm mortem, *& reprobari*, intèr reprobos, & ſceleratos deputari *à generatione hac*, à Iudæis præſentibus; dicit autèm *primùm*, ideſt, antè perſecutiones veſtras, antè deſiderium veſtrum mei diei, ideſt Iudicij, de quo proſequitur, *& ſicùt factum eſt in diebus Noe, &c* quæ omnia vide infrà de fine mundi. Dixit autèm præcedere debere mortem ſuam, ne putarent regnum fore temporale, & cum faſtu mundano; Hinc fit clarum loqui de die Iudicij; & illud regnum intelligere, tùm quia ſubdit euenturum, proùt in diebus Noe, & Lot, tùm quia ait: vbicumquè fuerit corpus, eius ſcilicèt, illùc congregandas & aquilas. Si dixeris: Phariſæi de hoc non intelligebant; reſpondeo, diuinas: præſumitur enim reſponſio interrogationi conformis; & ſimilia ſunt verba diſcipulorum: dic nobis, quandò hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi? Matth. 24. ſic enim & ipſi loquuntur quandò venit, non quale eſt; & ſic reſpiciunt futurum, illudquè præſupponunt; quandò futurum petunt, & facillimè antè interrogationẽ Phariſæorum præceſſerant verba regni, & Iudicij, quæ à Luca non recitantur, & ſi de eo non intellexerunt, proùt fortè poteſt verum eſſe, quia omnia temporalia intelligebant, Chriſtus de illo intellexit, & regnum Dei illud nuncupauit, pacatum ſcilicet, & liberum ab omni moleſtia, & turbatione.

CAPVT CV.

DE PERSEVERANTIA ORATIONIS EXEMPLO VIDVAE CVM IVDICE.

Luc. 18.

1 *DICEBAT autèm, & parabolam ad illos, quoniàm*
2 *oportet ſempèr orare, & non deficere,* dicens: Iudex qui-*
dam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat,
3 *& hominem non reuerebatur. * Vidua autèm quadam*
erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vin-
4 *dica me de aduerſario meo. * Et nolebat per multum tem-*
pus. Pòſt hæc autèm dixit intrà ſe: Etſi Deum non ti-
5 *meo, nec hominem reuereor: * tamèn quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindi-*
6 *cabo illam, ne in nouiſſimo veniens ſugillet me. * Ait autèm Dominus: Audi-*
7 *te quid iudex iniquitatis dicit: * Deus autèm non faciet vindictam electorum ſuo-*
8 *rum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? * Dico vobis*
quia citò faciet vindictam illorum. Veruntamèn Filius hominis veniens, pu-
tas, inueniet fidem in terra?

COMMENTARIVS.

DICEBAT autèm, & parabolam ad illos, quoniàm oportet ſempèr orare, & non deficere donèc impetremus; multùm valet oratio iuſti aſſidua, inquit Iacobus; *dicens: Iudex quidam erat in quadam Ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem nō reuerebatur:* ex his apparet quàm durus eſſet, & non flecteretur, & omnem pudorem abiecìſſet. *Vidua autèm quadam* digna cuius ille miſereretur *erat in Ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduerſario meo* mea bona occupante, vel non ſoluente debitum mihi, *& nolebat* Iudex id præſtare *per multum tempus; pòſt hæc autèm dixit intrà ſe: Et ſi Deum non timeo* (ſcientèr peccabat) *nec hominem reuereor, tamèn quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illum* de aduerſario ſuo, miniſtrabo ei iuſtitiam, *ne in nouiſſimo, veniens* in fine magiſtratus, in ſindicatu *ſugillet me,* illudat mihi, infamiam mihi irroget ex iuſtitia non miniſtrata. *Ait autèm Dominus: Audite quid Iudex iniquitatis,* iniquus *dicit,* ſi id Iudex; *Deus autèm non faciet vindictam electorum ſuorum* in magna tribulatione ſinè cauſa poſitorum *clamantium* ad ſe *die ac nocte* perſeuerantèr, vt adueniat dies Iudicij, vt in Apoc. 6. 9. 10. *& patientiam habebit in illis*

electis,

Digitized by Google

electis, vt differat punitionem? *Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum* implero numero fratrum, Apocal.6. tùnc enim veniet ad iudicium, ideò ſubdit, & ſic annectitur; *Veruntamèn filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* at ſi venturus ad Iudicium tantùm, quomodò hoc verificabitur? credo velle dicere propè tempus illud Iudicij in Antichriſti aduentu futuram tantam diſceſſionem à fide, vt vix inueniendus ſit fidelis, & eſt hyperbole. Vide ſcripta 2. Theſſ. 2. niſi venerit diſceſſio primùm, & Apoc. 20. de diaboli diſſolutione, ſic dum dicitur: erit aduentus filij, proùt in diebus Noe, non enìm de illo die prçciſo aduentus, ſed antè, puta tempore Antichriſti, non tamèn pòſt mortem illius, quia ſcimus reliquias Iſrael ſaluandas; de gentibus idem præſumendum exemplo Iudæorum, & quia certæ erunt tùnc de die Iudicij propinquo, quò terrebuntur omnès, imò de plenitudine gentium, priùs. Rom.11.26. Parabolæ ſcopus videtur perſecutores ſuorum electorum ſeuerè puniendos à Deo.

CAPVT CVI.

DE PHARISAEO, ET PVBLICANO.

Luc. 18.

9 DIXIT autèm & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tam-
quàm iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam:
10 * Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent: vnus
Phariſæus, & alter Publicanus. * Phariſæus ſtans hæc
11 apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum
ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: velut
12 etiàm hic Publicanus. * Ieiunio bis in Sabbato: decimas
13 do omnium, quæ poſsideo. * Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad
cælum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi pec-
14 catori. * Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, quia om-
nis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

COMMENTARIVS.

DIXIT autèm & ad quoſdam, qui in ſe confidebant, *tamquàm iuſti*, in ſua iuſtitia, quam nolebat in ſe Paulus inuenire, ſed illam Chriſti, *& aſpernabantur* ſuperbè *cæteros* quaſi illis inferiores, *parabolam iſtam* ad illos lucrandos. *Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent: Vnus Phariſæus*, ſuperbus, de ſe præſumens, *& alter Publicanus* ſe humilians, & peccatorem ſe recognoſcens: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe* non apud Deum *orabat* ſuperbè extollens ſe, in omnibus aſpernens alios, laudans

dans

dans ſe ipſum, in ſe confidens, non in Deo, ideò in fine: *qui ſe exaltat, humiliabitur*, & etiàm in ſpecie Publicanum notat; contrarium faciebat Dauid dicens. Pſal. 130. Domine non eſt exaltatum cor meum, nequè elati ſunt oculi mei: nequè ambulaui in magnis, nequè in mirabilibus ſupèr me: ſi non humilitèr ſentiebam, ſed exaltaui animam meam: ſicùt ablactatus eſt ſupèr matre ſua, ità retributio in anima mea, vt à te ablacter, à te ſeparer. *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri, velut etiàm hic Publicanus*, vndè oratio tendebat etiàm in accuſationem, & hominis certi, qui cum à longè ſtaret, veriſimilitèr non audiebat Phariſæum hæc dicentem; *ieiuno bis in Sabbato*, in hebdomada, *decimas do omnium, quæ poſſideo*, etiàm olerum omnium, quod faciebant Phariſæi. *Et Publicanus à longè ſtans*, non audens accedere; proùt Abraham: loquar ad Dominum cum ſim puluis, & cinis? at eodem loco, vt videri poſſet à Phariſæo illum notante *velut hic Publicanus, nolebat nec oculos ad cælum leuare*, proùt Achab ambulans demiſſo capite. 3. Reg. 21. 27. *ſed percutiebat pectus ſuum*, facto oſtendens ſe peccatorem, & verbis, *dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic* Publicanus ſe humilians *iuſtificatus*, proùt Ezechiel. 16. 51. & 52. *in domum ſuam* à templo diſcedens *ab illo* Phariſæo ſuperbiente, comparatione illius, nàm is humilis, ille ſuperbus; ideò ſubdit, *quia omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur* à Deo; hincquè docet quomodò humilitèr orandum, vt iuſtificemur, & audiamur, & colligimus ſuperbiam Phariſæi humilitatem Publicani manifeſtaſſe, & per eã à Deo iuſtificationem obtinuiſſe. Ierem. 3. Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael, comparatione præuaricatricis Iudæ.

CAPVT CVII.

DE FESTO ENCAENIORVM.

Ioan. 10.

22 *FACTA ſunt autèm Encænia in Ieroſolymis: & hiems*
23 *erat.* * *Et ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomo-*
24 *nis.* * *Circumdederunt ergò eum Iudæi, & dicebant ei:*
Quouſquè animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic
25 *nobis palàm.* * *Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, &*
non creditis, opera, quæ ego facio in nomine Patris mei,
26 *hæc teſtimonium perhibent de me:* * *ſed vos non creditis,*
27 *quia non eſtis ex ouibus meis.* * *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cogno-*
28 *ſco eas, & ſequuntur me:* * *& ego vitam æternam do eis: & non peribunt in*
29 *æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* * *Pater meus quod dedit*
30 *mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* * *Ego,*
31 *& Pater vnum ſumus.* * *Suſtulerunt ergò lapides Iudæi, vt lapidarent eum.*
32 * *Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, proptèr quod*
33 *eorum opus me lapidatis?* * *Reſponderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus*

34 *te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.* * *Re-*
ſpondit eis Ieſus: Nonnè ſcriptum eſt in lege veſtra: quia ego dixi, dij eſtis?
35 * *Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura:*
36 * *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphe-*
37 *mas: quia dixi, Filius Dei ſum?* * *Si non facio opera Patris mei, nolite cre-*
38 *dere mihi.* * *Si autèm facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt*
39 *cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* * *Quærebant er-*
40 *gò eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum.* * *Et abijt iterum trans Ior-*
danem in eum locum, vbì erat Ioannes baptizans primùm: & manſit illìc:
41 *& multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidèm ſignum fecit*
42 *nullum.* * *Omnia autèm quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et mul-*
ti crediderunt in eum.

COMMENTARIVS.

F*ACTA ſunt autèm encænia Ieroſolymis, & hiems erat*, hoc addit ne putaremus hæc cum præcedentibus, quæ tempore Scenopepiæ contigerunt, eſſe connexa; *& ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis*, iter faciens aliò migraturus; proùt ambulans iuxtà mare Galilææ, & Io. 7. ambulabat Ieſus in Galilæam; non enìm volebat in Iudæam ambulare, & Marc. 11. 27. & cum ambularet in templo; it non otioſus, at priùs occurſurus tentaturis. *Circumdederunt ergò eum Iudæi, & dicebant ei* fictè, & doloſè: *Quouſquè animam noſtram tollis?* quaſi, deficimus in hac ambiguitate, an tu ſis Meſſias. *Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.* Si dixiſſet, contrà eum inſurrexiſſent, & feciſſent reum mortis, proùt quandò dixit coràm Caipha, & nunc quandò dixit: *ego, & Pater unum ſumus*; ſic cum Ioanne, pòſtquàm ſe negauit eſſe quem ipſi ſuſpicabantur, illicò inſurgunt: quid ergò baptizas? &c. vt ibi dictum. *Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis*, quaſi, ſi ſciretis quale hoc donum, proùt dixit Samaritanæ. Ioan. 4. 10. ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere; vel *loquor vobis*, & loquelam meam non cognoſcitis? Ioan. 8. 43. & *non creditis* cum deberetis; Vel *loquor vobis*, doctrina mea ea eſt, quæ me qualis ſim demonſtrat; Vel *loquor*, id ſempèr dico vobis, & tamèn *non creditis*, & vnà cum doctrina *opera, quæ ego facio in nomine*, in virtute *Patris mei*, miracula, hæc *teſtimonium perhibent de me* ſufficiens, *ſed vos non creditis* in me, *quia non eſtis ex ouibus meis* prædeſtinatis, ſi enìm eſſetis, crederetis, & reciperetis me, *oues meæ vocem meam audiunt*, credunt mihi, & operantur iuxtà ſermones meos, *& ego cognoſco eas, & ſequuntur me* credendo, & operando, *& ego vitam æternam do eis;* ſic Ioan. 17. hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, *& non rapiet eas quiſquam*, potentiſſimus quiſquè *de manu mea*, ſed omnia cooperabuntur eis in bonum, non enìm poſſunt non ſaluari prædeſtinati, *Pater meus quod dedit mihi* generatione æterna *maius omnibus eſt*, quia ſum illi æqualis, *& ſicùt nemo poteſt rapere* oues, prædeſtinatos *de manu Patris mei*, ità nequè de manu mea, declarat; *Ego, & Pater vnum ſumus*, quidquid poteſt ille, poſſum ego. Pater operatur, & ego operor. *Suſtulerunt ergò lapides Iudæi* intelligentes quia faceret ſe Deum, *vt* quaſi blaſphemum *lapidarent eum. Reſpondit eis Ieſus* detinens manus eorum: *Multa bona opera oſtendi*, feci *vobis ex Patre meo* profecta, *proptèr quod*

eorum opus, quòd malum eſſe poſſit, & lapidationem mereri, *me lapidatis*; ſic ad eos, qui iuerunt illum capturi: quotidiè eram in templo docens, & non me tenuiſtis, quaſi nùnc capere me vultis, quia docui, egregius prætextus. *Reſponderunt ei Iudæi: de bono opere* (nota cognouiſſe opera bona Chriſti) *non lapidamus te*, nolumus te lapidare, *ſed de blaſphemia, &* pro *quia homo cum ſis* nobis viſibilis, *facis te ipſum Deum*; ſic Io. 5. 18. propterea ergò magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo, docens ſe talem. *Reſpondit eis Ieſus:: nonnè ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi; Dij eſtis? ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt* Iudices, Pſal. 81. *& non poteſt ſolui Scriptura*, tolli; ſic non veni ſoluere legem, ſed adimplere; *quem Pater ſanctificauit*, ſegregauit, *& miſit in mundum* (coniunctìm legas) *vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum?* ſi enìm non eſſem Filius eius, nec ſegregaſſet, nec miſiſſet, cum perſona tantùm diuina ad operanda, ad quæ ego miſſus ſum, requireretur. Vel *ſanctificauit*, ideſt ſanctum fecit quà homo, iuxtà Angelum: ideòquè & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Luc. 2. 35. & *miſit in mundum*; coniunctìm hæc duo legenda, nàm de humanitate hìc agit, & de ſanctificatione eius; ſanctum verò vel per plenitudinem ſanctitatis humanitati collatæ, vel per vnionem ad Verbum in vna hypoſtaſi, *ſi non facio opera patris mei, nolite credere mihi, ſi autèm facio* opera Patris mei, quæ nemo alius fecit, vel facere poteſt: *& ſi mihi non vultis credere* de me atteſtanti, *operibus credite*, quia illa firmum teſtimonium de me reddunt, *vt cognoſcatis* ex illis, *& credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*, quòd Pater, & ego vnum ſimus, ſimulquè operemur, & opera eſſe diuina. *Quærebant ergò eum apprehendere*, (iàm enim ſiſterat lapides) *& exiuit de manibus eorum*; quomodo? vel inuiſibilis, vel retinens, noleus capi, *& abijt iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primùm, & manſit illic*, fortè erat commodus locus pro turbis excipiendis; vndè, *& multi venerunt ad eum, & dicebant* occaſione loci: *quia Ioannes quidèm ſignum fecit nullum*, ſigna enìm reſeruata Meſſiæ ad illius manifeſtationem; *omnia autèm quæcumque dixit Ioannes de hoc*, de Ieſu *vera erant*; eccè ſemina à Ioanne iacta pullulantia, *& multi crediderunt in eum*.

CAPVT CVIII.

DE LIBELLO REPVDII.

Matth. 19.

1 *ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, mi-*
grauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iorda-
2 *nem, * & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curauit eos*
3 *ibi. * Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, &*
dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam, qua-
4 *cumque ex cauſa? * Qui reſpondens, ait eis: Non legi-*
ſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fæ-
5 *minam fecit eos? & dixit: * Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, &*

6 *adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. * itaquè iàm non ſunt duo*
7 *ſed vna caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet. * Dicunt illi: Quid*
8 *ergò Moyſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere? * Ait illis: Quoniàm*
Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab
9 *initio autèm non fuit ſic. * Dico autèm vobis, quia quicumque dimiſerit vxo-*
rem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur: & qui dimiſ-
10 *ſam duxerit, mæchatur. * Dicunt ei diſcipuli eius: Si ità eſt cauſa hominis cum*
11 *vxore, non expedit nubere. * Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum*
12 *iſtud, ſed quibus datum eſt. * Sunt enìm eunuchi, qui de matris vtero ſic nati*
ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt enuchi, qui ſeipſos
caſtrauerunt proptèr regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat.

Marc. 10.

1 E*T indè exurgens venit in fines Iudææ vltrà Iordanem, & conueniunt iterù*
2 *turba ad eum: & ſicùt conſueuerat, iterùm docebat illos. * Et accedentes*
3 *Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere: tentantes eum.*
4 ** At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes? * Qui dixerunt:*
5 *Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere. * Quibus reſpondens Ie-*
6 *ſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud. * ab initio*
7 *autèm creaturæ maſculum, & fœminam fecit eos Deus. * Proptèr hoc relinquet*
8 *homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ad vxorem ſuam: * & erunt duo*
9 *in carne vna. Itaquè iàm non ſunt duo, ſed vna caro. * Quod ergò Deus con-*
10 *iunxit, homo non ſeparet. * Et in domo iterum diſcipuli eius de eodem interro-*
11 *gauerunt eum. * Et ait illis: Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam*
12 *duxerit, adulterium committit ſupèr eam. * Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum,*
& alij nupſerit, mæchatur.

Luc. 16.

18 O*Mnis, qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mæchatur: & qui*
dimiſſam à viro ducit, mæchatur.

COMMENTARIVS.

E*T factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos migrauit à Galilæa*, de quo ſuprà dictum, *& venit in fines Iudææ trans Iordanem, & ſequutæ ſunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi*, & docebat illos, *& acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: ſi licet homini dimittere vxorem ſuam quacumque ex cauſa?* Interrogant *quacumque ex cauſa*, quia Deut. 24. licebat dare libellum repudij proptèr aliquam fœditatem tantùm, quæ ad fornicationem reſtringebatur, petentem fidem

dem matrimonij; ſic enim fœditas intelligitur. Gen. 34.7. & 2. Reg. 16. fœdaueris patrem tuum, vndè quærebant Phariſæi hanc ad libitum ex quacumque cauſa extendere; & vt credo extendebant ex prætenſa traditione ad quamcumque cauſam, & repudiatas recipiebant, ideò Matth. 5. legem Deut. 24. declarat, & ipſi cognoſcentes traditionem contrariam legi interrogant, vt vel traditionem probaret, vel legem dilataret. *Qui reſpondens ait eis: non legiſtis, quia qui fecit hominem a principio, maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit,* inſpirando Adam dicenti: *propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, itaquè iam non ſunt duo, ſed vna caro: Quod ergò Deus coniunxit, homo* Deo inferior *non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergò Moyſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere?* quia videbatur eis à Chriſto tolli penitùs repudium, ſic reſpondent: *Ait illis: quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autèm non fuit ſic,* non licuit. *Dico autèm vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* His rationibus retinet eos infrà terminos legis Moyſis, qui permiſit libellum repudij ob aliquam fœditatem tantùm. Deut. 24. quam interpretatur fornicationem, & ſic eludit eos tentantes, & inſidias parantes; non enim extendit permiſſionem Moyſis, nec contradicit eius permiſſioni, ſed reſtringit eam ad ſuos limites: & ſic dixit etiàm Matth. 5. *excepta fornicationis cauſa*; docet etiàm permiſſionem Moyſis extendi non poſſe, tùm ex clauſula generali, & obſeruantia antiqua, quas præmittit, tùm quia facta ob duritiam cordis eorum, ne peiora machinarentur. *Erunt duo in carne vna* per commixtionem. 1. Cor. 6. 17. ſed meliùs per vnanimem voluntatem, & mutuam dilectionem, quæ excedat etiàm debitam parentibus; hac enim de cauſa illam huic præponit; at vtitur hoc modo loquendi, *erunt duo in carne vna,* non valens amoris mutui vinculum, & glutinum arctiùs demonſtrare, vt Gen. 2. & ad Epheſ. 5. 28. cum ſequentibus; hoc enim perpetuum, illud ad tempus, & multi dicentes per carnis commixtionem, reſpiciunt ad conſummationem matrimonij, de quo agebant.

Sed magna difficultas oritur, quia Marcus 10. Luc. 16. 18. ſimplicitèr dicunt non licere vxorem dimittere abſquè vlla limitatione, ſeu exceptione, & certum eſt etiàm ob fornicationem vinculum matrimonij nùnc non dirimi, & habetur in Conc. Trid. can. 7. 24. ſeſſ. hinc aliqui dicunt Chriſtum in Matthæo intelligere de ſeparatione thori, quæ fieri poteſt ob adulterium, idquè obſeruant; quia Chriſtus pòſt verba, *qui dimiſerit vxorem*, ſubſequitur immediatè, *niſi ob fornicationem*, & deindè, *& aliam duxerit*. At huic intellectui obſtat, quia ſermo erat cum Phariſæis percunctantibus ſupèr diſſolutione vinculi matrimonij, quæ fiebat per libellum; ità vt liceret mulieri alteri nubere, & prohiberetur dimittens ad dimiſſam regredi, iuxtà Deut. 24. non autèm de ſeparatione thori; vndè non eſt credendum Chriſtum de vno interrogatum, de alio reſpondiſſe, ſed conformitèr, & ſic de diſſolutione vinculi, quod comprobatur, quia ſubdit Matth. 5. 32. *& qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, vndè erat adeò diſſolutum vinculum, vt nullo modo poſſet reuinciri. Prætereà de illo tempore ſeparatio thori non erat cognita, & ſi de ea intellexiſſet, ſe declaraſſet, nec nouum dogma obſcurum dimiſiſſet: nequè ſe reſtrinxiſſet ad ſolam cauſam fornicationis, cum multæ aliæ ſint cauſæ thori ſeparationem inducentes. Inſupèr interrogantes loquuntur præſuppoſitiuò quòad aliã cauſam, ideò Dominus, ne excedant, dat limitatam, aliòqui ſi in totum excluſiſſet repudium, poterant dicere: contradicis legi. Vltrà quòd cum in regula, quam negatiuè conſtituit, loquatur de non diſſolutione, & de non repudiando, etiàm limitatio debet eſſe de illo genere, non diuerſo, exceptio enim debet eſſe de regula. Adde. thori ſeparatio, vel fit ad correctionem coniugis, vel quia vnus non poteſt alium ex cauſis in iure deſcriptis ſuſtinere ob charitatem diminutam, hoc autèm non docuiſſet Dominus, ſed primò potiùs ad tolerantiam, ad charitatem, ad remiſſionem, ad co-

Digitized by Google

natum melioris frugis, ſi pœnituiſſet, ad lucrum deficientis ſuaſiſſet, quod eſt perfectius, proùt Apoſtolus. 1. Cor. 7. hinc eſt, quod aſſignauit rationes, quibus nec libellus dari deberet. Vltimò, diuortiũ, ſeù thori ſeparatio vidètur primò reuelata ab Apoſtolo, 1. Cor. 7. 10. præcipio non ego, ſed Dominus, quod Apoſtoli dictum ſecuti Canones pòſt ceſſationem repudij, & ipſi dederunt remedia abſquè læſione vinculi matrimonij. & Conc. Trid. can. 8. ſeſſ. 24. dicit has prouiſiones optima ratione inductas, vt corrigatur, & puniatur, qui peccauit in fidem matrimonij, tollantur rixæ, pericula, & maiora ſcandala, quandò non poſſunt ſe inuicèm ſuſtinere, ſaluo ſempèr vinculo matrimonij, & vt plurimum ad tempus. Vltrà quòd, & id mediante Iudice fieri debet, non propria auctoritate, vndè tantò minùs ſic præſumitur intellexiſſe Dominum, imò cognitiones diſſolutionis à vinculo ſunt de iure canonico, vt per tot. tit. de Diuortijs. Non obſtat conſideratio ſupradicta, ponit enim verba *niſi ob fornicationem*, pòſt verbum *dimiſerit*, quia conueniunt dimiſsioni, non ductioni alterius vxoris, quæ pòſt fieri debet. Imò oratio vſquè ad verba, *& aliam duxerit*, eſt imperfecta, perficitur autèm ibi, *& aliam duxerit, mœchatur*, quod eſt verbum principale. Addo, dicendo *dimiſerit*, & ſubſequẽdo *aliam duxerit, & mœchatur*, intelligere de vera, & libellali dimiſſione, quia aliàs non poſſet aliam ducere in exceptione fornicationis, in hac enim exceptione, quæ affirmat, colligitur affirmatiuè, quod negatiuè pro regula ponebatur ob fornicationem dimittentem, & aliam ducentem non mœchari.

At quomodò concordabuntur Euangeliſtæ? dico non eſſe inconueniens vnum omittere quod alius dixit: & ſæpè id accidere; dixit ergò Matthæus exceptionem fornicationis, quam alij non dixerunt legentes dictam à Matthæo. Prætereà Matthæus cap. 5, & cap. 19. refert Dominum hæc verba dixiſſe cum turbis, & cum Phariſæis tentantibus, & inſidias parantibus, at veriſimile eſt cum prædictis noluiſſe ſimplicitèr proferre, ſed cum exceptione, ne videretur legi contrarius, quæ erat decipula Phariſæorum, & ſibijpſi, qui profitebatur non veniſſe ſoluturum, ſed legem adimpleturum, quam etiàm exactiſsimè obſeruauit. At Marcus refert hæc dixiſſe Dominum cum diſcipulis ſuis, nec tentantibus, nec inſidias parantibus. Lucas verò cum diſcipulis, & audientibus Phariſæis, non tamèn interrogantibus, & quaſi per tranſennam, ſeù miſtum alia docens; vt non aduerterint ad dicta; ſed ne dicamus Chriſtum diminutè loquutum, ſed plenè, proùt refert Matthæus, dicendum potiùs Marcum, & Lucam omiſiſſe. Tertiò iuxtà Matthæum loquitur ſecundùm illud tempus tùnc currẽs, quo licebat dare libellum repudij ob fornicationem, quod durauit donèc lex Euangelica fuit promulgata, & lex Moyſis ſepulta, etſi enim Chriſtus dixerit Nicodemo; niſi quis renatus fuerit, &c. tamèn circumciſio (vt in Actis Apoſtolicis) penitùs non ceſſauit; etſi dixerit Samaritanæ: veniet tẽpus, quo, &c. tamèn id non habuit effectum illicò, ſed pòſt; vndè & Apoſtoli aſcendebant in Templum, vt in Act. Apoſt. & legenda Epiſt. ad Rom. multa etiàm ad tempus protulit, vt illud: in Ciuitates Samaritanorum ne introieritis, &c. & ne cui dicerent, quod ipſe erat Ieſus Chriſtus. At ſecundùm Lucam, & Marcum, poſtquàm ceſſauit lex Moſaica, & factus eſt locus legi Euangelicæ Matthæus oſtendit, quomodò prudentèr euaſit inſidias interrogantium, dicta verba apponendo, & ideò intèr cauſas mortis non refertur, quòd legem ſoluiſſet, ſaltèm in hac ſpecie; Marcus, & Lucas non curarunt apponere vtì ſuperflua de eo tempore, quo ſcribebant, lege Euangelica promulgata repudium omnino vetante. Hinc inferas benè dixiſſe Dominum, quia adhùc non obligabantur ad obſeruationem legis Euãgelicæ, nequè ipſe adhùc ſupprimebat Moſaicam; & quòd repudiantes iuxtà legem Moyſis non peccabant, quia quod fit lege permittente, pœnam non meretur, ne lex ſit decipula ad l. Gracchus. Tertiò inferas Dominum ex rationibus adductis demonſtraſſe legem illam Moyſis abrogandam pro tempore ad duritiam cordis eorum permiſſam, non autèm tùnc abrogaſſe. Et ſi diceres, Chriſtus promulgans leges ſuas, non

ſolebat

Digitized by Google

ſolebat hanc reſeruationem temporum miſcere; reſpondeo de facto id præſtitiſſe in mandato non conuerſandi cum gentilibus, & alijs; prætereà hìc ſiendam, quia contraria erat lex Moyſis clara, quam Phariſæi adducebant, quod non concurrebat in alijs, in quibus obſtabant tantùm traditiones, vel interpretationes erroneæ ſeniorum, quas non attendebat; ideò hìc rectè fecit, ne confuſionem tùnc induceret, & peccatum in his, qui legem ſuam nouam non obſeruaſſent, ſaluando legem Moyſis hac exceptione, & ſatis fuit dare rationes, quibus oſtenderet legem ad ſuos limites reducendam, & in effectu ſuſtuliſſe addita legi illi contraria per traditiones, & deindè illam legem, vt iacet, non eſſe longiùs obſeruandam, ſed citò irritandam vti contrariam iuri primæuo, & permiſsiuam ſolis Hebræis, quibus data lex ad duritiam cordis eorum, ne peiora agerent, quod ignoraremus, niſi ipſe docuiſſet, cum de hoc in Scriptura antiqua nullibi, & poſuiſſe antè oculos bonum eſſe à repudio abſtinere, qui etiàm tùnc vellent. Nec videatur mirum, ſi tùnc lege permittente diſſoluebatur vinculum matrimonij, quod negari non poteſt, quia dato libello, liberum erat cuique alteri nubere, & ſecundum erat verum matrimonium, quod aliòqui non fuiſſet, niſi primo ſublato. Deut. 24. quia Deus ſic permittebat ex lege ſcripta, proùt & aliquibus pro ratione tẽporis permiſit poligamiam. Nec obſtat auctoritas, *quod Deus coniunxit homo non ſeparet*, quia nõ ab homine, ſed à Deo, mediante lege, ſeparabantur, & tùnc cum matrimonium non eſſet ſacramentum, erat facilioris diſſolutionis. Non obſtat, erat permiſsio, ergò vinculum non diſſoluebatur, quia id poſſet cõcedi, ſi aliud non diceretur, & lex ſtetiſſet in ſimplicibus terminis repudij, at dando licentiam alterum ducendi, & prohibendo primum matrimonium reſtaurari, clarè demonſtrat vinculum matrimonij diſſolutum eſſe, nec eſt veriſimile Deum voluiſſe vinculum prædictum durare, & nouum, quod erat matrimonium, vinculo eſſe deſtitutum, quæ eſſet confuſio, & abſurditas magna, quia potuiſſent impunè diſcedere ab inuicèm; Prætereà Deus non dediſſet libertatem repudij ſimplicitèr, ſed remiſiſſet ad Iudices, qui cognoſcerent, & adſtruere id factum, cum nullibi caueatur, eſt diuinare; textus enim ſolùm requirit libellum repudij, ſed clarè Ieremiæ 3. vbì ſi vir, qui repudiauerat mulierem reuerteretur ad eam alium virum habentem, diceretur illa mulier polluta, & contaminata, ergò diſſolutum primum vinculum, aliòquin licuiſſet regredi in idem. Item Ezechiel. 44. 22. vbì prohibetur ſacerdoti ſumere repudiatam, ergò licebat alijs. Item Iſa. 50. 1. quis eſt iſte liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? quaſi non ampliùs ad eam reuerſurus, ideò de illa non agit ampliùs, ſed de redemptione tantùm. Et 1. Cor. 15. nonnè rumpitur vinculum matrimonij diſcedente infideli à fideli? datur enim facultas alteri nubendi. Sed clarum Matth. 5. 32. At obſerua Deum inclinaſſe ſe ad duritiam populi, ſed tamèn ſtrictè in caſu fornicationis tantùm, qui eſt maior caſus, qui dari poſſit, cum directò fidem matrimonij petat, & alia poſuiſſe, ne hoc etiàm fieret, de quibus Deut. 24. explicata hìc per ſcribentes, quibus adde legem Zelotipiæ. Num. 5. ſi diffamaſſet falsò illam. Deut. 22. 14. 19. Si ais, Chriſtus dicit, *ego autèm dico vobis*, quibus verbis ſolet vti in legis ſuæ promulgatione, reſpondeo vſum eſſe illa exceptione, ne auderent extendere legem Moyſis ad alias cauſas non comprehenſas.

Ex hoc autèm intellectu veritatem continente, & multas ambages diſſoluente non labefactatur dogma noſtrum, vinculum matrimonij non diſſolui ob fornicationem, proùt ex lege Moſaica per libellum repudij, ex dicta cauſa diſſoluebatur. Deut. 24. Quia cum, Chriſto crucifixo, lex vetus finita, & abrogata fuerit, & deindè honorificè per Apoſtolos ſepulta, & præſertìm illa libellum concedens, data ad duritiã cordis Hebræorum pronorum ad peiora patranda, & ſic ex permiſsione, & ſtrictè ad illum populum ex Matthæo cap. 19. 8. Marc. 10. 5. propterea ſublata lege, ſicùt ille populus nùnc illa vti non poteſt, nec minùs populus Chriſtianus, quem illa lex non tetigit, vndè recurrendum ad id, quod dicit Chriſtus, *ab initio autèm non fuit ſic*. Secundò igitùr probatur

hoc

hoc dogma ex auctoritate adducta per Chriſtum. Matth. 19. 4. *qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, & dixit, proptèr hoc dimittet homo Patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, itaquè iam non ſunt duo, ſed vna caro, quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ex tribus ergò indiſſolubilis hic nexus. Primò quia hos abſtrahit etiàm à Patre, & Matre, quibus tantùm debent, & ſicùt paternitas, & maternitas extingui, diſſoluive non poteſt, eo magìs hoc vinculum illi ſuperius, & quia inconueniens eſſet hoc vinculo illud paternum, & maternum quoquo modo imminui, & quod pro illo ligatum eſt ad diſſolutionem pertranſire, & ſic neutrum in ſuo primo eſſe permanere. Secundò, quia aliòquin diſſolueretur machina, nàm ſi ab homine tollas membrum, imperfectum eum reddis, ſic ſi hos ſeparas, qui ſunt ſibi inuicèm membra nedum, ſed vna caro. Tertiò, quia Deus hoc præſtitit, vndè non poteſt inferior diſſoluere. Quartò, habemus dictum Marci, & Lucæ, illic cap. 10. hic cap. 16. 18. quod dimitti non poſſunt viri, vel vxores abſquè vlla limitatione, & limitatio Matthæi intelligitur de illo tempore, non noſtro. Quintò, ex Apoſtolo 1. Cor. 7. 10. ijs autèm, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir vxorem non dimittat, clariùs enim non poterat hanc legem abſquè vlla limitatione promulgare, quam & eod. cap. 7. 39. reiterat: mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius; liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino, & quod dicitur de muliere, idem dicas de viro, quia in his, quæ ad copulam, & nexum pariformitèr determinantur, & nulla fit in eis differentia, quidquid ſit in quibuſdam alijs, proùt in illo: mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, &c. Sexto, ex eodem Apoſtolo Rom. 7. 2. Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi, ſi autèm mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, ſi autèm mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera; ſi fuerit cum alio viro; eccè quomodò ſinè exceptione vbiquè loquitur, ideò probatur ſublatum repudium, & ſubintroductum diuortium. Septimò, ex eodem Apoſtolo d. cap. 7. 1. ad Cor. verſ. 12. nàm ſi vno ex infidelibus fidem amplexante non diſſoluitur matrimonium, etſi adſit cultus diſparitas, quæ quidèm cultus diſparitas matrimoniũ intèr Hebræos annullabat, proùt dirempſit Eſdras, tantò minus licebit nunc repudium intèr fideles ſacramentalitèr iunctos, quorum fortius ligamen. Octauo, ex epiſt. ad Epheſ. 5. 22. vſquè ad fin. vbi ponitur nexus intèr virum, & vxorem, ſicùt intèr Chriſtum, & Eccleſiam, indiſſolubilis in Chriſto, & Eccleſia, ergò & in viro, & vxore æquiparatis, & ſic ſublatum repudium.

Dicunt ei diſcipuli eius: ſi ità eſt cauſa hominis cum vxore, vt ex vnica tantùm cauſa liceat eam repudiare; *non expedit nubere,* quia intolerabilis eſt communicatio inuita. *Qui dixit illis: non omnes capiunt uerbum iſtud,* meliùs eſſe nõ nubere, ſeruare caſtitatem, virginitatem, *ſed quibus datum,* conceſſum *eſt* à Deo, & horum diuerſa genera. *Sunt enìm Eunuchi* abſtinentes ex neceſſitate, *qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus,* & hæc duo genera nil lucrantur, *& ſunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt* per eorum voluntariam continentiam, *proptèr regnum cælorum* aſſequendum, & hi aſſumuntur ad ſocietatem agni puri, & ad hanc hortatur Paulus, *qui poteſt capere capiat,* difficile eſt hoc; at qui poteſt, non reſpuat tantum bonum.

CA-

CAPVT CIX.

DE PARVVLIS OBLATIS.

Matth. 19.

13 *TVNC oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, &*
14 *oraret. Diſcipuli autèm increpabant eos.* * *Ieſus verò ait*
eis: Sinite paruulos, & nolite eos probibere ad me veni-
15 *re: talium eſt enìm regnum cælorum.* * *Et cum impoſuiſ-*
ſet eis manus, abijt indè.

Marc. 10.

13 *ET offerebant illi paruulos vt tangeret illos. Diſcipuli autèm comminaban-*
14 *tur offerentibus.* * *Quos cum videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis: Si-*
nite paruulos venire ad me, & ne probibueritis eos: talium enìm eſt regnum
15 *Dei.* * *Amen dico vobis: Quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus,*
16 *non intrabit in illud.* * *Et complexans eos, & imponens manus ſupèr illos, be-*
nedicebat eos.

Luc. 18.

15 *AFferebant autèm ad illum & infantes, vt eos tangeret. Quod cum vide-*
16 *rent diſcipuli, increpabant illos.* * *Ieſus autèm conuocans illos, dixit: Si-*
nite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. talium eſt enìm regnum Dei.
17 * *Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei, ſicùt puer, non intra-*
bit in illud.

COMMENTARIVS.

INNOCENTIAM amplexandam, quam ex paruulorum ſuſceptione oſtendit ſibi placere; ſic Prophetæ antiquitùs ex inſtrumẽtis viſibilibus meliùs repræſentabant populis quas intendebant minas, vel mandata Dei. *Tùnc oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret* ſupèr illos, vt eis benediceret. *Diſcipuli autèm cominabantur offerentibus*, ne moleſtiam illi inferrent; *quos cum videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis, ſinite paruulos uenire ad me*, in eorum enìm ſimplicitate delectabatur, vndè alibi: niſi efficiamini ſicùt paruuli non intrabitis in regnum cælorum, & *ne probibueritis eos; talium eſt enìm regnum cælorum*, ex Matthæo intellige pro-

ge propriè, non de doctrina Euangelica, tùm quod dicit *cælorum*, tùm quod Marcus, & Lucas vtuntur verbis, *non intrabit in illud*, & Matth. 18. 3. niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicùt paruuli non intrabitis in gnum cælorum, & quod dicunt Marcus, & Lucas hìc *regnum*, clarè dicunt *regnum cælorum*. Marcus verſ. 22. & 24. Lucas verò 23. & 25. Cur autèm talium regnum cælorum, & illis diſſimiles non intrant? quia paruuli humiles, & anguſta porta cæli, puri, mundi, & non intrat illùc aliquid coinquinatum: & beati mundo corde, quoniàm ipſi Deum videbunt, hinc Paulus hortatur, vt ſimus azimi, non fermentati, infantes ſinè dolo lac concupiſcentes; Petrus: deponentes omnem malitiàm, & dolum. *Talium eſt enìm regnum cælorum*, non dicit hos ſaluandos, ſeù prædeſtinatos; proùt nec quandò dixit: gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo, vt ibì dixi, *& complexans eos, & imponens manus ſupèr illos benedicebat eos*, precabatur eis omne bonum. *Amen dico vobis: quicumque non receperit regnum Dei velus paruulus, non intrabit in illud*, qui non habuerit ſimplicitatem, & puritatem paruuli, arcebitur à regno cælorum, *& cum impoſuiſſet eis manus. abijt indè*.

CAPVT CX.

DE ADOLESCENTE INTERROGANTE DE VITA AETERNA.

Matth. 19.

16 *ET eccè vnus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni*
17 *faciam vt habeam vitam æternam?* Qui dixit ei: Quid*
me interrogas de bono? Vnus eſt bonus, Deus. Si autèm
18 *vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Dicit illi: Quæ?*
Ieſus autèm dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices:
19 ** Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges pro-*
20 *ximum tuum ſicùt teipſum. * Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iu-*
21 *uentute mea, quid adhùc mihi deeſt?* Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, va-*
de, vende quæ habes, & da pauperibus & habebis theſaurum in cælo: & veni,
22 *ſequere me. * Cum audiſſet autèm adoleſcens verbum, abijt triſtis: erat enìm*
23 *habens multas poſſeſſiones.* Ieſus autèm dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis,*
24 *quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum. * Et iterum dico vobis: Faci-*
liùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cæ-
25 *lorum. * Auditis autèm his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergò*
26 *poterit ſaluus eſſe?* Aſpiciens autèm Ieſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſ-*
27 *ſibile eſt: apud Deum autèm omnia poſſibilia ſunt. * Tùnc reſpondens Petrus,*
dixit

dixit ei: Eccè nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?
28 *Ieſus autèm dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in re*
generatione cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vo-
29 *ſupèr ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* * *Et omnis, qui reliquè-*
rit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem,
aut filios, aut agros proptèr nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æter-
30 *nam poſſidebit.* * *Multi autèm erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.*

Marc. 10.

17 *ET cum egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genuflexo antè eum, roga-*
18 *bat eum: Magiſter bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam?* * *Ie-*
19 *ſus autèm dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi vnus Deus.* * *Præ-*
cepta noſti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium di-
20 *xeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem.* * *At ille reſpon-*
21 *dens, ait illi: Magiſter hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea.* * *Ieſus autèm*
intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deeſt: vade, quæcumque ha-
bes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere
22 *me.* * *Qui contriſtatus in verbo, abijt mœrens: erat enim habens multas poſſeſ-*
23 *ſiones.* * *Et circumſpiciens Ieſus, ait diſcipulis ſuis: Quàm difficilè qui pecunias*
24 *habent, in regnum Dei introibunt!* * *Diſcipuli autèm obſtupeſcebant in verbis*
eius. At Ieſus rursùs reſpondens, ait illis: Filioli, quàm difficilè eſt, confiden-
25 *tes in pecunijs, in regnum Dei introire!* * *Facilius eſt, camelum per foramen acus*
26 *tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* * *Qui magìs admirabantur,*
27 *dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſaluus fieri?* * *Et intuens illos Ieſus, ait:*
Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſſibilia ſunt
28 *apud Deum.* * *Et cœpit ei Petrus dicere: Eccè nos dimiſimus omnia, & ſecuti*
29 *ſumus te.* * *Reſpondens Ieſus, ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit*
domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros
30 *proptèr me, & proptèr Euangelium,* * *qui non accipiat centies tantùm, nunc in*
tempore hoc: domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum
31 *perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* * *Multi autèm erunt pri-*
mi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.

Luc. 18.

18 *ET interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens*
19 *vitam æternam poſſidebo?* * *Dixit autèm ei Ieſus: Quid me dicis bonum?*
20 *nemo bonus niſi ſolus Deus.* * *Mandata noſti: Non occides: Non mœchaberis:*
Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum, &
21 *matrem.* * *Qui ait: Hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea.* * *Quo audito, Ie-*
22 *ſus ait ei: Adhuc vnum tibi deeſt: omnia quæcumque habes vende, & da pau-*
peribus

23 *peribus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me. * His ille auditis,*
24 *contriſtatus eſt: quia diues erat valdè. * Videns autèm Ieſus illum triſtem fa-*
ctum, dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.
25 ** Facilius eſt enìm camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare*
26 *in regnum Dei. * Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſaluus fieri? * Ait*
27 *illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. * Ait au-*
28 *tem Petrus: Eccè nos dimiſimus omnia, ſecuti ſumus te. * Qui dixit ei: Amen*
29 *dico vobis, nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxo-*
30 *rem, aut filios proptèr regnum Dei, * & non recipiat multo plura in hoc tempore,*
& in ſæculo venturo vitam æternam.

COMMENTARIVS.

E*T eccè vnus accedens Princeps, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* de qua vita æterna tu verba feciſti occaſione paruulorum, ergò requiruntur merita; ſic Paulus: bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex, &c. 2. Timot. 4. 7. & ego igitur ſic curro, &c. 1. Cor. 4. 26. & ſcio cui credidi. 2. Tim. 1. 12. exemplum interrogandi de ſpectantibus ad animam; ſic milites, & Publicani cum Ioanne Baptiſta, auditores Petri. Act. 2. cuſtos carceris. Act. 16. 30. Paulus: quid me vis facere? Act. 9. 6. & 22. 10. Interrogat de operibus, proptereà Chriſtus omittit præceptum primæ tabulæ, & meminit conſiſtentium in operibus tantùm, non quòd ſub præceptis ſecundæ includantur præcepta primæ tabulæ. *Dixit autèm ei Ieſus, quid me interrogas de bono? vel quid me dicis bonum?* captat hinc occaſionem Chriſtus edocendi ſolum Deum eſſe bonum, vndè nec ſe excludit, cui non vti Deo, ſed vti magiſtro hoc attribuebatur, nec alia (vt credo) de cauſa hæc dicit cum iuuene bonamente interrogante, quem & dilexit, iuxtà Marcum; vel ſic dicit Chriſtus, quaſi, *interrogas me de bono*, ideſt de re notiſſima; nàm Deus ſolus bonus, quod & tu ſcire deberes, ideò illum ſequere, & vitam æternam recipies, ſequeris autèm ſeruans mandata, quòd ſi perfectus vis eſſe (implicans tacitè ſe Deum ex hoc) ſequere me omnibus dimiſſis; tutiùs enim bonum aſſequeris; hoc præmiſſo, reſpondit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, quæ Ieſus enumerat ad proximum ſpectantia contenta in ſecunda tabula decalogi. *Dicit illi adoleſcens: omnia* hæc, quæ enumeraſti, *cuſtodiui à iuuentute mea, quid adhùc mihi deeſt*, ad vitam æternam aſſequendam? credendum non mentiri, nàm ad quid interrogatum veniſſet? Prætereà Chriſtus illum admonuiſſet ſi mentitus eſſet, nec ad perfectionem ſuaſiſſet. *Ait illi Ieſus: ſi vis perfectus eſſe* (perfectio ergò tibi deeſt) *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*, ad quod anhelas, *& veni, & ſequere me*, vitam æternam tribuentem; fortè is & eleemoſynis deditus erat, ſed non omnibus renunciauerat, proùt conſulit Chriſtus, non præcipit; *cum audiſſet autèm adoleſcens verbum* hoc, *abijt triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones*, quibus tenebatur, ne conſilium acceptaret. *Ieſus autèm dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum*; diuitiæ enim ſunt ſpinæ, impedimenta, delitijs viam aperiant ex malo vſu, non per ſeipſas, & in Marco Chriſtus explicat de diuitibus confidentibus in diuitijs, & ideò intellectus tentus. Luc. 16. circà diui-

tias

tias comprobatur; ſic & ſuprà in parabola Publicani, & Phariſæi de confidentibus in ſeipſos,non in Deum, ideò Chriſtus in fine, quod eſt impoſſibile apud homines,poſſibile eſt apud Deum cor diuitum in ſe mutare valentem, *& iterum dico vobis: faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*. hyperbolicè loquitur ad magnam difficultatem inſinuandam in diuitibus confidentibus in eorum diuitijs. *Auditis autèm his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes: quis ergò poterit ſaluus eſſe* diuitum? ſtrictè enim ad diuites, quia de illis ſolis ſermo. *Aſpiciens autèm Ieſus dixit illis: apud homines hoc impoſſibile eſt*, videtur, *apud Deum autèm omnia poſſibilia ſunt*; ſic & Angelus: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, confidentia enim mutata à diuitijs in Deum facillimum erit; ideò Dauid: diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere, non enim illæ malæ, ſi cor non apponatur. *Tùnc reſpondens Petrus dixit ei: Eccè nos reliquimus omnia* noſtra, non ergò diſtribuerunt, ſed dimiſerunt, quibus de iure proximis ſcilicèt pauperibus, *& ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis?* hoc Petrus audiens vitam eternam promiſſam adoleſcenti omnia dimittenti; omnes hoc quærunt; ſic Abraham, Domine Deus quid dabis mihi? Gen. 15. 2. & ſic proptèr retributionem inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, dixit Dauid.

Sed an dimiſerint affectum habendi? fortè ſic in principio, at cum poſteà crediderint vſquequò Chriſtus aſcendit (tùnc enim interrogarunt an reſtituturus eſſet regnum Iſrael) Chriſtum temporalitèr regnaturum, & eos corregnaturos, ſeù Principes in regno temporali futuros, videntur, vel non dimiſiſſe affectum, vel reaſſumpſiſſe, & iuxtà hunc ſenſum poteſt dici Chriſtum non reaſſumere verba illa Petri, *eccè nos reliquimus omnia*, ſed tantùm, *Vos, qui ſequuti eſtis me*, ſciens tùnc eos adhùc imperfectos non dimiſiſſe affectum; nec inconuenit fuiſſe hanc imperfectionem in eis, in quibus & aliæ erant, quæ Domino aſcendente, & Spiritu ſancto miſſo receſſerunt, ità vt poſteà diceret Petrus: argentum, & aurum non eſt mihi, quod autèm habeo hoc tibi do; & Paulus: nihil habentes, & omnia poſſidentes, qui & manibus proprijs quærebat ſibi victum. Vel ſi tùnc dimittentes iudicati, quòad dimiſſionem totalem Chriſtum reſpexiſſe hæc tempora. *Ieſus autèm dixit illis: Amen dico vobis; quòd vos, qui ſequuti eſtis me, in regeneratione*, in reſurrectione vniuerſali omnium hominum, vel potiùs in renouatione totius mundi, ſeù craturæ expectantis. Rom. 8. Dixi potiùs renouatione totius creaturæ, quia numquàm vſus eſt hoc verbo Dominus, dum de reſurrectione mortuorum dixit, & quia in illis nouiſſimis diebus omnis creatura renouabitur, & verbum *regeneratio* aptum eſt omnia comprehendere tàm reſurrectionem hominum, quàm renouationem quorumcumque tùnc renouandorum: *Sedebitis & vos* Apoſtoli mecum ſedente *ſupèr ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*.

At videtur hoc tribui ſequelæ, non renunciationi bonorum, idquè probari. Luc. 22. 28. vos autèm eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis ſicùt diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſupèr menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſupèr thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. At meliùs vtrique, ſi dixerimus; *qui ſecuti eſtis*, relictis omnibus; proùt me ſequimini, ſic permanſiſtis eodem modo liberi ab omni cura rerum, quas reliquiſtis, præſertim quia in ſecunda parte *&, omnis, &c.* non loquitur de abdicantibus omnia, ſed aliqua, & Chriſtus dixit: quod perfectius eſt; vel dimiſſio bonorum ſpectat etiàm ad ſequelam, quia liberiùs Domino miniſtrarunt, & ſecuti ſunt eum in paupertate; vel ſic dicendum, quia actum erat de hoc occaſione iuuenis, cui perſuaſit Chriſtus dimiſſionem omnium primùm, deindè ſequelam. Vel in ſequela intelligitur renunciatio, quia qui non reliquerit, &c. non eſt me dignus; omnia enim relinquenda vel re, vel affectu, & his præponendus Deus, & quòd hanc dimiſſionem comprehendat, apparet, quia ſubdit, *& omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. proptèr nomen meum, centuplum, &c.*

At non crederem extendendas ſedes ad

alios pauperes, quia deeſt qualitas ſequelæ, & permanſionis in tentationibus vnà cum Chriſto in terris agente; vndè videtur priuilegium ſpeciale Apoſtolorum; dicit enim: *vos, qui ſequuti; vos qui permanſiſtis, &c.* & Marcus, & Lucas non faciunt de ſeſſione mentionem, quia nec de iudicaturis. Non obſtat illud: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16. 9. non enim eſt proprium pauperum, etiàm omnia dimittentium, recipere nos in æterna tabernacula, quia multi eorum improbi; Inſuper Dominus dat manſiones, dat regnū; in domo Patris mei manſiones multæ ſunt; & ſi quò minùs dixiſſem vobis: vado parare vobis locum; &: venite benedicti, poſſidete paratum vobis regnum, &c. & ſibi applicat datum pauperi; quod enim vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; &: euge ſerue bone, &c. intra in gaudium Domini tui; ſed ea phraſi vſus eſt Chriſtus ad propoſitum parabolæ præcedentis de Villico iniquitatis fraudulento, ſibi tamèn benè proſpiciente; infert enim, & ego, &c. facite, &c. & non explicantur in eo loco omnia dimittentes, & eſt potiùs illud partus eleemoſynæ, cuius variæ ſunt laudes, & effectus, qui narrantur in Scripturis, vt redimere à peccatis ex Daniele; mundare omnia ex Chriſto; à morte, peccato, gehenna ex Tobia; inuenire miſericordiam, & vitam æternam ex Raphaele in eodē Tobia, dicitur à Chriſto theſaurus, ſacculum non veteraſcens, &; ſimilia multa, quæ tamèn omnia in idem recidunt; facit quia neque Apoſtolis hoc datum; eis enim dictum: *ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael*, non dantes regnum. Non obſtat aliud: beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum; intelligitur enim cos ad illud euehendos; ideò ipſorum eſt, non eos alijs diſtributuros; iudicabitis etiàm ſedentes; dicit enim *ſedebitis*; & Luc. 22. 30. vt ſedeatis ſupèr thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael; & quia ſicùt diſpoſuit mihi Pater regnum, quod eſt iudicium, quia Pater omne iudicium dedit Filio, ità ego diſpono vobis, &c. vt ibi; ità vt ſicùt Chriſtus, ità ipſi diſponendi habeant facultatem ſuo modo, in qua ſinè difficultate cōprehenditur & iudicium, & ſeſſio; vltrà quòd & edituros, & bibituros ait ad menſam ſuam in regno ſuo, quod ad idem refertur, ideſt ad poteſtatem, & gloriam eorum, ſicùt apud Principes maximè honorantur qui ad menſam eorum recumbunt, vt in Dauide Miphiboſeth. 2. Reg. 10. Filijs Berzellai. 3. Reg. 1. & ſimilibus. Non recipio intellectum auctoris imperfecti in hoc mundo, quia dicit: cum ſederit Filius hominis hoc faciendum, nempè ſeſſuros & ipſos; hoc enim reſpicit iudicium vniuerſale, non aliud tempus, confirmat verbum, *in regeneratione*, quod vniuerſalitatem, cum indefinitè proferatur, demonſtrat, quod ad Chriſti Reſurrectionem non poteſt reſtringi. Præterea Luc. 22. 28. apparet priùs ipſos beatos futuros, vt edatis, & bibatis ad menſam meam in regno meo, deindè iudicaturos, & ſedeatis ſupèr Thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Inſupèr quomodò erant ſeſſuri, dum euangelizabant? quin potiùs ab omnibus lacerandi. Vltimò, quandò Chriſtus miſit illos prædicatum, dat poteſtatem diuerſam, dicens: euntes in mundum vniuerſum, non ad duodecim tribus Iſrael, non iudicantes, ſed prædicate Euangelium omni creaturæ.

At hoc modo videretur excludi Paulus, qui plùs alijs laborauit, & cum Petro ſociatus, & Barnabas, qui vendidit agrum, & appoſuit pretium ad pedes Apoſtolorum. Vndè dicendum nedum hos comprehendi, ſed omnes Apoſtolicos idem facientes, quia quorum par labor, par debet eſſe præmium, & in hoc ſuccedere quod de crediturís dixit Chriſtus: Quia vidiſti me Thoma credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt, idem ſcilicèt eſſe laboraſſe cum Chriſto in terris verſante, vel pòſt illius Aſcenſionem in cælum. At quid de alijs Sanctis? dicit enim Paulus. 1. Cor. 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt, & ſi in vobis iudicabitur mundus; & Angelos iudicabimus, & Sap. 3. 8. & Apoc. 2. 27. iudicabunt Sancti nationes, ergò non iudicabunt Apoſtoli ſoli, vel Apoſtolici; poſſet reſponderi iudicaturos Sanctos, ſed quia non determinat quos, eos eſſe, quos hic dicit Chriſtus, non alios non expreſſos. Vel eſſe Apoſtolicos, vel fortè alios

alios ſtaturos in magna conſtantia aduersùs eos, qui ſe anguſtiauerunt, & abſtulerunt labores eorum, proùt antè iudicium deſcribuntur petentes vindictam. Apoc.6.10. vel præſtituros aſſiſtentiam, proùt Angeli Daniel.7.10. vel recepturos benefactores in æterna tabernacula, quod eſt omnia dimittentium, quorum regnum cælorum, vel aliquid, ſeù aliquos particulares iudicaturos, vel partem aliquam in iudicio habituros, non tamèn vniuerſitatem cauſarum, proùt Apoſtoli. At ſeſſio illis non datur, & Apoc. 3.21. & 4.4. non eſt ſeſſio ad iudicium, ſed ad gloriam, vt ibì dixi, & Dan. 7.9. dicitur tantùm: antiquus dierum ſedit, & iudicium ſedit, & Iſa. 3.13. nihil de ſeſſione.

At iudicium approbationis videtur parui momenti, quia quis contradicet ei, vel non approbabit? ſicùt iudicium comparationis. Iſa. 3.11. Ezech. 17. quia non eſt propriè iudicium, & fiet non ab ipſis, quod incongrueret, ſed à Deo, imò hoc capit & impios; nàm intèr Niniuitas tùnc conuerſos quot relapſi? & licèt dicatur: Regina Auſtri ſurget, &c. intelligendum, aſſumet Deus exemplum reginæ contrà illos, ſeù exemplo illo eos conuincet, & ſic exemplis ſanctorum idem faciet.

Quæ ſpecies Sanctorum aſtituta, incertum, certè non omnes, nàm quibus diceretur: venite benedicti, &c. & qui illi, de quibus Apoc. 6.10.? Vel ſi omnes, ſtrictè ad aliquod particulare, etiàm in Apoſtolicis, non in vniuerſum, nàm neque in terra habuerunt negocia vniuerſalia, proùt Apoſtoli.

Aduerte dùm dicitur: ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduersùs eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum, non intelligendum ipſos propriè ſtaturos, ſed demonſtratur tales acritèr puniendos à Chriſto Iudice, & dicitur pro nobis, ne hos ſic prouocemus.

Alius intellectus, quòd gubernaturi ſint Eccleſiam non placet, quia Chriſtus loquitur de præmio æterno, de vita æterna; primò ex præcedentibus, quia occaſione iuuenis Chriſtum interrogantis de illa, & de qua Chriſtus diſcurrit occaſione diuitiarum iuuenis, motus eſt Petrus ad interrogandum Dominum: *quid ergò erit nobis?* quaſi, dixiſti iuueni; *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, deindè, *ſi vis perfectus eſſe, dimitte omnia, & ſequere me*; nobis, qui ſic fecimus, dabiturne hæc vita æterna? Secundò quia dicit: nedum *in regeneratione*, quæ abſquè dubio capitur pro reſurrectione vniuerſali, proùt in verbò (genui te) Reſurrectio Chriſti, vt dixi in Act. Apoſt. ſed aliud concomitans, & quod eodem tempore interuenire debet, *cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ*, quod abſquè dubio erit in Iudicio; nàm ſedes in mundo alio modo non datur Chriſto, ſola cæleſtis apud Patrem, ſi ergò ipſi ſeſſuri, & iudicaturi quo tempore ſeſſurus, & iudicaturus Chriſtus, non poteſt ſtare intellectus de gubernatione Eccleſiæ. Tertiò ſermo eſt de præmio, prædicatio verò Apoſtolica (hæc enim eis demandata: euntes in mundum vniuerſum prædicate Euãgelium omni creaturæ. Marc. vlt. euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Matt. 28. 19.) non dicitur præmium, ſed labor, perſecutio, anguſtiæ, *cum perſecutionibus*, inquit Marcus. Quartò, verba, *in regeneratione*, dicunt actum vnum, non plures, non continuationem, & ſic benè important reſurrectionem vniuerſalem ſecuturam in nouiſſima tuba, in ictu oculi, non conuerſionem, & gubernationem mundi, quæ dicit tempus longum, & continuum. Quintò, verba ſimplicia, & puta, *in regeneratione*, non poſſunt importare regenerationem per baptiſmum; nullum enim in Scriptura exemplum, & Paulus illis vſus eſt, Tit.3.5. non ſimplicibus, ſed alijs concomitantibus, nempè per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, & 1.Cor. 4.15. per Euangelium ego vos genui, & ad Philem. quem genui in vinculis Oneſimo. Sextò, verba, *in regeneratione*, non poſſunt importare Reſurrectionem Chriſti, tùm quia in eo non dicitur regeneratio, ſed generatio: ego hodiè genui te, quia quod ſemèl aſſumpſit numquàm dimiſit, & non fuit datus in corruptionem; tùm quia verba, *in regeneratione*, dicunt tempus, & in ſua Reſurrectione hæc non præſtita, vt ſederet ipſe, vel alij in ſedibus, &c. Septimò, verba, *cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ*, important ſeſſionem, quietem, &

Digitized by Google

ſtatum corporis, & apparentia, & viſibilia, quæ omnia congruunt iudicio illi vti homini, ſeù Filio hominis dato viſibili (nàm inuiſibilitèr tota Trinitas iudicabit) ideò dicit: *Filius hominis ſedebit*, non autèm aptantur gubernationi aſſertæ, quæ eſt prædicatio, & conuerſio mundi, in quibus Chriſtus non apparet, ſed inuiſibilitèr tota Trinitas operatur. Octauò, Matthæus, Marcus, Lucas dimittentibus vitam æternam dicunt dandam, quomodò ergò in Apoſtolis verificari poteſt intellectus ille gubernationis mundi? Nonò, ſeſſio eis promiſſa eſt in iudicio, in foro illo vniuerſali, & iudicantes ſtabunt quæ in illo actu contingent, in hoc mundo ſecùs. Decimò, ſeſſio erit omnium Apoſtolorum ſimùl, dicitur enim *ſedebitis & vos ſupèr ſedes duodecim iudicantes*, hæc enim important vnionem, & conſortium, ſeù congregationem in ſedendo, & iudicando, ideò extranea ab intellectu, cum diſperſi per orbem prædicauerint, & miſſi fuerint. Vndecimò, intellectui non aptantur verba, *multi autèm erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, quæ rectè iudicio, & quibus ſæpè alibì ad iudicium vſus eſt Chriſtus. Duodecimò, excluditur intellectus is ex verbis Luc.22.28. vos autèm eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis ſupèr menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſupèr thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael; ſicùt enim hæc non poſſunt trahi ad hunc intellectum, ità confirmant communem. Decimotertiò, excluditur intellectus hic ex verbis Domini. Matt. 25.31. Cum autèm venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tùnc ſedebit ſupèr ſedem maieſtatis ſuæ, &c. eccè quomodò hæc interpretanda.

Dices: vbi centuplum in hac vita Apoſtolis datũ pro dimiſſis? reſpondeo, ne quæras, nõ eſt quod dicit intellectus præcedens: nàm illæ anguſtiæ, ità vt tæderet aliquandò eos viuere; ſpectaculum facti mundo, Angelis, hominibus; omnium peripſema, & alia, quæ paſsìm in Epiſtolis Pauli; hæ illæ perſecutiones Marci prædictæ à Chriſto Apoſtolis; ſed centuplum eorum, & centuplum cuiuſcumque dimittentis, gratiæ gratis datæ, & plenitudo gratiarum eis infuſa, proùt Spiritus ſanctus cuique diſtribuit; hæc enim gratia, imò vna illius guttula præualet cuicumque dimiſſioni Imperiorum, Regnorum, & poſteà dimittentes hæc ducuntur ad vitam æternam, quam parit gratia, non centuplicatio terrenorum, nàm habens terrena centuplicata poſſet damnari; at hìc cum centuplo, gratia perſeuerante vita æterna; & ità intelligendus locus iſte Matthæi, Marci, Lucæ, quod probo ex effectibus eleemoſynæ; Chriſtus enim Phariſæis vitioſis ſuadet. Luc.11.41. verumtamèn quod ſupereſt date eleemoſynam, & eccè omnia munda ſunt vobis in hoc ſæculo, quia eleemoſyna impetrat veniam, & mundat, munditiam operatur gratia, eccè centuplum. Tobiæ 4.9. Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat, eccè gratia, eccè centuplum, & non patietur animam ire in tenebras, eccè vita æterna, magna fiducia erit coràm ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam, & Tobiæ 12.9. ex Angelo Raphaele; quoniàm eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat, & facit inuenire miſericordiam in hoc ſæculo, & vitam æternam. Daniel.4.24. peccata tua eleemoſynis redime, & miſericordijs pauperum iniquitates tuas, forſitàn ignoſcet delictis tuis; & Chriſtus: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula priùs centuplo dotatos in mundo ex munditia obtenta vi eleemoſynæ; & habemus exemplum Centurionis. Act.10. cuius opera bona, præſertim multæ eleemoſynæ eam gratiam ei à Deo obtinuerunt, vt fidelis primus intèr gentiles extiterit, & non datum ei centuplum temporale. Nec quærebant diſcipuli, quis nobis ſuppeditabit victum, cum iàm edocti eſſent ſupèr his, quandò miſſi ſunt prædicare & Apoſtoli & ſeptuaginta duo, & cum milliès à ſolicitudine victus, & veſtitus eos prohibuerit exemplo auium, & liliorum. & hæc gentes inquirere, vndè cenſeo omnia ſpiritualitèr intelligenda, non temporalitèr (iuxtà ſanctũ Hieronymum, & alios) etiàm præmiſſa ſupèr eleemoſyna, tẽporalitèr enim intelligendo incideremus in tempora antiqua: bona terræ comedetis,

quæ

quæ nunc non attendimus, ſed cæleſtia, poſtquàm vox turturis audita eſt in terra noſtra, Ioannes: pœnitentiam agite appropinquauit regnum cælorum, à diebus enim Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud paupertate, humilitate, ſpolio bonorum, anguſtijs, etſi fame non pereunt, ſed vbiquè aluntur; at hoc non eſt centuplum, ſed additamentum quærentibus primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius; ſeruo Dei nihil curandum, nihil in hac vita quærendum, niſi Deus, niſi Chriſto configi, in eo viuere, in medio tribulationum cum cruce currere ad brauium pòſt Chriſtum ducem, ſciens leue hoc, & momentaneum æternum ſalutis pondus operari, & non eſſe condignas Paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et ſi alicui danda fuiſſent temporalia pro dimiſſis, id faciendum cum Apoſtolis primitias ſpiritus habẽtibus, quod non videmus factum, cum & Paulus pro victu laboraret manibus proprijs: *Iudicantes tribus Iſrael.* Sub his totum mundum; Iſraelitæ enim ſpirituales omnes credentes ex Paulo, *& omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, &c. proptèr nomen meum,* non quærens auram coràm hominibus, *centuplum accipiet* nùnc, in tempore hoc, *cum perſecutionibus* ex Marco, *recipiet* multò plura in hoc tempore ex Luca, *& vitam æternam poſſidebit* in ſæculo futuro: hoc non dimittentibus omnia, ſed aliqua, *multi autèm erunt primi,* nùnc ex reputatione hominum, tùnc *nouiſſimi,* & nùnc *nouiſſimi* iuxtà eandem reputationem tùnc *primi, multi enim* nùnc *vocati,* qui in mundo videntur præferendi, *pauci verò electi* ad vitam æternam.

CAPVT CXI.

DE OPERARIIS VINEAE.

Matth. 20.

1 *SIMILE eſt regnum cælorum homini patrifamilias,*
qui exijt primo mane conducere operarios in vineam
2 *ſuam. * Conuentione autèm facta cum operarijs ex dena-*
3 *rio diurno, miſit eos in vineam ſuam. * Et egreſſus cir-*
4 *cà horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, * &*
dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum
5 *fuerit dabo vobis. * Illi autèm abierunt. Iterum autèm*
6 *exijt circà ſextam, & nonam horam: & fecit ſimilitèr. * Circà vndecimam*
verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hìc ſtatis tota die otioſi?
7 ** Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.*
8 ** Cum ſerò autèm factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca ope-*
9 *rarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſsimis vſquè ad primos. * Cum*
veniſſent ergò qui circà vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos dena-
10 *rios. * Venientes autèm & primi, arbitrati ſunt quòd plùs eſſent accepturi: ac-*
11 *ceperunt autèm & ipſi ſingulos denarios. * Et accipientes murmurabant aduer-*
12 *sùs patrem familias, * dicentes: Hi nouiſsimi vna hora fecerunt, & pares il-*

Digitized by Google

13 *los nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* * *At ille reſpondens vni*
eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonnè ex denario conueniſti me-
14 *cum?* * *Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autèm & huic nouiſſimo dare ſi-*
15 *cùt & tibi.* * *Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt,*
16 *quia ego bonus ſum?* * *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. multi enim*
ſunt vocati, pauci verò electi.

COMMENTARIVS.

LABORANDVM in vinea pro denario diurno, ad quem ſub brauio in epiſt. inuitat Paulus. *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui* diligens, & ſolicitus *exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam* excolendam; ſic, vult dicere, contingit in Eccleſia militante. *Conuentione autem facta cum operarijs* inuentis *ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam* laboraturos, *& egreſſus circà horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis*, cum enim iam præterijſſet multa pars diei non conuenit cum eis in denario, proùt cum primis; ſed obſerua charitatem patris familias nedum vineæ ſuæ prouidentis, ſed hominibus ne otiarentur, imò lucrarentur; *Illi autèm* obedientes dicto *abierunt* ad vineam. *Iterum autèm exijt circà ſextam, & nonam horam, & fecit ſimilitèr*, numquàm omittit vocare. *Circà vndecimam verò exijt. & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: quid hic ſtatis tota die otioſi?* iàm enim inclinabat dies. *Dicunt ei, quia nemo nos conduxit*, quaſi, & nos eramus parati ad opus, & laboratū iuiſſemus, ſi fuiſſemus conducti; hinc argue, cur datus denarius diurnus ſingulis, quia parati erant, qui non primi, ſed vltimi acceſſerunt, quod dic & in alijs, vt ſuprà *in foro* inuentis. *Dicit illis: Ite & vos in vineam meam*, nil dicens de certa, vel incerta mercede, quaſi arbitrio ſuo eam relinquens. *Cum ſerò autèm factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo*, non dimittit ſolutionem in alium diem, ſed eadem die ſoluit. *Voca operarios, & redde illis mercedem:* eccè meritum operum, de quo Paulus: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, *incipiens à nouiſſimis vſquè ad primos*, neminem ſinè mercede ſua dimittit. *Cum veniſſent ergò qui circà vndecimam horam venerant* laboratum in vinea, *acceperunt ſingulos denarios*, quæ fuit merces conuenta cum primis, *venientes autèm & primi*, quibuſcum conuentio facta, *arbitrati ſunt*, videntes denarium datum nouiſſimis, *quòd ipſi plùs eſſent accepturi, acceperunt autèm & ipſi ſingulos denarios*, iuxtà conuentionem eorum, & *accipientes* denarium ſolum *murmurabant aduerſùs patrem familias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt*, laborauerunt, *& pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus*, ex inuidia mouebantur ex parabola, non tamèn quòd id contingat in iuſtis. *At ille reſpondens vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam, nonnè ex denario conueniſti mecum? tolle ergò quod tuum eſt*, ex conuentione (eccè merita) *& vade;* ad aliud enim non teneor, nec tu aliud prætendere potes. *volo autèm* ego Dominus *& huic nouiſſimo dare, ſicùt & tibi*, quia ſic placet mihi, *aut non licet mihi quod volo* de meis pecunijs *facere? an oculus tuus*, mens tua *nequam eſt*, iniqua, mala, *quia ego bonus ſum?* liberalitate vtens ergà operarios meos. (eccè gratia Dei) *ſic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*, æqualitèr omnes recipient, *multi enim ſunt vocati* ad vineam, *pauci verò electi*, quia non omnes accedunt, vel laborant, vel perſeuerant. Vinea eſt Eccleſia, dicitur enim, *ſimile eſt regnum cælorum*, ſic contingit in

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia, proùt Domino vineæ, &c. Operarij omnes homines, vult enim Deus omnes operari, & ſaluos fieri, vndè dicit: vt operaretur. Gen. 1: 15. & pòſt peccatum. cap. 3. 17. & cap. 9: 20. cœpit Noe vir agricola exercere terram, plantauitquè vineam, intèr quos alij pro ſe ipſis tantùm, alij pro ſeipſis, & alijs, qui sũt Sacerdotes, Parochi, Prælati, operantur, & omnes vocantur quauis hora, & operantibus (cum qualibet hora, qua in mundo ſumus, ſeù in Eccleſia militante, vel pueri, vel adoleſcentes, vel ſenes fideles (ſinè fide enim impoſſibile eſt placere Deo,) poſſimus mereri, & pòſt hoc iudicium, quo tempore ſublata eſt omnis occaſio merendi) denarius diurnus datur, *ſic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi,* quia vnuſquiſque æqualitèr recipiet denarium, nulla fiet diſtinctio quòad denarium; ſiuè primus acceſſerit ad vineam, ſiuè nouiſſimus; at ne crederemus omnes vocatos denarium habituros, proùt ex parabola poterat conijci dicit multos vocatos, at non electos, quia non laborauerunt, vt debuerant, vel non perſeuerauerunt; dat enim omnibus ſufficiens, ſed non efficax auxilium, licèt Deus offerat & efficax, ſeù tendens ad illud, hic enim omnes inuitauit: ſic etiàm inuitauerat primò ad nuptias, quod eſt generale auxilium, deindè iubet vocari, quod eſt oblatio efficacis, ſeù tendentis ad illud, non acceptantibus imputandum, non Deo; & dicit: quotiès volui congregare, &c. & noluiſti. Et ſi hæc parabola ſic intelligatur, ceſſant multæ difficultates. Aduerte cum primis conuenit, cum ſecundis verò *quod iuſtum eſt dabo vobis*, cum vltimis nihil, vult enim hos reddere diligentiores, & pendere ab ipſo, & eccè ſuperat omnem ſpem eorum dando eis idem, quod primis.

CAPVT CXII.

DE LAZARO.

Ioan. 11.

1 *ERAT autèm quidam languens Lazarus à Bethania, de*
2 *Caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis eius.* * *(Maria autèm erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit*
pedes eius capillis ſuis: cuius frater Lazarus infirmabatur.)
3 * *Miſerunt ergò ſorores eius ad eum dicentes: Do-*
4 *mine, eccè quem amas infirmatur.* * *Audiens autèm Ie-*
ſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro
5 *gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* * *Diligebat autèm Ieſus Mar-*
6 *tham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.* * *Vt ergò audiuit, quia infir-*
7 *mabatur, tunc quidèm manſit in eodem loco duobus diebus.* * *deindè pòſt hæc di-*
8 *xit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum.* * *Dicunt ei diſcipuli: Rabbi,*
9 *nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illùc?* * *Reſpondit Ieſus:*
Nonnè duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia
10 *lucem huius mundi videt:* * *ſi autèm ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non*
11 *eſt in eo.* * *Hæc ait, & pòſt hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed*
12 *vado vt à ſomno excitem eum.* * *Dixerunt ergò diſcipuli eius: Domine, ſi dormit,*

13 mit, ſaluus erit. * Dixerat autèm Ieſus de morte eius: illi autèm putauerunt
14 quia de dormitione ſomni diceret. * Tunc ergò Ieſus dixit eis manifeſtè: Laza-
15 rus mortuus eſt: * & gaudeo proptèr vos, vt credatis, quoniam non eram ibi.
16 ſed eamus ad eum. * Dixit ergò Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipu-
17 los: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. * Venit itaquè Ieſus: & inuenit
18 eum quattuor dies iàm in monumento habentem.* (Erat autèm Bethania iuxtà
19 Ieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim.) * Multi autèm ex Iudæis venerant ad
20 Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo. * Martha ergò vt
21 audiuit quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autèm domi ſedebat. * Dixit
22 ergò Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus:
23 * Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. * Dicit illi
24 Ieſus: Reſurget frater tuus. * Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectio-
25 ne in nouiſsimo die. * Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit
26 in me, etiàm ſi mortuus fuerit, viuet: * & omnis qui viuit, & credit in me,
27 non morietur in æternum. credis hoc? * Ait illi: Vtiquè Domine, ego credidi,
28 quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti. * Et cum
hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magi-
29 ſter adeſt, & vocat te. * Illa vt audiuit, ſurgit cito, & venit ad eum: * non-
30 dum enìm venerat Ieſus in caſtellum: ſed erat adhùc in illo loco, vbì occurre-
31 rat ei Martha. * Iudæi ergò, qui erant cùm ea in domo, & conſolabantur eam,
cum vidiſſent Mariam quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam dicentes:
32 Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. * Maria ergò, cum veniſſet vbì
erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hìc,
33 non eſſet mortuus frater meus. * Ieſus ergò, vt vidit eam plorantem, & Iudæos,
34 qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, * &
35 dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. * Et lacry-
36 matus eſt Ieſus. * Dixerunt ergò Iudæi: Eccè quomodò amabat eum. * Quidam
37 autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt
38 hic non moreretur? * Ieſus ergò rursùm fremens in ſemetipſo, venit ad monumen-
39 tum. erat autèm ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei. * Ait Ieſus: Tollite la-
pidem. Dicit ei Martha ſoror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iàm fætet,
40 quatriduanus eſt enìm. * Dicit ei Ieſus: Nonnè dixi tibi quoniam ſi credideris,
41 videbis gloriam Dei? * Tulerunt ergò lapidem: Ieſus autèm eleuatis ſursùm ocu-
42 lis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. * ego autèm ſciebam quia
ſempèr me audis, ſed proptèr populum, qui circumſtat, dixi: vt credant quia tu
43 me miſiſti. * Hæc cum dixiſſet, voce magna clamauit: Lazare veni foràs.
44 * Et ſtatìm prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies
45 illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus: Soluite eum, & ſinite abire. * Mul-
ti ergò ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ
46 fecit Ieſus, crediderunt in eum. * Quidam autèm ex ipſis abierunt ad Phari-
ſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus.

COM-

COMMENTARIVS.

E*RAT autèm quidam languens Lazarus à Bethania* oriundus *de Caſtello Mariæ, & Marthæ ſoris eius*, quæ ex eodem oriundæ (*Maria autèm erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur*.) Sed an Ioannes intelligat de geſtis. Luc. 7. an infrà cap. 12.? æſtimo quòd infrà, quia cenſetur potiùs referre propria, quàm alterius dicta, & quia, quæ hic dicit, aptantur ad cap. 12. non ad Lucam, qui plura diſſerit, & Ioannes non ſeruat ordinem hiſtoriæ, ſed congerit materias, vt Baptiſmi, ſanctiſſimi Sacramenti, verborũ Chriſti. Puto tamèn certò, vnam eſſe Magdalenam, vt latiùs ſuprà, & quamuis Hieron, Matth. 26. ſecùs ſenſerit, qui ex diuerſitate ſtatuum non poteſt ſaluari, cum verba non patiantur, parum refert, quia non fit præiudicium opinioni huic ex ſolo eius dicto. *Miſerunt ergò ſorores eius ad eum dicentes: Domine eccè quem amas* Lazarus *infirmatur*, inſinuant ſolùm infirmitatem, reliqua ipſi dimittunt; ſic Centurio pro puero; Chananæa pro filia in primis verbis. *Audiens autèm Ieſus* hæc à nuncijs *dixit eis: Infirmitas hæc* Lazari *non eſt ad mortem*, non eſt mortalis, quod futurum ſciebat reſpiciens, *ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam* ex miraculo, proùt in cœco nato; hìnc excludit peccatum, proùt in eodem cœco. *Diligebat autèm Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum*, ni mirum ſi dixerunt; *eccè quem amas*, etſi hoc præmittit pro cauſa indè diſcedendi, & in Bethaniã veniendi, quod non fecit pro Regulo, nequè puero Centurionis; at hic mors, & mortuos præſens ſempèr excitauit. *Vt ergò audiuit, quia infirmabatur; tùnc quidèm manſit in eodem loco duobus diebus*. die nuncij non erat mortuus Lazarus, moritur die ſequenti. quo manſit, adde aliũ, & duos in itinere, & habes quatuor dies in monumento. Tamdiù diſtulit Chriſtus, vt congregarentur Iudæi ab Ieroſolymis, & miraculum eſſet celebrius, & vt hoc exemplo quatridui non deficerent diſcipuli expectantes reſurrectionem ſuam per triduum. *Deindè pòſt hæc dixit diſcipulis ſuis, eamus in Iudæam iterum* ibi enim glorificabor. *Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nùnc*, nudius tertius *quærebant te Iudæi lapidare* ſuprà cap. 10. *& iterum vadis illùc*, exponens te periculo? *Reſpondit Ieſus: nonnè duodecim ſunt horæ diei? ſi quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt, ſi autèm ambulaueris in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo;* Dixerant diſcipuli, Iudæi volebant te lapidare, *& iterum vadis illùc?* reſpondet, ne timeatis, adhùc *ſunt horæ duodecim diei*, ideſt vitæ meæ, adhùc reſtat aliquod tempus, nondum animam meam pono, & ſinè me nemo poteſt eam rapere, & in his horis nullus timor, non impingemus, quia dies eſt lucens, veniet poſteà tempus noctis (quod ſub metaphora tempus ſuæ mortis appellat, & quia in nocte capitur, ne fiat tumultus in populo, timebant enim plebem) & tùnc offendemus, cum placuerit mihi animam meam ponere, ſic dixit reſpondens referentibus de Herode quærente eum interficere: Ite, & dicite vulpi illi: eccè eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodiè, & cràs, & tertia die cõſummor, veruntamèn me oportet hodiè, & cràs, & ſequenti die ambulare, & Io. 5. 4. me oportet operari, donèc dies eſt, veniet nox, quandò nemo poteſt operari, & videntur amplexati diſcipuli hunc ſenſum, quia Thomas ex his verbis animoſior factus, ſubdit: *eamus & nos, & moriamur cum eo*, ſi oportuerit, ſi offenderimus in noctem illam; loquitur autèm Chriſtus ſub metaphora cum timentibus, neque dicit eis clarè de morte, neque etiamſi paſſurus ſim, mortem vos non patiemini, nàm dicam: ſinite hos abire, & fugam capietis, quia non expediebat, & maiorem timorem incuſſiſſet.

Digitized by Google

ſet. Hæ duodecim horæ erant eius voluntas tempore ſuo mortem amplexura, & ſinè ea nemo poterat ab eo vitam tollere, proùt nequè à Samſone figura Chriſti, niſi priùs illi ex eius reuelatione capilli præciderentur, ideò hæc eſt hora veſtra, & poreſtas tenebrarum à me conceſſa. *Hæc ait, & pòſt hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter* (eccè ex eius ore quomodò amabar) *dormit, ſed vado vt à ſomno* mortis *excitem eum. Dixerunt ergò diſcipuli eius, ſi dormit, ſaluus erit* ab infirmitate: *Dixerat autèm Ieſus de morte eius, illi autèm putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret*, non enim poterant diuinare, *tùnc ergò Ieſus dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo proptèr vos, vt credatis*, augeatur in vobis fides ex miraculo, *quoniam non eram ibì* volens eum in vitam tenere, *vel non eram ibì*, quia ſi ibi fuiſſem, precibus ſuorum victus, non eſſet mortuus, ſed præſeruaſſem, & hæc verba iungenda *Lazarus mortuus eſt*, deinde *vt credatis; ſed eamus ad eum*, quomodò ad eum, ſi mortuus, ſi cadauer? ſed Chriſto omnia viuunt. *Dixit ergò Thomas, qui dicitur Dydimus ad condiſcipulos: eamus & nos, & moriamur cum eo;* videbant enim euidens periculum mortis ex præcedentibus, ad quod ſe Ieſus exponebat. *Venit itaquè Ieſus* Bethaniam, *& inuenit eum* Lazarum *quattuor iàm dies in monumento habentem*, quomodò quattuor, ſuprà diximus (*erat autèm Bethania iuxtà Ieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim*) hoc dicit ad firmandum quod ſubdit, *multi autèm ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam vt conſolarentur eas de fratre ſuo* hac charitate moti, *Martha ergò* non exiſtens vbì Maria, *vt audiuit quia Ieſus venit, occurrit illi. Maria autèm domi ſedebat;* hìnc differentia locorum Marthæ, & Mariæ. *Dixit ergò Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus;* an hìc incredulitas, quaſi abſens non poſſet, proùt aliqui de Regulo, quem in hoc defendimus? at non credo in his mulieribus, ſed potiùs ſit euentuale dictum, vel ex dolore; nàm Magdalena viderat miracula, & Martha audierat, quibus perſuaderi poterant in contrarium. *Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*, eccè fides imperfecta Marthæ, quæ non cognoſcebat adhuc illum Deum; ſed an his verbis cogitaret de reſurrectione? valdè dubito, quia in conſequentibus apparet illam titubaſſe; & Ieſum enixum illam in fide ſtabilire circà reſurrctionem fratris; & ſi de illa cogitauit, quia neſcio verba hæc ad aliud aptare, puto non fide ſtabili dixiſſe. *Dicit illi Ieſus: reſurget frater tuus*, incertè loquitur, vt alliciat Martham ad fidem; ſic cum Nicodemo, Samaritana, turbis de pane cæleſti, hinc diſcurſus Marthæ ſupèr generali reſurrectione. *Dicit ei Martha, ſcio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die*, quaſi, de præſenti non credo, ideò illa verba (*ſed & nùnc ſcio, &c.*) non credens firmitèr protulit. *Dixit ei Ieſus: ego ſum reſurrectio, & vita* valens omnes excitare, *qui credit in me* viuens, *etiamſi mortuus fuerit, viuet* vita æterna, *& omnis qui viuit*, (explicat clariùs) *& credit in me non morietur in æternum* morte æterna. *Credis hoc?* cathechizat eam, quia fidem requirebat à fundentibus preces pro alijs curandis, & excitandis: *Ait illi: Vtiquè Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti* Meſſias, Saluator; teneo non cognouiſſe verè, & diſtinctè Martham filium Dei, quamuis ex verbis aliud videatur, imò nequè alij tunc, niſi Petrus, cui reuelauit Pater; *Et cum hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te;* Ieſus enim illi dixerat, vocabat fortè Ieſus Mariam magìs ſtabilem in fide, vt ad eius preces iunctas operaretur miraculum. *Illa vt audiuit, ſurgit citò* obediens, *& venit ad eum; nondum enim venerat Ieſus in Caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, vbì occurrerat ei Martha;* expectabat enim concurſum turbæ ad miraculum adeò inſigne, in quo glorificandus erat. *Iudæi ergò, qui erant cum eà in domo, & conſolabantur eam, cũ vidiſſent Mariam quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam;* comitati ſunt Mariam, non Martham quia (Martha è domo diſcedente quam nec fortè viderant alibì operantem) cum Maria remanſerant, vel ſi ſecùs non nouerant quà tenderet; at diſcedente

dente Maria, quam ſequuta, & comitata eſt Martha (ambæ enim miraculo interfuerunt) non erat domi, quacum remanerent, ideò *eam ſecuti ſunt*, *dicentes*, *quia vadit ad monumentum*, *vt ploret ibì*, quod & de Martha ſenſiſſent, ſi illam egredientem vidiſſent, vel cum Maria moram nõ traxiſſent; non enìm apparet ſolicitiorem Mariam de morte fratris, quàm Martham. *Maria ergò, cum veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius* iuxtà morem ſuum, *& dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus*, quia ad te medicum accurriſſemus; non exigit fidem à Maria Ieſus, proùt à Martha, nec tor verba miſcentur ſecum. *Ieſus ergò, vt vidit eam plorantem* (eccè lacrymarum Mariæ operatio) *& Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes*, ſi enim hi commoti, quantò magis Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis? *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum*, ſicutì dicitur Iob 16. 10. infremuit dentibus; & Dauid: peccaror dẽtibus fremet, ſic hìc *ſpiritu*, quod declarar, ſubdens: *& turbauit ſeipſum* ex viſione Marię Magdalenæ, & aliorum lacrymantium, & repræſentatione caſus, vt ſolent moti his paſſionibus miſericordiæ, & ſimilibus, & poſteà etiàm lacrymatus eſt, vel præparans ſe ad Lazarum ſuſcitandum, vt ſolent accingentes ſe ad aliquod facinus, & milites tuba, & tympano ad inſtructam aciem erecti, & impulſi, & proùr Samſon ligatus ſolebat, & illicò *dixit: vbi poſuiſtis eum?* ad reſurrectionem enìm Lazari hæc omnia tendebant, & hic actus fuit noſtro naturali ſimilis ab eo in ſe productus, non ad alium finem, niſi diuinemus; nihil enim cum diabolo, vel peccato, ſed cum morte, & caſu, de quo agebatur flebili. *Dicunt ei: Domine, veni, & vide*, quaſi, cum videris quatriduanum, non quæres de reſurrectione illius; non enìm credebant: *Et lacrymatus eſt Ieſus* ex amoris teneritudine, proùt pluriès ſuis locis obſeruatum. *Dixerunt ergò Iudæi* hoc animaduertentes: *eccè quomodo amabat eum*, diligebat enìm eum, vt ſuprà dictum. *Quidam autèm ex ipſis dixerunt: non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?* Non calumniantur miraculum cœci nati, ſed illud præſupponunt, ex eoquè arguunt, & fortè mouentur quadam animi teneritudine, ſeù compaſsione, qua in tribulationibus ſolemus ad ea, quæ fieri poterant, inanitèr confugere; ſic parentes Tobiæ. Tob. 5. 24. numquàm fuiſſet ipſa pecunia, pro qua miſiſti eum, & Iob. 39. 35. Vnum loquutus ſum, quod vtinam non dixiſſem, & Num. 14. 1. Vtinam mortui eſſemus in Aegypto, & ideò nulla coniectura concurrit, vt hi fuerint delatores miraculi ad Phariſæos, ſed aliquos ex his præſentibus fuiſſe certum eſt ex Euangelio. *Ieſus ergò rursùm fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum*, dixerant enìm, *veni, & vide*. *Erat autèm ſpelunca* (deſcribit monumentum) *& lapis ſuperpoſitus erat ei*. *Ait Ieſus: tollite lapidem*, vt appareat quis reſurgat, poterat Chriſtus, eo non ſublato, Lazarum ſuſcitare, ſed ad maiorem miraculi manifeſtationem id iuſſit, nec vtitur nouo miraculo, vbi opus non eſt; ſi dicis, porerat & illum iubere ſolui antè reſurrectionem, vel exitum è monumento, & hoc aliud miraculum non facere: At nec intollerabilis fœtor permiſiſſet, non ſic apparuiſſet de identitate Lazari, proùt apparuit exeundo ligatus, & poſteà ſolutus à Iudæis in conſpectu omnium, quæ omnia tendunt ad maiorem miraculi manifeſtationem, quam non operata eſſet lapidis remanſio, & ſic verba *vbi poſuiſtis eum; clamauit voce magna*, vocatio Mariæ, quæ ſecum traxit Iudæos, & ſimilia fuerunt ad maiorem manifeſtationem miraculi, quod voluit omnibus eſſe conſpicuum, nec poſſe cauillari; ſic in dæmoniaco, cum videret concurrenrem turbam. *Dicit ei Martha ſoror eius, qui mortuus fuerat*, hoc expræſſit, vt ſciamus ab illa, quæ rem ſciebat, hæc dicta, & miraculum reddatur maius, voluit & ſorores præſentes, vt conſtet de identitate ſubiecti, ideò etiàm dixit: *vbì poſuiſtis*, & alia, quæ ad identitatem eandem tendunt, ne cauillaretur miraculum. *Domine, iàm fœtet; quatriduanus eſt enìm*, quaſi, ad quid lapidem tollere? fœtore opprimemur, iàm alea iacta eſt. *Dicit ei Ieſus: nonnè dixi tibi, quoniàm ſi credìderis, videbis gloriam Dei?* ex miraculo reſurrectiònis fratris tui. Ex hoc contextu colligitùr Martham non intellexiſſe Do-

ſe Dominum tùnc ſuſciraturum Lazarum, & redditur veriſimilior opinio, quòd non cognoſceret perfectè Chriſtum vtì Petrus confitens. *Tulerunt ergò lapidem* è ſpelunca iuxtà iuſſionem Domini. *Ieſus autèm eleuatis ſursùm oculis*, vt appareat omnia à Deo recipere, & ei eſſe conformem, nihilquè commercij habere cum diabolo, *dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me* in hoc miraculo patrando. *Ego autèm ſciebam, quia ſempèr me audis*, poſtquàm complacitum eſt tibi in me, & omnia dediſti mihi in manus, *ſed proptèr populum, qui circumſtat*, te me audiſſe *dixi, vt credant*, cognoſcendo te mihi cooperari, *quia tu me miſiſti* in mundum Meſſiam, omnia enìm miracula fiebant ad finem huius manifeſtationis. *Hæc cum dixiſſet* coràm populo audiente, *voce magna clamauit*, vt omnis turba circumſtans audiret, & certior redderetur, à quo tantum miraculum fieret. *Lazare* mihi viuens *ueni foràs* ex hac ſpelunca, *& ſtatìm* ad hanc vocem, cui omnia obediunt, *prodijt* viuus *qui fuerat mortuus*, *ligatus* ex maiori miraculo, cum naturalitèr non poſſet, *pedes*, *& manus inſtitis*, *& facies illius ſudario erat ligata*, vt appareret de identitate Lazari. *Dixit eis Ieſus: ſoluite eum, & ſinite abire*, vt cuicumque appareat veritas reſurrectionis, non ducit ſecum, vt fiat maior copia illius, & miraculum diuulgetur, & ipſe glorificetur abſens, vt in lãguido, cœco nato, & alijs, quibus prohibirũ ne cui dicerent ipſo pręſente, & c. 12. eſt vnus de diſcũbentibus, vt irrefragabile ſit hoc tãtum miraculum. *Multi ergò ex Iudæis, qui uenerant ad Mariam, & Martham, & uiderant quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum*, hic finis miraculi, & congregationis turbæ, quam expectauit. *Quidam autèm ex eis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus*, hi non credentes; nàm de credentibus dixit ſuprà; Phariſæi autèm eò magis, audito tanto miraculo, æſtuauerunt.

CAPVT CXIII.
DE CONCILIO.
Ioan. 11.

47 *COLLEGERVNT ergò Pontifices & Phariſæi con-*
cilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo mul-
48 *ta ſigna facit? * Si dimittimus eum ſic, omnes credent in*
eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, &
49 *gentem. * Vnus autèm ex ipſis Caiphas nomine, cum eſ-*
ſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam,
50 ** nec cogitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur ho-*
51 *mo pro populo, & non tota gens pereat. * Hoc autèm à ſemetipſo non dixit: ſed*
cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente.
52 ** & non tantùm pro gente, ſed vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret*
53 *in vnum. * Ab illo ergò die cogitauerunt vt interficerent eum. * Ieſus ergò iàm*
54 *non in palàm ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionem iuxtà deſertum, in*
55 *ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibì morabatur cum diſcipulis ſuis. * Proxi-*
mum autèm erat Paſcha Iudæorum: & aſcenderunt multi Ieroſolymam de re-

gione

Digitized by Google

56 *gione antè Paſcha, vt ſanctificarent ſeipſos. * Quærebant ergò Ieſum: & col-*
loquebantur ad inuicèm, in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad
diem feſtum? Dederant autèm Pontifices, & Phariſæi mandatum, vt ſi quis
cognouerit vbì ſit, indicet, vt apprehendant eum.

COMMENTARIVS.

C*OLLEGERVNT ergò Pontifices, & Phariſæi concilium* audito miraculo Lazari inuidia æſtuantes, quæ magìs prodijt, quandò & Lazarum cogitauerunt interficere. Io. 12. *& dicebant: quid facimus*, cur dormimus, cur non prouidemus Reipublicæ, rebus noſtris, *quia hic homo multa ſigna facit?* certa, apparentia, quæ non poſſumus cauillari, proùt plurìes tentauimus: ex ore concilij voluit innocentiam Chriſti Euãgeliſta reddere manifeſtã, & ſimùl eorum ſocordiam detegere, & motiuum *quia multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic* hæc ſigna facientem, *omnes credent in eum*, & illum ſequentur, & fiet eorum Rex, nobis derelictis, *& uenient Romani, & tollent noſtrum locum*, ideſt Ciuitatem, nàm ſubdunt *& gentem;* ſi enìm de gente, ſeù toto genere Hebræorum, proùt bis ſe explicat, eo magìs de Ciuitate tota, & poſtquàm expreſſit *gentem*, illud verificabitur tutius in Ciuitate, & eſt conforme dicto Balaam, Danielis, & Chriſti ſupèr Ieruſalem, & euentui. Vel *locum*, ideſt templum, proùt. Act. 6. 13. & 14. & cap. 21. 28. Sed an verè timerent euentum hunc? credo quòd ſic, viderant enìm alios, qui ſe dicebant aliquos tumultuantes à Præſidibus occiſos ex Gamaliele. Act. 5. 36. & ſeqq. & nomen Regis malè olere Cæſari ex dictis ad Pilatum; & Paulus dicit: ſi cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. Si dicis proptèr inuidiam hoc, vt dixit Pilatus, ſed ſtat ſimùl, vt inuiderent illi vtì homini; Ideò *hic homo*, quem tamèn Deum gloriæ non cognoſcerent; ſed quale concilium inſipiens? *quia multa ſigna facit* occidamus illum, imò debuerant dicere, acceptemus illum in Meſsiam, quia prædictum ab Iſaia Meſsiam hæc ſigna patraturum: huic conciliabulò reſponderet Chriſtus, vtì lapidantibus: multa bona opera oſtendi, feci in vobis, proptèr quod eorum opus vultis me lapidare? at inſania, malitia, inuidia eos obcœcarunt. *Vnus autèm ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis*, alij enìm fortè contradicebant dictis primis; Ideò ille loquitur, & ex hoc cognoſcitur verum, quod dicit Lucas: ſub Principibus Anna, & Caipha, vt ibì dictum, proùt prophetæ antiqui ſub pluribus Regibus geſta referebant. *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis*, loquitur quaſi poteſtatem habens, vt de Chriſto. Mar. 1. 22. *quia expedit uobis ut unus moriatur homo pro populo; & non tota gens pereat*. Caiphas loquitur ſtrictè ad gentem ſuam, non ad totum mundum, gentiles enim erant horrori Hebræis, ideò dicebant: numquid in diſperſionem gentium, ad gentes diſperſas reſpectu Hebræorum, quorum vnus populus vnitus, iturus eſt, & docturus gentes? ideò dicit: *expedit uobis vt unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; at Euangaliſta explicans, ſubdit: *hoc autèm à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente* (ſcilicèt Iudæorum) *ſed vt filios Dei*, prædeſtinatos omnes ad vitam æternam, etiàm gentiles, *qui erant diſperſi*, vagantes, ignorantes viam ſalutis Domini. Act. 17. 30. vel omnes fideles ſecundùm præſentem iuſtitiam, *congregaret in vnum* iuxtà illud: quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, fieretquè vnum ouile, vna Eccleſia, & vnus Paſtor, & eſſent omnes vnum, ſicùt ipſe, &

Digitized by Google

Pater vnum ſunt. Io. 17. 19. quod ex verbis illis *populo, & gens*, clarè ſaltem percipi non poterat, vndè verba Caiphæ reſident, & ſtant Chriſtum moriturum pro gente Iudæorum tantùm, iuxtà illorum ſenſum, ideò aduerſatiuè Euangeliſta, *& non tantùm pro gente, ſed*, &c. docens quouſque extendenda: Hæc verba nec Caiphas, quo vti organo vſus eſt Deus, intellexit, neque alij præſentes peccatis oppreſsi, & actu peccantes, *Ab illo ergò die cogitauerunt*, & ſtabilierunt, *vt interficerent eum. Ieſus ergò* ſciens cogitationes eorum *iàm non in palàm*, publicè, & liberè *ambulabat apud Iudæos*, in eorum ditione, *ſed abijt in regionem iuxtà deſertum, in Ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis*, effugiens manus inſidiantium. *Proximum autèm erat Paſcha Iudæorum, & aſcenderunt multi Ieroſolymam de regione* circum circà *antè Paſcha, vt ſanctificarent ſeipſos* antè diem feſti, iuxtà Act. 21. 24. *quærebant ergò Ieſum, & colloquebantur ad inuicèm in templo ſtantes;* ibi enim ſanctificabantur. *Quid putatis* eum retardare, quæ cauſa; *quia non venit ad diem feſtum? Dederant autèm Pontifices, & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet, vt apprehendāt eum*, executuri cogitationem de illo interficiendo, publicum erat igitur indictam capturam Chriſti, vt omni ſequeſa eum denudarent; ſimilem ob cauſam coniurauerant priùs, vt ſi quis eum confiteretur, extrà Synagogam fieret, licèt alitèr res ſortita ſit, quia turbæ obuiauerunt vti triumphatori, & in ingreſſu in Ieruſalem, Conſiliariorum, & iniquorum, ſeù peccatorum aſpirantium in aliorum perniciem alij inuidia, & odio mouentur, vt hic & fratres Ioſeph: ecce ſomniator, &c. Gen. 37. 19. Alij ex intereſſe, vt hic, & Iudas: quid vultis mihi dare. Matt. 26. 15. Balaam vt reciperet munera. Num. 24. 14. Herodes contrà innocentes timens Regno. Matth. 2. 16. Alij imprudentia, vt Iuuenes cum Roboam. 3. Reg. 12. 11. Alij feritate, & malignitate, vt Pharao contrà populum, & maſculos. Exod. 1. Herodes contrà innocentes. Alij improbitate, vt Balaam, qui docuit mittere ſcandalum antè filios Iſrael: Ieroboam adorare idola, quæ erexit. 3. Reg. 12. 27. Alij ingratitudine, vt Achitophel contrà Dauid. 2. Reg. 17. Vndè: ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, &c. Iudas contrà Dominum: Alij deceptione, vt Simeon, & Leui vaſa iniquitatis bellantia, non ſtantes promiſſis. Gen. 34. & 49. 5. Alij ambitione, vt Nabuchodonoſor conſulens, vt omnem terram ſuo ſubiugaret Imperio. Iudith. 2. At diabolus ex inuidia, odio, malitia, guſtu, vt contrà Iob. cap. 1. & Achab. 3. Reg. 22. 21. Conſiliarij boni rari, intèr hos Nicodemus. Io. 7. 51. Gamaliel. Act. 4. 38. Senes cum Roboam. 3. Reg. 12. 7. Chuſai. 2. Reg. 17. 7. Daniel cum Nabuchodonoſor. Daniel. 4. 24. & Baltaſſare, cap. 5. Ideò conſilium à Domino expetendum, prout à Ioſaphat. 2. Paralip. 20. 12.

C A-

CAPVT CXIV.

DE ASCENSV IN IERVSALEM, ET PETITIONE ZEBEDAEORVM.

Matth. 20.

17 ET aſcendens Ieſus Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim di-
18 ſcipulos ſecreto, & ait illis: * Ecce aſcendimus Ieroſoly-
mam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum,
19 & Scribis, & condemnabunt eum morte, * & tradent cũ
Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifi-
20 gendum, & tertia die reſurget. * Tunc acceſſit ad eum
mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans & petens
21 aliquid ab eo. * Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij
22 mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. * Reſpon-
dens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem
23 ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. * Ait illis: Calicem quidem meum bi-
betis: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vo-
24 bis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo. * Et audientes decem indignati ſunt de
25 duobus fratribus. * Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis quia princi-
pes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos.
26 * Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit ve-
27 ſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus, * ſicut
28 Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam,
redemptionem pro multis.

Marc. 10.

32 ERANT autem in via aſcendentes Ieroſolymam: & præcedebat illos Ie-
ſus, & ſtupebant: & ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim,
33 cœpit illis dicere quæ eſſent ei euentura. * Quia ecce aſcendimus Ieroſolymam,
& Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & ſenioribus,
34 & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus: * & illudent ei, & con-
ſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die reſurget.
35 * Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magiſter,
36 volumus vt quodcumque petierimus facias nobis. * At ille dixit eis: Quid vul-
37 tis vt faciam vobis? * Et dixerunt: Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, &

38 *alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua. * Ieſus autèm ait eis: Neſcitis*
quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptiſmo, quo ego bapti-
39 *zor, baptizari? * At illi dixerunt ei: Poſſumus. Ieſus autèm ait eis: Calicem*
40 *quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini: * ſe-*
dere autèm ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis,
41 *ſed quibus paratum eſt. * Et audientes decem cœperunt indignari de Iacobo, &*
42 *Ioanne. * Ieſus autèm vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur prin-*
cipari gentibus, dominantur eis: & Principes eorum poteſtatem habent ipſorum.
43 ** Non ità eſt autèm in vobis, ſed quicumque voluerit fieri maior, erit veſter*
44 *miniſter: * & quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus.*
45 ** Nam & Filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret,*
46 *& daret animam ſuam redemptionem pro multis.*

Luc. 18.

31 A*ſſumpſit autèm Ieſus duodecim, & ait illis: Eccè aſcendimus Ieroſolymam,*
& conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio homi-
32 *nis. * tradetur enìm Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur:*
33 ** & poſtquàm flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget. * Et ipſi ni-*
34 *hil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intel-*
ligebant quæ dicebantur.

COMMENTARIVS.

E*T aſcendens Ieſus Ieroſolymam* ibi moraturus relicta Ephrem, *aſſumpſit duodecim diſcipulos* ſuos *ſecretò* ob mandata à Iudæis contrà eum indicta, quos præcedebat in eundo, & ſtupebant de eius veloci greſſu, qui denotabat quàm alacritèr, & feruentèr iret ad mortem, & ſequentes timebant, ſcientes machinationes Iudæorum, *& ait illis* euentura: *eccè aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur* à Iuda *Principibus Sacerdotũ, & Scribis, & cõdemnabunt eũ morte* in concilio, *&* ipſi *tradent eum gentibus*, Pilato, & militibus, *ad illudendum, & flagellandũ, & crucifigendum,* hæc omnia, & ſingula animo retinens ad interiorem cruciatum, & hoc eſt quod refert Ioannes cap. 18. vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit: ſignificans qua morte eſſet moriturus, nempè tradendus gentibus, à quibus crucifigendus, non autèm quòd vnum genus mortis liceret Iudæis, aliud non; ipſi enim indefinitè dixerunt: nobis non licet interficere quemquam, nec habebant lictores, vel miniſtros, qui hæc exequerentur, & Pilatus referebat iudicium tantùm, dicens: ſecundùm legem veſtram iudicate eum, non autèm pœnam mortis; quod & recuſarunt volentes in caput Pilati omnia refundere, illumquè fallere, vt inquit Auguſtinus; hinc licèt Ieſum reum mortis pronunciaſſent omnes cũ Caipha, eò quòd filium Dei ſe feciſſet, quæ cauſa ſpectabat ad legem illorum, hoc tamèn non deduxerunt Pilato, ſed cauſas rebellionis confictas, ideò Pilatus interrogauit de regno, ne cogerentur ipſi pronunciare iuxtà eorum legem

gem

Digitized by Google

gem, proùt Pilatus volebat, vel detegere ſententiam per eos latam. Non ergò firmum eſt Ieſum adductum ad Pilatum, vt crucifigeretur, eò quòd genus hoc mortis inferre non poſſent, ſed lapidationis, vel alterius, cum nullum poſſenr, ſed vt morti traderetur, licèt in maius opprobrium diſpenſationi diuinæ ſeruientes crucis ſupplicium quæſierint, fortè occaſione Barabbæ, cui hoc ſupplicium debebatur. Si opponis de adultera; reſpondeo ductam fuiſſe coràm Ieſu ad iudicium, vel potiùs ad conſilium, non ad mortem, ideò dicunt: tu ergò quid dicis. Io. 8. 6. Sed quomodò dicit Lucas cap. 18. 34. *& ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur:* puto illos intellexiſſe, quæ Chriſtus pluriès eis inculcauerat; ideò Petrus tentauerat eum retrahere. Thomas dixerat: eamus & nos, & moriamur cum illo, ſciebant eum ad mortem quæri; pluriès tentatam lapidationem. At non capiebant hæc ſucceſſura eo modo, quo Chriſtus proferebat circà mortem, & reſurrectionem ſuam, præſertìm quia adhùc fulciebantur ſpe illa vana eum temporalitèr regnaturum, quod in eodem Euangelio ex petitione Zebedæorum, & indignatione aliorum apertè colligitur. Matt. 20. Mar. 10. eſt etiàm probabilis opinio non intellexiſſe, ideſt non credidiſſe, quæ Chriſtus dicebat futura, quia in vltimo ſermone in cœnaculo dixerunt: eccè nùnc palàm loqueris, & prouerbiũ nullum dicis, &c. Io. 16. 29. & illum tùnc cognouerunt, vt ipſe dicit. Io. 17. 7. omnes verò cruciatus enumerat Chriſtus, vt diſcipuli cognoſcant voluntariè ad mortem ire, & nos cognoſcamus sẽpèr in corde eius hæc extitiſſe, & internè afflictum eſſe; vndè: baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor, quòuſquè perficiatur? *Et tertia die reſurget*, hoc sẽpèr ſubdebat ad diſcipulorum conſolationem, & ſui exaltationem; nàm ſinè illa nihil actum fuiſſet; ſi enìm Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides veſtra, inanis eſt prædicatio noſtra, &c. dicit Paulus. *Tùnc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorans* proſtrata, *& petens aliquid ab eo*, aliquid explica, vt per Marcum: *volumus vt quodcumque petierimus facias nobis*, quæ petitio erat captioſa. Mater ergò acceſsit; priùs cum filijs conſilio habito, vndè non credo ex verbis tùnc à Chriſto prolatis occaſionem ſumpſiſſe, præſertìm quia Chriſtus aſſumpſit duodecim tantùm, & ſecretò, dum hæc diceret. Vltrà quòd nullum verbum nùnc de regno, ſed de cruce; & ſi dicis miſcuit reſurrectionem, ſed nihil de regno, de quo tamèn milliès dixerat, & tùnc potuit Mater concipere in mente, & vnà cum filijs de regno petendo, ſeù officio, & maiotitate in illo, nec verbis conſecutiua eſt aditio matris, ſed euentualis, *tùnc acceſſit*, &c. quia exiſtimabant quòd tùnc in Ieruſalem confeſtìm regnum Dei manifeſtaretur. Luc. 19.

Sed petebantne ſedes regni cæleſtis, vel terreni? credo terreni; ſi enìm cæleſtis, non ſuppoſuiſſent matrem: nec mater, aut ipſi petijſſent verbis doloſis allicientibus ad promiſſionem, priuſquàm dicerent quid vellent, in quo captus Herodes à ſeipſo; Præterèa diceretne Chriſtus, *neſcitis quid petatis*, ſi cæleſtes petijſſent? erat autèm conſtans opinio intèr Iudæos Meſsiam temporalitèr regnaturum, quæ etiàm diſcipulos inuaſerat, & durauit vſquè dum aſcenderet in cælum, cum tùnc interrogarent, ſi in tempore illo reſtitueret regnum Iſrael; & reſponſio Chriſti non tollit obiectum; quia illos à terreno ad cæleſte ſubleuat de more ipſius, nec credo ipſos cœpiſſe reſponſionem Chriſti. *Qui dixit ei: quid vis? Ait illi: dic*, iube, fac, *vt ſedeant* conregnaturi, & ſuprà alios manſuri *hi duo filij mei* te comitantes, *vnus ad dextram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo*, quod putabant temporale. *Reſpondens autèm Ieſus dixit: neſcitis quid petatis*; reſponſio refertur ad filios, quos Marcus petentes facit, non matrem, putatis petere delitias, & honores ſæculi, & erratis; meum enìm regnum non eſt hìnc, & aſſumendi ad illud, ad primaſquè ſedes, quas expetitis, perſecutionibus, crucibus ſubdendi; ideò, *poteſtis bibere calicem* mortis amariſsimæ, *quem ego bibiturus ſum?* infrà paucos dies, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? quod eſt idem, ideſt mortẽ ſubire. *Dicunt ei ignorantes*

rantes quid reſpondeant, & quid diceret Chriſtus loquens de paſſionibus, & mortibus. *poſſumus, ait illis; calicem quidèm meum bibetis* paſſionis, nàm Iacobus Martyr moritur, Ioannes paſſiones martyrij ſubijt, & dicemus. Io. 21. & eritis in gloria mecum, *ſedere autèm ad dexteram meam, vel ſiniſtram*, quòd alijs præferamini, *non eſt meum dare vobis, ſed quibus* ab æterno *paratum eſt à Patre meo*, cuius ſtatutum æternum non poteſt immutari, & ſic dicit ſe paratum dare, quibus à Patre paratum eſt, cum indiuiſa ſint opera Trinitatis ad extrà. Vel ſi facultatem dandi ab ſe abſtulit, dixit vtì homo; attribuit Patri, ne in ſe odium horum diſcipulorum concitet inhiantium ad primatum, proùt Petro daturus primatum non dicit confeſſionem de illo factam à ſe reuelatam, ſed à Patre, & illinc fortè natum deſiderium primatus in his diſcipulis, dicendo tamèn de Patre, & ad Patrem referẽdo, numquã ſeipſum excludit quà Deum. *Et audientes* alij *decem* Apoſtoli *indignati ſunt de duobus fratribus* ſic petentibus, ex quibus conſtat ipſos matrem incitaſſe ad ſic petendum, & Marcus dicit illos petijſſe, & modo extraordinario, vndè in claris non eſt opus coniecturis. *Ieſus autèm vocauit illos ad ſe, & ait: ſcitis quia Principes gentium dominantur eorum*, quibus principantur, *& qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos*, qui illis ſunt inferiores; non ità erit intèr vos, vt velitis alijs principari, & præferri, *ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit*, euadat *veſter miniſter, & qui voluerit intèr vos primus eſſe, erit veſter ſeruus*, & ſic terret eos, & ad humilitatem reducit; id autèm faciatis meo exemplo. *Sicùt Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam*, vitam ſuam *in redemptionem pro multis*, pro omnibus hominibus, quibus omnibus ſic faciendo ſe ſubijcit, & ſi ego veſter Magiſter, & Dominus hæc præſto, quantò magìs id vos debetis mei diſcipuli, & ſerui? ad Io. 13. Vide Luc. 22. & ibi ſcripta, dum orta intèr eoſdem contentio de primatu.

CAPVT CXV.

DE ZACHAEO.

Luc. 19.

1 *ET ingreſſus perambulabat Iericho.* Et eccè vir nomine Za-*
2 *chæus; & hic Princeps erat Publicanorum, & ipſe diues:*
3 ** & quærebat videre Ieſum, quis eſſet; & non poterat præ*
4 *turba, quia ſtatura puſillus erat. * Et præcurrens aſcen-*
dit in arborem ſycomorum vt videret eum: quia indè erat
5 *tranſiturus. * Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus*
vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcen-
6 *de: quia hodiè in domo tua oportet me manere. * Et feſtinans deſcendit, & ex-*
7 *cepit illum gaudens. * Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd*
8 *ad hominem peccatorem diuertiſſet. * Stans autèm Zachæus, dixit ad Dominum:*
Eccè dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem
9 *defraudaui, reddo quadruplum. * Ait Ieſus ad eum: Quia hodiè ſalus domui*

huic

10 *huic facta eſt: eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* * *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.*

COMMENTARIVS.

E*T ingreſſus* Iericho tendens ab Ephrem Ieruſalē verſùs *perambulabat Iericho*, ibat per Iericho quaſi tranſiturus, vt diximus in verbò ambulabat. Io. 10. *& eccè vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum*, Hebræus tamēn, proùt Publicanus pœnitens in templo, & Matthæus, præſertim quia Chriſtus nō iuiſſet domum huius ad conuiuium, & ſi eſſet gentilis, obiectum illi eſſet à murmurantibus, & fieret aliqua mētio ratione maioris miraculi, proùt fit aliarum qualitatum, & vtì in Centurione, & Chananæa, & Samaritana, & leproſo, in quibus dictum, & Chriſtus vocat illum filium Abrahæ, quo nomine non appellabantur gentiles, *& ipſe diues*, hoc ponit, vt cum audies dimidium bonorum dediſſe pauperibus, cogites mutationem dexteræ excelſi, *& quærebat videre Ieſum quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat* (hìnc quæ ſequela aſsidua cum Chriſto) *& præcurrens* ex ardore illum videndi *aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia indè erat tranſiturus, & cum veniſſet ad locum*, cum perueniſſet Ieſus ad illum locum, vbì Zachæus expectabat, *ſuſpiciens Ieſus vidit illum* oculo ſuo benigno, & corda mouente, *& dixit ad eum: Zachæe feſtinans* (non ampliùs immorandum) *deſcende, quia hodiè in domo tua oportet me manere*, hoſpitari apud te, grande donum Samaritanæ, grande Zachæi, expetit videre, ſuperat Dominus, loquitur ſecum, ſecum hoſpitatur, & conuiuat, ſed & immutat, quod maius eſt; quomodò occurrit Deus quærentibus ipſe quærens, & pulſans; *& cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet*, illum in hoc accuſantes. *Stans autèm Zachæus, dixit ad Dominum* conuerſus, & in alium mutatus. *Eccè dimidium bonorum meorum, Domine, do*, dabo, oſtendit promptitudinem, *pauperibus, & ſi quid aliquem*, incertum, cui non poſſum reſtituere *defraudaui, reddo quadruplum*, vt tutior fiam pro reſtitutione; dicit enim, *ſi quid defraudaui*, non quòd defraudaſſe certò ſciat, vndè pro incertis loquitur; bonus Publicanus, qui cœpit conſilium Domini: verumtamèn quod ſupereſt date eleemoſynam, & eccè omnia munda ſunt vobis. *Ait Ieſus ad eum quia hodiè huic domui ſalus à* Deo *facta eſt* ex ſua miſericordia, non ex operibus Zachæi *eò quòd & ipſe ſit filius Abrahæ*, fidelis. Rom. 4. & Gal. 3. & ſic reſpondet murmurantibus, *quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet*, & Zachæum extollit; ex hoc centuplum in hac vita pro eleemoſyna dedit Zachæo, gratiam ſcilicèt, quæ præſtat omnibus terrenis. *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat*, venit peccatores ſaluos facere, vt alibi dixit.

C A-

CAPVT CVXI.
DE COECIS IERICHVNTINIS.

Luc. 18.

35 *FACTVM eſt autèm, cum appropinquaret Iericho, cæ-*
36 *cus quidam ſedebat ſecùs viam, mendicans. * Et cum*
audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſ-
37 *ſet. * Dixerunt autèm ei, quod Ieſus Nazaranus tranſi-*
38 *ret. * Et clamauit, dicens: Ieſu fili Dauid miſerere mei.*
39 ** Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe ve-*
rò multo magìs clamabat: Fili Dauid miſerere mei.
40 ** Stans autèm Ieſus iuſsit illum adduci ad ſe. Et cum appropinquaſſet, interro-*
41 *gauit illum, * dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt vi-*
42 *deam. * Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit. * Et confeſtìm*
43 *vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, de-*
dit laudem Deo.

Matth. 20.

29 E*T egredientibus illis ab Iericho, ſecuta eſt eum turba multa, * & eccè duo*
30 *cæci ſedentes ſecùs viam, audierunt, quia Ieſus tranſiret: & clamaue-*
31 *runt, dicentes: Domine miſerere noſtri, Fili Dauid. * Turba autèm increpa-*
bat eos vt tacerent. At illi magìs clamabant, dicentes: Domine, miſere noſtri,
32 *Fili Dauid. * Et ſtetit Ieſus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt fa-*
33 *ciam vobis? * Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi noſtri. * Miſertus au-*
34 *tèm eorum Ieſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtìm viderunt, & ſecuti ſunt eum.*

Marc. 10.

46 E*T venerunt Iericho: & proficiſcente eo de Iericho, & diſcipulis eius, & plu-*
rima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, ſedebat iuxtà viam
47 *mendicans. * Qui cum audiſſet quia Ieſus Nazaranus eſt, cæpit clamare, &*
48 *dicere: Ieſu Fili Dauid, miſerere mei. * Et comminabantur ei multi vt tace-*
49 *ret. At ille multo magìs clamabat: Fili Dauid miſerere mei. * Et ſtans Ieſus*
præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicente, ei: Animæquior eſto: ſur-
50 *gr, vocat te. * Qui proiecto veſtimento ſuo exiliens, venit ad eum. * Et re-*
51 *ſpondens Ieſus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autèm dixit ei: Rab-*

boni

Digitized by Google

52 *boni, vt videam.* * *Ieſus autèm ait illi: Vade, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtìm vidit, & ſequebatur eum in via.*

COMMENTARIVS.

CREDO hanc eſſe eandem hiſtoriam, quam narrant tres Euangeliſtæ locis aſsignatis, quia conueniunt in deſcriptione, & verbis, & ferè in omnibus, & omnes cœci ſecuti ſunt Chriſtum, & non eſt veriſimile in Iericho quattuor cœcos extitiſſe, cum nõ eſſet adeò inſignis, & magna Ciuitas, & non poteſt dici hos aliundè illùc accurriſſe, quà tranſiturus Dominus, quia ſedebant ibì, erant mendicantes in eo loco, noti, & Dominus ſecretò diſceſſerat ex Ephrem, ità vt non expectaretur ibì, & cur non introiſſent Ciuitatem? & eſſet inſolitum, vt Chriſto hi obuiaſſent, & de cœco à Luca dicto habetur, quòd *cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet*, ſi enìm ibì ſtetiſſet præſtolaturus Ieſum, ſciuiſſet Ieſum eſſe abſquè interrogatione; & de illis Matthæi ſimilitèr, *audierunt quia Ieſus tranſiret*; & de illo Marci, *qui cum audiſſet, quia Ieſus Nazarenus eſt*. & omnes Euangeliſtæ ponunt hoc miraculum ſub eadem textura pòſt Paſsionem prænunciatam, & viam in Ieruſalem. At remanet difficultas, quia Lucas dicit: *cum appropinquaret*, alij *egredientibus de Iericho*; ſed tollitur; ſi dixerimus, *cum appropinquaret*, cum adhùc propinquus eſſet *Iericho*, ex qua egreſſus iàm erat, tot enim concurrunt, vt meliùs ſit impropriare verbum vnum, & habemus textũ ſimilem Marci 11. cum appropinquarent Ieroſolymæ, & Bethaniæ, à qua tamèn diſceſſerãt, ſed quia adhùc propè Bethaniam erant, vtitur eo modo loquendi, & ferè ſimilibus verbis Luc. 19. 30. & ſi antè ingreſſum ſanaſſet vnum, qui eum ſecutus eſſet, fama hæc percrebuiſſet, & ad alios cœcos perlata eſſet, qui illicò irrupiſſent in Ciuitatem, & in mediam turbam curandi. At Lucas poſteà narrat quid egerit in Iericho, vndè dicendum narraſſe de cœco per anticipationem, ſicutì Matthæus, & Marcus narrant per recapitulationem vnctionem Mariæ, de qua Io. cap. 12. & quattuor Euangeliſtæ in ingreſſu triumphali Ieruſalem non diſcordant, ſed ſunt diuerſi, ſupplendo vnus, quod alius omiſit; ſed exponamus verba de more. *Factum eſt autèm cum appropinquaret*, vicinus eſſet *Iericho, cœci ſedentes ſecùs*, iuxtà *viam audierunt* ab alijs, quos interrogabant, vt de ſuo Lucas, *quia Ieſus tranſiret* illàc, *& clamauerunt dicentes: Domine miſerere noſtri Fili Dauid*, Meſsias: omnes enìm conueniebant ex Dauid Meſsiam naſciturum. Io. 7. turbis increpantibus vt tacerent. *Et ſtetit* Ieſus miſericordia motus, *& vocauit eos, & ait: quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi, Domine, vt aperiantur oculi noſtri. Miſertus autèm eorum Ieſus tetigit oculos eorum*, vt conſtaret ipſum ſtantẽ, & tangentem aperientem eſſe, Lucas, & Marcus nihil de tactu, ſed verbis *reſpice, vade, fides tua te ſaluum fecit*, ſed vnus dicit quod alius omittit, iuxtà morem Euangeliſtarum, *& confeſtìm viderunt, & ſecuti ſunt eum* gratitudinis ergò, *magnificantes Deum* ob gratiam receptam. *Et omnis plebs, vt vidit* miracula hæc, *dedit laudem Deo* hæc mirabilia operanti.

CAPVT CXVII.

DE PARABOLA HOMINIS REGNVM CAPTVRI.

Luc. 19.

11 HAEC illis audientibus adijciens, dixit parabolam, eo
quòd eſſet propè Ieruſalem: & quia exiſtimarent quòd
12 confeſtim regnum Dei manifeſtaretur. * Dixit ergo: Ho-
mo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere
13 ſibi regnum, & reuerti. * Vocatis autem decem ſeruis
ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiami-
14 ni dum venio. * Ciues autèm eius oderant eum: & mi-
15 ſerunt legationem pòſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſupèr nos. * Et
factum eſt vt rediret accepto regno: & iuſsit vocari ſeruos, quibus dedit pecu-
16 niam, vt ſciret quantùm quiſquè negociatus eſſet. * Venit autèm primus di-
17 cens: Domine, mna tua decem mnas acquiſiuit. * Et ait illi: Euge bone ſerue,
18 quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſupèr decem Ciuitates. * Et
19 alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. * Et huic ait: Et
20 tu eſto ſupèr quinque Ciuitates. * Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna
21 tua, quam habui repoſitam in ſudario: * Timui enim te, quia homo auſterus es:
22 tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti. * Dicit ei: De ore tuo te
iudico ſerue nequam, ſciebas quòd ego homo auſterus ſum, tollens quod non ſe-
23 minaui: * & quarè non dediſti pecuniam meam ad menſam, vt ego veniens
24 cum vſuris vtiquè exegiſſem illam? * Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo
25 mnam, & date illi, qui decem mnas habet. * Et dixerunt ei: Domine, habet
26 decem mnas. * Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit:
27 ab eo autèm, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. * Verumtamèn ini-
28 micos meos illos, qui noluerunt me regnare ſupèr ſe, adducite hùc: & interfici-
29 te antè me.

COM-

COMMENTARIVS.

HAEC, quæ occaſione Zachęi Publicani dicebat *illis* murmurantibus, *audientibus adÿciens, dixit parabolam; eò quòd eſſet propè Ieruſalem, & quia exiſtimarent* vana ſuſpicione ducti, *quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur* temporale, & hoc induxit mulierem, & filios ad petendas dexteram, & ſiniſtram antequàm intraret Ieruſalem, & hinc opinio diſcipulorum de regno terreno. *Dixit ergò: Homo quidam nobilis abÿt in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti* poſtmodum ad ſuos. *Vocatis autèm decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas. Et ait ad illos: Negociamini dum venio*, operamini, ne ſitis otioſi dum abſum; voluit enim à principio vſquè nos operantes. Geneſ. 2. & 3. *Ciues autèm eius oderant eum*, quod contingere ſolet communitèr in illos, qui proſperè ſua negotia gerunt, vel alijs ſuperiores ſunt, vel futuri, *& miſerunt legationem pòſt illum*, pòſt eius abitum ad alia loca, & ciuitates regni, ne in Regem illum acceptarent; *dicentes: Nolumus hunc regnare ſupèr nos*, & ſic omnes ad rebellionem, & contradictionem incitarunt, *& factum eſt vt rediret accepto regno*, ad quod aſpirauerat, non obſtante illorum machinatione, *& iuſſit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam*, nempè *decem mnas, vt ſciret quantùm quiſquè negotiatus eſſet*, redderentquè rationem lucri. *Venit autèm primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſiuit. Et ait illi: Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſupèr decem Ciuitates*, ſic in alia parabola: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſupèr pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. *Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinquè mnas*, non omnium lucrum vniforme; *& huic ait: Et tu eſto ſupèr quinque Ciuitates* iuxtà lucrum & præmium. *Et alter venit dicens: Domine, eccè mna tua, quam habui repoſitam in ſudario, timui enim te, quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti*, exactiſſimam rationem exigis. *Dicit ei: De ore tuo te iudico ſerue nequam*, quod pro te allegas contrà te facit, *ſciebas quòd homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminaui*, omnium rationem exigo; hìnc ſoliditas Iudicij, & nulla excuſatio; *& quarè tu* hæc ſciens *non dediſti pecuniam meam ad menſam*, ad vſuras, *vt ego veniens cum vſuris vtiquè exegiſſem illam?* & te proùt alios ad maiora extuliſſem, & tibi non imputaretur quidquam. *Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo mnam* infructiferam, *& date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei* adſtantes*: Domine, habet decem mnas* is, cui vis, iubes mnam alteram dari. *Dico autèm vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autèm, qui non habet*, nullum fecit fructum, *& quod habet*, & quod ei datum eſt, *auferetur ab eo*, omnibus gratijs priuabitur, proùt irrita ſit remiſſio decem millium talentorum nolenti centum denariorum conſeruo dilationem dare. *Veruntamèn inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſupèr ſe, adducite hùc, & interficite antè me* vt rebelles, ibì nulla miſericordia, *& his dictis præcedebat aſcendens Ieroſolymam*; ſed quò vergit hæc parabola, & qualis eius ſignificatio? ipſum hìnc per mortem abiturum, cælumquè, & cæleſte regnum adepturum, dimiſſis mnis exponendis negotiationi, rediturum ad mortem cuiuſque, vel Iudicij, operantibus præmia, otioſis pœnas daturum; Iudæis, qui noluerunt eum ſupèr eos regnare, & miſerunt ad alios; omnia enim fecerunt contrà eum, & Apoſtolos, excidium imminere, & in ore gladij perdendos; vndè ſcopus eſt volentes regno cum eo potiri, credere in eum debere, illumquè recipere, & operari mnas cuique datas, quarum exactiſſima ratio reddenda.

CAPVT CXVIII.

DE COENA IN BETHANIA, ET VNCTIONE MARIAE.

Matth. 26.

6 *CVM autèm Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis le-*
7 *proſi. * Acceſsit ad eum mulier habens alabaſtrum vn-*
guenti pretioſi, & effudit ſupèr caput ipſius recumbentis.
8 ** Videntes autèm diſcipuli, indignati ſunt dicentes: Vt*
9 *quid perditio hæc? * Potuit enìm iſtud venundari mul-*
10 *to, & dari pauperibus. * Sciens autèm Ieſus, ait illis:*
Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enìm bonum operata
11 *eſt in me. * Nàm ſemper pauperes habetis vobiſcum: me autèm non ſempèr ha-*
12 *betis. * Mittens enìm hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad ſepeliendum me*
13 *fecit. * Amen dico vobis, vbicumquè prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto*
mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius.

Marc. 14.

3 E*T cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet: venit mu-*
lier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alaba-
4 *ſtro, effudit ſupèr caput eius. * Erant autèm quidam indignè ferentes intrà ſe-*
5 *metipſos, & dicentes: Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? * Poterat enìm*
vnguentum iſtud venundari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus.
6 *Et fremebant in eam. * Ieſus autèm dixit: Sinite eam, quid illi moleſti eſtis?*
7 *Bonum opus operata eſt in me. * Sempèr enìm pauperes habetis vobiſcum: &*
8 *eum volueritis, poteſtis illis benefacere: me autèm non ſempèr habetis: * Quod*
9 *habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in ſepulturam. * Amen dico vo-*
bis: Vbicumquè prædicatum fuerit Euangelium iſtud in vniuerſo mundo, &
quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.

Ioan. 12.

1 I*ESVS ergò antè ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat*
2 *mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. * Fecerunt autèm ei cœnam ibi: & Mar-*
3 *tha miniſtrabat, Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus cum eo. * Ma-*
ria

ria ergò accepit libram vnguenti nardi piſtici, pretioſi, & vnxit pedes Ieſu,
& exterſit pedes eius capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore vnguenti.
4 *Dixit ergò vnus ex diſcipulis eius, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus:*
5 *Quarè hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?*
6 *Dixit autèm hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, &*
7 *loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. * Dixit ergò Ieſus: Sinite il-*
8 *lam vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. * Pauperes enìm ſempèr habetis vo-*
9 *biſcum: me autèm non ſempèr habetis. * Cognouit ergò turba multa ex Iudæis*
quia illìc eſt: & venerunt, non proptèr Ieſum tantùm, ſed vt Lazarum vi-
10 *derent, quem ſuſcitauit à mortuis. * Cogitauerunt autèm Principes Sacerdotum*
11 *vt & Lazarum interficerent: * quia multi proptèr illum abibant ex Iudæis, &*
credebant in Ieſum.

COMMENTARIVS.

IESVS *ergò antè ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus*, nàm per Bethaniam à loco vndè diſceſſerat, perueniebatur in Ieruſalem. Vel ad eam diuertit præſtolaturus tempus ingreſſus in Ieruſalem. *Fecerunt autèm ei cœnam ibì*, in eo loco, *& Martha miniſtrabat*, proùt, & Luc. 10. 38. *Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus cum eo*, huius meminit, tùm quia de ſororibus agit, tùm ne putemus eum citò defeciſſe, & miraculum tantum reddatur illuſtrius, & quia docturus de accurrentibus ad illum videndum. *Maria ergò accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu*; ex ſimilitudine actus eadem hæc, quæ Luc. 7. creditur Maria Magdalena, de qua hic tres alij Euāgeliſtæ, quam omiſit Lucas, fortè quia iàm ſolus de illa ſcripſerat Domini pedes primò vngente. Colligitur & eandem ſempèr eſſe Magdalenam, ex eius conſuetudine vngendi, & abijciendi ſe ad pedes, & ex obſeruantia Eccleſiaſtica; *& exterſit capillis ſuis pedes eius* ex itinere puluerulentos, vel lutoſos, ſed hoc vnctionem præceſſit veriſimilitèr, ſic Luc. 7. 38. quos lachrymis priùs rigauerat, capillis extergebat, & deindè vnguento vngebat, & hoc hic, quia Ioannes non iungit vnctionem, & abſterſionem, ſed vtranque diſtinguit, pedum in vtraque memoriam faciens; *vnxit pedes eius, exterſit pedes eius.*

Sed cur capillis extergit, & hic, & Luc. 7? credo maieſtatem conſiderans Chriſti, cui ſeruire horrebat, nequè aliquid eo dignius videns, non ſudario, non linteolo, ſed capillis adeò mulieribus gratis vtitur; gloria enim mulierum dicuntur. 1. Cor. 11. 15. ad pœnitentiam verò, & humilitatem ſufficiebat deiectio ad pedes, lachrymarum effuſio. Luc. 7. *Et fracto alabaſtro effudit supèr caput eius*; aut non erat vas ex alabaſtro, quia id frangibile non eſſet manibus, cum non poſſet reduci ad tantam ſubtilitatem, ſed erat ex aliqua materia ſimili, vel ſic dicta frangibili, vt lutea, vel vitrea; aut quòd veriſimiliùs credo, intelligitur fractis ſcilicèt ligaminibus, & cordulis, & alijs, quæ vas ex alabaſtro cooperiebant, & ligabant, vt intellexerit partem pro toto, & cum eſſet materia liquida, non craſſa, & ſic facilis effuſionis, ad quid vas frangere, cum faciliùs, & aptiùs ex integro poſſet vnguētum effundi?

Sed cur cœna in Bethania? cur & in cœnaculo cum tanto apparatu? vt doceret libentiſſimè, & lætiſſimè mortem ſubire, & ideò ſibi parandum hilaritèr: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum,

antequàm patiar,& quia fienda redemptio, more captiuorum redimendorum eſſe lętandum,non in triſtitia perſiſtendum. *Dixit ergò vnus ex diſcipulis eius, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: quarè hoc vnguentum non veniјt trecentis denarỳs, & datum eſt egenis? dixit autèm hoc,non quia de egenis pertinebat ad eum,* quia egenos curaret, *ſed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebãtur* in eleemoſynam,*portabat*,quaſi, pecuniæ addictus erat,auarus. At Matthęus dicit de diſcipulis, qui *indignati ſunt,* Marcus, *erant autèm quidam indignè ferentes.* Poteſt dici probabile eſſe Iudam caput, & auctorem murmuris fuiſſe malo animo,poſtquàm Ioannes illius tantùm meminit, ſed omnes conſenſiſſe,& fortè non malo animo, vt Iudas, quia nedum de omnibus alij, ſed & Ioannes, & alij duo Euangeliſtæ referunt verba à Chriſto dicta in defenſionem Magdalenæ in omnes communitèr. *Dixit ergò Ieſus: Sinite illam,vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud,*nunc effundendo,proùt fecit,ideſt, vt nunc eo vtatur pro die meæ ſepulturæ, quo non poterit me vngere iàm ad vitam excitatum, proùt contigit; ſed clariùs Matthæus,& Marcus; primus, *mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum,ad ſepeliendum me fecit*, fecit quod ſepulto conueniebat. Secundus, *quod habuit hæc, fecit*, fecit quod potuit nunc, *præuenit vngere corpus meum in ſepulturam* poſitum, & ſic ex alijs,& euentu benè declaratur Ioannes,qui non poteſt de conſeruatione vnguenti iàm effuſi agere, quod conſeruari non poterat, de illo enim, non de alio vnguento agitur. *Sempèr enim pauperes habetis vobiſcum, & cum volueritis, poteſtis illis benefacere, me autèm non ſempèr habetis.* Licuit ei in hoc extremo vitæ meæ vnguentum profundere ad amorem,quo me proſequitur,manifeſtandum, quod alio tempore ei non licebit,pauperibus verò alio tempore ſubueniri commodum erit. Hinc non puto illam ad mortem, vel ſepulturam Chriſti cogitantem, hoc feciſſe, cum & in ſepultura vngendum quæſierit,ſed amotis ebria;ſufficit vobis bonum opus operatam eſſe in me;de bono opere ne murmuretis, & ad probationem horum, prædicabitur in toto mundo hoc factum Magdalenæ; ſi enim non eſſet laude dignum, non prædicaretur cum Euangelio. *Cognouit ergò turba multa ex Iudæis, quia illic eſt;* pòſt reſurrectionem enim Lazari ſtatim abierat, nec potuerant videre illum, *& venerunt non proptèr Ieſum tantùm, ſed vt Lazarum viderent,quem ſuſcitauit à mortuis,* & hi Iudæi, & turba veriſimilitèr erant ex Ieroſolymis,quia ſubdit:*cogitauerunt autèm Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi proptèr illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum*, pondera verbum, *abibant*, ex Ieroſolymis ſcilicèr, vel omnes, vel pro maiori parte, quia alios aliundè venientes non ità obſeruaſſent.

C A-

CAPVT CXIX.

DE TRIVMPHALI CHRISTI INGRESSV IERVSALEM.

Matth. 21.

1 *ET cum appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Beth-*
phage ad Montem Oliueti: tùnc Ieſus miſit duos diſcipu-
2 *los, * dicens eis: Ite in Caſtellum, quod contrà vos eſt,*
& ſtatìm inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum
3 *ea: ſoluite, & adducite mihi: * & ſiquis vobis aliquid*
dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confe-
4 *ſtìm dimittet eos. * Hoc autèm totum factum eſt, vt*
5 *adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: * Dicite filiæ Sion: Ec-*
cè Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſupèr aſinam, & pullum filium ſub-
6 *iugalis. * Euntes autèm diſcipuli fecerunt ſicùt præcepit illis Ieſus. * Et adduxe-*
7 *runt aſinam, & pullum: & impoſuerunt ſupèr eos veſtimenta ſua, & eum de-*
8 *ſupèr ſedere fecerunt. * Plurima autèm turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via:*
9 *alij autèm cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via: * Turbæ autèm,*
quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Filio
Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis.

Marc. 11.

1 *ET cum appropinquarent Ieroſolymæ, & Bethaniæ ad Montem Oliuarum,*
2 *mittit duos ex diſcipulis ſuis, * & ait illis: Ite in Caſtellum, quod contrà*
vos eſt, & ſtatìm introeuntes illùc, inuenietis pullum ligatum, ſupèr quem ne-
3 *mo adhùc hominum ſedit: ſoluite illum, & adducite. * Et ſi quis vobis dixerit:*
Quid facitis? dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet
4 *hùc. * Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum antè ianuam forìs in biuio: &*
5 *ſoluunt eum. * Et quidam de illìc ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſoluentes*
6 *pullum? * Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Ieſus, & dimiſerunt eis. * Et*
7 *duxerunt pullum ad Ieſum: & imponunt illi veſtimentua ſua, & ſedit ſupèr*
8 *eum. * Multi autèm veſtimenta ſua ſtrauerunt in via: alij autèm frondes cæ-*
9 *debant de arboribus, & ſternebant in via. * Et qui præibant, & qui ſeque-*
10 *bantur clamabant, dicentes: Hoſanna: * Benedictus, qui venit in nomine*

Domini : benedictum quod venit regnum Patris noſtri Dauid : Hoſanna in ex-
celſis .

Luc. 19.

29 E*T factum eſt , cum appropinquaſſet ad Bethphage , & Bethaniam ad mon-*
30 *tem , qui vocatur Oliueti , miſit duos diſcipulos ſuos , * dicens : Ite in Ca-*
ſtellum , quod contrà eſt : in quod introeuntes , inuenietis pullum aſinæ alliga-
31 *tum , cui nemo vmquàm hominum ſedit : ſoluite illum , & adducite . * Et ſi*
quis vos interrogauerit : Quarè ſoluitis ? ſic dicetis ei : Quia Dominus operam
32 *eius deſiderat . * Abierunt autèm qui miſſi erant : & inuenerunt , ſicùt dixit il-*
33 *lis , ſtantem pullum . * Soluentibus autèm illis pullum , dixerunt Domini eius*
34 *ad illos : Quid ſoluitis pullum ? * At illi dixerunt : Quia Dominus eum neceſſa-*
35 *rium habet . * Et duxerunt illum ad Ieſum . Et iactantes veſtimenta ſua ſu-*
36 *prà pullum , impoſuerunt Ieſum . * Eunte autèm illo , ſubſternebant veſtimen-*
37 *ta ſua in via . * Et cum appropinquaret iam ad deſcenſum Montis Oliueti , cœ-*
38 *perunt omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſupèr*
39 *omnibus , quas viderant , virtutibus , * dicentes : Benedictus, qui venit rex in*
nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelſis .

Ioan. 12.

12 I*N craſtinum autèm turba multa , quæ venerat ad diem feſtum , cum au-*
13 *diſſent , quia venit Ieſus Ieroſolymam : * Acceperunt ramos palmarum , &*
proceſſerunt obuiàm ei , & clamabant : Hoſanna , benedictus , qui venit in no-
14 *mine Domini , Rex Iſrael . * Et inuenit Ieſus aſellum , & ſedit ſupèr eum ,*
15 *ſicut ſcriptum eſt : * Noli timere filia Sion : eccè Rex tuus venit ſedens ſupèr*
16 *pullum aſinæ . * Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primùm : ſed quandò glori-*
ficatus eſt Ieſus , tùnc recordati ſunt quia hæc erant ſcripta de eo : & hæc fecerunt
17 *ei . * Teſtimonium ergò perhibebat turba, quæ erat cum eo quandò Lazarum vo-*
18 *cauit de monumento , & ſuſcitauit eum à mortuis . * Propterea & obuiàm ve-*
nit ei turba: quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum .

COMMENTARIVS.

E*T* deſcendentibus illis à Bethania , *cum appropinquaſſent Ieroſolymis , & veniſſent Bethphage ad Montem Oliueti, tùnc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis : Ite in Caſtellum, quod contrà vos eſt*, ex aduersò eſt; non Ieruſalem, ſed alium vicum , de Ieruſalem enim fit ſpecialis mentio, ad quam tendebat; ideò non de illa hìc; *& ſtatìm inuenietis aſinam alligatam , & pullum cum ea , ſupèr quem nemo adbùc hominum ſedit , ſoluite* auctoritate mea , Domini enim eſt terra, & plenitudo eius, *& adducite*

ducite mihi, *& ſi quis vobis aliquid dixerit* contrarium, *dicite*, reſpondete, *quia Dominus* omnium *his opus habet, & confeſtim dimittet eos* abſquè alia cõtradictione vobis liberos, & ſic contigit, vt per Marcum, & Lucam. Pullus, & aſina erant dominorum certorum, non publica ex Marco, & Luca, & eorum voluntate dimiſſa. *Hoc autèm totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam* Zachariam *dicentem: Dicite*, acclamate *Filiæ Sion*, Ieruſalẽ: *eccè Rex tuus venit tibi manſuetus*, placabilis, pacificus, *ſedens ſupèr aſinam, & pullum filium ſubiugalis*, vndè non eſt dubium ſediſſe ſupèr vtrunque aſinam, & pullum, vt adimpleretur prophetia, aliòqui ſi ſupèr vno tantùm, duos non iuſſiſſet adduci. *Euntes autèm diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus, & adduxerunt aſinam, & pullum; & impoſuerunt ſupèr eos veſtimenta ſua, & eum deſupèr ſedere fecerunt*; ſic Matthæus, Marcus, Lucas. Cum ergò appoſita ſint veſtimenta antè ſeſſionem, clarum ſit ſupèr ea ſediſſe, aliòquin ad quid ſupèr animalibus ſtratæ veſtes? *plurima autèm turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via*, qua tranſibat, *alij autèm cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via, turba autèm, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Filio Dauid*, Meſſiæ, *benedictus* ipſe, *qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis*, in excelſis, non in terrenis. Hæc verba ſunt imprecatoria Meſſiæ venienti, & ingredienti, ideò Chriſtus: *ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, reſpondens dicentibus: *audis quid iſti dicunt?* non ſibi ipſis acclamantium, qui nec intelligebant quod dicebant, cum neque Apoſtoli hæc intelligerent, de quibus maius erat dubium; ſic enim occurritur triumphanti glorioſo; ſic Sancti ſimùl rapientur in nubibus obuiàm Chriſto in aera. 1. Theſſ. 4. 16. *Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primùm, ſed quandò glorificatus eſt Ieſus* miſſo Spiritu ſancto, *tùnc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei*, recordati, quia hæc ab eo illis dicebantur, & Spiritus ſanctus ſug gerebat quæcunque ipſe dixerat; *teſtimonium ergò perhibebat* turba, *quæ erat cum eo, quandò Lazarum vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis*, hinc collige Lazarum non fuiſſe comitatum Dominum, fortè ne occideretur, quod iàm cogitauerant: eccè effectus miraculi, eccè cur clamauit: *proptereà & obuiàm venit ei turba*, quæ venerat ad diem feſtum, *quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum* adeò mirabile.

Sed quomodò Pilatus, qui in alios animaduerterat populos congregantes, non aduertit Chriſtum Ieruſalem intrantem, neque Iudæi deferunt, & quomodò hi, qui indixerant omnes indicare debere vbi eſſet, nunc præſentem in hoc ſtatu non capiunt? at hæc ex Propheta ſequi debuerant, & tradendus gentibus, non capiendus à gentibus, & non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contrà Dominum, vel parùm durauit; *Et vt appropinquauit, videns Ciuitatem*, Ieruſalem *fleuit ſupèr illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu*, proùt ego cognoſco, *& quidèm*, & ſaltèm *in hac die tua* mei ingreſſus triumphalis prædicti à Prophetis, vt me cognoſceres, & reciperes, ideò dies tua, quaſi, licèt id ſerò eſſet, cum à principio mei aduentus in mundum id debuiſſes, *quæ ad pacem tibi* afferendam collata ſunt ex meo aduentu, cum ſim Rex pacificus; quotquot autèm receperunt eum dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, cognitura incongruò tempore, *nunc autèm abſcondita ſunt ab oculis tuis*, *quia* cœca es ex malitia tua, multum tibi conferret, non ſubijcereris tot ærumnis, quas defleo, at *eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ*, per me factæ, alia tempora ſupèr te mutabuntur, *quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui* Romani *uallo, & coanguſtabunt te undiquè*, vt euadere non poſſis, *& ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt* in ore gladij, *& non relinquent in te lapidem ſupèr lapidem*, omnia ſus deque vertent, *eò quòd non cognoueris tempus uiſitationis tuæ*, me Meſſiam ad te miſſum, te viſitantem iuxtà Cant. Zachariæ. Quia viſitauit, &c. Quæres, cur in ſpecie, *& quidèm in hac die tua?* quia multa edidit ſigna Meſſiatus vno die tantùm, ingreſſus eſt triumphans, iuxtà Prophetam, eiecit negociatores è templo, cœcos, & claudos ſanauit, quæ ſimùl alio die facta non leguntur. Vel quia intendebat dicere

de vltimo ſuæ vitæ tempore, quod erat dies illuminans Hebræos, Vel melius de miſſione ſua ad eam, ſeu Iſrael, quia dicit: *eò quod non cognoueris tempus uiſitationis tuæ*, & hęc fuit dies tua.

CAPVT CXX.

DE INGRESSV IN TEMPLVM, ET EIECTIONE.

Matth. 21.

10 *ET cum intraſſet Ieroſolymam, commota eſt uniuerſa ciui-*
11 *tas, dicens: Quis eſt hic?* Populi autèm dicebant: Hic*
12 *eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.* Et intrauit Ie-*
ſus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, &
ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathe-
13 *dras vendentium columbas euertit: & dicit eis: Scri-*
ptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos
14 *autèm feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Et acceſſerunt ad eum cæci, & clau-*
15 *di in templo: & ſanauit eos.* Videntes autèm Principes Sacerdotum, & Scri-*
16 *bæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna*
17 *filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus au-*
tèm dixit eis: Utique. numquàm legiſtis: Quia ex ore infantium, & lacten-
tium perfeciſti laudem?

Marc. 11.

15 *ET cum introiſſet in templum, cæpit eijcere vendentes, & ementes in tem-*
plo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euer-
16 *tit.* Et non ſinebat vt quiſquam transferret vas per templum: * & docebat,*
17 *dicens eis: Nonnè ſcriptum eſt: Quia domus mea, domus orationis vocabitur*
omnibus gentibus? Vos autèm feciſtis eam ſpeluncam latronum. Quo audito*
18 *Principes Sacerdotum, & Scribæ quærebant quomodò eum perderent: timebant*
enim eum, quoniàm vniuerſa turba admirabatur ſupèr doctrina eius.

Luc. 19.

45 *ET ingreſſus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo, & ementes, dicens*
46 *illis:* Scriptum eſt: Quia domus mea, domus orationis eſt. Vos autèm*
47 *feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Et erat docens quotidiè in templo. Princi-*
pes autèm Sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum per-
48 *dere:* & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat,*
audiens illum.

Ioan. 2.

13 *ET propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam:* & inue-*
14 *nit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios ſe-*
15 *dentes.* Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo,*
oues quoquè, & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.
16 ** Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere*
17 *domum Patris mei, domum negotiationis.* Recordati ſunt verò diſcipuli eius*
18 *quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Reſponderunt ergò Iudæi, &*
19 *dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Reſpondit Ieſus, &*
20 *dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Dixerunt*
ergò Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in
21 *tribus diebus excitabis illud?* Ille autèm dicebat de templo corporis ſui.* Cum*
22 *ergò reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, &*
23 *crediderunt ſcripturæ, & ſermoni, quem dixit Ieſus.* Cum autèm eſſet Iero-*
ſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna
24 *eius, quæ faciebat.* Ipſe autèm Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe*
25 *noſſet omnes,* & quia opus ei non erat vt quis teſtimonium perhiberet de homi-*
ne: ipſe enìm ſciebat quid eſſet in homine.

COMMENTARIVS.

E*T cum intraſſet Ieſus Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas*, veni enim ignem mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? *dicens: Quis eſt hic? Populi autèm dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.* Ex contextu apparet interrogantes non eſſe ex populo, ſed Principes, qui accurrerant, cum populi ſint reſpondentes; hìnc magna ſocordia nondum illum cognoſcentium. *Et intrauit Ieſus in templum Dei*, ex Matthæo, eadem die intrauit ex Luca, & Marco, dicit enim, *& veniunt Ieroſolymam, & cum introiſſet in templum cœpit eijcere, &c.* nihil enìm interſerũt intèr ingreſſum in Ciuitatem, & templum, *& eijciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* San-

ctus

Digitized by Google

ctus Ioannes magis explicat, *& inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios ſedentes, & cum feciſſet quaſi flagellum*, ad modum flagelli *de funiculis*, quos ibi inuenit, *omnes* homines *eiecit de templo, oues quoquè, & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit, & his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc*, & Marcus *non ſinebat vt quiſquam transferret vas per templum*, tantam docuit templo reuerentiam habendam. *Recordati ſunt verò diſcipuli eius* Spiritu ſancto ſuggerente, iuxtà prædictionem Chriſti; docebit vos, & ſuggeret omnia, quæcunque dixero vobis, *quia ſcriptum eſt: zelus domus tua comedit me*, Meſſiam zelo commouendũ ob Dei templum: non tùnc, dum hæc fierent, iuxtà aliquos *recordati ſunt*, tùm quia nõ benè aptatur illi tempori, quia à naui abſtracti rudes erant, & quia non diceretur *recordati*, ſed ſubueniſſe eis in mentem, hoc ergò verbum innuit factum vno tempore, alio in mentem veniſſe, quod declaratur ex eodem verbo ſubſequenti. *Cum ergò reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius*, ſicùt enim non tùnc, ſed alio tempore de illo *recordati ſunt*, quod erat facilius, quia verba, *ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, erant Chriſti, & ſola memoria ſufficiebat, ità & horum ab ipſis dictorum, quamuis Euangeliſta non explicet ſub primo, proùt ſub ſecundo. *Cum ergò reſurrexiſſet à mortuis*, quaſi dicturus in primo proùt in ſecundo, ſi ſic fuiſſet, nàm diuerſa eſt ratio, de illo non explicat, quia ſub reſurrectione non cadebat, de alio ſecùs, quia ſpectabat ad reſurrectionem. Idem Ioan. 12. 16. hæc non cognouerũt diſcipuli eius primùm, ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tùnc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei; quæ verba profert ſupèr prophetia: ingreſſus in Ieruſalem, pòſt quem ſequitur eiectio.

Sed cur venditoribus columbarum, *auferte iſta hinc, numulariorum* verò *effudit æs, & menſas ſubuertit, & oues, & boues* abegit? quia primæ pauperum, & noluit in eorum præiudicium eas euolare, aliæ diuitum, quos ſic corrigere placuit vti lucro magis inhiantes, & magis peccantes, & hæc ſeueritate indigentes, ideò *ſedentes* dicuntur, Vel cum illæ eſſent in caueis, non poterant flagello eijci, ideò dixit: *auferte iſta hinc*: & ſic illa euerſa, & abacta, hæ iuſſæ auferri.

Cur propria manu hæc operatur? Zelo æſtuans, vt hoc facto, quod magis attenditur, & mouet, euelleret operationes vitioſas, & ſubrogaret rectas, & fieret commotio intèr Hebræos, ignem enìm venerat mittere in terram, & excitarentur ad ſui cognitionem ex miraculo, quòd ſolus auderet opus adeò arduum, & ad deteſtationem erroris vertentis in vilipendium templi, ex eijciente, qui ſe Filium Dei dicebat, nàm quantò maior perſona accedit punitura, tantò grauius reputatur delictum, ſic in delicto Heliodori per Angelos, & Dei ad Babel, Sodomam, Adam, Cain, & tabernaculum pro Moyſe, & licèt ipſi tùnc non perceperint, ſeruit pro nobis qualis reuerentia templis exhibenda, quod & ex facto in Heliodorum; ſic terruit Deus Adam ambulans ad auram pòſt meridiem; populum legem daturus; ſic excitauit mundum in ſtrage Innocentum; in miſſione Spiritus ſancti: Factus eſt repentè de Cęlo ſonus, &c. in cruce vndè totus mundus cognoſcere potuit auctorẽ vitæ mori ex his, quæ acciderunt, ſignis. Si dicis: Et quid hic magnum? cogita conueniſſe ad feſtum tot hominum millia, & totidem belluis ad ſacrificia indiguiſſe, quot eſſent ſacrificia, agaſonem vix ſufficere ad quatuor animalia ducenda, homines præſertim mercatores rerum ſuarum amantiſſimos, & tenaciſſimos, & diſces qualis tumultus, etſi abſquè magno miraculo potuerint hæc fieri à ſolo, vel incognito, vel vili apud illos, & cum flagello. *Et dicit eis: Scriptum eſt, domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus; vos autèm feciſtis illam ſpeluncam latronum*, Ioannes *domũ negotiationis*, illa abuſi eſtis in Dei Patris mei vilipendium. *Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanauit eos*, docuit facto quæ in templo agenda, docuit ſe Meſſiam, Filium Dei miracula operans, iuxtà Prophetas. *Videntes autèm Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit*, quæ non poterant cauillari, *& pueros*, infantes, & impuberes *clamantes in templo, &*

dicen-

dicentes: Hoſanna Filio David, *indignati ſunt* ex malitia, *& dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt?* quaſi, quomodò pateris dici tibi has laudes? *Ieſus autèm dixit eis: Vtiquè* audio, & probo. *Numquàm legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem?* laudem perfectam, debitam (ò Deus) dediſti? quaſi diceret, quod verum eſt proferunt Spiritu ſancto dictante, qui non poteſt in ore eorum mentiri, & vos audientes credere deberetis, & ſi tacerent, loquerentur lapides. *Reſponderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* ſed factum ipſum non erat ſufficiens? miracula, quæ patrabat in templo, non erant ſufficientia? volebant ergò ſignum particulare pro illo facto, vel potiùs pro Meſſiatu, quia Chriſtus exhibet illud tale ſe daturum; Vel hi interrogantes non fuerunt præſentes miraculis patratis. *Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc*, corpus meum morte, proùt ſoluetis, *& in tribus diebus excitabo illud*, hoc eſt ſignum de quo aliàs: non dabitur ſignum, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, non tamèn conſtat quòd geſtu manus ſuæ corpus ſuum demonſtrauerit; obſcuritatem enim ſermonis temperaſſet, & neceſſariò intellexiſſent & ipſi, & diſcipuli, quod hìc negatur. *Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc* à Zorobabele, *& tu in tribus diebus excitabis illud?* quomodò dicis impoſſibilia? *Ille autèm dicebat de templo corporis ſui*, quod Petrus de ſe loquens tabernaculum appellat. *Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis*, & miſſus eſſet Spiritus ſanctus omnia ſuggerens, *recordati ſunt diſcipuli eius quia hoc dicebat*, quarè hoc dicebat, *& crediderunt ſcripturæ* de reſurrectione loquenti, *& ſermoni, quem dixit Ieſus*, videntes omnia verificata. At ipſi *quærebant quomodò eum perderent*, intenti capturæ, *& non inueniebant quid facerent illi*, quia non poterant, *timebant enim eum, quoniam vniuerſa turba admirabatur ſupèr doctrina eius, & illum ſequebatur*, vndè dicebant: *Videtis quia nihil proficimus? eccè mundus totus pòſt eum abijt*, & hoc fuit deductum in Concilio coràm Caipha: quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? &c. *Cum autèm eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna, quæ faciebat*; hinc Regulo: niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis; hæc verba ſtare poſſunt cum primo paſchate. *Ipſe autèm Ieſus non credebat ſemetipſum eis* non iàm ei credentibus, verè enim crediderant, aliàs Euangeliſta non diceret, *multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat*, & non præſumitur fictio, vel mutatio incontinenti, quam etiàm Euangeliſta expreſſiſſet, proùt ſolent omnes, *non credebat* ergò *ſemetipſum eis* ſcilicèt non credentibus, timebat enim capi ab eis, proùt pluries tentauerant, & quia edixerant confitentes eum extrà Synagogam fieri, & ſcientes vbi eſſet indicarent, ſed quales? Principes, qui in eum non credebant, qui petierunt ab eo ſignum cur illa faceret, qui reſponderunt de templo quadraginta ſex annis ædificato, quod clariùs ex alijs Euangeliſtis narrantibus populos Chriſto obuiaſſe, pueros acclamaſſe, & Principes Sacerdotum, & Scribas obijcientes: *audis quid iſti dicunt? & quærentes quomodò eum perderent, timebãt enim eum, quoniam vniuerſa turba admirabatur ſupèr doctrina eius.* Mar. 11.18. Luc. 19.48. *eò quòd ipſe noſſet omnes* vtì Deus, *& quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enìm ſciebat quid eſſet in homine* vtì Deus. ſic Paulus. 1. Cor. 2. 10. ſpiritus enìm omnia ſcrutatur.

Sed cur Chriſtus in triumpho, cur hæc in templo? vt manifeſtaretur, vt impleret omnem iuſtitiam, ſicùt dixit cum Ioanne Baptiſta; ſicùt enìm faciebat miracula ad manifeſtationem, ità alia omnia, & niſi ſe manifeſtaſſet fruſtrà in terram veniſſet; vndè ipſe dicebat: ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, niſi feciſſem opera, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent. Et quia ad manifeſtationem maximè conducebat verificatio prophetiarum, quas Petrus vocat firmiorem ſermonem. 2. Pet. 1. ideò voluit ad hunc effectum omnes prophetias in eo impleri, ni mirum ſi Euangeliſtæ ſempèr memirũt prophetiarum adimpletarum, proùt hic, *eccè Rex tuus venit, zelus domus tuæ comedit me*, & ſi Chriſtus dixit; non veni ſoluere legem, ſed adimplere, & iota vnum, aut

vnus

vnus apex non præteribit à lege donèc omnia fiant, & in fine ad Patrem in vltimo ſermone: mauifeſtaui nomen tuum hominibus.

An hæc eiectio fuerit eadem, de qua Io. 2. ab eo poſita ſub primo anno, quo in Paſchate Ieſus Ieroſolymam acceſſit? Videtur eadem; quia idem factum, à cuius recitatione hoc loco abſtinet ſe Ioannes, quia in 2. cap. illud deſcripſerat, non enim omiſſurus creditur, ſi iteratum foret, cum intermediet hiſtoriam. cap. 12. Et licèt pòſt alios Euangelium ſcribens in huius facti recitatione varius ab alijs omiſerit claudos, & cœcos ſanatos, in genere tamèn cum alijs conuenit, multa ſigna feciſſe, verba puerorum acclamantium, Iudæorum, *audis quid iſti dicunt?* & nonnulla addidit ab alijs omiſſa, flagellum ex funiculis, recordatos diſcipulos, *zelus domus tuæ, &c.* Interrogationem Iudæorum de ſigno, & reſponſionem, *ſoluite, &c.* & cap. 12. gentiles accedentes, vocem cæleſtem, turbationem Chriſti; vndè factum non videtur diuerſum, imò contingit quod in recitatione aliorum operum Chriſti, vt vnus Euangeliſta ſupplear, quod alius omiſit. At vnam tantùm eiectionem fuiſſe probant hæ veriſimilitudines; Prima, quòd in hoc tempore propinquo paſſioni potiùs recordati fuerint verborum, *zelus domus, &c.* de quibus Ioannes, quàm in principio eorum diſcipulatus, cum adhùc eſſent rudes. Secunda, quia Ioannes dicit *recordati ſunt diſcipuli*, quod ad omnes exiſtentes pòſt reſurrectionem refertur, & tamèn tùnc non erant ſecum, niſi qui fuerãt in nuptijs, Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael. Tertia, quòd Ioannes potiùs referat eiectionem ſuo tempore factam, & quam ipſe vidit, & hæc illa eſt, quàm factam alieno tempore, & quam ipſe non viderat. Quarta, quia ſicut in illa Ioannis dicitur: *prope erat paſcha Iudæorum*, ità in alijs, multùm enim facit hæc concordia temporis. Quinta, quia à verbis Chriſti: *ſoluite, &c.* proceſſit interrogatio diſcipulorum ſupèr ædificio templi, ac eius ſtructura, de qua infrà. Sexta, quia de facili agnitus fuiſſet ex ſola eiectione, quandò languidum ſanauit. Item hæ inueriſimilitudines. Prima, quia teſtes coràm Caipha deponentes de ſolutione templi, quam alij obiecerunt in Cruce: vah qui deſtruis templum Dei, &c. & alij interpretati ſunt coràm Pilato: recordati ſumus, &c. memoria retinuerint in tertio anno, ſi in primo eſſet dictum de illa iuxtà Ioannem, vel illos tùnc inuentos, qui præſentes fuerant. At maxima veriſimilitudo, quod id vltimo hoc vitæ ſuæ tempore contigerit, præſertìm cum de eo quaſi de facto recenti verba habeantur, nec ſoleant adeò antiqua in iudicium deduci. Secunda, quòd Chriſtus, qui ſecundùm omnes, maximè S. Io. Chryſoſtomum in principio ſuæ prædicationis procurabat ſe amabilem reddere, nondum cognitus, imò obſcurus Ieroſolymis prima vice, qua illam adijt, attentauerit opus tàm arduum, & odioſum; cum imò veriſimile ſit ab humanioribus, lenioribus, miraculis cœpiſſe. Quod eò magis procedit, quia in fine vitæ ſuæ id fecit, multis comitatus (non quòd ſolus non poſſet, ſed factum dicimus) & ad mortem ſe accingens, & hoc facto quaſi prouocans aduerſarios, quæ cauſæ in principio prædicationis non concurrebant. Tertia, quòd in principio ſuæ prædicationis de morte ſua cum populo verba fecerit. *ſoluite, &c.* cum de illa etiam cum diſcipulis ſuis non niſi in fine egerit. Quarta, quòd iterauerit hoc opus, cum ſciret illicò contrafaciendum, & hac de cauſa in fine vitæ ſuæ reſeruaſſe veriſimilius ſit. Quinta, quòd ſi fuiſſent dicta à Domino verba illa, *ſoluite, &c.* in primo anno, diſcipuli in toto ſubſequenti tempore aliquandò non interrogaſſent Dominum ſupèr illorum verborum intellectu, cũ ſempèr ſupèr verbis dubijs ab eo prolatis illum interrogauerint. Quòd ſi dicis, zelo æſtuans non potuit ſe continere, quin & faceret in primo anno; reſpondeo eadem ratione ſequentibus annis oportuiſſe iterari; imò quolibet feſto, & die, quo ad templum accedebat, cum ſempèr idem inueniret, proùt in hoc vltimo, & tamèn non legimus factum, & quia non fecit, conniuentia viſus eſſet apptobaſſe, vel potentia defeciſſe. Sexta, quia ſi hæc in primo anno feciſſet, non poterant dicere fratres ſui, qui primo anno erant ſecum. Ioan. 2. 12. proùt dixerunt: manifeſta te ipſum mundo, nemo quippè, &c. quod enim miraculum poterat illum manifeſtiorem reddere,

dere,factum coràm tanta multitudine hominum loco, & tempore oportunioribus ? & ſi ſigna fecit etiàm tùnc . Ioan. 4. 45. ſed fratres volebant vt frequentaret Ieruſalem, ibiquè potiùs,quàm alibì continuaret miracula, vt & ipſi fierent notiores. Hinc ſi in illo eodem anno ſecuta eſſet eiectio Iudæis odioſa,illius mentionem feciſſent, quia non fuiſſet iuxtà illorum mentem quærentium gloriam apud homines. Septima,in illo primo anno prædicationis,& in primo ingreſſu Chriſtum ſuſpectos habuiſſe Ieroſolymitas, vt non auderet ſe committere illis, ſciens quid in illis eſſet, proùt in fine cap.2. habet Ioannes; nondum enim vel viſa, vel aperta, & manifeſta inuidia, vel odium, imò prima vice videntur contracta ex ſanitate in Sabbato præſtita,vndè idem Ioannes cap.5.16. dicit : proptereà perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hoc faciebat in Sabbato, & quia faciebat ſe Deum.verſ.18. quòd ſi hæc cauſa tùnc extitiſſet, non omiſiſſet illam recitare,cum hæc omnes in furorem egerit,videntes ſpoliari ab homine eorum mercimonijs, & lucris, vndè veriſimiliùs eſt illud dixiſſe per anticipationem, nec eſſe illius loci ; Facit ad prædicta Epiphanius hæreſ.51.dicens Chriſtum in primo anno prædicationis nullam habuiſſe controuerſiam. Octaua, quia ſi in primo anno hoc feciſſet,in hac ſecunda vice, & eiectione animoſiores facti aliquid machinaſſent Iudæi contrà illum, quod non legitur.Si dicis,diuerſimodè loquuntur tres Euangeliſtæ à Ioanne, ergò diuerſi actus. Reſpondeo, ferè nunquàm idem factum referunt Euãgeliſtæ eiſdem verbis,ſed in ſenſu tantùm conueniunt,& hinc apparet veritas dictorum, non ità ſincerè appaiitura, ſi per eadem verba exponerent. Si dicis, hic ſinè flagello, apud Ioannem cum flagello. Reſpõdeo,hoc non diuerſificat,ſed Ioannes addidit, quod alij omiſerunt, & communis eſt quòd vbiquè cum flagello ad eiectionem ſignificandam, & à quo fieret, aliàs alij occultæ potentiæ attribui potuiſſet, & Dominus ex miraculis intendebat ſe Deum oſtendere.Si dicis,conſtat ex Nicodemo. Ioan.3. facta ſigna à Chriſto,& dicitur. Ioan. 4. 45. Reſpondeo,fateor alia miracula facta,at non hoc ex iàm dictis; & fortè alio tempore,non in primo anno Nicodemus ad Chriſtum acceſſit, & facillimè in feſto tabernaculorum, quandò poſteà legitur pro Chriſto quædam in concilio dixiſſe. Ioan. 7. etſi enim ibi dicat:qui venit ad eum nocte,id facit, quia de eo præmiſerat. cap.3. & ſic ſeruat. cap.19. 39. quod & ſuadetur, quia plura dicit cum Nicodemo magna, & ardua, & de morte ſua, quæ magis conueniunt tempori proximo paſſioni, quàm poſito à Ioanne, præſertim quia nondum ea cum ipſis Apoſtolis, quos alijs in hoc videtur prętuliſſe,communicauerat.

At quæ cauſa anticipationis in Ioanne? non ſuſceperat onus Ioannes ſcribendi hiſtoriam rerum à Chriſto geſtarum per ordinem, ſed ſparsìm miracula, & illa magna, & ferè ab alijs omiſſa, diuinitatem maximè oſtendentia, nec non & verba Chriſti, in quibus ipſe ſatis immoratur, ac materias, quas ſimùl congerit, proùt quandò occaſione turbarum, quas pauit Chriſtus, egit de ſanctiſſimo Sacramento, quod poſteà omiſit eo loco, quo alij, quandò occaſione baptiſmi, de quo antè egerat, & acturus erat, & aliorum plurium conformium dictis per Ioannem Baptiſtam, vt omnia ad illa ſpectantia congereret, colloquium cum Nicodemo vniuit. Cum ergò dixiſſet Dominum adijſſe Ieruſalem in Paſchate, viſum eſt ſibi congruum vnienti materias agere de eiectione, etſi alio tempore contigiſſet. Hæc mihi viſa ſunt veriſimiliora, liberum ſit alijs cuiuis opinioni accedere, & contraria comprobari poteſt ex dictis Domini : ignem veni mittere in terram,quia etiàm Ioannes Baptiſta cœpit à duris:Genimina viperarũ,&c. quo dicto vſus & Dominus, ſed quæ non irritant opinionem hanc. Non obſtat: Eccleſia legit bis hoc miraculum, & Ioan.cap.2. & aliorum Euangeliſtarum hic. Nàm legit, & bis illud Centurionis, & alia, & tamèn non dicimus illa diuerſa,ſed eadem.

C A-

CAPVT CXXI.

DE GENTILIBVS CHRISTVM VIDERE CVPIENTIBVS TVRBATIONE CHRISTI, ET COECITATE IVDAEORVM.

Ioan. 12.

20 *ERANT autèm quidam Gentiles ex his, qui aſcende-*
21 *rant vt adorarent in die feſto. * Hi ergò acceſſerunt ad*
Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant
22 *eum, dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. * Ve-*
nit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursùm, &
23 *Philippus dixerunt Ieſu. * Ieſus autèm reſpondit eis, di-*
cens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.
24 ** Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum*
25 *fuerit; * ipſum ſolum manet. Si autèm mortuum fuerit, multum fructum af-*
fert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc
26 *mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. * Si quis mihi miniſtrat, me ſequa-*
tur: & vbì ſum ego, illìc & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit,
27 *honorificabit eum Pater meus. * Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam?*
28 *Pater, ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. * Pater, cla-*
rifica nomen tuum. Venit ergò vox de cælo: Et clarificaui, & iterum clarifica-
29 *bo. * Turba ergò, quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alij*
30 *dicebant: Angelus ei locutus eſt. * Reſpondit Ieſus, & dixit: Non proptèr me hæc*
31 *vox venit, ſed proptèr vos. * Nunc iudicium eſt mundi: nunc Princeps huius*
32 *mundi eijcietur foràs. * Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*
33 *ipſum: * (hoc autèm dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.) * Reſpondit*
34 *ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodò*
35 *tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis? * Di-*
xit ergò eis Ieſus: Adhùc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem
habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, ne-
36 *ſcit quò vadat. * Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis.*
37 *Hæc locutus eſt Ieſus: & abijt, & abſcondit ſe ab eis. * Cum autèm tanta*
38 *ſigna feciſſet coràm eis, non credebant in eum: * vt ſermo Iſaiæ Prophetæ im-*
pleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Do-
mini

Digitized by Google

39 *mini cui reuelatum eſt?* * *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſa-*
40 *ias:* * *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis,*
41 *& non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.* * *Hæc dixit Iſaias,*
42 *quandò vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* * *Veruntamèn & ex principi-*
bus multi crediderunt in eum: ſed proptèr Phariſæos non confitebantur, vt è Sy-
43 *nagoga non eijcerentur.* * *Dilexerunt enìm gloriam hominum magìs, quam glo-*
44 *riam Dei.* * *Ieſus autèm clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in*
45 *me, ſed in eum, qui miſit me.* * *Et qui videt me, videt eum, qui miſit me.*
46 * *Ego lux in mundum veni: vt omnis, qui credit in me, in tenebris non ma-*
47 *neat.* * *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit: ego non iudico eum.*
48 *Non enìm veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum.* * *Qui ſper-*
nit me, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. Sermo, quem locu-
49 *tus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* * *Quia ego ex me ipſo non ſum locu-*
tus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid
50 *loquar.* * *Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergò ego loquor, ſicùt*
dixit mihi Pater, ſic loquor.

COMMENTARIVS.

ERANT *autèm quidam gentiles ex his, qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto;* multi enìm gentilium confluebant,& templum per vniuerſum mundum honorabatur. 2.Machab.3. 12. ſed an gentiles adorarent Deum, & ſimùl idòla? incertum; at Naaman Syrus profitebatur velle Dominum adorare ex terra allata in Syriam, & excuſatione facta cum Eliſeo. 4. Reg.5.17. *Hi ergò acceſſerunt ad Philippum* eis magìs propinquum, vel primum qui occurrit;hinc ipſe ad Andream,qui plus diſtabat, *dicentes: Volumus Ieſum videre*, alloqui; nàm cuilibet licebat eum videre publicè ſtantem. Non eſt credendum hos curioſitate ductos, ſed affectu bono, nàm acceſſus illorum fuit Chriſto ſignum paſſionis eius proximæ, vt dicit, ſi enim curioſitate ducti eſſent, non erat de illis curandum, & credendum eſt voluiſſe Dominum alloqui, nàm hoc non erat vetitum à lege, aliòquin commercium cum ipſis nullum interueniſſet. Vide in Centurione, & Chananæa; & ſi ipſe dicebat: ſi quis ſitit, omnes indiſtinctè vocãs,veniat ad me,& bibat,cur illos à colloquio repuliſſet? *Venis Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursùm, & Philippus dixerunt Ieſu*, videtur Philippum timuiſſe ſolum annunciare illos. *Ieſus autèm reſpondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur filius hominis* per mortem,vt ſubdit, per quam ad Patrem ibat;nàm pòſt reſurrectionem dixit: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, euntes ergò docete omnes gentes baptizantes,&c.& ego ſi exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me ipſum; &: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, ego autèm conſtitutus ſum Rex. Pſalm. 2. *Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autèm mortuum fuerit, multum fructum affert;* quaſi, ſum ego frumentum illud moriturum, & fructum allaturum ex gentibus,& mihi gloriam. Philip. 2. ad quam omnes inuitat, dicens: *Qui amat animam ſuam*, præferendo eam Dei gloriæ, *perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo* ob nomen Dei; *cuſtodit eam in vi-*

tam æternam; ſi quis mihi miniſtrat, me ſequatur more ſerui, vel militis, exemplo illorum, Abimelech, & Gedeonis, *&* me ſequendo, *vbi ſum ego* in gloria per crucem, *illic & miniſter meus erit*; alibi: qui non baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. *Si quis mihi miniſtrauerit* in promulgatione Euangelij, in trahendo homines ad fidem, *honorificabit eum Pater meus*, ab eo honorem æternum recipiet, refert vti homo ad Patrem de more quod & ipſi competit vti Deo. *Nunc* ex huiuſmodi annunciatione Gentilium *anima mea turbata eſt* timore mortis propinquę, repræſentatæ antè oculos mentis meæ, & de qua omen, & inditium ſumpſi ex acceſſu gentilium; concitauit in ſe hanc turbationem animæ, ſicut quilibet ex repræſentatione vicinæ mortis turbaretur, proût in ſuſcitatione Lazari: turbauit ſe ipſum, & in horto; cœpit tædere, pauere, & mœſtus eſſe. Hanc autèm turbationem aſſumpſit, vt pateretur, non vt illam alijs tùnc oſtenderet, quia nedum alij, ſed nec diſcipuli illius capaces erant, etiàm dum de morte ſua eis loqueretur. Luc. 18. 34. vbì dictum, ſed cognouerunt, quandò illuſtrati fuerunt, & nobis cognoſcere fecerunt ſcribentes illam. Non dicas, cognouit turba, quæ dixit de exaltatione, nàm id ex ſubſequentibus verbis Chriſti, vt infrà. *Et quid dicam? Pater, ſaluifica me ex hac hora* mortis mihi inſtantis, dicebat caro, *ſed propterea veni in horam hanc* moriturus, dicebat ſpiritus, & ſic colluctabatur in ſe caro, & ſpiritus, ſeù aſſumebat in ſe concertationes huiuſmodi, proût & in horto; Pater transfer à me calicem, veruntamèn non mea, ſed tua voluntas fiat; ſic Suſanna: Anguſtiæ ſunt mihi vndiquè, ſi enìm hoc egero, mors mihi eſt, ſi autèm non egero, non effugiam manus veſtras Daniel. 13. 22. ſic Paulus. Philip. 1. 23. coarctor autèm è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò magis meliùs, permanere autèm in carne neceſſarium proptèr vos, ſed tandèm elegit, dicens: *Pater clarifica nomen tuum*, proût & in horto fecit, & fecerunt Suſanna, & Paulus locis adductis; *clarifica*, glorifica *nomen tuum*, potentiam, maieſtatem tuam in morte mea, in cuius horam veni, dando mihi gentes: poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ; petitio opportuna acceſſui gentilium, & me reſuſcitando, & exaltando ad dexteram tuam, & iudicium viſibile dando, & ſic omnia ad gloriam tuam referantur. *Venit ergò vox de Cælo*, quam circumſtantes non intellexerunt, ſed ipſe ſolus, ideò illam ipſe declarat; ſic contigit in prodigijs pòſt baptiſmum, quæ Ioannes declarauit, cum alij non percepiſſent, vt ibì dictum, dicens: *& clarificaui*, teſtificando ex operibus, & miraculis de te. Ioan. 5. 36. opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me, & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me, & hæc apud Iudæos, apud quos innoteſcere deberes quantùm ex parte mea, *& iterum clarificabo* etiàm in gentibus, & reſurrectione, & exaltatione; vndè pòſt reſurrectionem: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra; & Philip. 2. qui cum in forma Dei eſſet, &c. proptèr quod & Deus exaltauit illùm, &c. & in iudicio; *Turba ergò, quæ ſtabat, & audierat*, ergò intellexit vocem articulatam, & ad quid emiſſa vox proptèr circunſtantes, vt inquit Chriſtus, ſi non intellexiſſent illius verba prolata? & ſi ad manifeſtationem Chriſti, cur non percepta? ad quid hæc fruſtratoriè? ſic in voce pòſt baptiſmum dictum omnes illam audiuiſſe, ſed neminem intellexiſſe, & verborum perceptorum ſenſum Ioannem explicaſſe, proût hic Chriſtus; *dicebat tonitruum eſſe factum*, fortè ex multo ſono vocis; *alij dicebant: Angelus ei loquutus eſt*; Vel meliùs, aliqui perceperunt verba articulata, aliqui non; percipientes dixerunt Angelum loquutum: non percipientes dixerunt tonitruum factum, quia ſi articulatam vocem ſenſiſſent, non dixiſſent de tonitruo, nequè cadit diſtinctio intèr idiotas, vel ſapientes, quia hoc proceſſit promiſcuè in omni genere ſapientum, & inſipiētium, vel ex diſtantia, vel inaduertentia, vel ex alio rumore vicino. Non placet à gentilibus in turba miſtis non intelligentibus linguam Hebræam, quam vox efformauit, dictum de tonitruo, quia etſi non

intel-

intellexiſſent ſenſum, ſaltèm vocem articulatam audiſſent, quæ in qualibet lingua cognoſcitur ab ignaris. *Reſpondit Ieſus, & dixit: Non proptèr me hæc vox venit* omnia ſcientem, *ſed proptèr vos*, vt me Meſſiam recognoſcatis, in mei manifeſtationem hoc factum *proptèr vos*. *Nunc iudicium eſt mundi*, cauſa iam diù agitata eſt, nunc ad finem properat, inſtat ſententia, nunc feretur, fiet hoc iudicium in morte mea propinqua; ſed quæ lis, ſeù cauſa mundi? ex maioribus, nempè ſeruitutis, & vinculorum, quibus à diabolo detinebatur ligatus illum adorans; ſic Paulus. Hebr. 2. 14. vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti, & ſententia ferretur ad fauorem mũdi contrà diabolum; nàm *nunc* eodem tempore in morte mea *Princeps huius mundi*, diabolus, qui à gentilibus tamquàm Deus adoratur, (tùnc enim idololatria non erat in populo Hebræo; fortè enim adeò horret Deus idololatriam, vt noluerit carnem à Iudæis ſumere, niſi pòſt illam profligatam, ni mirum ſi miſſus ad oues Iſrael tantùm, tùnc illa labe expurgatas, non ad gentes illi deditas, vltrà alia) *Eijcietur forás*, notum fiet non eſſe Deum, nullum ei deberi honorem, honore quouis priuabitur; & congruit intellectus, cum hæc cœpta occaſione Gentilium, qui acceſſerant, & quia gentes adducendæ ad Chriſtum ab idololatria liberæ. At non fuit eiectus dæmon ne tentet, tentat enim, & tentabit vſquè in finem, imò & ſi Satanas alligatus fuerit in inferno, ſoluetur tamèn tempore Antichriſti. Apocal. 20. 3. & tùnc reintroducet idololatriam. Apocal. 13. 4. 8. 13. & cap. 19. 20. & 20. 7. ad quam tentauit & Chriſtum, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me, quæ fuit tentatio vltima, ad quam vti finem ab eo intentum ſolebat homines deducere. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra* per Crucem, non hic pro exaltatione à Patre, quia ſubdit: *omnia traham ad me ipſum*, & clarè *ſignificans qua morte eſſet moriturus*, & ſuprà: *venit hora vt clarificetur filius hominis*. verſ. 24. hic enim effectus exaltationis ab ipſo nunc intentus, qui tendit ad Gentilium conuerſionem, & acquiſitionem, nempè traham gentes, eaſquè mihi adiungam; dominium, & poſſeſſio, vel quaſi mundi, ideſt omnium ad me transferentur à diabolo illius tiranno; victori enim cedunt euicta ab aduerſario; hinc Iſa. 53. 12. ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit animam ſuam; hincquè innuit ipſo viuente Gentiles, de quibus agebatur, non vocandos, ſed pòſt exaltationem in Cruce, ideò: non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael; at diſcipulis: euntes docete omnes gentes. (*Hoc autèm dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus*) nempè per exaltationem à terra, quæ erat per crucem. *Reſpondit ei turba. Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus*, Meſſias *manet in æternum* ſecundùm ordinem Melchiſedech; *& quomodò tu dicis: Oportet exaltari* per mortem *filium hominis*, Meſſiam? *Quis eſt iſte filius hominis?* quaſi, non ergò tu moriturus es Meſſias. Hæc verba Turbæ præſupponunt Chriſtum de ſe locutum per hæc verba, proùt ſolebat, & ſuprà dixit: *Venit hora vt clarificetur filius hominis*, nec illa retulit Euágeliſta, quia ex his verbis turbæ præcedere prima Chriſti cognoſcuntur. *Dixit ergò eis Ieſus: Adhùc modicum*, intrà paucos dies, paruum tempus decurret, *lumen*, ego qui ſum lux mundi, *in vobis eſt*, & videbitis hoc, quod dico, impletum: noluit ſe clarè explicare. *Ambulate dum lucem habetis*, me, qui ſum lux mundi; dum habetis præſentiam meam corporalem citò à vobis auferendam, *vt non vos tenebræ* ignorantiæ, & peccati *comprehendant: & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat*, præcipitat in obſcuro. *Dum lucem*, me *habetis, credite in lucem*, in me, *vt filij lucis ſitis*, illuminati ſitis; ſic & Ioan. 1. erat lux vera, & cap. 8. 12. & infrà verſ. 46. ſic ſuprà cap. 11. 9. nonnè ſunt duodecim horæ diei? ſi quis ambulauerit in die, non offendet, &c. & ex his confirmatur intellectus ibi datus. Non reſpondet Turbæ claris verbis, tùm quia non erat hora ſe manifeſtandi proùt Caiphæ; tùm quia citò omnia aperienda facto ipſo ex morte, & reſurrectione, ſed monet illam ad credendum, ſibiquè proſpiciendum. *Hæc locutus eſt Ieſus, & abijt, & abſcondit ſe ab eis*, quia

non erat tuta ibì permanſio. *Cum autèm tanta ſigna* demonſtrantia eius diuinitatem *feciſſet coràm eis, tanta* intellige numero, & magnitudine, non numero tantùm, *non credebant in eum* Iudæi, *vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit* ex hoc euentu eorum incredulitatis; *Domine, quis credidit auditui noſtro?* ex Iudæis; fides enìm ex auditu, dicit Paulus. Rom. 10. *& brachium Domini*, Meſſias, Chriſtus. Iſa. 52. 10. parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium; ideò ſub eodem verbo *brachium*, de illo agit. cap. 53. 1. *cui reuelatum eſt?* ex Hebræis, ad quos miſſum; nàm quibus non eſt narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt contemplati ſunt. Iſa. 52. 15. & inuentus eſt à non quærentibus eum, inquit Paulus. Rom. 10. ex Iſa. 65. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum* ob illorum peccata, hìnc factum *vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur* à peccatis in eis hæc perficientibus, *& ſanem eos*, proùt vellem, optans peccatorum conuerſionem. *Hæc dixit Iſaias, quandò vidit gloriam eius*, Chriſti, *& loquutus eſt de eo*. cap. 6. 10. exprimit locum Iſaiæ, vt illum legant, & credant; Vel exprimit tempus quandò vidit gloriam eius, vt eadem gloria moueantur, quia ſi Principes illam cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. & verba ſunt Dei à Propheta relata; nàm præcedunt verba: & dixit, vade, & dices populo huic, & pòſt verba hic deſcripra, ſubdit: & dixi vſquequò Domine? vbì agit de eorum conuerſione ad finem mundi; non autèm vſquè ad Rempublicam deſtructam, poſt quã nec conuerſi adhùc. *Verùtamèn & ex Principibus multi crediderunt in eum, ſed proptèr Phariſæos non confitebantur, ne è Synagoga eijcerentur*, proùt iàm edixerant. Ioan. 9. 22. ni mirum ſi erant ignoti; vndè Ioan. 7. 48. numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed Turba hæc, quæ non nouit legem maledicti ſunt, & intèr hos Nicodemus nocte accedens. Ioan. 3. & Ioſeph ab Arimathia. Io. 19. 38. 39. *dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*, eccè peccatum, hìnc obcœcatio, ex qua obcœcatione ignorantes appellantur à Paulo. 1. Cor. 2. quia ſi cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent, & acto. 3. 17. Petrus: & nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicùt & Principes veſtri, & acto. 12. 27. Paulus: qui enìm habitabant Ieruſalem, & Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, &c. *Ieſus autèm clamauit, & dixit*, explicans ſe Deum. *Qui credit in me, non credit in me ſolùm, ſed in eum, qui miſit me*, Patrem, ego enìm & Pater vnum ſumus; ideò ſubdit, *& qui videt me* hac fide, *videt & eum, qui miſit me. Ego lux in mundum veni*, miſſus à Patre ad mundum illuminandum: erat lux vera, quæ illuminat, &c. Ioan. 1. vt vos cognoſcatis, *vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat* ignorantiæ, & peccati, *& ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit*, credendo, *ego non iudico eum* nunc; non enìm venit in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, & hìc: *non enim veni vt iudicem mundum* in hoc primo aduentu, *ſed vt ſaluificem mundum* à peccatis; ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea*, mihi fidem non adhibet, *habet qui iudicet eum* ſuo tempore, quo *ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die*, in die Iudicij; ſi non veniſsem, & locutus eis non fuiſsem, peccatum non haberent, ſimilis locutio: ego gloriam meam non quæro, eſt qui quærat, & iudicet, &: nolite putare, quòd ego accuſaturus ſim vos apud Patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis, de me enim ille ſcripſit, & dedit etiàm ſigna. Deut. 18. ſic Ioan. 5. 45. locutio ergò eſt manifeſtatio ſui, non lex. *Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*, mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, *& ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt*, nàm tendit ad manifeſtationem Patris, & mei: hæc eſt autèm vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Quæ ergò ego loquor, ſicùt dixit mihi Pater, ſic loquor*, quaſi, teſtimonium meum non eſt ſuſpectum, quia mandata refero; dicit de Patre, vt magis ſibi quærat

rat fidem; ſic Prophetæ ad dicta eorum authorizanda omnia ex ore Dei proferebant; ſic de Ioanne: factum eſt verbum Domini ſupèr Ioannem Zachariæ filium, & qui miſit me baptizare, ille mihi dixit, &c. & prædicitur à Prophetis: vox clamantis in deſerto. Ex hoc diſcurſu Ioannis colligitur potuiſſe Iudæos à cæcitate recedere, ſi voluiſſenr, attendendo lucem, Chriſtum, & in eum credendo, proùt docet Ioannes.

CAPVT CXXII.
DE DISCESSV IERVSALEM IN BETHANIAM, ET FICV AREFACTA.

Matth. 21.

17 *ET relictis illis, abijt foràs extrà Ciuitatem in Bethaniam:*
18 *ibiquè manſit. * Mane autèm reuertens in Ciuitatem,*
19 *eſurijt. * Et videns fici arborem vnam ſecùs viam, ve-*
nit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantùm, &
ait illi: Numquàm ex te fructus naſcatur in ſempiter-
20 *num. Et arefacta eſt continuò ficulnea. * Et videntes*
diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodò continuò
21 *aruit? * Reſpondens autèm Ieſus, ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem,*
& non hæſitaueritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeri-
22 *tis: Tolle, & iacta te in mare, fiet: * Et omnia quæcumque petieritis in oratio-*
ne credentes, accipietis.

Marc. 11.

11 *ET introiuit Ieroſolymam in templum: & circumſpectis omnibus, cum iam*
12 *veſpera eſſet hora, exijt in Bethaniam cum duodecim. * Et alia die cum*
13 *exirent à Bethania, eſurijt. * Cumquè vidiſſet à longè ficum habentem folia,*
venit, ſi quid fortè inueniret in ea, & cum veniſſet ad eam, nihil inuenit pratèr
14 *folia: non enìm erat tempus ficorum. * Et reſpondens dixit ei: Iàm non ampliùs*
in æternum ex te fructum quiſquam manducet. Et audiebant diſcipuli eius.
15 ** Et veniunt Ieroſolymam. Et cum introiſſet in templum, cœpit eijcere venden-*
tes, & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras venden-
16 *tium columbas euertit. * Et non ſinebat vt quiſquam transferret vas per tem-*
17 *plum: * & docebat, dicens eis: Nonnè ſcriptum eſt: Quia domus mea, domus*

orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autèm feciſtis eam ſpeluncam latro-
18 *num.* * *Quo audito Principes Sacerdotum, & Scribæ quærebant quomodò eum*
perderent: timebant enim eum, quoniàm vniuerſa turba admirabatur ſupèr do-
19 *ctrina eius.* * *Et cum veſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate.* * *Et cum*
20 *mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.* * *Et recordatus*
21 *Petrus, dixit ei: Rabbi, eccè ficus, cui maledixiſti, aruit.* * *Et reſpondens Ie-*
22 *ſus, ait illis: Habete fidem Dei.* * *Amen dico vobis, quia quicumque dixerit*
23 *huic Monti Tollere, & mittere in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed*
24 *crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.* * *Propterea dico vobis, om-*
25 *nia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* * *Et*
cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduersùs aliquem: vt &
26 *Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.* * *Quòd ſi vos*
non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis peccata
veſtra.

COMMENTARIVS.

ET *circumſpectis omnibus.* Marc. 11. 12. in templo exiſtentibus, non hominibus ad hoſpitium fortè inuitantibus, *cum iàm veſpera eſſet hora*, nec haberet veriſimilitèr hoſpitem Ieroſolymis, apud quem tutò hoſpitaretur, vel ſinè hoſpitis moleſtia, quia iàm edixerant, vt ſi quis eum confiteretur, extrà Synagogam fieret, & qui ſciret vbi eſset, indicaret, & quia quærebatur ad necem; ideò Io. 12. 36. dicitur: abijt, & abſcondit ſe ab eis; hinc eſt quòd Marcus, verſ. 19. dicit, *& cum veſpera facta eſſet, egrediebatur de Ciuitate*, non quòd (his ſepoſitis) aliquem non haberet hoſpitem Ieroſolymis, cum pluriès ad feſtum illùc deſcenderit, ibiquè manſerit, præſertim quandò Nicodemus nocte illum adijt. Ioan. 3. & ex cœnaculo ei commodato dignoſcitur, *exÿt in Bethaniam cum duodecim*, ibiquè manſit. *Mane autèm reuertens in Ciuitatem eſurÿt*, verè, non enim finxiſſet, proùt nec finxit pòſt ieiunium, & verba non ſunt impropriianda, ſi propriè ſtare poſſunt. *Et videns fici arborem vnam ſecùs viam, venit ad eã, & nihil inuenit in ea, niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuò ficulnea.* Petebat Ieruſalem, fructus, quos eſuribat, collecturus ex Synagoga, ſed ſciebat areſaciendam, propterea ad hæc ſignificanda, & vt & diſcipuli, & alij edocerentur, & aliqui contererentur audientes, & videntes, ſiccauit ficum; ſic antiquitùs per hæc viſibilia Prophetæ ex mandato Dei annunciabant populo læta, vel triſtia, & alia futura, ſic de oſſibus aridis. Ezech. 17. & quomodò dicit *in ſempiternum*. Matth. 21. 19. Marc. 11. 14. *in æternum*, cum reliquiæ Iſrael in fine conuertendæ? dic *in ſempiternum, & in æternum* non propriè, ſed vſquè ad tempus illud nouiſſimum; ſed cum dicatur. Marc. 11. 20. *ficum aridam factam à radicibus*, videntur verba, *in æternum*, non eſſe impropriianda: at aruit à radicibus, quia nullum fructum fecit, vel factura eſt Synagoga, ſeù populus Hebræus vſquè ad illa tempora nouiſſima, & ſæpè ſimilitudines non in omnibus conueniunt; vel infertur tùnc mirabilitèr à Deo viuificandam, *& videntes diſcipuli mirati ſunt, dicentes: Quomodò continuò aruit? Reſpondens autèm Ieſus, ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis.* Hanc fidem Marcus dicit *fidem Dei*, magnam, vel à Deo

pro-

procedentem; eſt enim eius donum; *non ſolùm de ficulnea facietis* quod ego feci, *ſed & ſi monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet*; occaſione ficulneæ arefactæ diſcipulos ad fidem accendit, & ad miracula patranda. *Et omnia quæcunquè petieritis in oratione credentes, accipietis.* Hæc dicit vt illos prouocet ad orationem, & petendum; ſed docet primò dimittendum proximo, aliòqui Deus non dimittit peccata, proùt in parabola ſerui; ſic faciet pater meus cæleſtis, ſi non dimiſeritis vnuſquiſque fratri veſtro de cordibus veſtris, & vanè orat, dicens: dimitte nobis debita noſtra, ſicut, &c. ſi ipſe non dimittit, vt hìc per Marcum.

CAPVT CXXIII.

DE REGRESSV IN IERVSALEM, ET BAPTISMO IOANNIS.

Matth. 21.

23 *ET cum veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docen-*
tem, Principes Sacerdotum, & Seniores populi, dicen-
tes: In qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc po-
24 *teſtatem?* Reſpondens Ieſus, dixit eis: Interrogabo vos*
& ego vnum ſermonem: quem ſi dixeritis mihi, & ego
25 *vobis dicam in qua poteſtate hæc facio.* Baptiſmus Io-*
annis vndè erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogita-
26 *bant intèr ſe, dicentes:* Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quarè ergò non cre-*
didiſtis illi? Si autèm dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim
27 *habebant Ioannem ſicùt Prophetam.* Et reſpondentes Ieſu, dixerunt: Neſci-*
28 *mus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio.* Quid au-*
tèm vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum,
29 *dixit: Fili, vade hodiè, operare in vinea mea.* Ille autèm reſpondens, ait:*
30 *Nolo. Poſteà autèm, pœnitentia motus abijt.* Accedens autèm ad alterum,*
31 *dixit ſimilitèr.* At ille reſpondens, ait: Eo, Domine, & non iuit.* Quis ex*
duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Ieſus: Amen
32 *dico vobis, quia Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Ve-*
nit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei. Publicani au-
tèm, & meretrices crediderunt ei: vos autèm videntes nec pœnitentiam habui-
ſtis poſteà, vt crederetis ei.

C A-

Marc. 11.

27 *ET veniunt rurſùs Ieroſolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad*
28 *eum Summi Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores: * & dicunt ei: In qua*
29 *poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem vt iſta facias? * Ieſus au-*
tèm reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & ego vnum verbum, & reſponde-
30 *te mihi: & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam. * Baptiſmus Ioannis, de*
31 *cælo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi. * At illi cogitabant ſecum, dicen-*
32 *tes: Si dixerimus, de cælo, dicet: Quarè ergò non credidiſtis ei? * Si dixerimus,*
Ex hominibus: timemus populum. Omnes enìm habebant Ioannem, quia verè
33 *Propheta eſſet. * Et reſpondentes dicunt Ieſu: Neſcimus. Et reſpondens Ieſus, ait*
illis: Nequè ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.

Luc. 20.

1 *ET factum eſt in vna dierum, docente illo populum in templo, & euangeli-*
zante, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Scribæ, cum Senioribus,
2 ** & aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis? aut: Quis*
3 *eſt, qui dedit tibi hanc poteſtatem? * Reſpondens autèm Ieſus, dixit ad illos:*
4 *Interrogabo vos & ego vnum verbum. Reſpondete mihi: * Baptiſmus Ioannis,*
5 *de cælo erat, an ex hominibus? * At illi cogitabant intrà ſe, dicentes: Quia ſi*
6 *dixerimus, de cælo, dicet: Quarè ergò non credidiſtis illi? * Si autèm dixerimus,*
Ex hominibus, plebs vniuerſa lapidabit nos: certi ſunt enìm, Ioannem Prophe-
7 *tam eſſe. * Et reſponderunt ſe neſcire vndè eſſet. * Et Ieſus, ait illis: Neque ego*
8 *dico vobis in qua poteſtate hæc facio.*

COMMENTARIVS.

E*T veniunt rurſùs Ieroſolymam, & cum veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem Principes Sacerdotum, & Seniores populi, dicentes: In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem?* intelligo de doctrina, quomodò doceret in templo, in dubio enim potiùs egerunt de præſentibus, quàm præteritis, & ſi de præteritis, ſe explicaſſent, vt intelligerentur; at quòad præſentia etiàm ſic intelligi poterant, & de eiectione nullo modo intellexerunt, qui eodem die, quo eiectio contigit iuxtà Ioannem, dixerunt ſimilia verba: quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? & iuxtà alios Euangeliſtas tùnc ſecum collocuti ſunt, hoc autèm fuit ſequenti die; at ſi de eiectione, ex ſimilitudine interrogationis collige, vnicam eſſe eiectionem. Ioan. 2. & aliorum Euangeliſtarum, vt dixi, & tùnc alij Euangeliſtæ proferentes hæc verba, per recapitulationem ea dixerunt. *Reſpondens Ieſus dixit eis: Interrogabo vos, & ego vnum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Ioannis vndè erat, è cælo, an ex hominibus?* ſic inſultantibus

tibus

Digitized by Google

tibus contrà diſcipulos illotis manibus manducātes, præter traditiones ſeniorū aliò eos diuertens dixit; & vos irritam feciſtis legem Dei, &c. noluit expreſsè dicere ſe Meſſiam; ſempèr enim ab hoc abſtinuit, quia nimium irritaſſet, & ne occideretur; quandò enim dixit, ſententiam mortis recepit. Vereor ex hac Chriſti propoſitione, ne in verbis, *in qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hāc poteſtatem?* Iudæi tacitè ſcire vellent an eſſet Meſſias, & congruunt huic ſenſui dicta à Ioanne. cap.2. quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? vti Meſſias, vti Dominus, & ſic eos reſpicere eiectionem etiàm præcedentem, (ſi hæc pòſt illam) nàm ex interrogatione de baptiſmo Ioannis vult inferre: Ioannes vobis dixit, in qua poteſtate hæc facio, cur illi non creditis? quod & illimet ſuſpicati ſunt: ibi *ſi dixerimus*, & ideò noluerunt ad interrogata reſpondere. *At illi cogitabant intrà ſe dicentes: Si dixerimus, è cælo: dicet nobis, quarè ergò non credidiſtis illi? Si autèm dixerimus ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem ſicùt Prophetam*; hinc malitia eorum, & conſcientia læſa, ſciebant, & nolebant facere iuxtà ſcientiam, *& reſpondentes Ieſu, dixerunt: Neſcimus*; neſciebant quo alio modo euadere: *Ait illis & ipſe*; pòſtquàm non vultis apertè mihi interroganti reſpondere iuxtà veritatem, *neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio. Quid autèm vobis videtur?* ſaltèm explicate ſententiam veſtram in eo, quod dicam. *Homo quidam habebat duos filios*. Intellectus parabolæ litteralis eſt, quem aperit Chriſtus; præceſſuros nempè Publicanos, & meretrices in regno cælorum, quia dicentes nolle facere, fecerunt pœnitentiam, & conuerſi ſunt ad obedientiam prædicatione Ioannis; Principes autèm Sacerdotum, & Seniores populi, qui oſtenderunt verbis fictis ſe facturos, ſed non fecerunt quæ Ioannes prædicauit, Deo non obediuiſſe, neque regnum ingreſſuros. Vndè Luc. 7. 30. & omnis populus audiens, & Publicani iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis. Phariſęi autèm, & legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos non baptizati ab eo. *Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ* non manducans panem, neque bibens vinum, ità vt iuſtè ei credendum eſſet. Luc. 7. 33. ab integritate vitæ ei credere debueratis, vel *in via iuſtitiæ* Meſſiam manifeſtaturus, quod eſt præcedentibus aptius, miſſus ad hoc à Deo volente obſeruare, quod promiſerat, nedum mittere, ſed manifeſtare Meſſiam. Vel *in via iuſtitiæ*, cui ſatisfactum à Deo, à Prophetis prædictus. Ego vox clamantis. Iſai. 40. 3. *& non credidiſtis ei. Publicani autèm & meretrices crediderunt ei*, qui dixerant nolle ire iuxtà parabolam. *Vos autèm videntes*, qui dicebatis credere velle, & ad eum miſiſtis, *nec pœnitentiam habuiſtis poſteà vt crederetis ei*, & faceretis quod dicebatis. Hincquè cum Chriſtus ex hac parabola duorum filiorum, & illatione declaret baptiſmum Ioannis ex Deo, ſequitur, declarare etiàm ſe auctoritate diuina tamquàm Meſſiam docere, & vtrique quæſtioni ſatisfacere.

CAPVT CXXIV.
DE PARABOLA VINEAE.

Matth. 21.

33 ALIAM parabolam audite: Homo erat paterfamilias,
qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fo-
dit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam
34 agricolis, & peregrè profectus eſt. * Cum autèm tempus
fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ad agricolas, vt
35 acciperent fructus eius. * Et agricolæ, apprehenſis ſeruis
eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò
36 lapidauerunt. * Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimi-
37 litèr. * Nouiſſimè autèm miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium
38 meum. * Agricolæ autèm videntes filium, dixerunt intrà ſe: Hic eſt hæres,
39 venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. * Et apprehenſum eum
40 eiecerunt extrà vineam, & occiderunt. * Cum ergò venerit Dominus vineæ,
41 quid faciet agricolis illis? * Aiunt illi: Malos malè perdet: & vineam ſuam
42 locabit aliјs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. * Dicit illis Ieſus:
Numquàm legiſtis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic
factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in ocu-
43 lis noſtris: * Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur
44 genti facienti fructus eius. * Et qui ceciderit ſupèr lapidem iſtum, confringetur:
45 ſupèr quem verò ceciderit, conteret eum. * Et cum audiſſent Principes Sacerdo-
46 tum, & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipſis diceret. * Et quæ-
rentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniàm ſicùt Prophetam eum ha-
bebant.

Marc. 12.

1 ET cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinauit homo, & circumdedit
ſepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, &
2 peregrè profectus eſt. * Et miſit ad agricolas in tempore ſeruum vt ab agricolis
3 acciperet de fructu vineæ. * Qui apprehenſum eum cæciderunt, & dimiſerunt
4 vacuum. * Et iterum miſit ad illos alium ſeruum: & illum in capite vulne-
5 rauerunt, & contumelijs affecerunt. * Et rursùm alium miſit, & illum occide-
runt:

6 *runt: & plures alios, & quoſdam cædentes, alios verò occidentes. * Adhùc er-*
gò vnum habens filium chariſſimum: & illum miſit ad eos nouiſſimum, di-
7 *cens: Quia reuerebuntur filium meum. * Coloni autèm dixerunt ad inuicèm.*
8 *Hic eſt hæres: venite, occidamus eum: & noſtra erit hæreditas. * Et appre-*
9 *hendentes eum, occiderunt: & eiecerunt extrà vineam. * Quid ergò faciet Do-*
10 *minus vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam alijs. * Nec ſcri-*
pturam hanc legiſtis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt
11 *in caput anguli. * A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?*
12 ** Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam; cognouerunt enìm quoniàm*
ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo, abierunt.

Luc. 20.

9 *COEPIT autèm dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantauit vi-*
neam, & locauit eam colonis: & ipſe peregrè fuit multis temporibus.
10 ** Et in tempore miſit ad cultores ſeruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui*
11 *cæſum dimiſerunt eum inanem. * Et addidit alterum ſeruum mittere. Illi au-*
autèm hunc quoquè cædentes, & afficientes contumelia, dimiſerunt inanem.
12 ** Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt. * Dixit au-*
13 *tèm Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitàn,*
14 *cum hunc viderint, verebuntur. * Quem cum vidiſſent coloni, cogitauerunt*
intrà ſe, dicentes: Hic eſt hæres, occidamus illum, vt noſtra fiat hæreditas.
15 ** Et eiectum illum extrà vineam, occiderunt. Quid ergò faciet illis Dominus*
16 *vineæ? * Veniet, & perdet colonos iſtos, vt dabit vineam alijs. Quo audito,*
17 *dixerunt illi: Abſit. * Ille autèm aſpiciens eos ait: Quid eſt ergò hoc, quod ſcri-*
ptum eſt: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput an-
18 *guli? * Omnis, qui ceciderit ſupèr illum lapidem, conquaſſabitur: ſupèr quem*
19 *autèm ceciderit, comminuet illum. * Et quærebant Principes Sacerdotum, &*
Scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognouerunt
enìm quòd ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc.

COMMENTARIVS.

PARABOLA hæc in Iudæos directa, qui vineam locatam ſibi ipſis vſurpare conabantur, Domino vero ſpreto, & filio interempto. *Homo erat paterfamilias*, Deus, cui benè conuenit, *erat:* in principio erat verbum. Ioan. 1. *qui plantauit vineam*, Synagogam, Eccleſiam Hebræorum, *& ſepem circumdedit ei*, muniuit eam præceptis, in quibus continerentur, & operarentur agricolæ, proùt Adamo tranſlato è terra ad Paradiſum, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Geneſ. 2. & à Paradiſo ad terram, vt operaretur. Geneſ. 3. *& fodit in ea torcular* gratiarum ſuarum, quas ei infudit, vt operari poſſent agricolæ; gratia enim modò aquæ, modò muſto comparatur, *& ædifi-*

cauit

cauit turrim eam cuſtodientem, & vt eleuarentur ad cœleſtia, & omnia ad ea, & Deum dirigerent. Vel dicas vno verbo, omnibus neceſſarijs inſtructam, ità vt nihil deſiderari poſſet, *& locauit eam,* non dedit, non donauit, tranſtulit quodam modo vtile dominium, & quid minus, penès ſe retinuit directum dominium; hinc appellat eam vineam ſuam: quid potui facere vineæ meæ, & non feci? & quandò Chriſtus tradit claues Petro, non dicit: paſce agnos, vel oues tuas, ſed agnos, & oues meas, & alibi ſempèr vocat oues ſuas, non aliorum, ni mirum ſi mittit ſeruos, & Prophetas fructus ab agricolis recepturus, ſi enim illum in agricolas tranſtuliſſet, non miſiſſet pro fructibus recipiendis: *agricolis,* Iudæis Sacerdotibus, primoribus, vt eam excolerent iuxtà legem, & præcepta ſua ex conuentione, non vt otiarentur, vel traditiones ex eorum capite legi contrarias componerent; *& peregrè profectus eſt,* hoc ad accomodationem parabolæ, quia Deus vti homo hic figuratur, vti homo proponitur abijſſe, vacuam, liberamquè vineam dimiſiſſe more boni, & fidelis locatoris, non autèm quòd auxilium ſubtraxerit. *Cum autèm tempus fructuum appropinquaſſet* (eccè diligentia patrisfamilias) *miſit ſeruos ſuos* Prophetas *ad agricolas, vt acciperent fructus eius,* domini, ad eum ſpectantes, *& agricolæ* mali, & aridi, qui nullum ediderant fructum à ſeruis correcti, & exprobrati ſupèr eorum negligentia, & torpòre non ſuſtinentes, *apprehenſis ſeruis,* Prophetis illis, *alium ceciderunt: alium occiderunt: alium verò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus,* vt agricolas monerent ad fructus reddendos, *& fecerunt illis ſimilitèr* vt primis. *Nouiſſimè autèm,* vltimò *miſit filium ſuum* fructus ſuos collecturum, *dicens, verebuntur filium meum,* loquitur iuxtà eorũ obligationẽ, ſciebat enim Deus quid machinaturi eſſent; *agricolæ autèm,* Iudæi *videntes filium,* Meſſiam, nedum cogitauerunt de fructibus reddendis, ſed, *dixerunt intrà ſe: hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius,* loquitur more hominum quòad hæredem, & hæreditatem, & proùt contigit, quia occiderunt Meſſiam Ieſum Filium Dei operibus eorum contrarium. Sapien. 2. putantes craſſiſſe eum de terra viuentium, & nomen eius non ampliùs memorandum, eoſquè liberos, & ſuperiorem non recogniturοs, vineamquè eorum arbitrio colituros: parabola recitat quod verè fuit, non autèm ex ea arguere poſſumus eos cognouiſſe Regem gloriæ, quem ſi cognouiſſent, nunquam cruci affixiſſent. 1. Cor. 2. & acto. 3. & nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicùt & Principes veſtri, ſed figurat illos more hominum cognoſcentium, pòſtquàm ignorantia illa eos non excuſauit à peccato; ſic fratres Ioſephi: eccè ſomniator venit, venite, occidamus eum. Geneſ. 37. 20. *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam* quantùm in eis fuit, quia non receperunt eum, & excommunicauerunt recipientes eum, & gentibus tradiderunt, *& occiderunt eum;* morte turpiſſima, dixeruntquè: nomen eius non memoretur ampliùs, extrà Synagogam fiat, ideò rectè ſubiungit Chriſtus *lapidem, &c.* contrarium contigiſſe, vel euenturum, vndè non dicas *extrà vineam,* idèſt crucifixerunt extrà Ieruſalem, non enim Ieruſalem vinea, ſed Synagoga, hinc & pòſt mortem timebant reſurrecturum, & vineam vendicaturum; ideò: recordati ſumus, quòd ſeductor ille dixit: pòſt tres dies reſurgam. *Cum ergò venerit Dominus vineæ;* hinc vide cur à principio dixit *peregrè profectus eſt,* vt componeret parabolam, *quid faciet agricolis illis* proteruis? *aiunt illi: malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis* melioribus, *qui reddant ei fructum temporibus ſuis,* hæc eorum ſententia in caput eorum recidens de induſtria à Chriſto extorta ab illis. *Dixit illis Ieſus: Numquam ne legiſtis in ſcripturis, lapidem, quem reprobauerunt ædificantes,* illum reijciendo, *hic factus eſt in caput anguli?* quaſi, ego ille lapis à vobis reprobandus, occidendus in caput anguli fiam, duos populos nectens, Hebræum, & Gentilem; *à Domino factum eſt iſtud,* qui ſic ab æterno ordinauit ad redemptionem totius generis humani pro ſua miſericordia, *& eſt mirabile in oculis noſtris* opus enim eſt, quod nemo alius fecit, vel facere potuit. *Ideò* (infert) *dico vobis* primoribus Hebræorum, *quia auferetur à vobis re-*

gnum

gnum Dei, Eccleſia, & vnà locus, & gens, *& dabitur* Eccleſia, regnum *genti facienti fructus eius*, proùt vos dixiſtis: prænunciat tempus malorum; ſic Niniuitis. Ionæ 3. antè diluuium de centum viginti annis. Geneſ. 6.3.& cap.7.4. & ſub nomine Ioſiæ. 3.Reg. 13.& vbiquè in Prophetis; Vndè non eſt verum Deum non prænunciare diem malorum, hoc enim locum tantùm habet in die Iudicij, de quo nemo ſcit, & die mortis incerta; *Et qui ceciderit ſupèr lapidem*, me, qui Deus ſum, contrarium ſe oſtendendo mihi, more impingentis in lapidem, *confringetur*, in fruſta minuetur, *ſupèr quem verò ceciderit, conteret eum*, in puluerem rediget; Vult dicere, non euadetis vos agricolæ pœnas ob ſcelera patrata, & patranda: horrendum eſt enim incidere in manus Dei viuentis, & is lapis regnaturus donèc conterat omnes inimicos ſuos, ponatquè eos ſcabellum pedum ſuorum. 1.Cor.15. proùt hic de lapide confringente, & conterente; ſic per Ioannem Baptiſtam de falce, vel gladio acuto ex vtraque parte. Apocal.1. & ferè per totam. *Et cum audiſſent Principes Sacerdotum, & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipſis diceret*, & tamèn nulla curatio, ſed ad explendam rabiem conuertuntur, *& quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniàm ſicùt Prophetam eum habebant*, aduerte, non Deum, proùt erat.

CAPVT CXXV.

DE PARABOLA NVPTIARVM FILII REGIS.

Matth. 22.

1 *ET reſpondens Ieſus, dixit iterum in parabolis eis, di-*
2 *cens: * Simile factum eſt regnum cælorum homini re-*
3 *gi, qui fecit nuptias filio ſuo. * Et miſit ſeruos ſuos vo-*
4 *care inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. * Iterum*
miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis: Eccè pran-
dium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt,
5 *& omnia parata: venite ad nuptias. * Illi autèm ne-*
glexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem
6 *ſuam: * Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.*
7 ** Rex autèm cum audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit ho-*
8 *micidas illos, & ciuitatem eorum ſuccendit. * Tùnc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ qui-*
9 *dèm paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. * Ite ergò ad exitus*
10 *viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias. * Et egreſſi ſerui eius*
in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos: & impleta
11 *ſunt nuptiæ diſcumbentium. * Intrauit autèm Rex vt videret diſcumbentes, &*
12 *vidit ibì hominem non veſtitum veſte nuptiali. * Et ait illi: Amice, quomo-*

13 *dò hùc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. * Tùnc dixit rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exte-*
14 *riores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. * Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*

COMMENTARIVS.

S*IMILE factum eſt Regnum Cœlorum homini Regi*, Deo, *qui fecit nuptias filio ſuo*. Verbo,quādò incarnatus eſt, *& miſit ſeruos ſuos vocare* homines *inuitatos ad nuptias*,Hebræos, vt illum reciperent in Meſſiam, prout Angeli eum adorauerāt; & cum iterum introducit primogenitum ſuum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Hebr. 1.6. Inuitati erant Hebræi per Prophetas,nunc vocat per Angelos, qui apparuerunt in nocte Natiuitatis, Paſtores, Annam, Simeonem, Magos, Ioannem Baptiſtam, Ieſummet, & ſuos, quos miſit prædicare, dum cū eis erat, & per omnia, quibus ſe manifeſtauit Meſſiam. *Vocare inuitatos*,eccè auxilia Dei,iàm inuitauerat,nūc vocat pluribus vicibus,& ſi recuſant, vel qui intrauit ſinè nuptiali veſte, inuentus eſt, illis, non Deo imputandum; ſimilis parabola. Luc. 14. vbi dictum. *Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali,& ait illi: Amice,quomodò hùc intraſti?* & ad Iudam; amice, ad quid veniſti? vndè puto prouerbialem locutionem; *non habens veſtem nuptialem?* opera bona, charitatem: *at ille obmutuit*, quia in Iudicio nemo audebit hiſcere. *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus, & pedibus eius*; auſertur enim omnis facultas benè operandi; *mittite eum in tenebras exteriores*, extrà mundum,vbì nulla lux,tenebræ tantùm; *ibi erit fletus, & ſtridor dentium*, intolerabilis dolor per ea figuratur. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*; verba hæc videntur intelligenda in omnibus tàm Hebrǽis quàm Gentilibus vltimò vocatis. Quòad Hebræos quidèm, quia nullum eorum, qui inuitati fuerant, præſupponitur intraſſe ad nuptias, ſed omnes ſe excuſaſſe,& non fuiſſe dignos, dicitur enim: *ſed qui inuitati erant non fuerunt digni*. Quò verò ad Gentiles quia vnus eorum non habens veſtem nuptialem eiectus eſt, ſub quo numerus indeterminatus; Vel ad denotandum ſingulos excutiendos de geſtis ſuis in Iudicio illo tremendo; vndè Hebrǽi non intrantes,gentiles intrantes nudi veſte nuptiali, vocati quidèm, ſed non electi omnes; ideò non poteſt ex hac parabola inferri ad quantitatem ſaluandorum, vel damnandorum, nàm ſcopus eſt Iudæos non recepiſſe Meſſiam, gentiles acceptaſſe, ideò nullum Iudæorum admiſſum, vnum ex Gentilibus ingreſſum eiectum,quæ duo ſimpliciter,& in ſe inuerisimilia ſunt,cum & Iudæorum multi acceptauerint, & gentilium damnandorum non vnus tantùm; ſed ad parabolæ intentum omnia rectè compoſita, & ornata, ideò ne ad hæc ſic conſideranda ineptè relaberemur,Chriſtus ſumma ſapientia ſubdit, *multi enim ſunt vocati;pauci verò electi*. At pro parabola vide Caietanum eam rectè,& breuitèr enarrantem.

CA-

CAPVT CXXVI.
DE CENSV SOLVENDO CAESARI.

Matth. 22.

15 TVNC abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut cape-
16 rent eum in ſermone.* Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum
Herodianis dicentes: Magiſter, ſcimus quia uerax es,
& uiam Dei in ueritate doces, & non eſt tibi cura de
17 aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum:* Dic ergò
nobis quid tibi uidetur, licet cenſum dare Cæſari, an non?
18 * Cognita autèm Ieſus nequitia eorum, ait: Quid me ten-
19 tatis hypocritæ? * Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei dena-
20 rium. * Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? * Dicunt ei:
21 Cæſaris. Tùnc ait illis: Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei,
22 Deo.* Et audientes mirati ſunt,& relicto eo abierunt.

Marc. 12.

13 ET mittunt ad eum quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis, ut eum cape-
14 rent in uerbo. * Qui uenientes dicunt ei: Magiſter, ſcimus quia uerax
es, & non curas quemquam: nec enìm uides in faciem hominum, ſed in ue-
15 ritate uiam Dei doces, licet dari tributum Cæſari, an non dabimus? * Qui
ſciens verſutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium,
16 ut uideam.* At illi attulerunt ei: Et ait illis: Cuius eſt imago hæc, & inſcri-
17 ptio? Dicunt ei: Cæſaris.* Reſpondens autèm Ieſus, dixit illis: Reddite igitur
quæ ſunt Cæſaris,Cæſari:& quæ ſunt Dei,Deo.Et mirabantur ſupèr eo.

Luc. 20.

20 ET obſeruantes miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, ut caperent
eum in ſermone, ut traderent illum principatui, & poteſtati præſidis.
21 * Et interrogauerunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quia rectè dicis, & do-
22 ces: & non accipis perſonam, ſed uiam Dei in ueritate doces: * licet nobis tri-
23 butum dare Cæſari, an non?* Conſiderans autèm dolum illorum, dixit ad eos:
24 Quid me tentatis?* Oſtendite mihi denarium: Cuius habet imaginem, & in-

25 *ſcriptionem? Reſpondentes dixerunt ei: Cæſaris.* * *Et ait illis: Reddite ergò quæ*
26 *ſunt Cæſari, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* * *Et non potuerunt verbum eius*
reprehendere coram plebe. & mirati in reſponſa eius, tacuerunt.

COMMENTARIVS.

T*VNC abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt vt caperent Ieſum in ſermone*, prædictum hoc fuit. Sap. 2. circumueniamus iuſtum; ſed inciderunt in foueam, quam fecerunt, *& mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, ſic & ipſe ad Pilatum: ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati, *& non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum:* adulantur, vt alliciant, & fraudent, & in laqueum trahant. *Cognita autèm Ieſus nequitia eorum ait, quid me tentatis hypocritæ?* ſcrutator enim eſt cordium, & omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius; Vidit Nathanaelem ſub ficu, & antè: eccè verè Iſraelita, in quo dolus non eſt: cogitationes adſtantium hydropico, diſcipulorum; cogitationes aſcendunt in corda veſtra. *Oſtendite mihi numiſma cenſus*, tùnc dicam quid agendum, *at illi obtulerunt ei denarium, & ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* vt ex ore eorum eliciat, non quòd neſciret, *dicunt ei: Cæſaris. Tùnc ait illis: Reddite ergò, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Hoc modo docet iuſtitiam exerceri, ſi cuique ius ſuum reddatur. At hoc reſponſo generali, non reſtricto cenſui eos deludit, proùt diabolum tentantem, quorum hi filij, & ſequaces; non in ſolo pane viuit homo; non tentabis Dominum Deum tuum; & Dominum Deum tuum adorabis, & à decipula obiecta ſe liberat. *Et quæ ſunt Dei, Deo*, auocat illos à temporalibus ad ſpiritualia, proùt cum Martha, & Magdalena, pro fratre mortuo agentibus: ego ſum reſurrectio: credis hoc? & ſempèr ſolet in quouis ſermone. Alij tenent determinaſſe cenſum ſoluēdum eſſe Cæſari, quod non puto, quia dicit. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, non cenſum ſoluite, *& quæ ſunt Dei, Deo*, quaſi, vtrunque fieri poteſt, reddere ſua Cæſari, & Deo eodem tempore; ſic & Paulus Chriſtum ſequutus nihil determinat; ſed, cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal, tùm quia dixerat Petro: ergò liberi ſunt filij. Matth. 4. 17. 26. tùm quia dicit Lucas; *non potuerunt verbum eius reprehendere coràm plebe*, Marcus verò, & Matthæus, *omnes mirati ſunt*, ſi enim determinaſſet coràm plebe, quę ęgrè ferebat ſolutionem cenſus, fiebat reprehenſibilis, & hæc erat decipula, dolus, & captio, vt quouis modo reſponderet, illaquearetur, nàm ſi ad vnum tantùm reſpexiſſent, non fuiſſet captioſa interrogatio, nec fieret locus admirationi. Non credo miſſos Herodianos quia Herodis, aùt ipſorum onus eſſet cenſum exigere, & non ierunt ad Chriſtum exacturi cenſum, quid enìm illis in Ieruſalem? id potius puto Pilati præſidis officium fuiſſe, ſed Herodianos aſſumpſiſſe eis familiares, & domeſticos, & contribules, quibus magìs confidebant, & quia ſi Romanos adducebant, verebantur fortè ne ſuſpicionis & ipſi inſimularentur hæc excitantes, à qua ſuſpicione reddebant ſe liberos, imò laude, & mercede dignos, cum captum eum ad præſidem tamquàm à ſolutione cenſus plebem auertentem tradidiſſent puniendum, & hæc fuit eorum intentio principalis, quam Euangeliſtæ explicant, maximè Lucas verſ. 20. 21. quæ ſi non ſucceſſiſſet, alia ſubrogabatur, & hìc captio, vt ſi dixiſſet ſoluendum cenſum, populo, cui ſolutio diſplicere ſolet, infeſtus redderetur, quam innuit Lucas dicens, *& non potuerunt verbum eius reprehendere coràm plebe*, non enìm ad aliud hæc trahi poſſunt, & quia dolus verſabatur in hoc, vt quodcun-

que

que reſponderet, illaqueáretur. Herodiani verò illi, aut erant milites: aliquos enim ibì habuiſſe Herodem ad defenſioné vitæ ſuæ, eſt admodum veriſimile, & Luc.23.11. dicitur: ſpreuit illum Herodes cum exercitu ſuo. Vel erant de domo Herodis Chriſtum non recipientis, ſed timentis in eo Ioannem reſurrexiſſe, & curiales facilè adhærebant domino, vt ſolent mali malis; hos autèm aſſumpſerunt, vt traderent Ieſum Præſidi, & turba, quam ipſi timebant obſtaturam capturæ, deterreretur viſis militibus, vel curialibus. Quòd ſi fuerunt milites, cum dolo agerent, potuerunt in loco parùm diſtanri ſecedere, vel non de facili cognoſcebantur; at magìs hæreo fuiſſe hos curiales Herodis, quia non ierunt capturi, ſed inſidiaturi, vt inquit Lucas; & Marcus facir eos ſocios diſcipulorum, ſi aurèm illum cadere feciſſent, tùnc lictores abhibuiſſent ad capiendum.

CAPVT CXXVII.
CVM SADDVCAEIS DE RESVRREGTIONE.

Matth. 22.

23 IN illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non
eſſe reſurrectionem: & interrogauerunt eum, dicentes:
24 * Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non
habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, &
25 ſuſcitet ſemen fratri ſuo. * Erant autèm apud nos ſeptem
fratres: & primus, vxore ducta, defunctus eſt: & non
26 habens ſemen, reliquit vxorem ſuam fratri ſuo. * Simi-
27 litèr ſecundus, & tertius vſquè ad ſeptimum. * Nouiſſimè autèm omnium &
28 mulier defuncta eſt. * In reſurrectione ergò cuius erit de ſeptem vxor? omnes
29 enìm habuerunt eam. * Reſpondens autèm Ieſus, ait illis: Erratis neſcientes
30 Scripturas, nequè virtutem Dei. * In reſurrectione enìm nequè nubent, nequè
31 nubentur: ſed erunt ſicùt Angeli Dei in cælo. * De reſurrectione autèm mortuo-
32 rum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis: * Ego ſum Deus Abraham,
33 & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. * Et
audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius.

Marc. 12.

18 ET venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt reſurrectionem non eſſe: & in-
19 terrogabant eum dicentes: * Magiſter, Moyſes nobis ſcripſit, vt ſi cuius
frater mortuus fuerit, & dimiſerit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat
20 frater eius vxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo. * Septem ergò fratres

21 *erant: & primus accepit vxorem, & mortuus eſt non relicto ſemine.* * *Et ſe-*
cundus accepit eam, & mortuus eſt: & nec iſte reliquit ſemen. Et tertius ſimi-
22 *litèr.* * *Et acceperunt eam ſimilitèr ſeptem: & non reliquerunt ſemen. Nouiſsi-*
23 *ma omnium defuncta eſt & mulier.* * *In reſurractione ergò cum reſurrexerint,*
24 *cuius de his erit vxor? ſeptem enim habuerunt eam vxorem.* * *Et reſpondens*
Ieſus, ait illis: Nonnè ideò erratis, non ſcientes Scripturas, nequè virtutem
25 *Dei?* * *Cum enim à mortuis reſurrexerint, nequè nubent, nequè nubentur, ſed*
26 *ſunt ſicut Angeli in cælis.* * *De mortuis autèm quòd reſurgant, non legiſtis in li-*
bro Moyſi, ſupèr rubum quomodò dixerit illi Deus, inquiens: Ego ſum Deus
27 *Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob?* * *Non eſt Deus mortuorum, ſed*
viuorum.

Luc. 20.

27 A*CCESSERVNT autèm quidam Sadducæorum, qui negant eſſe*
28 *reſurrectionem, & interrogauerunt eum,* * *dicentes: Magiſter, Moyſes*
ſcripſit nobis: Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic ſinè liberis
fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo:
29 * *ſeptem ergò fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus eſt ſinè*
30 *filijs.* * *Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſinè filio.* * *Et tertius acce-*
31 *pit illam. Similitèr & omnes ſeptem, & non reliquerunt ſemen, & mor-*
32 *tui ſunt.* * *Nouiſsimè omnium mortua eſt & mulier.* * *In reſurrectione ergò,*
33 *cuius eorum erit vxor? ſiquidèm ſeptem habuerunt eam vxorem.* * *Et ait illis*
34 *Ieſus: Filij huius ſæculi nubunt; & traduntur ad nuptias:* * *Illi verò, qui di-*
35 *gni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, nequè nubent, nequè*
36 *ducent vxores:* * *nequè enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt,*
37 *& Filij ſunt Dei: cum ſint filij reſurrectionis.* * *Quia verò reſurgant mortui,*
& Moyſes oſtendit ſecùs rubum, ſicùt dicit Dominum, Deum Abraham, &
38 *Deum Iſaac, & Deum Iacob.* * *Deus autèm non eſt mortuorum, ſed viuorum:*
omnes enim viuunt ei.

COMMENTARIVS.

I*N illo die*, ſeù tempore, *acceſſerunt ad eum Sadducæi*, hæretici, *qui negant eſſe reſurrectionem*, & ſic immortalitatē animæ: diabolus à fundemento hos percuſſerat; nàm ſi non eſt reſurrectio, inanis eſt fides veſtra, inanis prædicatio noſtra, inquit Paulus. 1. Cor. 15. *& interrogauerunt eum dicentes: Magiſter. Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius*, vt fecit Booz cum Ruth; *& ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Erant autèm, &c. Reſpondens, &c. erratis, neſcientes ſcripturas*, eas non intelligentes, *nequè virtutem Dei*, Dei potentiam, apud quem nihil impoſſibile. *In reſurrectione enim*, ideſt in ſtatu reſurrectionis, poſtquàm reſurrectio gene-

generalis facta fuerit, *nequè nubent, nequè nubentur*, quia nulla ampliùs neceſſitas generandi,& multiplicandi,& tempus ampliùs non erit. Apocal.7. *ſed erunt* puri,caſti *ſicùt Angeli Dei in cælo*, à puritate enim hic homines Angelis comparat, ideò incipienda hic vitâ Angelica puritatis, quæ erit in cælo æterna, & ſi Lucas.cap.20. qui dicit, *nequè enim vltrà mori poterunt, æquales enim Angelis ſunt*, intelligitur de immortalitate, *& filij ſunt Dei* prædeſtinati, *cum ſint filij reſurrectionis* reſurgentes ad vitam æternam, non ad iudicium, proùt impij, quaſi in gloria,quam præparauit eis Deus, ſtantes, hæc infirma,& corporea non ampliùs guſtabunt; ideò Paulus ſempèr nos ad cæleſtia illa reuocat. *De reſurrectione autèm mortuorum* (etſi malo animo acceſſerunt, tamèn docet ipſos mitiſſimus Dominus ad noſtrum exemplum)generali *non legiſtis, quod dictum eſt à Deo* ipſo *dicente vobis* hominibus ad ſui manifeſtationem. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac,& Deus Iacob? non eſt Deus mortuorum; ſed viuentium*, viuunt ergò hi, ſi viuunt in anima, & finis mundi erit,in quo omnia renouanda, ergò & ipſi renouabuntur, reſurgent in proprijs corporibus, aliòqui ſi nunquàm excitandi, viuere non dicerentur, *& audientes turbæ mirabantur in doctrina eius*; & ex his nota diuerſitatem ſexuum in cælo. Hìc quidam tenet non probari, quòd Sadducæi non reciperent niſi quinque libros Moyſi, idquè inueriſimile, cùm tolerarentur,quod ſecùs erat in Samaritanis,& verè ex Ioſepho non videtur inferri. At id ortum habet, quia cum in alijs locis Scripturæ ſint aperta argumenta reſurrectionis, inueriſimile videtur ſi illa recepiſſent, non fuiſse credituros, vel Chriſtum ex illis argumenta non deſumpſiſse; nihilominus pro eo facit, quia & in libris Moyſi alia erant loca reſurrectionem indicantia, de quibus Ianſenius, & alij hìc. Præthereà, nonnè in Geneſi probatur extare Angelicos ſpiritus,quos ipſi negabant. acto.28.8? vndè nec fortè recipiebant libros Moyſi, & qui delinquit in vno, factus eſt omnium reus, dum vnum proculcat, facilè alia contemnit, & Chriſtus erroris eos damnat non intelligentes ſcripturas, qui potuit eſſe tàm in libris Moyſis, quàm alijs. At Chriſtus ex Moyſe ſumit auctoritatem, tùm quia ex lege Moyſis captabant argumentum, tùm quia eſt inſignis locus ad reſurrectionem indicandam, cum immediatè proferantur hæc verba à Deo, & ad ſui manifeſtationem, & illum reſpiciant veritatem infallibilem, & inſigniores Patriarchas, qui ab eo ſuſcitari poterant, cui viuunt omnia, dicit Lucas, & quia laudatur ex hoc à Scriba. Marc.12.28. & Luc.20.39. & ſufficiat Chriſtum ſapientiam increatam hunc locum adduxiſſe.

CA-

Digitized by Google

CAPVT CXXVIII.

DE MAXIMO MANDATO.

Matth. 22.

34 PHARISAEI autèm audientes quòd ſilentium impo-
35 ſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum: * Et interro-
36 gauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: * Ma-
37 giſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? * Ait illi
Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
38 & in tota anima tua, & in tota mente tua. * Hoc eſt
39 maximum, & primum mandatum. * Secundum au-
40 tem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicùt teipſum. * In his duobus
41 mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

Marc. 12.

28 ET accesſit vnus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quo-
niàm benè illis reſponderit, interrogauit eum quod eſſet primum omnium
29 mandatum. * Ieſus autèm reſpondit ei: Quia primum omnium mandatum eſt:
30 Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: * & Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, &
31 ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. * Secundum autèm ſimile eſt
illi: Diliges proximum tuum tamquàm teipſum. Maius horum aliud manda-
32 tum non eſt. * Et ait illi Scriba: Benè Magiſter, in veritate dixiſti, quia
33 vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum. * Et vt diligatur ex toto corde, &
ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proxi-
mum tamquàm ſeipſum, maius eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificijs.
34 * Ieſus autèm videns quòd ſapientèr reſpondiſſet, dixit illi: Non es longè à re-
gno Dei. Et nemo iàm audebat eum interrogare.

COM-

COMMENTARIVS.

PHARISAEI *autèm autèm audientes quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum* contrà Chriſtum machinantes: *Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor*, de ſcribis Marcus; *tentans eum;* ex hoc verbo, & quia cum illis Phariſæis malignis, malo animo acceſſiſſe credendum eſt, abiens in conſilio impiorum. Pſalm. 1. imò caput illorum, cum interroget ipſe. Et licèt Marcus dicat: *& videns quoniam benè illis reſponderit*, non ob id tollitur malitia eius, vel tentatio. Similitèr, quamuis ſubdat Marcus, dixiſſe Dominum, *non es longè à regno Dei;* tamèn hoc non tollit pręcedentem animum malum non fuiſſe in eo, ſed ex locutione cum Chriſto, vel euaſit à malitia, Chriſto illum fortè iuſtificante, vel meliùs prædixit de illo Chriſtus bonum futurum; nondum tamèn perueniſſe. Nempè non longè eſse à Regno Dei, non tamèn adhùc eſse in illo, ergò non poteſt dici ex hoc bono animo acceſſiſse, imò potiùs contrarium, cum titubaret adhùc. *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege?* primum, quod alia ſuperet? putabat capturum Dominum aliqua decipula. *Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deũ tuum*, cui ſubijceris, à quo omnia bona recepiſti, cui omnia debes, creatorem tuum, *ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, omnibus viribus tuis, ità vt præponas Deum cuicunque alij rei mũdi etiàm cariſſimæ tibi, ità vt odias (ſi ſic expediat) Patrem, matrem, vxorem, &c. adhùc autèm & animam tuam, ideſt hæc omnia poſtponas Deo tuo; obedire enìm oportet Deo magis, quàm hominibus. *Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autèm ſimile eſt huic: Diligès proximum tuum, ſicùt teipſum*, non ſuprà teipſum, ſed eo modo, quo diligis teipſum, ità vt non tenearis effundere vitam tuam, pro vita proximi tui, etiàmſi is te melior, vel Reipublicæ magìs neceſsarius, vt alibi dixi. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*, ideſt, adimplentur omnia pręcepta ab obſeruante hæc duo, quia ſub his duobus omnia comprehenduntur. *Et ait illi Scriba*, ex Marco: *Benè Magiſter, in veritate dixiſti, &c. maius eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificijs;* ſi linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autèm non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, &c. 1. Cor. 13. 1. & Coloſſ. 3. poſtquàm de multis virtutibus dixit, ſubdit verſ. 14. ſupèr omnia autèm hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Nũquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia, quàm victimæ, & auſcultare magìs, quàm offerre adipem arietũ, proùt Abel. Geneſ. 4. quoniàm quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolòlatriæ nolle acquieſcere. 1. Reg. 15. 22. *Ieſus autèm videns quòd ſapientèr reſpondiſſet; dixit illi: Non es longè à regno Dei*, à fide, de facili fidelis effici potes, *& nemo iàm audebat eum interrogare*, quia videbant non poſſe eum decipere. *Diliges, &c.* hic impleri poteſt, & debet, & hanc vitam reſpicit non beatam, ibì enim nullum mandatum, erit Deus omnia in omnibus, in ſæcula ſæculorum laudabitur: hìc labor, hic obſeruantia, ibì merces, ibì denarius, & Deus hìc non præcipit impoſſibilia, dixit enim Chriſtus iuueni de ſimili præcepto interroganti: hoc fac; & viues.

CAPVT CXXIX.

INTERROGATIO CHRISTI CVIVS FILIVS SIT.

Matth. 22.

41 CONGREGATIS autèm Phariſæis, interrogauit
42 eos Ieſus, dicens: * Quid vobis videtur de Chriſto? cuius
43 filius eſt? Dicunt ei: Dauid. * Ait illis: Quomodò ergò
44 Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: * Dixit
Dominus Domino meo; ſede à dextris meis, donèc ponam
45 inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? * Si ergò Dauid
46 vocat eum Dominum, quomodò filius eſt? * Et nemo
poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

Marc. 12.

35 ET reſpondens Ieſus dicebat, docens in templo. Quomodò dicunt Scribæ Chri-
36 ſtum filium eſſe Dauid? * Ipſe enim Dauid dicit in Spiritu ſancto. Dixit
Dominus Domino meo, ſede à dexris meis, donèc ponam inimicos tuos, ſcabellum
37 pedum tuorum. * Ipſe ergò Dauid dicit eum Dominum, & vndè eſt filius eius?
Et multa turba eum libentèr audiuit.

Luc. 20.

41 DIXIT autèm ad illos: Quomodò dicunt Chriſtum, filium eſſe Dauid?
42 * Et ipſe Dauid dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo,
43 ſede à dextris meis, * donèc ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.
44 * Dauid ergò Dominum illum vocat: & quomodò filius eſt?

COM-

COMMENTARIVS.

DIXERAT Dominus: non longè es à regno Dei, derat enim ſibi fides in Chriſtum, ideò de hoc interrogat, vt illum, & alios edoceat, ſed non eleuantur ad ſcientiam, qui machinabantur, nàm vltrà non procedunt interrogantes, hinc nec ipſe vlteriùs proceſſit, quia nec venerat hora id apertè dicendi de ſe ob inſidias. *Congregatis autèm Phariſæis, interrogauit eos Ieſus: quid vobis videtur de Chriſto*, de Meſſia? *cuius filius eſt? eſt*, quia ego ſum, qui iàm veni, non dicit, erit. *Dicunt ei: Dauid*, ſic Ioan. 7. dicunt turbæ. *Ait illis quomodò ergò Dauid in ſpiritu* ſancto locutus, infallibilitèr, *vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis* pòſt Paſſionem, & Reſurrectionem, & Aſcenſionem, *donèc ponam inimicos tuos*, tibi repugnantes, *ſcabellum pedum tuorum*, quod erit in extremo iudicio. 1. Cor. 15. Heb. 2. *Si ergò Dauid vocat eum Dominum, quomodò filius eius eſt?* hæc enim duo ſimùl ſtare non poſſunt, niſi is, qui filius Dauid, ſit etiàm Deus, quia aliòqui non eſſet illius Dominus. *Et nemo poterat ei reſpondere verbum*, ignorantes Meſſiam futurum Deum, ideò ſi cognouiſſent, numquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. *nequè auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare*, confuſi omnes ex prudentibus reſponſionibus, & feſſi in ſuis malitijs, quibus cogitabant eum capere in ſermone.

CAPVT CXXX.

DE VITIIS PHARISAEORVM, ET SCRIBARVM.

Matth. 23.

1 *TVNC Ieſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos,*
2 ** dicens: Supèr cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Pha-*
3 *riſæi. * Omnia ergò quæcumque dixerint vobis, ſeruate,*
& facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: di-
4 *cunt enìm, & non faciunt. * Alligant enìm onera gra-*
uia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum:
5 *digito autèm ſuo nolunt ea mouere. * Omnia verò opera*
ſua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, & ma-
6 *gnificant fimbrias. * Amant autèm primos recubitus in cœnis, & primas cathe-*
7 *dras in Synagogis, * & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.*
8 ** Vos autèm nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes au-*
9 *tèm vos fratres eſtis. * Et patrem nolite vocare vobis supèr terram: vnus eſt*

enim

10 *enim Pater veſter, qui in cælis eſt.* * *Nec vocemini magiſtri: quia Magiſter*
11 *veſter vnus eſt, Chriſtus.* * *Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter.*
12 * *Qui autèm ſe exaltauerit, humiliabitur: & qui ſe humiliauerit, exaltabitur.*

Marc. 12.

38 *ET dicebat eis in doctrina ſua: Cauete à Scribis, qui volunt in ſtolis ambula-*
39 *re, & ſalutari in foro,* * *& in primis cathedris ſedere in Synagogis, & pri-*
40 *mos diſcubitus in cœnis:* * *qui deuorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ ora-*
tionis: hi accipient prolixius iudicium.

Luc. 11.

43 *VAE vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in Synagogis, &*
44 *ſalutationes in foro. Væ vobis quia eſtis vt monumenta, quæ non appa-*
45 *rent, & homines ambulantes ſuprà, neſciunt.* * *Reſpondens autèm quidam ex*
Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiàm contumeliam nobis facis. * *At*
46 *ille ait: Et vobis Legiſperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare*
non poſſunt, & ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas.

COMMENTARIVS.

T*VNC Ieſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, dicens: ſupèr cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi* docentes proùt Moyſes primus docuit populum publicè, hinc hæc eorum Moyſis cathedra ab illo cœpta, in quam ipſi ſucceſſerunt, *omnia ergò, quæcumque dixerint vobis*, bona vtilia, legi Dei conſentanea, quam Moyſes promulgauit; hinc ob id cathedra Moyſi, qui non dixit niſi quæ à Deo audiuit, *ſeruate, & facite*, ad id enìm tenemini, & iubendo, vt faciant, id apertè declarat, *ſecundùm verò opera eorum* mala, diuerſa à doctrina, quam edocent, *nolite facere*, exemplo eorũ ne moueamini, Deum præ oculis habentes, quem præponere debetis: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, *dicunt enìm* vobis, *& ipſi non faciunt*, ideò non debetis ſequi in factis eorum veſtigia, *alligant enìm onera grauia, & importabilia*, ex ſuis traditionibus contrarijs legi, vel prætèr legem (de ipſorum enim proprijs oneribus, non legalibus agit, quæ venit impleturus, non ſoluturus; hìnc Matth. 5. plures harum traditionum improbat. Audiſtis quia dictũ eſt antiquis, &c. & alibì ſparsìm per Euangelia, *& imponunt in humeros hominum* ferenda, & ad vnguem obſeruanda, *digito autèm ſuo nolunt ea mouere*, quæ ipſi nolunt etiàm digito tangere, quod eſt quid minimum operari; vndè Epulo: vt intingat digito linguam meam. *Omnia uerò opera ſua* ex eorum capite, non legis *faciunt* ad oſtentationem, *ut uideantur ab hominibus*, vndè receperunt mercedem ſuam, *dilatant enim phylacteria ſua & magnificant fimbrias, ut* ex dilatatione, & magnificentia conſpiciantur, *videantur ab hominibus*, vt homines in eos oculos figant, & eos venerentur. *Amant autèm primos recubitus in cœnis* ad ſe ingurgitandum, proùt pſeudoapoſtoli tempore Pauli, *&*

primas

primas cathedras, ſedes antè alios *in Synagogis*, *& ſalutationes in foro*, in plateis, *& vocari ab hominibus Rabbi*, magiſtri. *Vos autèm nolite vocari Rabbi*, ità vt velitis alijs præeſſe, *vnus eſt enim Magiſter ueſter*, ego: hortatur eos ad humilitatem, & pacem; *omnes autèm uos fratres eſtis*, ideò honore vos præuenite, *& patrem nolite uocare uobis ſupèr terram* exiſtentem, terrenum, *unus eſt enim Pater ueſter*, Creator, *qui in cælis eſt*, ne afficiamini Patri terreno, ità vt cæleſtem repudietis, imò adeò præferte cæleſtem, vt ne terrenum quidem habere videamini: hoc tendit ad euellendum eos à terrenis, & vt præcepto primo de Deo diligendo ſatisfaciant, illumquè recognoſcant; *nec uocemini magiſtri, quia Magiſter ueſter unus eſt, Chriſtus*, quem recognoſcere debetis, non vos exaltare; *qui maior eſt ueſtrum* (eccè ad humilitatem, vt dixi) *erit ueſter miniſter, qui autèm ſe exaltauerit, humiliabitur*, ſic dæmoni, & Nabuchodonoſori contigit, primo è cælo deiecto, ſecundo in beſtiam mutato ob eorum ſuperbiam, *& qui ſe humiliauerit, exaltabitur*, ſic Dominæ, Abraham, & alijs. *Væ uobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum antè homines*, auertendo illos à fide in me, *uos enim non intratis*, imò eſtis mihi contrarij, *nec introeuntes*, qui de facili intrarent, *ſinitis intrare*, cum decreueritis ſequentes me è Synagoga eijciendos, & à me omnem fidem auferre procuretis; ſic de Philoſophis Paulus Rom. 1. 18. reuelatur enim ira Dei de cælo ſupèr omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. *Væ uobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes*, vt magìs recipiatis emolumenti, & videamini deuoti, *proptèr hoc ampliùs accipietis iudicium*, maiorem condemnationem habebitis. *Circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum*, hyperbolica locutio ad denotandam diligentiam hominum in trahendo gentiles ad ritum ſuum, nàm non leguntur hæc verè facta: *& cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm uos* veſtris iniuſtis traditionibus, malo exemplo, & vita, vt nauſeans recedat, cum deberetis tùnc eius maiorem curam habere. *Væ uobis duces cæci, qui dicitis: quicumque iurauerit per templum, nihil eſt, qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti, & cæci, quid enim maius eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum?* erat hæc inſipida differentia, proùt altaris, & doni, cæli, & Dei, quia ſufficit iurare per aliquam creaturam: videntur hæc verba reſtricta ad aurum, quo tegebatur templum, vel totum, vel aliqua pars, quia aurum ſeparatum non dicitur aurum templi, ſed vaſa, inſtrumenta templi. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum*, ideſt decimas ſoluitis de his, non poteſt dici recipitis, quia agit de eorum facto, & ſubdit: *& reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, iudicium*, non rectè iudicantes, non adminiſtrantes iuſtitiam, *& miſericordiam* in pauperes, quibus opem non fertis, ſed depauperatis ab eis accipientes; hinc quod dicitur Luc. 11. quod ſupereſt date eleemyſonam, & eccè omnia munda ſunt vobis; non poteſt ſtare per ironiam, quia hi eleemoſynas non faciebant, *& fidem*, quam non ſeruatis, vel *fidem* in me, in quem non creditis, vt aliàs dixit: *Hæc oportuit facere, iudicium, miſericordiam, fidem, & illa*, ſolutionem decimarum minutorum *non omittere*, hìnc colligitur cecidiſſe ſub præcepto, quia aliàs non dixiſſet, *oportuit illa non omittere*, & ſi non fuiſſent obnoxij, non ſoluiſſent. *Duces cæci, excolantes culicem* ex vino, *camelum autèm glutientes*, minima ſeruantes, magna omittentes. *Quia mundatis quod de foris eſt calicis, & paropſidis*, apparentia, externa, *intùs autèm plenè eſtis rapina, & immunditia*, interna, ſpiritualia non curantes. *Phariſæe cæce, munda priùs quod intùs eſt calicis, & paropſidis*, interna, *vt fiat id, quod deforìs eſt, mundum*, quia ſublato vitio interno maculante actiones, externæ illæ fient mundæ. *Quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis apparent hominibus ſpecioſa; intùs verò ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, ſic* & vos aforis quidèm paretis hominibus *iuſti, intùs autèm pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate*, & hoc declarat clarè quod ſu-

prà ſub metaphora dixerat: *Qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum* effundendo. *Itaquè teſtimonio eſtis vobismetipſis*, machinando mihi mortem, qui ſum Meſſias, *quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt;* pòſtquam vultis me occidere, contrarium operando quàm demonſtretis verbis. *Et vos implete*, impleb itis *menſuram patrum veſtrorum*, ità vt vltio in vos cadat, proùt illud: nondum impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorum. Gen. 15. *Serpentes genimina viperarum*, parentum homicidarum, *quomodò fugietis à Iudicio gehennæ* ſic malè operando? & Ioannes: quis vos docuit fugere à ventura ira? Ideò ex magna miſericordia ad vos eruendos à gehenna, *eccè ego mitto*, mittam citò *ad vos popbetas, & ſapientes, & Scribas*, Apoſtolos vobis euangelizaturos, *& ex illis occidetis*, vtì Stephanum, Iacobum, *& crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris*, vt in Apoſtolis omnibus cæſis denũciauerũt, &c. *& perſequemini de Ciuitate in Ciuitatem*, vt in Act. Apoſt. *vt ueniat ſupèr vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſupèr terram*, & ad Deum clamat, omnis enìm clamat, non Abel, & Zachariæ tantùm, *à ſanguine Abel iuſti vſquè ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidiſtis intèr templum, & altare*. 2. Paralip. 24. 21. ex imperio Regis Ioas à populo interempti; Chriſtus enim loquitur de cæde notorum, non ignotorum, proùt de Abel, & quia incipit à primo vſquè ad nouiſſimum, qui fuit is Zacharias, & alium non habemus ex Scriptura, & apponit filium Barachiæ, ideſt Ioiadæ, repetens ingratitudinem maiorem ob beneficia, quæ fecerat Pater eius Ioiada ſacerdos Regi, & populo. *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſupèr generationem iſtam* præſentem, deſcendentem ab illis occiſoribus, quia eorum tempore fiet euerſio poſtquàm me occiderit, & meos, perſeuerans in iniquitate Patrum ſuorum, proùt factum eſt. Ego ſum Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Exod. 20. & ſic ſeruatum in Amalechitis tempore Saul: recenſui quæcumque fecit Amalech. 1. Reg. 15. quia proſequebantur peccata prima Patrum; at non punit peccata parentum in filijs bonis, vt probatur. Exod. 20. & Deut. 24. non occidentur patres pro filijs, neque filij pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur, & ſi ipſe hoc alijs iubet, quantò magìs ipſe facit? id & Ezechiel. 18. anima, quæ peccauerit, ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. In Dauide verum eſt punitum ipſum eſſe in filio, quia adulterinus, & quia ſcandalum publicum ortum erat; fecerat enìm Dauid blaſphemare inimicos Domini, & proptèr verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur, vt explicat Nathan. 1. Reg. 12. 14. Dauid ergò in puero pœnam recepit, non puer, qui tranſlatus eſt, ne malitia mutaret intellectum. Gen. 9. 24. maledictio Chanaan eſt prophetia Noe referens, & prædicens de Chananæis Iudæis ſeruituris, vt ibi latè dixi. At filij Achan nõ ſunt puniti, quia filij, ſed quia participauerant in delicto paterno; dicitur enìm Ioſue 7. à Deo reſpondente Ioſue verſ. 11. tulerunt de anathemate, & furati ſunt, atquè mentiti, & abſconderunt intèr vaſa ſua, ergò plures erant, & verſ. 15. comburatur igni cum omni ſubſtantia ſua, & ex facto, quia abſcondit anathema in terra contrà medium tabernaculi ſui. verſ. 21. præſumitur enìm omnes de domo, ſeù tabernaculo ſciuiſſe, aliòquin filij non fuiſſent puniti, proùt è contrariò Chore, & alijs peccantibus, familiæ eorum non fuerunt deletæ etiàm Deo puniente, & degluttiente terra. Num. 16. 26. & cap. 26. 10. & factum eſt grande miraculum, vt Chore pereunte, filij illius non perirent fortè ſtantes in eodem tabernaculo, quia non erant complices delicti. Vndè non eſt quærendum an punitio filiorum ob patres ſit corporalis, vel ſpiritualis, quia ſi filij ſequuntur veſtigia patrum, erit vtroque modo corporalis, & ſpiritualis, vt hìc, vbi agitur de gehenna. Filius Dauid corporalitèr ex iu-

ſtitia

ſtitia quòad Dauidem, ex miſericordia, quòad filium; idem quòad alios innocentes, vndè ſempèr ex iuſtitia, dum punit, Exod. 20. 34. dum differt, ex miſericordia, et ſi eum impijs iuſti, in his non viſitantur iniquitates patrum, ſed eis fit miſericordia, transferendo eos ad gloriam. Videndus ſupèr his. S. Tbom. 1. 2. q. 88. ar. 8.

At cur à ſanguine Abel iuſti, vſquè ad ſanguinẽ Zachariæ? cur hi ſanguines ſupèr Hebræos tùnc præſentes? quia in euertendis integtis populis Deus diù expectat; ſic in diluuio, Sodomis, Amalechitis, Amorrhæis; quandò verò ſubuertit, omnia præcedentia delicta, quæ nares eius odorauerant, vnit, & punit in poſteris, quorum tempore fit euerſio, & pœna erumpit, & fit manifeſta, ſeù quod meruerunt primi, meruerunt & ſecundi, ſeù tùnc exiſtentes ſubuerſio ergò primis tẽporibus debita, dilata vſquè ad vltimos, comprehendit quidquid præcedebat; ſic 3. Reg. 21. 29. in Acbab. non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij ſui Inferam malum domui eius. & 4. Reg. 20. in Ezechia, cui mala in ſucceſſoribus comminata: ſit pax, & veritas in diebus meis. Aduerte ergò, punit Deus vnumquemqne peccantem tempore ſuo, ſed non euertit populos, quia nondum completæ iniquitates ad ſubuerſionem ſufficientes; quandò verò completæ, ratione ſubuerſionis dicuntur poſteri luere pœnas præcedentium, cum illorum tempore fiat ſubuetſio, ſeù generalis punitio. Sed cur hìc ab Abel? vel ob imitationem, quam ſumpſerunt occidendo & ipſi iuſtos, & prophetas à Deo miſſos, ità vt ille ſanguis, ad cuius exemplum effuderunt alium ſanguinem iuſtum, ratione illius imitationis in ipſis quoquè expietur; vel quia Abel, & alij iuſti proptèr Dominum (qui occiſus eſt ab origine mundi) occiſi, & in Domini ſui morte comprehenſi, & conſequentèr omnium iuſtorum præcedentium ſanguis in his Chriſtum occidentibus requiſitus; Vel ad denotandam extremam cladem Iudæorum: erit enìm tribulatio magna, qualis non fuit ab initio, nequè fiet, &c. Vel quia & ipſe Abel ſpectabat ad Eccleſiam, cui iniuriam faciebant Iudæi in occiſione iuſtorũ, & capitis eorum Ieſu perſeuerantes: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas*, titulo hoc eam inſigniuit, proùt Stephanus: quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Act. 7. *& lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*, te protegendo, tibi auxiliando, qualia præſtiti tibi auxilia, vt me cognoſceres in Meſſiam, & mihi crederes, me tàm apertè reuelando, *& noluiſti: Congregare* hìc, proùt illud, conuertere corda patrum ad filios, & è contrà Malach. 4. 6. Luc. 1. vnire in vnum, ad pacem, reconciliari vos Deo; de hoc pluriès in epiſt. Pauli, præſertim. Coloſſ. 3. 14. & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore; vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Io. 11. multitudinis credentium erat cor vnum. Act. 5. & de hac fide agit Chriſtus, ſi enìm in eum credidiſſent, illumquè recepiſſent, euitaſſent tanta mala, in quem illum occidentes incurrerunt, ideò ad hoc reſpiciens, ſubdit: *eccè* (me occiſo) & poſtquàm noluiſti, *relinquetur vobis domus veſtra deſerta* à Romanis; ſic & dum ſupèr eam fleuit in Luca: quia venient dies in te, &c. quæ ſic durabit vſquè ad tempora nouiſſima, & *non me videbitis* vſquè *amodò*, pòſt paucos dies morte crucis ſecuta, quia ad cælos ferar, hincquè (vult dicere) incaſſum, vanè quæretis me Meſſiam in mundo, quem putatis venturum, at non vultis credere nùnc veniſſe, & me eſſe; & non inuenietis, vt aliàs dixit; ſic & intimauit ſub Caipha: tu dixiſti, *veruntamèn dico vobis*, benè aduertite, non habebitis hìc ampliùs Meſſiam in tertis vobis promiſſum, cum ego ſim ille, vt dixi, *amodò* enìm, in poſterùm poſtquàm me morti tradideritis, *videbitis Filium hominis*, Meſſiam in forma humana ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli ad iudicium, quod ei datum eſt, ideò ne hìc ampliùs eum expectetis; *donec* tandèm *dicatis*, meam fidem recipiendo, & in me credendo, me Meſſiam acceptando, etſi à vobis abſentem, *benedictus, qui venit in nomine Domini*, tùnc enim reliquiæ Iſrael ſaluæ fient ad prædicationem Eliæ, & Enoch. Non poſſunt hæc verba re-

ferri ad iudicium, quia tùnc quid eis prodeſſet? ſed ad tempus, quo eis prodeſſe poſſint. nàm recognitio hæc eſt voluntaria, *donèc dicatis* ex voluntate veſtra vltronea, in iudicio enim, proùt dęmones nùnc, & credent, & contremiſcent impij, & dicent quæ in libro Sap. habentur: hi ſunt, &c. & hoc fuit ſignum Meſſiæ, quandò pueri ſic acclamauerunt in templo: benedictus qui venit in nomine Domini, quod cognoſcentes Hebræi, dixerunt: Audis quid iſti dicunt? te ſcilicèt Meſſiam: & Chriſtus, num quàm Legiſtis: ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? verificabuntur itaquè hæc omnia circà extremitatem temporum illorum.

CAPVT CXXXI.

DE VIDVAE DVOBVS MINVTIS.

Marc. 12.

41 *ET ſedens Ieſus contrà gazophylacium, aſpiciebat quomodò*
turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites ia-
42 *ctabant multa.* * *Cum veniſſet autèm vidua vna pau-*
43 *per, miſit duo minuta, quod eſt quadrans,* * *& conuo-*
cans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniàm
vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in
44 *gazophylacium.* * *Omnes enim ex eo, quod abundabat il-*
lius, miſerunt: hæc verò de penuria ſua omnia quæ habuit miſit totum victum
ſuum.

Luc. 21.

1 *RESpiciens autèm vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium,*
2 *diuites.* * *Vidit autèm & quamdam viduam pauperculam mittentem*
3 *æra minuta duo.* * *Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus*
4 *quàm omnes miſit.* * *Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei:*
hæc autèm ex eo, quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit.

COMMENTARIVS.

E*T ſedens Ieſus contrà gazophylacium*, capſam, in qua pecuniæ immittebantur, *aſpiciebat* de induſtria, *quomodò turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cum veniſſet autèm Vidua vna pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans*, quid minimum, *& conuocans diſcipulos ſuos, ait illis*, nihil dimittit ex quo non doceat, & exemplo moueat. *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plùs omnibus miſit* quòad rem ipſam, non quòad voluntatem, quia de hac non agit Chriſtus, *qui miſerunt* pecuniam *in gazophylacium; omnes enim* (ecc̃e ratio rem reſpiciens) *ex eo, quod abundabat illis*, quod ſupererat, *miſerunt, hæc verò de penur ia ſua*, de ſua paupertate *omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum*, nihil ſibi reſeruans. At quò tendit hiſtoria? nàm quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Credo vt doceat Deũ reſpicere omnia opera noſtra; ſecũdò pauperes etiàm de his, quibus ipſi indigent, pauperibus elargiri debere, & in Deo confidere, quia eos paſcet, ſicùt paſcit aues cæli, & alibi dicebat: Nolite timere puſillus grex (pauperibus loquẽs) quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum: Vendite quæ poſſidetis; ne diceret pauper, quia pauper ſum non teneor, vel non poſſum dare eleemoſynam; Tobias enim cap. 4. dicebat: quomodò potueris, ità eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, abundantèr tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiàm exiguum libentèr impertiri ſtude; Vel ne æſtimarent hæc etſi pauca à Deo non æſtimari, cum & calicem aquæ frigidæ computet. Vel Viduæ exemplo ad perfectionem doceat nos aſſurgere, vt omnia dimittamus, proùt dixit iuueni: ſi vis perfectus eſſe: vade, vende omn·a, quæ habes, & da paupetibus, & veni, & ſequere me; dimittentibus enìm omnia dictum: Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael, &c.

CAPVT CXXXII.
DE FINE MVNDI.
Matth. 24.

1 E*T egreſſus Ieſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli*
2 *eius, vt oſtenderent ei ædificationes templi.* * *Ipſe autèm*
reſpondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dieo
vobis, non relinquetur hìc lapis ſupèr lapidem, qui non
3 *deſtruatur.* * *Sedente autèm eo ſupèr montem Oliueti,*
acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò, dicentes: Dic nobis,
quandò hæc erunt? & quod ſignum aduentus tui, & eon-
4 *ſummationis ſæculi?* * *Et reſpondens Ieſus, dixit eis: Videte nequis vos ſedu-*

 cat.

5 *cat. * multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus: & mul-*
6 *tos ſeducent. * Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne*
7 *turbemini. oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. * conſurget enim gens in*
gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus
8 *per loca. * hæc autèm omnia initia ſunt dolorum. * Tùnc tradent vos in tribu-*
9 *lationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.*
10 ** Et tùnc ſcandalizabuntur multi, & inuicèm tradent, & odio habebunt inui-*
11 *cèm. * Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. * Et quoniàm*
12 *abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. * qui autèm perſeuerauerit*
13 *vſquè in finem, hic ſaluus erit. * Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vni-*
14 *uerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tùnc veniet conſummatio.*

Marc. 13.

1 *ET cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpi-*
2 *ce quales lapides, & quales ſtructuræ. * Et reſpondens Ieſus, ait illi: Vi-*
des has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſupèr lapidem, qui
3 *non deſtruatur. * Et cum ſederet in monte Oliuarum contrà templum, interro-*
4 *gabant eum ſeparatìm Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas: * Dic no-*
bis, quandò iſta fient? & quod ſignum erit, quandò hæc omnia incipient conſum-
5 *mari? * Et reſpondens Ieſus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos ſeducat: * mul-*
6 *ti enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum: & multos ſeducent.*
7 ** Cum audieritis autèm bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim*
8 *hæc fieri: ſed nondum finis. * Exurget enim gens contrà gentem, & regnum ſu-*
pèr regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.
9 ** Videte autèm voſmetipſos. Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis*
vapulabitis, & antè præſides, & reges ſtabitis proptèr me, in teſtimonium il-
10 *lis. * Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium: * Et cum du-*
11 *xerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: ſed quod datum vobis*
fuerit in illa hora, id loquimini. non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſan-
12 *ctus. * Tradet autèm frater fratrem in mortem, & pater filium: & conſurgent*
13 *filij in parentes, & morte afficient eos. * Et eritis odio omnibus proptèr nomen*
meum. Qui autèm ſuſtinuerit in finem, hic ſaluus erit.

Luc. 21.

5 *ET quibuſdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus, & donis ornatum*
6 *eſſet, dixit: * Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur*
7 *lapis ſupèr lapidem qui non deſtruatur. * Interrogauerunt autèm illum, dicen-*
8 *tes: Præceptor, quandò hæc erunt, & quod ſignum cum fieri incipient? * Qui*
dixit: Videte ne ſeducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia
ego

9 *ego ſum : & tempus appropinquauit : nolite ergò ire poſt eos. * Cum autèm au-*
dieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri : oportet primùm hæc fieri, ſed nondum
10 *ſtatim finis. * Tunc dicebat illis : Surget gens contrà gentem, & regnum aduer-*
11 *sùs regnum. * Et terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames,*
12 *terroreſquè de cælo, & ſigna magna erunt. * Sed antè hæc omnia inijcient vo-*
bis manus ſuas, & perſequentur tradentes in Synagogas, & cuſtodias, trahen-
13 *tes ad reges, & præſides proptèr nomen meum : * continget autèm vobis in teſti-*
14 *monium. * ponite ergò in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum re-*
15 *ſpondeatis. * ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere,*
16 *& contradicere omnes aduerſarij veſtri. * Trademini autèm à parentibus, &*
17 *fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis : * & eritis odio*
18 *omnibus proptèr nomen meum : * & capillus de capite veſtro non peribit. * In*
19 *patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

COMMENTARIVS.

ET *egreſſus Ieſus de templo, ibat* ad alia, *& acceſſerunt diſcipuli eius*, qui illum comitabantur, *vt oſtenderent ei ædificationes templi*, quaſi æternitatem, ſeù duratione͂ templi demonſtraturi, ideò Marcus. *Ait illi vnus ex diſcipulis ſuis : Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ*, & Lucas, *& quibuſdam dicentibus de templo quòd bonis lapidibus, & donis* appenſis in eo *ornatum eſſet*. At vndè hoc ? Si quam refert Ioannes cap. 2. eiectio de templo fuit vna, & eadem, quam alij Euangeliſtæ referunt, dum triumphans ingreſſus eſt Ieruſalem, proùt tenui, facillimè ex verbis Chriſti (ſoluite templum hoc) & reſponſione Iudęorum (quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?) diſcipuli, qui tùnc non cognoſcebant Dominum loqui de templo corporis ſui, quod pòſt reſurrectionem tantùm perceperunt, ſed de templo materiali, iuxtà reſponſionem Hebræorum, moti ſunt ad oſtendendum Chriſto ſtructuras, & lapides templi, ex quo actu, & verbis ſe explicauerunt non credere fieri poſſe quod Dominus dixerat, nempè tàm breui ſpatio reædificari poſſe, ideò expiſcabantur quid ſibi vellet in illis verbis. Aut ſi non currit illa òpinio, poſtquam nouimus ex prædictis intentionem diſcipulorum oſtendentium Chriſto ædificium, quod totiès Chriſtus viderat, ad illius durationem demonſtrandam fore, dicendum eſt Chriſtum, cui hæc demonſtratio fit, aliquandò dixiſſe templum peſſumdandum, & diruendum, ſeù ardendum; & quia ex Euangelijs aliud præcedens non habemus, ſaltèm ex ijs, quæ refert Lucas cap. 19. 42. dum fleuit ſupèr Ciuitatem dicens : non relinquent in te lapidem ſupèr lapidem; Vel Matthæus cap. 23. dicta in Ieruſalem prophetas occidentem : eccè relinquetur vobis domus veſtra deſerta, & nùnc hæc ipſos oſtendere, vt certiorarentur, an ea etiàm in templum illud cadant; non enim poterant perſuaderi eam templi pulchritudinem finem habituram, eò magis, quia dictum Aggæi 2. 10. magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plùs quàm primæ, & reſponſio Chriſti eſt conformis dictis per Matthæum, & Lucam, & interrogationi, & menti ipſorum, quia reſpondet non relinquendum lapidem ſupèr lapidem. Ex quibus nutat intellectus de ſimplici aſpectu, & admiratione in re totiès viſa abſquè alio ſcopo; fuiſſet enim vanitas diſcipulorum, quæ argueretur, & propalaretur; at quia ſeriò eis reſpon-

Digitized by Google

reſpondetur, & edocentur, non ità exiſtimandum. *Ipſe autèm reſpondens dixit illis: videtis hæc omnia? amen dico vobis: non relinquetur hìc,* in hoc templo *lapis ſupèr lapidem, qui non deſtruatur*, & his verbis confirmat quod aliàs dixerat ex Matthæo, & Luca, prædicens excidium; non hæc ad ſpiritualia trahenda, quia nulla verba adijcit hæc denotantia, ſed ſtat in ſolo excidio. *Sedente autèm eo ſupèr montem Olìueti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò dicentes.* ſic Matthæus, & Lucas de diſcipulis in genere. Marcus dicit *Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas*, & potiùs adhærendum Marco diſtinguenti, & alios excludenti, quàm illis in genere loquentibus, quorum locutio & in his quatruor verificatur, & ſic rectè concordãtur tres Euangeliſtæ, eo magìs, quia & Matthæus vtitur verbo *ſecretò*, & Marcus *ſeparatim*, quòd ſi omnes interrogaſſent, nec *ſecretò*, nec *ſeparatim* dici poterat, cum fortè prætèr Apoſtolos non adeſſet alius, & hi quattuor erant magìs familiares. *Dic nobis: quandò hæc erunt? & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* Tria petunt, quandò templum ſolo æquandum, ſignum ſui aduentus ad iudicium, & ſignum conſummationis ſæculi; hìnc firmatur intellectus, quòd non ex improuisò, ſed præmeditatè de templi ſtructura dixerint, & quòd hæc eorum animis hærebant. Sub ſigno autèm *aduentus tui* intelligunt ad iudicium, quia annectunt, *& conſummationem ſæculi*, non regni temporalis, ſi enim mundum conſummandum, quodnàm regnum remanebat? ſi dicit eis perſecutiones, & mortes, quæ delitiæ regni erant? & quia de cæleſti Chriſtus loquitur, & reſponſio præſumitur conformis interrogationi, & ſi de temporali interrogaſſent, reſpondiſſet: non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, &c. quandò fluctuantes dum aſcenderet interrogarunt de temporali. Act. 1. nàm nequè tùnc confirmati erant à Spiritu ſancto. Intellectus autèm Sancti Auguſtini de aduentu Chriſti in Eccleſia eſt myſticus, non litteralis, dixit enìm poſteà: ero vobiſcum omnibus diebus vſquè ad conſummationem ſæculi. De conſummatione ſæculi petunt, non quòd crederent templum cum ſæculo conſummandum, ſed quia de deſtructione rerum agebatur, & hæc pluriès à Chriſto audierant, & omnia erant de futuris, ideò ſimùl omnia annectunt. *Et reſpondens Ieſus* ſupèr conſummatione ſæculi, à qua cœpit *dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat*, à Chriſto hunc modum loquendi didicit Paulus, qui in omnibus ferè epiſtolis hoc vtitur, ſic & Petrus, & Ioannes. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.* Cum ex euentu cognoſcamus nullum antè euerſionem Ieruſalem, & templi aſſumpſiſſe ſibi nomen Meſſiæ, tenendum eſt hoc ſignum reſpicere finem mundi; hos enìm tùnc venturos affirmarunt Petrus, & Paulus, & Ioannes in Epiſtolis, & in Apocalypſi præſertìm de propheta Beſtiæ. Vndè ſi volumus hoc ſignum percutere tempus antè euerſionem Ieruſalem, dicendum eſt multos antè illam extitiſſe, non quidèm ſe dicentes Meſsiam, ſed negantes Chriſtum Meſſiam veniſſe, de quibus Ioannes in Epiſtola prima. At fortè meliùs dicendum eſt Chiſtum iunctìm de omnibus interrogatũ, de fine mundi primò reſpondiſſe, & hæc ad extrema tempora pertinere, in quibus multi venturi, & infrà agere particularitèr de Ieruſalem euerſione, ideò hìc non agere de illa. *Audituri enìm eſtis prælia, & opiniones præliorum* in toto mundo, non viſuri in Ieruſalem, *videte, ne turbemini*, ne terreamini, quia quid hæc bella vobis? *oportet enim hæc fieri*, hæc præcedere, *ſed nondum* ſtatim *finis* erit mundi; & quòd generalitèr de orbis turbatione, non Iudææ agat, ad declarationem maiorem ſubdit; *conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum*, hæc enim vniuerſalia, quæ nihil ad Iudæam, ſed ad totum Orbem, tempore enìm Antichriſti omnia erunt in armis, & ipſe debellabit omnes, & à tribus regibus auferet regna, ſeptem ei obedient vltrò, vt in Apocalypſi, & Daniele, & de bello Iudaico infrà agit: *& erunt peſtilentiæ & fames, & terræmotus per loca* mundi; de terræmotibus enìm neſcio an aliquid habeamus antè euerſionem Ieruſalem, proùt in Apocal. antè finem orbis. *Hæc autèm omnia initia ſunt dolorum*, non tùnc finis, quia alia ſequi debent, ſed

ſigna

ſigna finis inſtantis, & appropinquantis, alioquin ad quid hæc diceret? ab eo enim petebantur ſigna, non ea, quæ non ſignificabant hæc ventura nouiſſima, vt voluit Caietanus, & reſponſio præſumitur interrogationi conformis. Vndè hæc omnia reſpiciunt finem mundi; ſi enìm hæc ad Ieruſalem,& quid aliud expectandum pòſt hæc? profectò pòſt bella euerſio ſubſecuta; cur ergò non timendum, cur non erunt ſigna pro illa? imò infrà pro illa hæc ſigna dantur, & ad fugam admonentur. *Tùnc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus proptèr nomen meum*, & hoc eſt lucrum, & beatitudo, de qua Petrus in Epiſtola, *& tùnc ſcandalizabuntur multi*, cadent multi à fide, videntes vos hæc pati;crux enìm Chriſti ſcandalum gentibus, ſtultitia Hebræis ex Paulo; & magna erit tùnc diſceſſio à fide, vt per Paulum, *& inuicèm tradent, & odio habebunt inuicèm*, diſcordiæ magnæ erunt etiàm intèr coniunctos, vt dicunt Marcus, & Lucas, qui eſt ignis, quem venit Chriſtus mittere in mundum, & volebat ardere, *ponite ergò in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis; Ego enìm* Deus *dabo vobis os*, potentiam loquendi, *& ſapientiam*, qua illos conuincatis, *cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri*, tollitquè ab eis ſolicitudinē: *& multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*. de his Paulus, Petrus, Ioannes in epiſtolis. *& quoniam abundauit iniquitas* trahens ad malum, *refrigeſcet charitas multorum* chriſtianorum, multi deficient, quod & ſuprà dixit: *qui autèm perſeuerauerit vſquè in finem*, non deficiendo, *hic ſaluus erit*, iuxtà Ezech. cap. 18. *& capillus de capite veſtro non peribit*; à me enìm protegemini, *in patientia veſtra* vſquè in finem *poſſidebitis*, lucrabimini *animas veſtras*, æternam gloriam; regnum cælorum, quod prædico: *& prædicabitur hoc Euangelium regni* cælorum *in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus*, quæ non conuertentur, ad illas conuincendas de eorum pertinacia, non in teſtimonium meum, quia verba ad gentes referuntur, & ex prædicatione habebatur teſtimonium quòad Chriſtum, vndè vacarent quòad illum hæc verba; ſic & Marcus, *in teſtimonium illis*; ſic dum mittit leproſos ad ſacerdotes: in teſtimonium illis. Eccè aliud ſignū, *& tùnc veniet conſummatio* orbis, non Ieruſalem, tùm quia tempore euerſionis Ieruſalem, & templi non erat prædicatum Euangelium in vniuerſo orbe, imò adhùc his temporibus ad nouos populos prædicatur, tùm quia vtitur verbo, *conſummationis*, quo vſi ſunt diſcipuli petentes ſigna *conſummationis ſæculi*, non templi, pro quo illud tantùm dixerunt, *quandò hæc erunt, & quod ſignum*, cum fieri incipient, & quia de ſignis Ieruſalem, & templi euertendi infrà, & quid ad euerſionem Ieruſalem prædicatio in vniuerſo orbe? quid enìm illi cum orbe? at cum orbe rectè, ideò verba hæc omnia orbem, non Ieruſalem percutiunt. *Cum autèm audieritis prælia, &c. & dabo vobis os, & ſapientiam, &c.* Chriſtus miſſurus ſuos ad conuerſionem mundi non armis, ſed voce eos præmuniuit, *dabo vobis os, &c.* prædicate Euangelium omni creaturæ, & de Paulo: vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſael, & Ioannes Baptiſta vox nuncupatur, & Iob derelicta ſunt tantummodò labia circà dentes ſuos à diabolo, vt poſſet voce Deo maledicere, & eius maledictio in exemplum traheretur, at à Deo, vt proferret verba aurea cum amicis Eccleſiæ ſuæ ſeruitura, idem de Tobia, cuius oculi, non os tactum; igneæ linguæ ſupèr eos cadunt, igneæ, quia ſermo Domini, vt ignis exæſtuans. Ier. 20. 9. 23. 29. vbi & malleus conterens petram, & Prou. 30. 5. omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inueniariſquè mendax, & Zach. 3. 2. ignis conflans, & viuus, & efficax, &c. Heb. 4. 12. & de Elia dicitur: ſurrexit quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Eccl. 48. 1. & Apoc. 11. Enoch, & Elias dicuntur duo candelabra, & quòd ignis exiet de ore eorum, & illi de Chriſto: nonnè cor noſtrum ardens erat, dum nobis loqueretur in via? & hunc ignē venit mittere in terram. Item patientia, in qua poſſeſſuri, ſaluaturi eſſent animas ſuas; ad hanc hortatur nos. Iac. cap. 4. præſtolantes Dominum

num remuneraturum, & hanc remunerationem Moyſes, ſeù retributionem Dauid, Apoſtoli reſpicientes, non curarunt fluxa, quæ videntur, ſed æterna, quæ non videntur. 2.Cor.4.nequè paſſiones, imò ibant gaudentes, &c. ſic & Iob, & Tobias, & Ioannes Baptiſta, cuius in carcere nec querula vox effuſa. In hac patientia cum Semei Dauid recepit vice maledictionis benedictionem, & Sara ab ancilla maledicta, & Tobias in cœcitate. Tob.2.& 3. Hinc Prou.24.27. cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam, quaſi, ſecus erit, ſi patiens, & ſilens fueris, & in his imitati ſunt Apoſtoli Saluatorem: *capillus de capite veſtro non peribit*, proùt nec pueris in fornace. ſic Salomon Adoniæ. 3.Reg.1.52. Dauid cum Thecuite. 2. Reg. 14.11. Paulus cum nauigantibus. Act.27.35.

CAPVT CXXXIII.
DE EXCIDIO IERVSALEM, ET TEMPLI.

Matth. 24.

15 *CVM ergò videritis abominationem deſolationis, quæ di-*
cta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto, qui le-
16 *git, intelligat: * tùnc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad mon-*
17 *tes: * & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo*
18 *ſua: * & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam.*
19 ** Væ autèm prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.*
20 ** Orate autèm vt non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſab-*
21 *bato. * erit enim tùnc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſquè*
22 *modò, nequè fiet. * Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis ca-*
ro: ſed proptèr electos breuiabuntur dies illi.

Marc. 13.

14 *CVm autèm videritis abominationem deſolationis ſtantem, vbì non debet,*
15 *qui legit intelligat: tùnc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes: * & qui ſu-*
pèr tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat vt tollat quid de domo ſua:
16 ** & qui in agro erit, non reuertatur retrò tollere veſtimentum ſuum. * Væ au-*
17 *tem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. * Orate verò vt hieme non*
18 *fiant. * Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio*
19 *creaturæ, quam condidit Deus vſquè nùnc, nequè fient. * Et niſi breuiaſſet Do-*
20 *minus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed proptèr electos, quos elegit, breuia-*
uit dies.

Luc.

Luc. 21.

20 *CVm autèm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tùnc ſcitote quia*
21 *appropinquauit deſolatio eius: * tùnc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad mon-*
tes: & qui in medio eius, diſcedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.
22 ** quia dies vltionis hi ſunt, vt impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt. * Væ au-*
23 *tèm prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. erit enim preſſura magna ſu-*
24 *pèr terram, ira populo huic. * Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in*
omnes Gentes, & Ieruſalem calcabitur à Gentibus: donèc impleantur tempo-
ra nationum.

COMMENTARIVS.

CVM *ergò videritis abominationem deſolationis*, de qua infrà, ſecuturã ab exercitu Ieruſalem circumdante, *dictam à Daniele propheta, ſtantem* manſuram *in loco ſancto*, in templo, & Ciuitate, *donèc impleantur tempora nationum*, vt per Lucam, *qui legit*, benè *intelligat*, aures accommodet, non perfunctoriè, & cognoſcet veritatem, verba ſunt Chriſti; quomodò enim volumus Euãgeliſtam hæc interponere? & nulla hìc parenthesis. *Tùnc* dum Ciuitas circumdatur, vel eſt circumdanda, *qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes. &c.* euadant, non præſtolentur, nihil ſecum aſſerant, ne retardentur vſquè ad verſ. 20. & hæc verba tangunt & diſcipulos, & Chriſtianos, & Hebræos, & licèt vtatur verbo *ſabbato*, loquitur iuxtà illud tempus, & non ob id reſtringenda ſignificatio fugæ; & licèt licuiſſet etiàm in ſabbato fugere, vtitur hoc modo loquendi, vt moneat quouis modo fugam properandam, vndè non eſt quærendum an ſcirent, vel neſcirent licere; ſciebant enim licere, vt ſeruatum in Machabæis pugnantibus; *erit enim tùnc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſquè modò, nequè fiet*, non computat diluuium, quia aqua ſola omnes enecauit, hìc de tribulatione, & doloribus diù durantibus, at in futurum illa Antichriſti excipienda, quæ erit maior, ſed fortè erit maior, quia vniuerſalis; at ſtrictè ad vnum populum, in qualitate fortè hæc maior, niſi velis eam præcellere, eo quòd hyperbolicè loquatur Chriſtus: *& niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro*, ideſt omnes Hebræi penitùs interijſſent, & ex numero occiſorum, & captiuorum, qui fuerunt vndeciès centena millia, id colligitur, *ſed proptèr electos*, ne hi deficiant, *breuiabuntur dies illi*, citò fiet deſolatio, breuis erit obſidio Romanorum, dicit quod erit, non quòd Deus mutetur: ego enim Deus, & non mutor; hinc tenui. Gen.6. non breuiatos annos centum viginti præfixos à Deo antè diluuium. Hæc autèm verba non aptantur tempori Antichriſti, quia illa (*nequè fiet*) non haberent vbì verificari poſſent, cum pòſt Antichriſtum inſtet finis mundi, nec datur alia perſecutio, ſed conflagratio. Vltrà quòd non dabitur breuiatio, quia ſtatutum eius tempus in Daniele, & Apocalypſi trium annorum cum dimidio, niſi dicas breuiatos ab æterno, ſcimus ſtatutum ibì tempus, in hac autèm euerſione Ieruſalem nullum præfinitum. Addit Lucas *Ieruſalem calcabitur à gentibus*, dominabitur à gentibus, Iudæi ad illam non reuertentur. dicit *gentibus*, ad differentiam, & excluſionem Iudæorum, vndè ſiuè illi Chriſtiani, ſiuè Ethnici ne cures, *donèc impleantur tempora nationum*, donèc intret plenitudo gentium, inquit Paulus. Rom. 11. tùnc enim reuer-

Digitized by Google

reuertentur Hebræi ad Ieruſalem, & credent, & ſaluabuntur. *Cum ergò videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtãtem in loco ſancto, qui legit, intelligat, tùnc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, &c.* Circa hæc verba Matthæi, & Marci, & Lucæ tria ſunt videnda. Primum, quæ hęc abominatio deſolationis, & qua de cauſa: à quibus: qui effectus. Secundum: quomodò hæc pro ſigno ſeruiat. Tertium: cur ſic apparitura. Circà primum, abominatio deſolationis eſt illa dicta per Danielem, iuxtà Matthęum, quę habetur cap. 9. 26. & 27. & pòſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & Ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & pòſt finem belli ſtatuta deſolatio, cõfirmabit autèm pactum hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & vſquè ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio, & cap. 11. 30. & venient ſupèr eum trieres, & Romani, &c. & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolationem. Et cap. 12. 11. & à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificiũ, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, &c. duo hęc vltima loca ſeruiunt ad idẽ, primũ eſt de quo Matthęus: Ex quo apparet abominationem deſolationis eſſe diſſipationem ſanctuarij, ſeù templi, & Ciuitatis Ieruſalem iuxtà Danielem, ad quem ſe refert Matthæus, & de qua intelligunt Marcus, & Lucas, *ſtantem in loco ſancto*, vel *vbì non debet*, ſcilicèt perſeueraturam vſquè ad finem, vt ſuprà ex Daniele. Ideò tres Euangeliſtę ad deſolationem hanc denotandam dicunt non remanſurum lapidem ſupèr lapidem, qui non deſtruatur. Matth. 24. 2. Marc. 13. 2. Luc. 21. 6. ſed clarè Lucas verſ. 20. *cum autèm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tùnc ſcitote, quia appropinquauit deſolatio eius*, quid clariùs dici potuit? nil ergò aliud explicandum. Ex quo etiàm apparet de cauſa, nempè ob occiſionem Chriſti: Item effectus alij ſubſecuti, quia auferetur iuge ſacrificium, deficiet hoſtia, vt ibì per Danielem. Et cur *preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à gentibus donèc impleantur tempora nationum?* Luc. 21. 23. & 24. quæ omnia legimus impleta in deſolatione, prædicta etiàm à Moyſe. Deut. 28. à verſ. 49. vſquè in finem cap. & videmus oculis noſtris præſentem diſperſionem populi. Item hanc abominationem deſolationis fiendam à Romanis; ſic Dan. cap. 9. 26. populus cum duce venturo cap. 11. 30. trieres, & Romani, quod & probatur Num. 24. 24. Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntquè Hebræos, & ad extremum etiàm ipſi peribunt, Romani ſcilicèt. Apoc. 16. & 17. vbi de Roma ſub typo Babylonis, & fuit pars prophetiæ, ſeù diſcurſus eorum in concilio: venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Io. 11. Innuitur autèm Matth. 24. 7. futuros hos extraneos, ibi: conſurget gens contrà gentem, quod repetit Marcus cap. 13. 8. & Lucas cap. 21. 10. ſed is clariùs verſ. 20. *cum autèm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem*, etenim pòſt mortem Chriſti Romani id præſtiterunt, Veſpaſianus, & vltimò Titus eius filius, ſub quo deſolata; de Ceſtio enim non eſt agendum, quia cœpit, non perfecit, & hìc agitur de obſeſſione cum vallo, & deſolatione ſubſecuta, Idem innuitur à Moyſe. Deut. cap. 28. 49. & 50. & clarè prædixit Dominus flens ſupèr Ciuitatem. Luc. 19. 43. circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndiquè, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſupèr lapidem, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ, & addideris occidere Meſſiam, quæ omnia à Romanis leguntur geſta, & de his prophetabat Dominus, prout & Luc. 13. relinquetur vobis domus veſtra deſerta, & Luc. 23. 28. Filiæ Ieruſalem nolite flere ſupèr me, ſed ſupèr vos ipſas flete, & ſupèr filios veſtros, quoniàm eccè veniunt dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt; tùnc incipient dicere montibus, cadite ſu-

pèr

për nos, & collibus, operite nos, quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Quid enim ſibi vult abominatio deſolationis, niſi abominatio, turpitudo, horror à deſolatione, ſeù vaſtitate procedens? & hæc illa, de qua actum; ſic Sap. 18. 16. de Aegypto in mediam exterminij terram, vbi tot prodigia, & exterminata primogenita. verſ. 13. ſic in omnibus prophetis nuncupantur loca talia, habitationes ferarum, dæmoniorum. & Apoc. 18. de Babylone. ſic Zach. 6. 14. dicitur, terra deſolata eſt ab eis, eò quòd non eſſet tranſiens, nec reuertens, & poſuerunt terram deſiderabilem in deſertum. Et Pſal. 72. quomodò facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt proptèr iniquitatem ſuam; ſic in minis Dei factis Salomoni. 3. Reg. 9. 6. ſi autèm auerſione, &c. auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis, & templum, quod ſanctificaui nomini meo, proijciam à conſpectu meo, eritq́. Iſrael in prouerbium, & in fabulam cunctis populis, & domus hæc erit in exemplum, omnis, qui tranſierit per eam, ſtupebit, & ſibilabit, & dicet, quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? & reſpondebunt, quia dereliquerunt Dominum, &c. Et hæc ſtans *in loco ſancto*, in templo, & in Ciuitate, quæ dicebatur ſancta, de qua Daniel, Matthæus, Marcus, duratura vſquè ad finem mundi, vel circà; nàm tempore Antichriſti, quod erit trium annorum cum dimidio, reædificabuntur ad illud momentum, & hanc videmus impletam, & quotidiè impleri iuxtà prædictas Scripturas, & Lucam hic *donèc impleantur tempora nationum*. Et ex his ſatisfactum primo dubio; ex quibus exploduntur omnes interpretationes ab hac diuerſæ. Imaginis Cæſaris à Pilato poſitæ, ſi verum, nàm non fuit ſtans, nequè perpetua, nequè deſolationis: Statuæ Titi, aut Veſpaſiani eiſdem de cauſis: Sacrificiorum, & hircorum, quia nec ſtantia, nec deſolantia. Antichriſti, quia hæc præceſſit Antichriſtum, imò tempore ſuo ædificabuntur: Zelotarum, quia intèr eos diſcordiæ ciuiles, & intrà, & antè obſidionem Titi, non ab his deſolatio ſtans, & perpetua, ſed à Romanis; non hi vallo vtentes, ſed Romani, & in ſumma nihil aptatur ad illos intèr ſuos gentiles debacchantes. Si dicis, Zelotæ prophanauerunt templum tot flagitijs, ſpurcitijs, ſtragibus, & pro arce vſi ſunt dirè; & ſi ex ſolis mercibus Dominus dixit domum ſuam ſpeluncam latronum factam, quantò magis his facinoribus? & ſi pro illis in perſona ſua flagello vſus eſt, qua vindicta in his? At non hæc deſolatio Danielis, ſed fœditas, occupatio, contaminatio, non ſtans hæc, & perpetua, non per vallum, & obſidionem, proùt Titi, ſed præcedens multo tempore, & Chriſtus loquitur de tùnc inſtantibus, & præſentibus, ſeù in proximo fiendis, vel cœptis, & ab extraneis, & extrà Ciuitatem manſuris, obſidentibus, & hæc non alia quàm per Titum; ideò Lucas non dat pro ſigno Zelotarum tumultus, & ſtrages, ſed obſidionem Ciuitatis. cap. 21. 20. vt videbimus. In ſumma ſi ſtas in dictis Danielis, & Euangeliſtarum, non poteſt dari aliud, niſi abominatio mediante deſolatione, & æquatione ad terram à Romanis facta de templo, & Ciuitate; ſtandum eſt enìm in proprietate verborum.

Ad ſecundum, non videtur abominatio hæc deſolationis ſeruire pro ſigno, iuxtà Matthæum, & Marcum, dicentes: *Cum ergò videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat, tùnc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, &c.* ſi enìm viſuri ſunt primò deſolationem, quomodò locus erit fugæ rebus iàm perfectis? ideò vel non eſt bonum ſignum, quod non eſt dicendum, vel de alia abominatione præcedente ſtante intelligendum, & fortè de illa Zelotarum; & in hunc lapidem impegerunt omnes, qui alias abominationes fabricarunt. Reſpondeo certum iàm eſſe non poſſe dari aliam abominationem deſolationis, niſi quā diximus, quòd autèm ſeruiat pro ſigno, clarum eſt ex Luca cap. 21. 20. *Cum autèm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tùnc ſcitote, quia appropinquauit deſolatio eius, tùnc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes* (ad inſtar Lot) *& qui in medio eius*, Ieruſalem, *diſcedant, & qui in regionibus, non intrent ad eam*. Matthæus ergò, & Marcus intelligendi ſecundùm Lucam loquentem à principio obſeſſionis, nondum ſecuta vaſtatione, & deſolatione, & ſæpiùs facimus hu-

iuſmodi cõcordias intèr Euangeliſtas, quod hic eò magis faciendum, quia ſi intelligeremus Matthæum, & Marcum, proùt iacent, vana eſſet eorum ſignificatio, ſeù ſignum, licèt non dicta. At credo eam illos ſic intellexiſſe, proùt Lucas, qui diſtinctiùs, quàm ipſi rẽ dilucidauit; nàm primò illi meminerunt finis, excidij nempè, & finalis deſolationis, & vaſtitatis Ieruſalem, in quo comprehenditur & principium, ſcilicèt obſeſſio Ciuitatis, & ſic facienda interpretatio ad tollẽdum abſurdum. Vltrà quòd Matthęus, & Marcus aliqua prædixerant de principio, ſaltèm in mente; nam poſteà inferunt, *cum ergò, cum autèm videritis, &c.* Secundò referũt abominationem, proùt reperitur apud Danielem, ideò dicunt: *qui legit, intelligat,* non quòd fideles certioratos velint illam ad finem expectare, aliòquin non ſubderent per totum caput ſuaſiones ad fugam, ſed pręmonent illos ad illam inſpiciendam, vt credant magis dictis per eos, & ſibijpſis conſulant. Vndè etiàm poſſet dici *ſtantem,* hoc eſt ſtaturam, vel quæ ſtabit, cum ſe ad Danielem referant, ſicuti præteritũ pro futuro in Samaritana: ſcio quia Meſſias venit, pro venturus eſt, ideò ſubdit: cum venerit ille. Io. 4. 25. ſimilitèr Matthęus dicit filiam Archiſynagogi mortuam, reſpiciens finem, alij morientem, vel ægram, poſteà mortuam. Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. Vel meliùs, *ſtantem,* ideſt perpetuam, de qua Daniel, nàm ſecundùm eum Matthęus intelligendus, vndè hoc modo non intelligit *ſtantem* de tempore, quo fugam ſuadet, ſed proùt in Daniele, ſecuta deſolatione, ſeu vaſtitate, & ſic tollitur difficultas. Tertiò, tàm dicta per Matthęum, & Marcum, quàm per Lucam ſunt verba Chriſti ſupèr eodem facto, at Chriſtus non ſibi contrarius, nequè Euangeliſtæ à ſpiritu Sancto ducti contrarij, ergò fienda interpretatio, quæ ſtare poſſit; at fit, vt dum deberemus Scripturas ad concordiam reducere in inextricabiles nodos eas retrudamus. At quò te vertas, ſatis eſt non poſſe de alia abominatione intelligi, & moralitèr agendum, vt dicta per eos locum habere poſſint, nequè ob eorum dicta malè capta à veritate recedendum. Hincquè non potes arguere nullum tùnc fuiſſe fugæ locum iuxtà Matthæum, & Marcum, & etiàm Lucam ſtante obſidione Titi; qua fuga impediretur; antequàm enim obſidiones ciuitatum parentur, vel fiant, ſolent homines intrà vrbes obſidendas morantes audire de obſidione mòx ſecutura; & contigiſſe in Ieruſalem meminit Ioſephus, & tùnc fugæ locus eſt, ſiuè dum obſidentur, ideò dicit: *cum videritis circumdari,* & ad fugam properare docet, dicens: *tùnc qui in Iudæa, &c.* quaſi obſeſſione cœpta, vel inſtante, vel orta illius fama, vel antequàm vallo circumdetur ciuitas, & ex Ioſepho colligitur facilem fuiſſe tùnc fugam, cum etiàm herbas collecturi tutò exirent, imò & Ciuitate muro circumdata Romani admitterent transfugas, & multa cum humanitate illos alerent, antequàm obſeruaſſent eos aurum ingurgitaſſe, licèt Chriſtus fuga, non manſione conſulendum hortetur, cui hoc modo videtur tempus datum.

Ad tertium, cur talis abominatio ſtans? vt perpetuò appareret peccatum magnum occiſionis Chriſti, ſicùt peccatum fabricantium turrim, Sodomæ, vxoris Lot, & ſimilium, quorum veſtigia remanſerunt.

CAPVT CXXXIV.

DE PSEVDOCHRISTIS CAVENDIS.

Matth. 24.

23 *TVNC ſi quis vobis dixerit: Eccè hic eſt Chriſtus, aut il-*
24 *lic: nolite credere.* * *Surgent enìm pſeudochriſti, & pſeu-*
doprophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, ità vt
25 *in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiàm electi.* * *Ec-*
26 *cè prædixi vobis.* * *Si ergò dixerint vobis, Eccè in deſer-*
to eſt, nolite exire: eccè in penetralibus, nolite credere.
27 * *Sicùt enìm fulgur exit ab Oriente, & paret vſquè in*
28 *Occidentem: ità erit & aduentus Filij hominis.* * *Vbicumquè fuerit corpus, il-*
lic congregabuntur & aquilæ.

Marc. 13.

21 *ET tùnc ſi quis vobis dixerit: Eccè hic eſt Chriſtus, eccè illic, ne credideritis.*
22 * *Exurgent enìm pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & por-*
23 *tenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiàm electos.* * *Vos ergò videte: eccè præ-*
dixi vobis omnia.

Luc. 17.

23 *ET dicent vobis: Eccè hic, & eccè illic. Nolite ire, neque ſectemini.* * *nàm*
24 *ſicùt fulgur coruſcans de ſub cælo in ea, quæ ſub cælo ſunt, fulget: ità erit*
25 *Filius hominis in die ſua.* * *Primùm autèm oportet illum multa pati, & repro-*
26 *bari à generatione hac.*

COMMENTARIVS.

TVNC in tribulatione illa, *ſi quis vobis dixerit: eccè hic eſt Chriſtus* Meſſias, *aut illic, nolite credere, ſurgent enim pſeudo Chriſti, & pſeudo prophetæ*, pſeudo prophetam habebit Antichriſtus. Apoc. 13. *& dabunt ſigna magna, & prodigia*. 2. Theſ. 2. *ità vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt* quod non poteſt) *etiàm electi*, prædeſtinati, *eccè prædixi vobis*, vt ab his cauere poſſitis, ne recipiatis falſum Meſſiam. *Si ergò dixerint*

vobis, deſcendit ad particularia, *ecce in deſerto eſt* Chriſtus, *nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere*, etenim decipiemini vtroque modo, nàm aduentus meus erit manifeſtus: *ſicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret*, apparet *vſquè in Occidentem* manifeſtè, *ita erit & aduentus Filij hominis*, dicit ſe Filium hominis, quia in ea figura veniet, cum in ea ſit iudicaturus, quia Filius hominis eſt, & ad illum omnes congregandi: *vbicumque* enim *fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ*, ibunt enim iuſti obuiam Chriſto in aera. 1. Theſ. in terris tamèn ſeſſuro, & iudicaturo, ſed tàm iuſti, quàm impij in iudicij locum conuenient iudicandi, & ideò verba hæc in vtriſque verificantur: In his verbis iterum recurrit ad præcedentia conſummationem ſæculi, ſeù iudicium, nàm non aptantur antè euerſionem Ieruſalem, tunc enim nulli pſeudochriſti, ſeù pſeudoprophetæ auditi ſigna edentes, & iàm etiàm ſub hoc tempore præmiſit de eiſdem ſeductoribus, tùm quia dicit *ſicùt fulgur*, quod ſpectat ad eius aduentum, tùm quia ſubdit, *ſtatim autem pòſt tribulationem dierum illorum*, agens de iudicio, quod nòn congruit pòſt euerſionem Ieruſalem. Hæc autèm de Antichriſtis, & pſeudoprophetis intelligenda à tempore Apoſtolorum vſquè ad tempora Antichriſti, quæ vocantur nouiſſima tempora, ſeù nouiſſimi dies, vt dixi in epiſtolis Petri, Pauli, & Ioannis, ibì vide, & hi de facili antè Antechriſtum, ſed tempore ſuo nullus apparebit talis, vt credo, Ioannes enim dicit nunc multos eſſe Antichriſtos, at de illo tempore nullius meminit prætèr primarij.

CAPVT CXXXV.

DE SIGNIS IVDICII, ADVENTV IVDICIS, ET IVDICIO, ET SENTENTIA.

Matth. 24.

29 S*TATIM autèm pòſt tribulationem dierum illorum ſol*
obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ
30 *cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur:* * *&*
tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis
venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maie-
31 *ſtate.* * *Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quattuor ventis, à ſummis cælorum vſquè ad terminos eorum.*

Matth. 25.

31 C*Vm autèm venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum*
32 *eo, tùnc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ:* * *& congregabuntur antè eum*

omnes

omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicèm, ſicùt paſtor ſegregat oues ab hædis:
33 ** & ſtatuet oues quidèm à dextris ſuis, hædos autèm à ſiniſtris. * Tùnc dicet rex*
34 *his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum*
35 *vobis regnum à conſtitutione mundi. * eſuriui enìm, & dediſtis mihi mandu-*
36 *care: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: * nudus,*
& cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad
37 *me. * Tùnc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine, quandò te vidimus eſu-*
38 *rientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? * quandò autèm te*
39 *vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? * aut*
40 *quandò te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te? * Et reſpon-*
dens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiù feciſtis vni ex his fratribus
41 *meis minimis, mihi feciſtis. * Tùnc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſce-*
dite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.
42 ** eſuriui enìm, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi*
43 *potum: * hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: in-*
44 *firmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. * Tùnc reſpondebunt ei & ipſi, di-*
centes: Domine, quandò te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem,
45 *aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? * Tùnc*
reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiù non feciſtis vni de mi-
46 *noribus his, nec mihi feciſtis. * Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti au-*
tèm in vitam æternam.

Marc. 13.

24 *SEd in illis diebus pòſt tribulationem illam ſol contenebrabitur, & luna non*
25 *dabit ſpendorem ſuum: * & ſtellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ*
26 *in cælis ſunt, mouebuntur. * Et tùnc videbunt Filium hominis venientem in*
27 *nubibus cum virtute multa, & gloria. * Et tùnc mittet angelos ſuos, & congre-*
gabit electos ſuos à quattuor ventis, à ſummo terræ vſquè ad ſummum cæli.

Luc. 21.

25 *ET erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ*
26 *confuſione ſonitus maris, & fluctuum: * areſcentibus hominibus præ timore,*
& expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi: nam virtutes cælorum moue-
27 *buntur: * & tùnc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate*
magna, & maieſtate.

COMMENTARIVS.

STATIM autèm pòſt tribulationem dierum illorum, dum durabit Antichriſti imperium, quo affligentur fideles; pòſt necem Antichriſti antè iudicium per dies quadraginta quinque, vt tenui in Apoc. *ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur;* ſic Apoc. 6. 12. terræmotus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger tamquàm ſaccus cilicinus, & luna facta eſt ſicùt ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt ſupèr terram, ſicùt ficus emittit groſſos ſuos, cum à vento magno mouetur, & cælum receſſit ſicùt liber inuolutus, &c. Idem ferè Iſa. 34. tabeſcent omnes virtutes cælorum, complicabitur cælum ſicùt libet (vt nulli vſui ſit) & omnes ſtellæ cadent ſicùt folia ex vite, & ſicùt cadunt folia de ficu, &c. ex quibus conſtat in his creaturis verè hæc apparitura; vndè intellectus, quòd ſol ad apparitionem ſplendoris Chriſti ſit obſcurandus, & alia, vel ad denotandam calamitatem tantùm, vel myſticè de Eccleſia, non aptantur, eo magis quia in aduentu Chriſti, qui erit pòſt conflagrationem, & vnà cum reſurrectione vniuerſali, iàm creaturæ omnes, ſol, luna, ſtellæ, cælum, & omnia renouata erunt, vel eodem tempore renouabuntur, quia nulla mora in operibus Dei: dixit, & facta ſunt, & ſi Sancti in nubibus rapientur obuiàm Chriſto in aera, ergò antè iudicium renouatio. 1. Theſ. 4. 16. ſimilitèr quòd obſcuritas prouentura ſit ex fumo conflagrationis nutat, quia conflagratio erit vltima, qua omnes homines necandi (ſi qui ſuperſtites tùnc erunt) qui non viderent ſigna hæc, & tamèn proponuntur hominibus apparitura, & Lucas dicit: *areſcentibus hominibus præ timore*, &c. Nec eſt neceſſe expiſcari quomodò hæc fient, nàm fient omnia miraculosè, & prætèr naturam ad incutiendum hominibus terrorem, qui ex ſolitis, vel naturalem cauſam habentibus non formidarent, ſed confiderent in eorum ſapientia; ſic obſcuritas ſolis facta in morte Domini fuit miraculoſa, & prætèr naturam, vt homines indagarent, & mouerentur, proùt Dionyſius; & ſic contigit in omnibus portentis Aegyptiacis, & in illo Ezechiæ, & Ioſue. Aduerte quòad lunam dicit, *non dabit lumen ſuum;* eſt enim ac ſi diceret, *obſcurabitur*, proùt de ſole dixit, ſed quia de ſole ſic dixerat, mutauit verba, quæ tamèn idem important, non autèm quòd ex hoc colligatur lunam non habere lumen ex ſe, ſed mutuatum à ſole, quia potiùs apparet de contrario, cum loquatur de ſingulis, & in Scriptura habemus eam ſplendere, ſed dixi de his. Gen. 1. Quò verò ad ſtellas, non videntur illæ caſuræ, cum terram magnitudine excedant, ſed fortè prouerbialis locutio, denotans omnia ſuſdeque vertenda, quæ diebus etiàm noſtris durat; hincquè ſubdi ad declarationem, *& virtutes cælorum commouebuntur*, proùt ad abundantiam aquarum illapſarum denotandam dicitur cataractas cæli aperiri. Gen. 7. 11. & ad gratiarũ abundantiam. Malach. 3. 10. ſed contrà, quia Matthæus verſ. 49. Marcus verſ. 24. & Lucas verſ. 25. agunt de extremis diebus, quandò fiet iudicium vniuerſale, quod ignis conflagraturus præcedet, & ignis omnia conſummare, vrere, & ſoluere debet, etiàm cælos. 2. Pet. 3. 10. 12. cæli magno impetu tranſient, cæli ardentes ſoluentur, & ibi dixi omnes cælos comprehendi; & proptereà ſubdit ibidem Petrus de nouis cælis, de quibus & Iſa. 65. & 66. & Apoc. 21. & quia ornatus eorum immutandus. Iſa. 30. 26. vndè ad litteram intelligendi Euangeliſtæ, ſtellas caſuras eſſe, nempè & illas vrendas, tùm quia vſto cælo, neceſſariò & ipſæ, & in ſimili de vſtione vnius ſtellæ. Apoc. 8. 10. cecidit de cælo ſtella magna ardens tamquàm facula, tùm quia ſicùt hic de ſole, & luna veris, & proprijs, ſic de ſtellis proprijs, poſtquàm vniformitèr

formitèr vna ſtructura de omnibus: ſimilis textus. Iſa. 34. 4. & tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicùt liber cæli, & omnis militia eorum defluet, ſicùt defluit folium de vinea, & de ficu. Alius Iſa. 50. 3. induam cælos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum; & propiùs cap. 51. 6. cæli ſicùt fumus liqueſcent. Alius Apc. 6. 13. & ſtellæ de cælo ceciderunt ſupèr terram, ſicùt ficus emittit groſſos ſuos, cum à vento magno mouetur, & cælum receſſit ſicùt liber inuolutus. Non obſtat, maior eſt ſtella vna, quàm tota terra, quomodò ergò cadent in terram? nàm reſpondeo non dici ſtellas in terram caſuras, ſed de cælo, in quo ſunt affixæ. Gen. 1. iuxtà Matthæum, *& ſtellæ cadent de cælo*. Vel iuxtà Marcum, *& ſtellæ cæli erunt decidentes*. Vel *de cælo*, ideſt cum cælo, qui ardebit vnà cum ſtellis. Vel ſi *in terram*, proùt Apoc. 6. intelligendum, vel de materia ſtellarum arſa in terram decidenda, quæ in ea capiet, & non occupabit tantum ſpatium, & ſic ceſſat motiuum; vel *cadent*, ideſt peribunt, in interitum vadet, iuxtà illud: ipſi cæli peribunt; quod enim perit, cadere dicitur; ſic de Babylone: cecidit, cecidit Babylon. Apoc. 17. & 18. & ſic interpretabimur etiàm Apoc. cap. 6. & 9. 1. cadent ſupèr terram, peribunt ſublatæ à propria ſede. Non obſtat hunc caſum ſtellarum per Iſaiam cap. 53. 10. alijs verbis explicari, nempè: ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum; obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. & Ioel. cap. 2. 10. & 3. 15. ſol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum; nàm vel loquuntur in principio, non in fine, proùt Euangeliſtæ, vel hi intelligendi iuxtà Petrum, & alias ſcripturas adductas, & dicendum eſt, idem eſſe caſuras eſſe, vel ſuo munere non functuras: ideò autèm ſolem, & lunam facit abſquè luce, quia illis datum illuminare diem, & noctem. Gen. 1. ſtellis autèm, quæ non ad illuminationem, proùt illa, dat caſum, interitum, vſtionemquè. Hinc exploditur opinio, ſtellas caſuras, ideſt inflammationes inflammatas è cælo eiaculandas, vt in Apoc. nàm eiaculationes igneæ non poſſunt importare ſtellas, de quibus propriè, & verè loquitur textus, ſicùt de vero ſole, & vera luna in eodem contextu; vndè verba non poſſunt diuerſo modo capi. At cum omnis creatura renouanda. Rom. 8. certò & ipſæ renouabuntur in omnium renouatione; & Deus nihil eorum, quæ fecit, ad nihilum redigit non renouandum; & Petrus dicit: nouos verò cælos, & nouam terram expectamus. 1. Pet. 3. 13. Iſa. 65. 17. 66. 22. Apoc. 21. Si enim noui cæli, vtiquè & ornatus eorum, qui in ſole, luna, & ſtellis conſiſtit; & ſi renouanda luna & ſol. Iſa. 1. 30. 26. cur non ſtellæ? ſi omnis creatura, cur non hæ? non poteſt dari ratio diuerſitatis, quòd & hæ non renouandæ & Daniel. 12. 3. loquens de beatis, dicit: fulgebunt, &c. quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: *Virtutes calorũ cõmouebuntur* à ſuo ſtatu priſtino, quia non influent in homines: cælum plicabitur ſicùt liber, non erit ad vſum hominum, ſicùt liber plicatus ad nullum vſum ſeruit deſtinatum; eſt recapitulatio dictorum; non enim alia in ſignum, in cæloquè *ſol*, *luna*, *ſtellæ*; ſubdit ergò, *virtutes cælorum commouebuntur*, omnia in cælo tabeſcent, turbabuntur à ſuo ordine; nihil hic de Angelis, qui huiuſmodi paſſionibus non ſubduntur, vt etiàm dixi in Apocalypſi, & quia dicit, *virtutes calorum* naturales, & quia Chriſtus tùnc nondum apparebit, vt ex eius præſentia commoueri poſſint, ſed pòſt renouationem creaturarum, vel eodem tempore; *& in terris preſſura gentium*, hominum vniuerſorum tùnc viuentium; ideò dixit *gentium*, nedum ex cæleſtibus, ſed etiàm *præ confuſione ſonitus* horribilis *maris, & fluctuum* ab eo egrediendorum, *areſcentibus hominibus*, ità vt areſcant homines *præ timore* magno, quo concutientur, *& expectatione* eorum malorum, *quæ ſuperuenient* ex improuiſò *vniuerſo orbi, nàm virtutes calorum mouebuntur*; talis enim erit expectatio hæc malorum ſuperuenturorum, vt etiàm cæleſtia corpora, & eorum virtutes, & influxus, qui nos conſeruant, & iuuant, commouendi, turbandi ſint à ſuo ſtatu ordinario, ex qua turbatione hæc ſuccedent. Ignis conflagratorius etiàm præcedet iudicium, & omnes non adhùc mortuos necabit,

necabit, licèt credam vix vllum hominum tùnc viuum inueniri ob præcedentia mala omnes conſumptura, de quibus hìc, & in Apoc. ſi enim nùnc homines moriuntur ob parua incommoda etiam aeris, vel pluuiæ, vel frigoris, quid tùnc in tot cælorum motionibus? ſed is ignis omnia in puluerem rediget, & fiet deindè reſurrectio, & renouatio creaturarum omnium, & poſteà Iudicium: vide ſcripta in epiſt. Pet. 2. & Apocalypſi, *& tùnc parebit ſignum filij hominis in cælo*, crux ſcilicèt ex miraculo, ſi erit, quia nil corruptibile remanebit ceſſaturo motu, ſed hæc parebit Chriſto adueniente, non antè, vel parum antè, ſignum enim præcedit ducem. *Et tùnc plangent omnes tribus terræ* ad viſionem Chriſti, & Crucis, ſic Apoc. 1. eccè venit, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſupèr eum omnes tribus terræ, impij, qui ad morem lacrymantium ſe habebunt, & hoc dictum ad denotandum eorum dolorem, *Et videbunt Filium hominis venientẽ in nubibus cæli*, quas producet, quia omnia tùnc arſa, & deindè renouata, *cum virtute multa, & maieſtate* ad iudicandũ; de hac maieſtate. Apoc. 1. 4. 20. Daniel. 7. Iſa. 24. ſic Angeli. Act. 1. ſic veniet quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cælum, etiàm impij viſuri. Apoc. 1. videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; ſed Matthæus, & Marcus videntur peruertere ordinem, nàm primò fiet reſurrectio, deindè Chriſtus veniet, dic eodem contextu omnia fieri, ex eo quòd Sãcti occurſuri ſunt obuiàm Chriſto in aera, non enim mora aliqua alibi in mundo trahenda, & ſic innuunt verba Pauli. 1. Theſ. 4. ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, &c. ideò vniui aduentum Iudicis cum ſignis iuxtà Euangeliſtas; & quandò ſubdunt Euangeliſtæ: *& mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quattuor ventis, &c.* vel intelligendi de iàm excitatis, vel ſi de reſurgendis, oſtendere voluerunt, quomodò reſurrectio vniuerſalis facienda, de qua non præmiſerant, ſed dixerant de excitatis viſuris, & fleturis, non autèm quòd reſurrectionem vniuerſalem aduentui Chriſti poſtponant. *Cum tuba* aerea, *& voce magna*, ideſt cum tuba magna voce, & ſono reſonante; canet enim tuba, dicit Paulus. 1. Cor. 11. ſeù *cum tuba*, *&* etiàm *voce magna*, quia in Apocalypſi inducuntur Angeli magna voce clamantes. & 1. Theſ. 4. ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, &c. *& congregabunt electos eius à quattuor ventis, à ſummis cælorum vſquè ad terminum eorum* cælorum, ſic Matthæus, Marcus, *à quattuor ventis, à ſummo terræ vſquè ad ſummum cæli*, ambo ex his indicantes omnes homines congregandos in vnum ad iudicium. 1. Theſ. 2. rogamus vos per aduentum Domini, & congregationis in ipſum, & 1. Theſ. 4. rapiemur (vtitur hoc verbo ad velocitatem denotandam) cum ipſis obuiàm Chriſto in aera, & licèt hìc de ſolis electis, id fit honoris cauſa, proùt & 1. Theſ. 4. & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, omnes enim ſurrecturi, omittit impios, quia de his nulla cura, non ſunt in memoria Dei ad bonum vllum, clarum tamèn eſt omnes etiàm impios congregandos, vndè Apoc. 20. 12. & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, &c. & dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant. *Cum autem* (ex Matth. 25.) *venerit Filius hominis in maieſtate ſua*, glorioſus ad iudicandum, *& omnes Angeli* eius *cum eo.* eccè venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere iudicium contrà omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorũ, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contrà Deum peccatores impij. Iudæ 15. ſic cum deſcendiſſet in inferiora terræ his, qui in carcere infernali erãt, ſpiritibus exprobrando, prædicauit, qui increduli fuerant aliquandò, &c. 1. Pet. 3. 19. vbi dictum: Filium *hominis* ſe dicit, quia poteſtas data eſt ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Io. 5. *Tùnc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ*. Apoc. 20. 11. & vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſupèr eum, à cuius conſpectu fugit terra, &

cælum, & locus non eſt inuentus eis, tanta eſt ſedentis gloria, & maieſtas; vndè Iob petebat abſcondi in inferno, donèc tranſiret ira; & Sophonias, dicit illam diem iræ, calamitatis, & miſeriæ, *& congregabuntur antè eum omnes gentes*; dictum ſuprà *à quattuor ventis, &c.* & Apoc. 20. 12. & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, &c. ſi congregabuntur, ergò & impij, & iuſti ſimùl, & clariùs verba, quæ ſequuntur, *& ſeparabit eos ab inuicèm; ſicùt paſtor ſegregat oues ab hædis*, ſeparatio autèm præſupponit vnionem, *& ſtatuet oues quidem à dextris, hædos autèm à ſiniſtris*; & quod dicitur 1. Theſ. 4. rapiemur cum illis obuiàm Chriſto in aera, fiet à principio: & ad maiorem maieſtatem venientis, ſicùt nùnc occurritur Principi aduentanti; at poſtquàm ad locum peruentum fuerit vbì omnes aquilæ ad corpus congregandæ, permiſti erunt omnes; nèc probatur ex dicta auctoritate Pauli iuſtos in aere pendentes manſuros; nàm ſi Chriſtus in terra omnibus perſpicuus iudicans, quomodò hi in aere? At occurſus, quem facient Chriſto iuſti in aera, non erit pòſt ſententiam, ſed antè; nàm venienti, & deſcendenti è cælo occurrent, non pòſt iudicium, tùnc enim aſſociabunt; non occurrent, iuxtà parabolam, ergò miſti erunt; ſed quia iuſti, & impij iàm particulari iudicio examinati ſcient quali honore, vel pœna digni, & qua ſententia coronandi, vel feriendi, & iàm iuſti occurrerunt Chriſto, & hi agiles, illi ponderoſi, ad quod ſignificandum dicitur Matth. 24. 40. 41. Luc. 17. 34. 35. vnus aſſumetur, alter relinquetur, puto hac phraſi Dominum vti ad inſinuandum præſentem ſtatum, in quo boni, & impij permiſti ſunt, & illum, quo ab inuicèm ſeparabuntur, & impij conſortio bonorum ampliùs non fruentur, & hoc repræſentare ad maiorem terrorem, ſicùt fecit in parabola zizaniorum, quæ ad finem mundi tantùm vnà cum tritico meti diſtulit, non autèm quòd ſint permiſcendi; locutio etiàm *à dextris & à ſiniſtris* ſapit parabolam, non quòd ibì hæc, ſed ad demonſtrandum felicem ſtatum bonorum, infelicem reorum, qua locutione, & nos vtimur; ſic & ad parabolam ſpectat nomina ouium, & hædorum, & ſeparatio illorum. *Tùnc dicet Rex ipſis, qui à dextris eius erunt*; ſic ab eo ſeparatis: *Venite benedicti*, prædeſtinati, hæredes *Patris mei*, benedictio enìm pro hæreditate, regno, vt in Iſaac benedicente, *poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, qua cælum empyreum factum à Domino; *eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. videtur parabolica locutio, ſeù repræſentatio hìc hominibus expoſita ad inſinuandum opera, & præſertìm charitatis in iudicio requirenda, & quidquid pauperibus erogatur, Chriſto erogari, vt magis ad pietatem, & miſericordiam omnes alliciat, & ad delenda peccata miſericordijs pauperum ex Daniele; alio modo ad idem tendente vſus eſt Dominus, dum dixit: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: ad idem exemplum Epulonis: eorum qui dicebant: tecum manducauimus, &c. Matth. 7. 22. & Luc. 13. 26. & alia in Euangelijs; verùntamèn quod ſupereſt dare eleemoſynam, & eccè omnia munda ſunt vobis; ad idem tendit, quæ ſubditur monitio ad vigilandum, non quòd ſit hæc ibi dicturus; ſic reſponſio iuſtorum addita, vt poſſet dicere: *quandiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, non quòd iuſti ſint eo modo reſponſuri, cùm ibi nullus auſurus ſit os aperire; in ſumma in omnibus videtur mihi parabolica locutio, & ſic tollitur vel prætenſum mendacium, vel dubia reſponſio iuſtorum, quæ ibi non poſſunt intercedere; omnia hæc ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, & omnia executioni mandabuntur re ipſa, non his verbis: fratres minimos ſuos appellat Chriſtus omnes pauperes, quibus elargiendo eleemoſynam meremur, & meremur eleemoſynam dando ſiuè iuſto, ſiuè iniuſto, ergò de omnibus intelligit, ſiuè iuſtis, ſiuè iniuſtis pauperibus; hincquè veriſimilior fit opinio parabolicam eſſe locutionem, & ſecundùm præſentem ſtatum: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*, primò peccantibus, nondum homine creato, & ſic in ordine primò *diabolo*

bolo

bolo, & angelis eius, eſuriui enim, &c. ſicùt iuſtos laudauit ex charitate, ità impios ex crudelitate damnat, proùt Epulonem. Luc. 16. Dum introducuntur & hi reſpondentes: *quandò*, &c. apparet eo magis de parabola; quia omnes mutient, proùt ille inuentus abſquè veſte nuptiali, qui obmutuit: *Et ibunt hi* iniqui *in ſupplicium æternum* ignis, *iuſti autèm in vitam æternam*, in gloriam, in paratum eis regnum.

CAPVT CXXXVI.

DE PRAEPARATIONE DIEI IVDICII PROPINQVI POST SIGNA.

Matth. 24.

32 *AB arbore autèm fici diſcite parabolam: cum iàm ramus*
eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas:
33 ** ità & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia propè*
34 *eſt in ianuis.* Amen dico vobis, quia non præteribit ge-*
35 *neratio hæc, donèc omnia hæc fiant. * Cælum, & terra*
36 *tranſibunt, verba autèm mea non præteribunt. * De die*
autèm illa, & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, niſi
37 *ſolus Pater. * Sicùt autèm in diebus Noe, ità erit & aduentus Filij hominis.*
38 ** ſicùt enim erant in diebus antè diluuium comedentes & bibentes, nubentes &*
39 *nuptui tradentes, vſquè ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, * & non*
40 *cognouerunt donèc venit diluuium, & tulit omnes: ità erit & aduentus Filij*
41 *hominis. * Tùnc duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.*
42 ** duæ molentes in mola: vna aſſumetur, & vna relinquetur. * Vigilate ergò,*
43 *quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. * Illud autèm ſcitote, quo-*
niàm ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtiquè, &
44 *non fineret perfodi domum ſuam. * Ideò & vos eſtote parati: quia qua neſcitis*
45 *hora Filius hominis venturus eſt. * Quis, putas, eſt fidelis ſeruus, & prudens,*
quem conſtituit dominus ſuus ſupèr familiam ſuam, vt det illis cibum in tem-
46 *pore? * Beatus ille ſeruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit ſic facien-*
47 *tem. * Amen dico vobis, quoniàm ſupèr omnia bona ſua conſtituet eum.*
48 ** Si autèm dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus*
49 *venire: * & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autèm, & bibat cum*
50 *ebrioſis: * veniet dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua igno-*
51 *rat: * & diuidet eum, partemquè eius ponet cum hypocritis. illìc erit fletus, &*
ſtridor dentium.

Marc.

Marc. 13.

28 A Ficu autèm diſcite parabolam. Cum iàm ramus eius tener fuerit, &
29 nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas: ſic & vos cum
30 videritis hæc fieri, ſcitote quòd in proximo ſit in oſtijs. * Amen dico vobis, quo-
31 niàm non tranſibit generatio hæc, donèc omnia iſta fiant. * Cælum, & terra
32 tranſibunt, verba autèm mea non tranſibunt. * De die autèm illo, vel hora
33 nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater. * Videte, vigilate,
34 & orate: neſcitis enìm quandò tempus ſit. * Sicùt homo, qui peregrè profectus
reliquit domum ſuam, & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & ianito-
35 ri præcepit vt vigilet. * Vigilate ergò, (neſcitis enìm quandò dominus domus
36 veniat: ſerò an media nocte, an galli cantu, an mane) * ne cum venerit re-
37 pentè, inueniat vos dormientes. * Quod autèm vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

Luc. 17.

26 ET ſicùt factum eſt in diebus Noe, ità erit & in diebus Filij hominis: * Ede-
27 bant, & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſquè in
28 diem, qua intrauit Noe in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. * Si-
militèr ſicùt factum eſt in diebus Lot: Edebant, & bibebant: emebant, & ven-
29 debant: plantabant, & ædificabant: * qua die autèm exijt Lot à Sodomis, pluit
30 ignem, & ſulphur de cælo, & omnes perdidit: * ſecundùm hæc erit, qua die Fi-
31 lius hominis reuelabitur. * In illa hora qui fuerit in tecto, & vaſa eius in do-
32 mo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimilitèr non redeat retrò. * Me-
33 mores eſtote vxoris Lot. * Quicumque quæſierit animam ſuam ſaluam facere,
34 perdet illam: & quicumque perdiderit illam, viuificabit eam. * Dico vobis:
35 in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, & alter relinquetur: * duæ
erunt molentes in vnum: vna aſſumetur, & altera relinquetur: duo in agro:
36 vnus aſſumetur, & alter relinquetur. * Reſpondentes dicunt illi: Vbì Domi-
37 ne? * Qui dixit illis: Vbicùmquè fuerit corpus, illùc congregabuntur & aquilæ.

Luc. 21.

28 HIs autèm fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra: quoniàm
29 appropinquat redemptio veſtra. * Et dixit illis ſimilitudinem: Videte fi-
30 culneam, & omnes arbores: * cum producunt iàm ex ſe fructum, ſcitis quoniàm
31 propè eſt æſtas. * Ità & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniàm propè eſt re-
32 gnum Dei. * Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donèc omnia
33 fiant. * Cælum, & terra tranſibunt: verba autèm mea non tranſibunt. * At-
34 tendite autèm vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate,

& cu-

35 *& curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina dies illa: * tamquàm la-*
36 *queus enìm ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſupèr faciem omnis terræ. * Vigila-*
te itaquè omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ fu-
37 *tura ſunt, & ſtare antè Filium hominis. * Erat autèm diebus docens in tem-*
38 *plo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. * Et om-*
nis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

COMMENTARIVS.

A*B arbore autèm fici diſcite parabolam, cum iàm ramus eius tener fuerit, & folia nata*; Lucas *cum producunt iàm ex ſe fructum*, declarandus iuxtà Matthæum, & Marcum *dum incipiunt producere, ſcitis quia propè eſt æſtas: ità & vos cum videritis hæc fieri* quæ dixi vobis ſigna, *ſcitote quia propè eſt regnum Dei*, tempus diſtribuendi illud, beatitudinem recipiendi in anima, & corpore; meliùs, *regnum Dei*, quandò Chriſto ſubijcientur omnia, & ipſe Patri, cui reſtituet regnum, & erit Deus omnia in omnibus 1. Cor. 15. vbì dictum, ideò hortatur eos ad gaudium. *His autèm fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra* ab omni mœſtitia, mœrentes enìm capita tenent prona; ſic Achab humiliatus demiſſo capite incedebat, & publicanus non audebat oculos ad Cælum leuare, eſt enìm tempus lætitiæ, *quoniam appropinquat redemptio veſtra*; liberatio de corpore mortis huius, à qua optabat Paulus liberari; quis me liberabit de corpore mortis huius? ſic Anna Euangelica prædicabat expectantibus redemptionem, liberationem Iſrael. Luc. 2. 38. ſicut enìm ſolent captiui, ſic nos dum ſumus in hoc corpore peregrinantes à Domino, ipſi intra nos gemimus, adoptionem perfectam filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri. Rom. 8. ſic redemptio veniens cauſa eſt magni gaudij, ſicùt illi gaudent à ſeruitute liberi, & redemptio hic intelligitur de anima, & corpore, quia ſermo eſt cum viuentibus, & in viuentibus viſuris ſigna verificandus, & vult dicere areſcant, turbentur alij, vos gaudete. *Amen dico vobis: quia non præteribit generatio hæc*, omnes homines præſentes, & futuri, nõ abolebuntur homines à terra, *donèc omnia hæc*, quæ prædixi vobis, *fiant*, nàm pòſt iudicium abibunt alij in vitam æternam, alij in ignem æternum. Non poſſunt hæc uerba trahi ad euerſionem Ieruſalem, quia ſermo nùnc eſt de iudicio, & nulla datur concatenatio, & iàm ſatisfactum euerſioni Ieruſalem in præcedentibus; tenentes contrarium fortè moti ſunt à verbo (*generatio hæc*) ſed hæc intelligenda iuxtà materiam, cui apponitur; cum autèm agatur de iudicio antè, & pòſt, hæc verba non poſſunt intelligi, niſi modo præmiſſo. *Cælum & terra tranſibunt, verba autèm mea non tranſibunt*; adeò hæc vera, vt potiùs in cælis, & terra immutabilibus fiat tranſitus, quàm immutentur verba mea: ego Deus, & non mutor, Deus verax, omnis autèm homo mendax: iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. *De die autèm illa, & hora nemo ſcit nequè Angeli Cælorum*, addit *Cælorum*, ad differentiam dæmonum, *nequè filius, niſi ſolus Pater*. Cur non filius? credo filium etiàm quà hominem (etenìm vti Deus nullus dubitat) ſcire diem iudicij, quia omnes theſauri ſcientiæ in eo ſunt abſconditi, & habitat in eo omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr. Coloſ. 2. & 3. & illa dicitur ſua dies vti hominis iudicaturi, & ſcit præſentia, & futura ab inſtanti ſuæ conceptionis ratione idiomatum communicatorum, & hypoſtaſis diuinæ; ſed dicit ſe neſcire diem, & horam, quia adhùc quà homo mittendus eſt ad iudicium, & hoc mandatum nondùm recepit, ſed recepturus eſt ſuo tempore. Act. 3. 20. vt cum venerint

tempo-

tempora refrigerij (ecce tempus redemptionis, reſurrectionis vniuerſalis) à conſpectu Domini, & miſerit eum ad iudicium, qui prædicatus eſt vobis,Ieſum Chriſtũ,&c. reſpectu ergò huius miſſionis fiendæ, quam tamèn ſcit ipſe, & quandò faciendam, dicit filiũ neſcire, & de filio hic intelligit quà homine,non quà Deo,quia quà homo, nõ quà Deus recipit mandata;ideò ſubdit: *ſicùt autèm in diebus Noe, ità erit & aduentus Filij hominis*,datum eſt enim illi iudicium viſibile, quia Filius hominis eſt,Trinitate ſanctiſſima inuiſibilitèr iudicatura. Cum ergò expectet mandatum, & hoc à Patre, ſeu Sanctiſſima Trinitate, ideò benè dicit: ſolus Pater ſcit, & Filius neſcit, quia à Patre hoc mandatum debet prouenire; & aduerte id benè procedere, quia agebatur de aduentu ſuo in mundum ad iudicium, ideò ſubdit de aduẽtu Filij hominis,& propterea opportunè dixit. Act. 1. non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, ſiuè ſimplicitèr, ſiuè à me, quæ Pater poſuit in ſua poteſtaſte,fortè reſpiciens hoc mandatum ſibi quà homini faciendum. Potuit igitur quà homo dicere ſe neſcire, quia deeſt mandatum Dei,& dicuntur in Scriptura res fieri,quandò manifeſtantur ſuo tempore, non antè. S. Tho. 1. par. q. 24. art. 3. aliòquin quà Deus,& quà homo ſcit ex prædictis;ſic antequàm iuſſus eſſet à Patre reuelare futura Ioanni (iuſſus autèm fuit reuelare, quandò reuelauit, vt tenui. Apoc. 1.) poterat dicere ſe neſcire reuelanda, quia nondum habuerat mandatum reuelandi. Non placet quòd ſic dixerit,referens negotium ad Patrem, ne pateretur moleſtiam ſupèr diei huius, vel horæ interrogatione, proùt interrogatus. Act. 1. Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? Reſpondit,non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; vel quandò dixit Petro: caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt, & Iacobo,& Ioanni: non eſt meum dare vobis, vti hominis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo; nàm in præmiſſis referens ad Patrem, neque negat ſe ſcire, neque ſe excludit,& ex modo dicendi poſſumus in præmiſſis ſic dicere, ſecùs hìc, cum ad alia non deſcendat, ſed ſtet in ſimplicibus verbis negatiuis. Intellectus alij patiuntur difficultates non paruas; nàm nullus excludit ſcientiam, quam ipſe hic excludit, vel ſunt myſtici, vel in alia diffluentes, nec dubium eneruant, ſed ad ſingulos dicam quid ſentio. Primus Origenis de membris Chriſti, myſticus,nec intentus à Chriſto. Secundus de ſcientia experimentali friget, quia ex ſciẽtia ſua infuſa,& beata nouerat; & experimentalis non poterat conſiderari in hoc indiuiduo in fine mundi euenturo, & quia proùt in alijs coniunctis Angelis, & Patre non loquitur de illa, ità nec in ſeipſo, nec de illa interrogabatur,& de illa non reſpondet. Tertiùs, non nouit vt homo naturali ſcientia, non poteſt ſtare, quia ſi datur homo vti plenus omni ſcientia, proùt dixi, ſciebat, ſicùt homo ſimplex ſcientia infuſa deſtitutus dari non poteſt,quia diuideretur; & numquàm vt talis quidquam dixit. Quartus, retulit ad fontem diuinitatis, non tollit difficultatem, quia ſciret quà homo, at ſtat in verbis ſe neſcire. Quintus Athanaſij myſticus, nec intentus. Sextus, neſcit vt alijs aperiat, non intrat, quia dicit neſcire ſimplicitèr, reliquum diuinatiuum, & quia credimus non reuelandum etiàm à Patre, qui hoc modo loquendi præſupponeretur reuelaturus, quod non eſt verum, & cum in Patre non procedat,neque in Filio, reuelare enim non expedit, & quia dixerat angelos, quibus iungit ſeipſum, neſcire ſimplicitèr, ergò de ſe idem. Sed Io. 15. omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis, ideſt quæ reuelare poteram, ergò intellectus videtur aptus, at non dicit ignorare, proùt hìc. Prætereà Filius neſcit ad reuelandum, ergò neſcit, non currit, potiùs contrarius eſſet ſibimetipſi dicenti neſcire; Fortè quartus poſſet ſaluari, quia & Io. 14. dicit, & ſermonem, quem audiſtis non eſt meus, ſed eius, qui miſit me, Patris; alibì: mea doctrina non eſt mea, & reperiuntur plura ſimilia. At hic dicit neſcire, ibi ſcire, ſed à Patre. *ſicùt autèm in diebus Noe*,tempore diluuij, *ità erit aduentus Filij hominis* ad iudicium,*ſicùt enim erant in diebus antè diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vſquè ad eum diem, quo*

intrauit Noe in Arcam, & non cognouerunt donèc venit diluuium, & tulit omnes non credentes verbis, & prædicationi Noe, ſed ſubſannantes, nec incumbentes ad ſalutem animarum ſuarum; hinc. 1. Pet. 3. 19. in quo (ſpiritu) & his, qui in carcere erant, prædicauit, qui increduli fuerant aliquandò, quandò expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, & ibi expoſitus locus ſatis difficilis: *ità erit & aduentus Filij hominis*, qui inuenit homines adhùc otiantes, ſiis negotijs incumbentes, non cogitantes cæleſtia; non ergò hic de improuiſo aduentu, ſed imparato reſpectu hominum non expectantium, & ſeipſos præparantium, vt deberent; nàm infrà agit de repentino aduentu comparato furi, loquitur hic de hominum oſcitantia, proùt in parabola inuitatorum ad cœnam non curantiū accedere, vel proptèr nuptias, vel bo ues, vel villam. Aliā ſimilitudinem ad idem tendentē narrat S. Lucas Sodomitici incendij. Declarat magis hanc oſcitantiā ſubiungendo; *tùnc duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & una relinquetur*, hic ſexus conſeruatio in cælo, quaſi velit dicere, eritne tùnc tempus his incumbendi? at qualis vigilantia poſtquàm non vna omnium erit conditio, ſed diuerſa, & quàm malum relinqui in gehennam detrudendus, quàm bonum aſſumi ad gloriam. Lucas infrà verſ. 34. magis rem explicans dicit: *attendite autèm uobis, ne fortè grauentur corda ueſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius uitæ, &c.* exempli cauſa hæc ponuntur, ſed ſcopus eſt homines operam daturos priſtinis laboribus, & negocijs, proùt in exemplis Noetici diluuij; & incendij Sodomitici, neque diligentiam adhibituros ad ſpiritualia, & poteſt capi tempus vltimum iudicio hærens, & anterius tempore Antichriſti, quia omnes ſunt dies dati ad præparationem, & calamitatibus pleni. *In illa hora*, Luc. 17. *qui fuerit in tecto, &c.* hæc declarauimus ſuprà de excidio mundi; omnia dimittenda pro animæ ſalute, nihil tùnc curandum, quid enim prodeſt homini maximè tùnc morituro, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuę detrimentum patiatur? & ne putetis hęc leuia, quia periculum eſt in qualibet morula, & ne ſitis increduli his, quæ vobis dicuntur, ne quid mali vobis eueniat, *memores eſtote vxoris Lot*, quæ conuerſa retrò, antè reuerti non potuit, ſed illicò perijt, in ſtatuam ſalis mutata, incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis. Sap. 10. 7. *Quicumque quæſierit animam ſuam*, vitam ſuam *ſaluam facere* in illo inſtanti, temporalibus hærendo, *perdet illam* in gehennam, *& quicumque perdiderit illam* paratus, & expectans diem mortis ſuæ, *viuificabit eam* in vitam æternam. *Vigilate ergò, quia neſcitis qua hora* (ecce improuiſus dies) *Dominus veſter venturus ſit*, & Lucas *tamquàm laqueus enim ſuperueniet* ex improuiſo *in omnes, &c.* exemplo laquei venatorij; & Paulus. 1. Theſſ. 5. dies Domini, ſicùt fur in nocte venit, ità veniet; cum enim dixerint pax, & ſecuritas, tùnc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicùt dolor in vtero habentis, &c. & 2. Pet. 3. 10. adueniet autèm dies Domini vt fur; proptèr quod (verſ. 14.) chariſſimi hæc expectantes ſatagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace, & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini; At in morte cuiuſque id obſeruandum. *Si ſciret pater familias qua hora fur uenturus eſſet, uigilaret utiquè* pro cuſtodia bonorum ſuorum, *& non fineret perfodi domum ſuam*, eſt actus furum, *ideò & uos* multo magis *eſtote parati* pro animabus veſtris, *quia qua neſcitis hora Filius hominis uenturus eſt* ad iudicium particulare, nulla ergò hora otiandum. *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſupèr familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore?* à domino præfixo, & opportuno. *Beatus ille ſeruus* alijs præpoſitus, *quem cum uenerit dominus eius* in die mortis, perſeuerantia enim requiritur, *inuenerit ſic facientem* perſeuerantèr. *Amen dico uobis, quoniàm ſupèr omnia bona ſua conſtituet eum*, maxima remuneratione eum ditabit: *Si autèm dixerit malus ſeruus ille*, vel à principio ſic, vel mutatus non perſeuerans *in corde ſuo*, decipere volens, *moram facit dominus meus uenire*, confidens in vitæ longani-

ganimitate, *& cœperit percutere conſeruos ſuos* curæ ſuæ commiſſos, *manducet autèm, & bibat cum ebrioſis*, non curans præceptum domini ſui, *ueniet dominus ſerui illius mali in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat* more furis, *& diuidet eum*, morti eum tradet, *partemquè eius ponet cum hypocritis*, quia ſimulauit in corde ſuo, vt ſuprà dixit, & mali cuiuſque ſpeciei ſociabuntur, *illic erit fletus, & ſtridor dentium*, pœnæ acerbiſſimæ his deſcriptæ. Hac parabola eò magis nos ad vigilantiam, & ad opera bona trahere vult, & à malis abſtrahere ex caſu improuiſo: Vide Apocalyp. cc. 2. & 3. ad hanc rem facientia. Marc. verò 13. & Luc. 21. nedum ad vigiliam, ſed & ad orationem monent, *uigilate, & orate, neſcitis enim quandò tempus ſit; ſicùt homo, qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſquè operis*, præſcripſit cuique quid operandum *& ianitori præcepit, ut uigilaret. Vigilate ergò, &c.* ſic, vult dicere, eueniet vobis, ego abibo, præſcribam opus ſingulis, vos ergò vigilate, quia neſcitis qua hora ſim reuerſurus, *omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia* mala æterna, *quæ futura ſunt*, ſuperuenient vniuerſo orbi, *& ſtare* imperterriti *antè Filium* hominis nulla macula grauati.

CAPVT CXXXVII.

DE PARABOLA DECEM VIRGINVM.

Matth. 25.

1 *TVNC ſimile erit regnum cælorum decem virginibus:*
quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiàm ſponſo, &
2 *ſponſæ. * Quinque autèm ex eis erant fatuæ, & quinque*
3 *prudentes: * ſed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non*
4 *ſumpſerunt oleum ſecum: * prudentes verò acceperunt*
5 *oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. * Moram autèm*
faciente ſponſo, dormitauerunt omnes & dormierunt.
6 ** Media autèm nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiàm ei.*
7 ** Tùnc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. * Fatuæ*
8 *autèm ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ ex-*
9 *tinguuntur. * Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis,*
10 *& vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. * Dum autèm irent*
emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, &
11 *clauſa eſt ianua. * Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes:*
12 *Domine, Domine, aperi nobis. * At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, ne-*
13 *ſcio vos. * Vigilate itaquè, quia neſcitis diem, neque horam.*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

TVNC in iudicio *ſimile erit regnum cælorum*, Eccleſia hæc militans *decem uirginibus*, omnibus fidelibus ſub Chriſto militantibus, *quæ accipientes lampades ſuas*, opera ſua *exierunt obuiàm ſponſo, & ſponſæ* ſimùl domum venientibus, dicit de ſponſo, & ſponſa ſimùl ad ornatum parabolæ, & quia tùnc ſic fiebant occurſus, at ſub his intelligit de Chriſto veniente in fine vitæ, cui occurrimus, præmittit de hoc occurſu pro proemio, ſeù prologo, ſic enim duobus verbis parabolam totam ponit antè oculos; ſic ſeruauit Matthæus 1. cap. liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham, poſteà deſcendit, Abraham autèm, &c. ſic Moyſes: in principio creauit Deus cælum, & terram, poſteà deſcendit ad explicationem creationis cuiuſcumque, vbi dixi: *Quinque autèm ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*; adhùc proemium, nùnc parabola. *ſed quinque fatuæ acceptis lampadibus*, præparatis lampadibus ſolùm, *non ſumpſerunt oleum ſecum* ad illas implendas cum iàm impoſitum oleum defeciſſet, *fatuè* exiſtimantes illud ſufficere, quod in lampadibus erat, *prudentes verò* virgines *acceperunt oleũ in vaſis ſuis* vnà *cum lampadibus* plenis: *moram autèm faciente ſponſo*, quam longanimitatem Domini noſtri dicit Petrus 2. epiſt. cap. 43. 15. *dormitauerunt omnes, & dormierunt*; hoc ſomnum mittit Satanas, vt ſuperſeminet zizania otij, torporis, oſcitantię, vt imparati, ſeù cum oleo ſolo lampadum, ideſt operibus bonis inſufficientibus inueniamur, proùt Baltaſſar minùs habens. *Media autèm noćte*, intempeſta, improuiſa, qua minùs credebant, vt dictum fuit in parabolis præcedentibus, dicit *noćte*, vt declaret improuiſum aduentum, proùt Petrus furi aſſimilans, non quòd in noćte venturus ſit Dominus, nam appellatur hìc dies domini, & quia renouatis omnibus creaturis erit dies perpetuus, vndè non poteſt dici congregatio hominum fiet de noćte, Chriſtus in aurora veniet, quia non erit ampliùs tempus. Apoc. 10. 7. *clamor factus eſt* fortè infirmitate, vel alia clade vrgente, vel tuba ad iudicium vocante, *eccè ſponſus venit*, finis venit, venit finis, *exite obuiàm ei* (nùnc tantùm exeunt) rationem villicationis redituræ. *Tùnc ſurrexerunt omnes virgines illæ* decem, *& ornauerunt*, accenderunt, compoſuerunt *lampades ſuas*, quas ſeruabant pro huiuſmodi occurſu, *fatuæ autèm* virgines, videntes lumen ſuarum lampadum langueſcere, & deficere, *ſapientibus dixerunt: date nobis de oleo veſtro*, quod in vaſis reſeruaſtis (viderant ab alijs reſeruari oleũ, nec cauerant, confiſæ in ſolis lampadibus) *quia lampades noſtræ extinguuntur* oleo deficiente, quod nos non ſeruauimus, vndè hæ inuentæ minùs habentes, proùt Baltaſſar. *Reſponderunt prudentes, dicentes: ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis, fortè*, quia ſempèr timendum an ſimus odio, vel amore digni, an ſufficiens oleum operum bonorum, *ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*, benè conſulunt pro viuentibus, & hinc tùnc merita aliorum non profutura; vnuſquiſque onus ſuum portabit; quæ fecerit homo, hæc & recipiet. *Dum autèm irent emere* oleum, *venit ſponſus* cum ſponſa, vt præmiſit, *& quæ paratæ erant*, bonis operibus plenæ, oleum in vaſis vſquè ad finem conſeruantes, *intrauerunt cum eo* ſponſo, & ſponſa *ad nuptias*, ad beatitudinem, quę ſub nuptiarum typo ponitur, poſtquàm nil lætius in mundo; ſic & Apoc. 19. *& clauſa eſt ianua*, in ſignum non eſſe tùnc tempus olei comparandi, meriti acquirendi, *nouiſſimè verò ueniunt & reliquæ Virgines* fatuæ, *dicentes: Domine, Domine*, vocant nùnc cum Dominum, quem vti Dominum non dilexerunt, ideò: non qui dixerit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, *aperi nobis*, ſumus & nos virgines. *At ille reſpondens, ait: Amen dico uobis, neſcio uos* nudas

operi-

Digitized by Google

operibus, oleum enìm non inuenerunt vendibile, ſic & Matth. 7. Luc. 13. *Vigilate itaquè, quia neſcitis diem, nequè horam* aduentus mei, mortis veſtræ. Parabola hæc tendit ad vigilantiam prouocandam in nobis, eamquè perſeuerantem vſquè in finem, & in omnibus mandatis, & operibus, & diffidentiam de aliquibus actionibus noſtris, nàm hæ excluſę fuerunt negligentes in pręparando oleum; & pòſt mortem, ſeù dormitionem non dari remedium, ſomnus enìm pro morte in Lazaro: Lazarus amicus noſter dormit: lampades extinguebantur, quia non perſeuerabant, lampades habebant, non oleum, non ergò in omnibus operatę erant: & qui in vno deficit, factus eſt omnium reus; confiſæ ſunt in lampadibus ſuis ſolis, in virginitate, nec fuerunt ſufficientes, & pòſt dormitionem, quę mors, oleum inuenire non potuerunt; ideò cum tempus habemus operemur bonum, proùt prudentes fecerunt antè dormitionem, *qui enim perſeuerauerit uſquè in finem, hic ſaluus erit.* Aduerte quia parabola eſt in primo ſtatu hominum, quę eſt virginitas, & nihilominùs charitas, opera requiruntur.

CAPVT CXXXVIII.

DE PARABOLA TALENTORVM.

Matth. 25.

14 *SICVT enìm homo peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos*
15 *ſuos, & tradidit illis bona ſua. * Et vni dedit quinque*
talenta, alij autèm duo, alij verò vnum, vnicuique
ſecundùm propriam virtutem, & profectus eſt ſtatìm.
16 ** Abijt autèm qui quinque talenta acceperat, & operatus*
17 *eſt in eis, & lucratus eſt alia quinquè. * Similitèr &*
18 *qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo. * Qui autèm*
vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.
19 ** Pòſt multum verò temporis venit dominus ſeruorum illorum, & poſuit ratio-*
20 *nem cum eis, * Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque*
talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, eccè alia quinque
21 *ſuperlucratus ſum. * Ait illi dominus eius: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſu-*
pèr pauca fuiſti fidelis, ſupèr multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.
22 ** Acceſſit autèm & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tra-*
23 *didiſti mihi, eccè alia duo lucratus ſum. * Ait illi dominus eius: Euge ſerue bo-*
ne, & fidelis, quia ſupèr pauca fuiſti fidelis, ſupèr multa te conſtituam, intra
24 *in gaudium domini tui. * Accedens autèm & qui vnum talentum acceperat,*
ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis vbì non ſeminaſti, & congregas
25 *vbì non ſparſiſti: * & timens abij, & abſcondi talentum tuum in terra: eccè ha-*

26 *bes quod tuum eſt.* * *Reſpondens autèm dominus eius, dixit ei: Serue male, &*
27 *piger, ſciebas quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi:* * *oportuit*
ergò te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ergò recepiſſem vti-
28 *què quod meum eſt cum vſura.* * *Tollite itaquè ab eo talentum, & date ei, qui*
29 *habet decem talenta.* * *omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autèm,*
30 *qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* * *Et inutilem ſeruum*
eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

COMMENTARIVS.

SICVT *enim homo peregrè proficiſcens*, proficiſci volens *vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinquè talenta, alij autèm duo, alij vero vnum, vnicuique ſecundùm propriam virtutem*, potentiam, & ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Epheſ. 4. 7. *& profectus eſt ſtatim* ad peregrinationem ſuam, ità (vult dicere) facit Deus; primus *lucratus eſt alia quinquè*, ſecundus *alia duo; qui autèm vnum* tantùm talentum *acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit* in foſſa *pecuniam domini ſui*, ne periret, otioſus permanens. *Pòſt multum verò temporis* (eccè Dei longanimitas expectantis, inducias dantis, vt operemur) *venit dominus ſeruorum illorum* tempore mortis cuiuſque, *& poſuit rationem cum eis;* in morte enìm diſcutiuntur omnia opera noſtra, *& accedentes qui quinquè, & duo talenta acceperant*, dederunt lucrum domino, & dominus illis commendatis dixit, vt intrarent in gaudium domini ſui, ideſt in omne bonum, fruituri cum illo: volo Pater, vt vbì ego ſum, illic, & miniſter meus ſit; beatus, qui cœnabit in regno Dei; faciet eos accumbere, & tranſiens miniſtrabit illis; non poteſt explicari maior charitas Dei ergà ſeruos, quàm ponere illos ad menſam ſuam, proùt fecit Saul Dauidi. Dauid filijs Berzellai, & Miphiboſeth, & de eodem cibo eos alere, proùt deduxit Nathan ad Dauid agens de oue ablata à paupere. *Accedens autèm & qui vnum talentum acceperat, ait: domine, ſcio, quia homo durus es, metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti*, vis lucrum recipere etiàm vndè non debes (hominis vitioſi verba ſunt hæc) & ego *timens abij, & abſcondi talentum tuum in terra*, timui ne negotiando illud perderem, vel lucrum non facerem, *eccè habes quod tuum eſt*, ſatisfacio, quia non abſtuli, vel defraudaui. *Reſpondens autèm dominus eius, dixit ei: ſerue male*, infidelis, *& piger*, otioſus, imprudens, *ſciebas, quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi*, proùt tu dixiſti; conuincit eum ex ore proprio, vt in alia parabola dicitur: ex ore proprio te iudico ſerue nequam, *oportuit ergò te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepiſſem vtiquè quod meum eſt cum vſura*: vult dicere, dedi tibi pecuniam, talentum, ſenſus, chariſmata, vt te exerceres, & operareris, non vt otiareris, nullumq. fructum faceres, ſed poſtquàm nulla in te inuenta ſunt opera, conuerſus ad miniſtros dicit: *tollite itaquè ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta, omni enim habenti*, benè vtenti, ex Auguſtino, *dabitur, & abundabit: ei autèm, qui non habet*, benè vſus non eſt, *& quod videtur habere*, quod non habebat, quia non vtebatur habitis, *auferetur ab eo; & inutilem ſeruum*, qui neſciuit, vel noluit negotiari talentũ meum, *eijcite in tenebras exteriores*, in infernum; non eſt enim inuentum in eo opus bonum, *illic erit fletus, & ſtridor dentium*, ad denotandum extremos dolores, quos flendo, & dentibus ſtridendo ſolemus demonſtrare in hac vita. Inſtruimur hac parabola, vt vigilemus, & operemur perſeueranter vſquè ad diem aduentus Domini in morte noſtra,

& fa-

& faciamus fructus dignos,vt mereamur ingredi in gaudium Domini, non autèm torpeamus fodientes talenta in terra,nihil operando, vel lucrando, ne demergamur in profundum, & quoſque iudicandos iuxtà eorum opera; cuique enim dedit, in quo operari poſſit, ſecundùm ſuam virturem.

CAPVT CXXXIX.

DE CONSILIO SACERDOTVM ADVERSVS CHRISTVM.

Matth. 26.

1 ET factum eſt: cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos om-
2 nes, dixit diſcipulis ſuis: * Scitis quia pòſt biduum Pa-
ſcha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur.
3 * Tùnc congregati ſunt Principes ſacerdotum, & ſeniores
populi in atrium Principis ſacerdotum,qui dicebatur Cai-
4 phas:* & conſilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent, &
occiderent. * Dicebant autèm: Non in die feſto, ne fòr-
tè tumultus fieret in populo.

14 TVnc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes
15 ſacerdotum:* & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tra-
16 dam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. * Et exinde quærebat opportu-
17 nitatem, vt eum traderet.

Marc. 14.

1 ERat autèm Paſcha & Azyma pòſt biduum:& quærebant ſummi Sacerdo-
2 tes, & Scribæ quomodò eum dolo tenerent, & occiderent. * Dicebant au-
tèm: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.

10 ET Iudas Iſcariotes vnus de duodecim abijt ad ſummos Sacerdotes, vt pro-
11 deret eum illis. * Qui audientes gauiſi ſunt: & promiſerunt ei pecuniam
ſe daturos. Et quærebat quomodò illum opportunè traderet.

Luc. 22.

1 APpropinquabat autèm dies feſtus Azymorum,qui dicitur Paſcha: *& quæ-
2 rebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodò Ieſum interficerent: ti-
mibant

Digitized by Google

3 *mebant verò plebem .* Intrauit autèm Satanas in Iudam, qui cognominabatur*
4 *Iſcariotes vnum de duodecim . * Et abijt , & locutus eſt cum Principibus Sa-*
5 *cerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis . * Et gauiſi ſunt,*
6 *Et pacti ſunt pecuniam illi dare . * Et ſpopondit . Et quærebat opportunitatem*
vt traderet illum ſine turbis .

COMMENTARIVS.

E*T factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes* præſentes, recentes, de quibus proximè dictum, in dubio enim de his præſumitur loqui Euangeliſta, non de omnibus contentis in ſua hiſtoria, quia nec illi omnes ſermones, proùt hi, *dixit diſcipulis ſuis* omnium præſcius, *ſcitis*, hæc enim in ore omnium, *quia pòſt biduum paſcha fiet*, celebrabitur legale paſcha; in hoc autèm biduo, de quo nihil Euangeliſtæ, ipſe erat docens die in templo, & nocte in monte Olíueti. Luc. 21. *& Filius hominis*, ego, *tradetur à Iudæis*, de hoc enìm ſemper ipſe egit, dicens: tradetur gentibus, ideſt Pilato, & militibus, *vt crucifigatur*, quod factum ad turbæ Iudææ clamores. *Tùnc* feria quarta *congregati ſunt Principes ſacerdotum, & ſeniores populi* inuidi, & proterui *in atrium*, aulam *Principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt* iterum *vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent* ſibi contrarium, & eorum peccata detegentem, quem iàm definierant in alio conſilio occidendum, *dolo* autèm, quia timebant plebem, quæ cum in die feſto eſſet frequentior, & numeroſior, cauerunt etiàm, *non in die feſto* Paſchatis inſtante, *ne fortè tumultus fieret in populo*, & tamèn qui voluit, quandò fuit hora, & poteſtas tenebrarum ex ſua permiſſione, in die feſto captus eſt in nocte, temporis opportunitate à traditore ſeruata. *Tùnc*, dum eſſent in conſilio, *abijt* occaſione vnguenti effuſi, venatur enim diabolus inclinationes noſtras, *vnus de duodecim*, qui ſimùl ſecum dulces capiebat cibos, &c. ad rem exaggerandam, *qui dicebatur Iudas, ad Principes ſacerdotum* congregatos, *& ait illis: quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam? at illi conſtituerunt ei triginta argenteos* qui quantùm importent ex agro empto poteſt aliquo modo conijci, & videtur veriſimile fuiſſe ex hoc ſummam conſiderabilem, præſertìm quia omnes conueniunt Iudam occaſione vnguenti valoris pluſquàm trecentorum denariorum motum, & non eſt veriſimile ob paruam ſummam reſpectu illius, qua motus eſt, & etiàm reſpectu turpis facinoris Dominum tradidiſſe, præſertim quia loculos habebat, vndè pro parua ſumma poterat ex loculis ſempèr ſibi prouidere. Tamèn quantitas expreſſa triginta argenteorum, ſi verum illorũ valorem ſciremus, eliderct alias præſumptiones aduerſantes, non tradiderunt tùnc, Marcus *promiſerunt*, Lucas *pacti ſunt pecuniam illi dare*, vndè pòſt traditionem dederunt, *& exindè quærebat opportunitatem, vt eum traderet* ſinè turbis, illi enìm timebant turbas, & ipſe timebat, ne res ſuccederet, ideò dixit: quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eũ, & ducite cautè; fuit autèm Satanas impulſor, nàm dicit Lucas. *Intrauit autèm Satanas in Iudam*, non quòd illum arrepſerit, ſed cum diabolus iàm miſiſſet in cor, vt traderet eum, & pòſt bucellam introiuit in eum Satanas. Io. 13. quæ eſt communis intelligentia, ſeruiens ad ea, quæ ſuprà diximus ſupèr verbis contrà Chriſtum, & Ioannem: dæmonium habet.

CAPVT CXL.

DE COENA IN PASCHATE.

Matth. 26.

17 *PRIMA autèm die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad*
Ieſum, dicentes: Vbì vis paremus tibi comedere Pa-
18 *ſcha? * At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quemdam,*
& dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum propè eſt,
19 *apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. * Et fecerunt*
diſcipuli ſicùt conſtituit illis Ieſus, & parauerunt Pa-
20 *ſcha. * Veſpere autèm facto, diſcumbebat cum duode-*
21 *cim diſcipulis ſuis. * Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus ve-*
22 *ſtrum me traditurus eſt. * Et contriſtati valdè, cæperunt ſinguli dicere: Num-*
23 *quid ego ſum Domine? * At ipſe reſpondens, ait: Qui intingit mecum manum*
24 *in paropſide, hic me tradet. * Filius quidèm hominis vadit, ſicùt ſcriptum eſt*
de illo: væ autèm homini illi, per quem Filius hominus tradetur: bonum erat
25 *ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. * Reſpondens autèm Iudas, qui tradidit eum,*
26 *dixit: Numquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti. * Cænantibus autèm*
eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditquè diſcipulis ſuis, & ait:
27 *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. * Et accipiens calicem gratias egit:*
28 *& dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. * Hic eſt enìm ſanguis meus noui te-*
29 *ſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. * Dico autèm*
vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis vſquè in diem illum, cum illud
bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.

Marc. 14.

12 *ET primo die Azymorum quandò Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli:*
13 *Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Paſcha? * Et mittit duos*
ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in ciuitatem: & occurret vobis homo lage-
14 *nam aquæ baiulans, ſequimini eum: * & quòcumque introierit, dicite domino*
domus, quia Magiſter dicit: Vbì eſt refectio mea, vbì Paſcha cum diſcipulis
15 *meis manducem? * Et ipſe vobis demonſtrabit cænaculum grande, ſtratum: &*
16 *illìc parate nobis. * Et abierunt diſcipuli eius, & venerunt in ciuitatem: &*
17 *inuenerunt ſicùt dixerat illis, & parauerunt Paſcha. * Veſpere autèm facto,*
18 *venit cum duodecim. * Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Ieſus:*
Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

* At

19 * *At illi cæperunt contriſtari , & dicere ei ſingulatìm : Numquid ego ? * Qui ait*
20 *illis : Vnus ex duodecim , qui intingit mecum manum in catino . * Et Filius*
21 *quidèm hominis vadit , ſicùt ſcriptum eſt de eo : væ autem homini illi , per*
22 *quem Filius hominis tradetur . Bonum erat ei , ſi non eſſet natus homo ille . * Et*
manducantibus illis , accepit Ieſus panem : & benedicens fregit , & dedit eis ,
23 *& ait : Sumite , hoc eſt corpus meum . * Et accepto calice , gratias agens dedit*
24 *eis: & biberunt ex illo omnes. * Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamen-*
25 *ti, qui pro multis effundetur . * Amen dico vobis, quia iàm non bibam de hoc ge-*
nimine vitis vſquè in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei .

Luc. 22.

7 V*ENIT autèm dies Azymorum , in qua neceſſe erat occidi Paſcha .*
8 * *Et miſit Petrum , & Ioannem , dicens : Euntes parate nobis Paſcha ,*
9 *vt manducemus . * At illi dixerunt: Vbì vis paremus ? * Et dixit ad eos : Ec-*
10 *cè introeuntibus vobis in ciuitatem , occurret vobis homo quidam amphoram*
11 *aquæ portans : ſequimini eum in domum , in quam intrat , * & dicetis patriſa-*
milias domus : Dicit tibi Magiſter : Vbì eſt diuerſorium , vbì Paſcha cum di-
12 *ſcipulis meis manducem ? * Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum,*
13 *& ibì parate . * Euntes autèm inuenerunt ſicùt dixit illis , & parauerunt Pa-*
14 *ſcha . * Et cum facta eſset hora , diſcubuit , & duodecim Apoſtoli cum eo . * Et*
15 *ait illis : Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum , antequam pa-*
16 *tiar . * Dico enim vobis , quia ex hoc non manducabo illud , donèc impleatur in*
17 *regno Dei . * Et accepto calice gratias egit, & dixit : Accipite , & diuidite intèr*
18 *vos . * Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis , donèc regnum*
19 *Dei veniat . * Et accepto pane gratias egit, & fregit , & dedit eis , dicens : Hoc*
eſt corpus meum , quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem.
20 * *Similitèr & calicem , poſtquàm cœnauit , dicens : Hic eſt calix nouum teſta-*
21 *mentum in ſanguine meo , qui pro vobis fundetur . * Veruntamèn eccè manus*
22 *tradentis me , mecum eſt in menſa . * Et quidèm Filius hominis , ſecundùm*
quod definitum eſt , vadit : veruntamèn væ homini illi , per quem tradetur .
23 * *Et ipſi cæperunt quærere intèr ſe , quis eſſet ex eis , qui hoc facturus eſset . * Fa-*
24 *cta eſt autem & contentio intèr eos , quis eorum videretur eſſe maior . * Dixit*
25 *autèm eis : Reges Gentium dominantur eorum : & qui poteſtatem habent ſupèr*
26 *eos , benefici vocantur . * Vos autèm non ſic : ſed qui maior eſt in vobis , fiat*
27 *ſicùt minor , & qui præceſsor eſt , ſicùt miniſtrator . * Nam quis maior eſt , qui*
recumbit , an qui miniſtrat ? nonnè qui recumbit ? Ego autèm in medio ve-
28 *ſtrum ſum , ſicut qui miniſtrat : * vos autèm eſtis , qui permanſiſtis mecum in*
29 *tentationibus meis . * Et ego diſpono vobis ſicùt diſpoſuit mihi Pater meus re-*
30 *gnum , * vt edatis , & bibatis ſupèr menſam meam in regno meo : & ſedeatis*
ſupèr thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael .

Ioan.

Ioan. 22.

1 ANTE diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius vt tran-
ſeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo,
2 in finem dilexit eos:* Et cœna facta, cum diabolus iàm miſiſſet in cor vt trade-
3 ret eum Iudas Simonis Iſcariota: ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, &
4 quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit:* ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta
5 ſua: & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe.* Deindè mittit aquam in peluim,
6 & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Ve-
nit ergò ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes?
7 * Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autèm po-
8 ſteà.* Dixit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ie-
9 ſus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Dicit ei Simon Petrus: Do-
10 mine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput.* Dicit ei Ieſus: Qui
lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi
11 eſtis, ſed non omnes.* Sciebat enìm quiſnam eſset qui traderet eum: propterea di-
12 xit: Non eſtis mundi omnes.* Poſtquàm ergò lauit pedes eorum, & accepit ve-
13 ſtimenta ſua, cum recubuiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?* Vos
14 vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis, ſum etenim.* Si ergò ego
laui pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius laua-
15 re pedes.* Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ità
16 & vos faciatis.* Amen, amen dico vobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo
17 nequè Apoſtolus maior eſt eo, qui miſit illum.* Si hæc ſcitis, beati eritis ſi fece-
18 ritis ea.* Non de omnibus vobis dico: ego ſcio quos elegerim: ſed vt adimplea-
tur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contrà me calcaneum
19 ſuum.* Amodò dico vobis, priuſquàm fiat: vt cum factum fuerit, credatis,
20 quia ego ſum.* Amen, amen dico vobis: Qui accipit ſi quem miſero, me acci-
21 pit, qui autèm me accipit, accipit eum qui me miſit.* Cum hæc dixiſſet Ieſus,
turbatus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia
22 vnus ex vobis tradet me.* Aſpiciebant ergò adinuicèm diſcipuli, hæſitantes de
23 quo diceret.* Erat ergò recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem di-
24 ligebat Ieſus.* Innuit ergò huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis eſt, de quo di-
25 cit?* Itaquè cum recubuiſſet ille ſuprà pectus Ieſu, dicit ei: Domine, quis eſt?
26 * Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſ-
27 ſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ.* Et pòſt buccellam, introiuit in eum
28 Satanas. Et dixit ei Ieſus: Quod facis, fac citiùs.* Hoc autèm nemo ſciuit di-
29 ſcumbentium ad quid dixerit ei.* Quidam enìm putabant, quia loculos habebat
Iudas, quòd dixiſset ei Ieſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut
30 egenis vt aliquid daret.* Cum ergò accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò.
Erat autèm nox.

COMMENTARIVS.

P*RIMA autèm die azymorum*, in qua azymis tãtùm veſci licebat, *acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum* ſtantem in Bethania, *dicentes: Vbì vis paremus tibi comedere Paſcha?* in Ieruſalem; quia ibì ſolùm licebat Agnum Paſchalem edere. Deuter. 16. in ſignum liberationis ab exterminatore tranſeunte in Aegypto; & Marcus dicit *quandò Paſcha immolabant*, & Lucas *in qua neceſſe erat occidi Paſcha*, ex quibus verbis fit clarum, Chriſtum manducaſſe Paſcha tempore à lege præſtituto; ad quid enìm tanta cura de Paſchate celebrando, ſi in tempore debito celebrari non debuiſſet? meliùs erat abſtinere; & quomodò is, qui omnia ſeruauit legalia, nunc in vltimo actu deficit? dic ergò celebraſſe illud die Iouis decimoquarto die in poſteriori veſpera, qui eſt primus dies azimorum, de quo hìc, & ſic manducauerunt Hebræi die ſequenti; nàm Ioan. 18. dicitur; non introierunt in prætorium ne contaminarentur, & manducarent Paſcha. Marcus concordat cum Matthæo diſcipulos interrogaſſe, *quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Paſcha?* nec diſcordat Lucas dicens, *& miſit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha vt manducemus*, quaſi Chriſtus ex ſe non interrogatus miſerit: nàm omittit Lucas diſcipulorum interrogationem, quam alij duo ponunt, & tangit ſolùm Chriſti factum in mittẽdo paratum Paſcha, in quo vltimo concordant Matthæus, & Marcus: Primus, *at Ieſus dixit: Ite in Ciuitatẽ, &c.* Secundus, *& mittit duos ex diſcipulis ſuis, &c.* & quamuis Lucas ſubdat verba Petri, & Ioannis, *vbi vis paremus?* non explicant proùt primò de Paſchate; ſed de loco loci, & pro ipſis tantùm, quia mittebantur. Vndè hìc nulla omninò difficultas. *Ite in Ciuitatem* Ieruſalem *ad quendam* innominatum, & incognitum diſcipulis miſſis, ideò tres Euangeliſtæ referunt ſigna data illis ad eum cognoſcendum, & inueniendum; ſic egit quandò pro aſina, & pullo mittit; nàm ad ignotum miſit, & ſi Chriſtus dixiſſet nomen viri, non erant neceſſaria ſigna, & eſt proprium hoc Dei; Abraham educit, nec dicit terràm, ſed quam monſtrabo; Iubet immolari Iſaac ſupèr montem, quem demonſtrabit. Eliæ iubet, ſurge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibì, præcepi enim mulieri viduæ vt paſcat te. Aeſtimo autem hunc diſcipulum fuiſſe occultum diuitem ex cœnaculo magno ſtrato, & alijs, & myſterium ineſſe, vt appareat Chriſtum nedum non habuiſſe domum, ſed nec quemquam, apud quem hoſpitaretur in Ieruſalem, quia ſi fuiſſet is hoſpes ſuus, ſciuiſſent diſcipuli, & ad hoſpitem potiùs, quàm ad alium diuertiſſet, poſtquàm & diſcipulis præcepit, ne irent de vna in aliam domum, ſed in quamcunque intrarent, ibì manerent, *& occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſequimini eum, & quòcunque introierit, dicite domino domus* (ſimilia ſigna dedit Samuel Sauli ad regni certitudinem. 1. Reg. 10.) *Magiſter dicit: tempus meum*, mortis meæ *propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis*; ex his, & verbis Marci, & Lucæ ex imperio Chriſtus pro cœnaculo agit, vti Dominus; Dominus his opus habet, dixit de pullo, & aſina; & hoc imperium excludit quòd pretio locauerit illud, ſed gratis conceſſerit: an autèm cœnaculum parauerit pro Chriſto, ſe, vel alijs, incertum, potiùs inclinarem pro Chriſto paraſſe, vel ex condicto, vel potiùs ex reuelatione. Credo autèm agnum ſtantes comediſſe, quia dicitur. Exod. 12. 11. renes veſtros accingetis, quod eſt viatorum & calceamenta habebitis in pedibus, & accubituri ſolebant ſe diſcalceare, tenentes baculos in manibus, qui ſedẽtibus non conueniunt, & eſſent impedimento, & comedetis feſtinantèr, quod etiàm conuenit magìs ſtantibus, quàm ſedentibus. At Chriſtum manducaſſe cum diſcipulis Paſcha eo die, quo ex lege decretum erat, vltrà iàm dicta, eſt certum, cum legis fuerit obſeruantiſſimus, eò

magis

magis in hac cæremonia repræſentante mortem ſuam; tùm præmonitis diſcipulis de die cum tot myſterijs: ſcitis quia pòſt biduum Paſcha fiet, & palàm nempè petito ab homine cœnaculo, ſtrato magno Paſcha in eo celebraturus cum diſcipulis ſuis, ſi enim alio tempore, quomodò & dans cœnaculum, & diſcipuli non eſſent ſcandalizati?& fortè nequè ille dediſſet, nec ij petijſſent, nequè diſcipuli ſtratum cœnaculum ab illo inueniſſent,& ſaltèm ipſe rationem mutationis temporis feſti præſcripti edidiſſet, & Iudas, qui illud ſecum celebrauerat, Iudæis indicaſſet nouitatem,de qua & interrogatus eſſet,cum eſſet de ſpectantibus ad legem. Vltrà quòd & diſcipuli ſuperſtites murmuraſſent, nec fuiſſent contenti ea celebratione,ſed iterum celebraſſent, ne Iudæis proderentur, & nullo modo Euangeliſtæ tantam rem tacuiſſent, imò ex textura omnium apparet in tempore omnia geſta. Hæc pauca ſufficiant ad tot per alios congeſta; & ſi Iudæi non manducarunt illa nocte Paſcha,reſpondet Chryſoſtomus. hom.85. in Matth. ***Et ait illis*** iuxtà Lucam: ***Deſiderio deſideraui***, anxiè optaui ***hoc Paſcha*** legale ***manducare vobiſcum***, ***antequàm patiar***, moriar; Vndè dicebat: baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor? hoc enim tempus eſt,inſtat,in quo omnia perficio & incruentum, & cruentum ſacrificium; cum autèm de Paſchate,& legali hìc cenſui ſituanda verba hæc Lucæ. ***Dico enim vobis***, ***quia ex hoc***, impoſterum ***non manducabo illud*** ampliùs, vti viator loquitur, ***donèc impleatur in regno Dei*** nouum Paſcha meum,ſcilicèt tranſitus ex hoc mundo ad Patrem.Ioan.13.verbum ergò(***donèc***) non efficit, vt poſteà aliud Paſcha comederit, & excluditur tempus pòſt reſurrectionem,in quo nec Paſcha manducauit,ſed voluit ex eo,& alijs verbis ſignificare mortem ſuam, & trāſitum ad dexteram Patris,& regnum Dei, & excludere aliud tempus. ***Et accepto calice gratias egit,& dixit: Accipite, & diuidite intèr vos***:cum autèm Lucas ſubdat. ***Similitèr & calicem***, ***&c.*** quæritur an duo vel vnus calix fuerit? & videntur de vno calice hæc intelligenda continente ſanguinem, quod enim præueniendo dixerat, repetit;nàm quòd de calice ſanguinis in primis etiàm verbis intelligat, patet, quia ***gratias egit, & dixit, accipite, & diuidite intèr vos***, quæ non aptarentur vino communi; itèm, quia ſubdit eadem verba, quæ alij de generatione vitis hic bibenda,quæ omiſit in ſecundis verbis de calice, & fortè ſic repetijt, quia in primis verbis omiſerat verba conſecrationis,quæ poſteà appoſuit, & verba, ***poſtquàm cœnauit***, in ſecunda locutione calicis non diuerſificant,quia referenda antè panem conſecratum, & ſicùt prima verba de calice per præuentionem dicta intelliguntur pòſt cœnam communem prolata, ità & ſecunda intelliguntur eodem modo finita menſa communi, ſeù ciborum communium etiàm iuxtà Paulum, & alios Euangeliſtas dicentes, ***poſtquàm cœnauit***. At meliùs credo.Lucam.cap.22.17. ***& accepto calice,&c.*** loqui de calice, & vino communi non conſecrato, ſicùt enim ſolebat diuidere,& frangere panem,& porrigere, proùt apparet pòſt reſurrectionem cum diſcipulis in Emaus, & ad mare Tyberiadis, ità fortè ſolebat in vino porrigendo dicere,vt diuiderent. At Lucas ſubdit de calice, quia præceſſerant verba de manducatione Paſchatis,***deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum***, & ***dico enim vobis***, ***quia ex hoc non manducabo illud***, ***&c.*** ideò ſicùt dixerat quòad manducationem, ***donèc impleatur in regno Dei***, ideſt in gloria ſua poſtquàm reſurgeret glorioſus, & aſcenderet ad dexteram Patris, ibi enim hoc regnum, ità quòad bibitionem dicit ſe non bibiturum de generatione vitis, donèc idem regnum Dei veniat. Cum enim agit de Paſchate manducādo,dicit ***hoc Paſcha manducare vobiſcum***,ergò adhùc agebatur cœna communis,ſeù Agni, & nondum erat deuentum ad conſecrationem corporis, & ſanguinis factam pòſt cœnam communem; & quamuis gratias agat, gratiarum actio & communi,& conſecrato conuenit, nec eſt vmquàm inepta, & eadem in pane communi vſus eſt. Ioan.6.11.24. & Paulus.acto.27.35.& docuit. 1.Cor.31. ſic ſempèr faciendum, ſiuè edamus, ſiuè bibamus, &c. & Coloſſ. 3. 17. Vltrà quòd dicit ***non bibam de genimine vitis***, non dicit de ſanguine ſuo, proùt dicendum fuit, ſi vinum fuiſſet conſecratum. Nequè in conſecrato

Sſ vſus

Digitized by Google

vſus eſt verbis illis, *accipite, & diuidite inter vos.* Et ſi Matthæus, & Marcus meminerint pòſt vinum conſecratum de genimine vitis, intelligendi iuxtà Lucam antè conſecrationem, cum pòſt inuerifimile ſit vinum purum ſumptum. Vel de illo actum, & dicit *de gemine vitis*, quaſi puro vino, neque legitur Dominum vinum conſecratum bibiſſe pòſt reſurrectionis gloriam, ſed ediſſe, & bibiſſe communia, etſi conſecrauerit, & alijs ſumendum porrexerit ſecundùm aliquos; vndè ſi verba illa de conſecrato intelligantur, numquàm probabuntur verificata, hoc autèm dico iuxtà ſententiam tenentium illa verba, *non bibam, &c.* intelligi pòſt reſurrectionem, quam non tenui. Et ſumptio cibi, vel potus facta per eum, fuit ad manifeſtationem reſurrectionis veræ, & ne exiſtimaretur ſpiritus à diſcipulis dubitantibus, non ad alium effectum; Beati enim cibo inuiſibili vtuntur, prout Angeli. Tobiæ 12.19. quos æquant, erunt ſicut Angeli, dixit Dominus Sadducæis. Vltimò, quia expreſsè conſecrat vinum pòſt panis conſecrationem. 19. & 20. & is ſecundus actus innoteſcere facit quid ſentiendum in primo, in quo non profert verba conſecrationis; ſi enim poſtquàm cœnauit conſecrauit. 1. Cor. 11. 25. & Lucaſmet, ergò antè nulla conſecratio, eo magis, quia, cœna facta, antè conſecrationem interuenit pedum lotio, ex Ioanne. cap. 13. & fortè in calice proferunt illa verba S. Lucas, & Apoſtolus *poſtquàm cœnauit* ad diſtinguendum vinum conſecratum à non conſecrato, quod non opus fuit in pane, vel & panem ſimilitèr, ſi ad vtrumque referantur; hæreo igitur huic opinioni, prima ſic dimiſſa. At etiàm aduerti ad verba. *Hic eſt calix* ex Luca, idem quod alij, *hic eſt ſanguis*, nàm ponitur continens pro contento, quod ex eodem Luca apparet, quia dum præuenit, vtitur eodem verbo calicis, & addit *diuidite, dico vobis, quòd non bibam, &c.* vltrà quòd omnes vtuntur verbo calicis, & Lucas *in ſanguine meo, qui pro vobis, &c.* ſic & 1. Cor. 11. 25. hic calix, &c. ſed & infrà de hoc. *Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis* vt viator, ſeù mortalis, *donèc regnum Dei veniat*, ideſt numquàm, etſi enim pòſt reſurrectionem biberit, non vti viator, ideò tùnc dicebat: dum eſſem vobiſcum, ſed clariùs explicant Matthæus, & Marcus dicentes *vſquè in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei*, quæ ſunt referenda ad gloriam ſub typo vini, in quo lætificantur corda bibentium, proùt in cœlo gloriam haurientes, & ſic hæc ſpiritualitèr intelligenda, bibiturum in cælo cum eis; proùt illud; & diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis ad menſam meam, &c. Vndè hæc non poſſunt referri ad tempus pòſt reſurrectionem: Ioannes autèm ſic intonat. *Antè diem feſtum Paſchæ*, in poſteriori veſpera diei decimiquarti feria quinta, vt ſuprà, *ſciens Ieſus, quia venit hora eius*, quam ipſe vult: oblatus eſt quia ipſe voluit, & quandò noluit, nondum hora venerat. Ioan. 8. at hora etiàm, & poteſtas tenebrarum, peccatorum, qui in eum manus intulerunt hora eius coniuncta, quia antè nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. Ioan. 8. *vt tranſeat* per mortem Crucis *ex hoc mundo ad Patrem*, ad eius dexteram ſeſſurus: exiui à Patre, & veni in mundum per incarnationem, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem per mortem, *cum dilexiſſet ſuos* Apoſtolos, *qui erant*, remanebantquè *in mundo*, ad Apoſtolos hæc reſtringenda, quia omnia ſubiecta circà eos, non alios verſantur, nec excluditur ob id amor, & charitas in omnes homines, pro quibus animam ſuam ponebat, ſed hoc ad litteram: *In finem* vſquè vitæ ſuæ *dilexit eos*, ſigna hæc amoris maxima aperiendo lotione pedum humili miniſterio, quo & ipſi edocerentur etiàm in fine humilia proſequenda, Euchariſtiæ communione Sacramento viuifico gratiarum fontem continente, ſermone admirabili, & conſolatorio; ſic morituri memoriale relinquunt; Iſaac. Geneſ. 27. Iacob. 49. Ioſeph. 50. Moyſes. Deut. 33. Ioſue. cap. 23. 24. Dauid. 3. Reg. 2. Tobias. Tob. 14. Mathathias. 1. Machab. 2. 49. Simeon. Luc. 2. & ipſe iuſſit in eius memoriam confici Sacramentum. 1. Cor. 11. & Luc. 22. *Et cœna facta*, perfecta ciborum communium pòſt Agnum Paſchalem, Agnus enim Paſchalis non ſaturabat, ideò poſteà cœna communis ſumebatur; *cum diabolus iàm miſiſſet in cor* non ergò arrepſerat, *vt traderet eum Iudas Simo-*

nis

tis Iſcariotæ,tentationem hanc in eum inſerendo, qui iàm ſpoponderat, & conuenerat cum Iudæis, & opportunitatem obſeruabat. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. meminit hìc Apoſtolus proditionis Iudæ,quia cum dixiſſet Ieſum horam ſuæ mortis ſciuiſſe, intendit demonſtrare eumdem ſciuiſſe quomodò, & à quo tradendus; *ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus* ob humilitatem vti homini,*& quia à Deo exiuit*,humilians ſe ad humanam naturam ſuſcipiendam, & *ad Deum vadit* per humilitatem Crucis,ideò ſequens eandem humilitatem, qua venit miniſtrare, non miniſtrari, *ſurgit, &c. & cæpit lauare pedes diſcipulorum* ſuorum, quo nullum vilius miniſterium. Vndè Abigail. 1.Reg.25. 42. eccè famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorũ Domini mei; & quia viliores pedes, Ioannes agens de viliori miniſterio dicit ſe indignum, qui ſoluat calceamentum Chriſti. *Surgit à cæna* communi,*& ponit* deponit *veſtimenta ſua* ordinaria, conſueta, veſtem ſuperiorem, *& cum accepiſſet linteum* ad pedes extergendos, *præcinxit ſe*, veſtemquè interiorem, vt præcinctus eſſet paratior, & aptior ad pedes abluendos; dicitur:ſint lumbi veſtri præcincti, *deindè mittit aquam in peluim,& cæpit*, pro, vt inciperet *lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*; deſcribitur ſtatus Chriſti præparantis lotionem, & quomodò hoc miniſterium faceret; ſic Petrus dicit:*Tu mihi lauas pedes?* nondum enìm lauabat, nàm Petrus contradicebat. *Venit ergò ad Simonem Petrum*, qui ſicùt primus intèr alios, ità primus in lotione, & quem ſempèr prætulit in alijs actibus, non eſt cenſendum in hoc poſtpoſuiſſe, præſertìm in vltimo, & cum iàm declaratus eſſet primus, & conſignandus ei eſſet primatus pòſt reſurrectionem, & quia ſi alij priùs loti, difficiliùs auſus eſſet contradicere Chriſto lauare volenti, ſed contextus melior omnibus argumentis, nàm ſi ab alijs incœpiſſet non diceretur pòſt præparationem ad lotionem: *Venit ergò ad Simonem Petrum*, quaſi ab eo incipiens,ſi enìm ab alijs incœpiſſet,alijs verbis vteretur id denotantibus; *Et dicit ei Petrus*, videns Chriſtum volentem lauare. *Domine, tu mihi lauas pedes?* tu Dominus lauare vis viliora mea? ſic aliàs: exi à me Domine, quia homo peccator ſum;ſic Ioannes Baptiſta: ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autèm poſteà*, ideſt iàm, iàm, quia ad humilitatem in vobis adſtruendam iuſſurus ſum vt alter alterius lauet pedes, ſeù ad puritatem indicandam requiſitam in ſuſceptione Sanctiſſimi Sacramenti, cum dicat, *qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet*, tranſiens ad munditiam ſpiritualem, nec credo ad alia; de his enìm quæ ſubſequutura erant loquebatur, non de remotis. *Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum*, ſic prorumpit Petrus, quo magìs videt Chriſtum inſiſtentem, vt eum remoueat; ſic ſolemus dicere aliquid omninò negantes. *Reſpondit ei Ieſus: Si non lauero te, non habebis partem mecum* proptèr inobedientiam:numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? melior eſt enìm obedientia, quàm victimæ, & auſcultare magìs, quàm offerre adipem arietum, quoniàm quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idòlolatriæ nolle acquieſcere. 1.Reg.15.22. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput*, poſtquàm ſic iubes, ſic minaris, quò enìm à te ſeparati ibimus? verba vitæ æternæ habes. *Dicit ei Ieſus* ad ſedandum animum Petri, *qui lotus eſt*, proùt vnuſquiſque lauatur antequàm menſæ accumbat, *non indiget niſi* lotione pedum ad myſterium,quod ſcies poſteà,*ſed eſt mundus totus* per ſolam pedum lotionem, quia iàm aliæ eius partes lotæ,& ſic tranſit ad ſpiritualem lotionem animæ,& affectuum per pedes deſignatorum. Hìnc ſubdit,*& vos mundi eſtis* à peccatis mortalibus,*ſed non omnes*, vnus enìm intèr vos mei proditor immũdus,aderat enìm & Iudas, *ſciebat enìm quiſnàm eſſet qui traderet eum: proptereà dixit, non eſtis mundi omnes*. Hoc dicit ad inſinuandam eius diuinam naturam omnia occulta cordis penetrantem, & tolerantiam ſuam in Iuda. *Poſtquàm ergò lauit pedes* eorum etiàm Iudæ, *& accepit veſtimenta ſua* depoſita, *cum recubuiſſet iterum* ad menſam. *Dixit eis: Scitis*, experti eſtis *quid fecerim*

Sſ 2 *vobis?*

vobis? lauando pedes veſtros: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim*, firmat hoc ex eius ore, vt inferat, *ſi ergò ego laui pedes veſtros Dominus, & Magiſter* volens, *& vos* multò magis *debetis*, tenemini *alter alterius lauare pedes*, & quæcunque vilia obſequia facere, ab vno enim omnia intelligit; & ex ſequentibus etiàm ſe declarat, vt aduertit Caietanus, *exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego* taliſ *feci vobis, ità & vos* homines intèr vos *faciatis* (eccè quod dictum Petro, *ſcies poſteà*) & præſertim ſumpturi Sanctiſſimum Sacramentum corporis, & ſanguinis mei, hoc enim declarabit vobis qualis munditia requiratur, *non eſt ſeruus maior Domino ſuo, nequè Apoſtolus eſt maior eo, qui miſit illum*; ſi ergò ego Dominus, & mittens ſuperior vobis feci, & vos ſerui, & miſſi facere debetis; *ſi hæc ſcitis*, humilia, quæ dico, id eſt ſcitis illa, ſed *beati eritis, ſi feceritis ea*, factò exequemini, *non de omnibus vobis dico* beatitudinem quæſituris (de hac enìm agit, cum iàm ad Apoſtolatum eſſent electi: nonnè elegi vos duodecim?) *ego ſcio quos elegerim*, prædeſtinauerim de vobis, vnus enim veſtrum diabolus eſt. Ioan. 6. *ſed* ſic fiet, *vt adimpleatur*, & conſequentèr adimplebitur, *ſcriptura, qui mãducat mecum panem, leuabit contrà me calcaneum ſuum*, calce me abijciet, ſeù faciet ſupplantationem. Pſalm. 40. *Amodò*, nunc *dico vobis priuſquàm fiat* perfectè, iàm enim ſpoponderat, cœperat, *vt cum factum fuerit credatis, quia ego ſum* Deus prænoſcens ventura, & ſciens corda, & animo non deſpondeamini. *Amen, amen dico vobis, qui accipit ſi quem miſero, me accipit, qui autèm me accipit, accipit eum, qui me miſit:* dixerat beatos illos facturos opera humilitatis intèr ſe, nunc ampliat, & illos beatos futuros recipientes miſſos à ſe, & illis miniſtrantes, & inſeruientes, aperiens quod de illis dixerat de omnibus dicere. *Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu*, propaſſionem in ſe excitauit, ſic in Lazaro: infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum. Ioan. 11. 34. & Ioan. 12. 27. nunc anima mea turbata eſt, audito de Gẽtilibus, cœpit, & pauere, & tædere. Triſtis eſt anima mea vſquè ad mortem. Marc. 14. 34. Ex antecedentibus verò, & ſubſequẽtibus, in quibus de Iuda turbatio hæc aſſumpta creditur ob perditionem, & malitiam Iudæ perituri, hincquè ſubditur, *& proteſtatus eſt* apertè, *& dixit* clarè, quod obſcurè dixerat priùs *vnus ex vobis diabolus eſt, mundi eſtis, ſed non omnes, qui manducat panem mecum, leuabit contrà me calcaneum ſuum. Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis* duodecim *tradet me* Iudæis ad occidendum. Porrecturus Dominus diſcipulis corpus, & ſanguinem ſuum, priùs eos mundare, & expurgare voluit, vt intrà ſe concuterentur, & expiſcarẽtur, an quid mali reſideret, quo à tanto Sacramento arcerentur; ideò antè proponit *vnus ex vobis, &c. Aſpiciebant ergò ad inuicèm diſcipuli hæſitantes de quo diceret* futuro proditore; deindè dicunt Chriſto, *numquid ego ſum Domine?* & ille, *qui intingit*, ſeù potiùs intinxerit, vel intingere ſolet; non enim (cœna facta) erat quòd tùnc intingeretur veriſimilitèr, & intellige, *qui intingit* cum alijs, quia aliàs proditus eſſet Iudas, *mecum manum in catino*, vel *paropſide, hic me tradet*. Oſtendit noſſe ſe tradendum, & dicit priuſquàm fiat, vt diſcipuli cum factum fuerit credant, quia ipſe eſt, vt dixit ſuprà verſ. 19. Quærunt Apoſtoli innocentes, quia nimium credebant eorum magiſtro, & experientia nouerant euenire quod ipſe dicebat: Interrogat & Iudas, ſed vltimus pòſt verba. *Væ autèm homini illi, &c. Filius quidèm hominis vadit* ad mortem, quia venit hora eius ſic volentis, *vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, & quia à Deo exiuit, & & ad Deum vadit. Ioan. 13. 1. ſicùt ſcriptum de illo: occidetur Chriſtus, inquit Daniel. *Væ autèm homini illi* improbo, *per quem Filius hominis tradetur*, ègo tradar, ſciebat enim eum damnandum; *bonum* melius *erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, vulgaritèr loquitur ob pœnas æternas illi inſtantes. *Reſpondens autèm Iudas* excitatus à grauibus minis, ſed non mutatus, *qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum Rabbi?* interrogat quia alij interrogauerant, ne tacendo ſolus ſuſpicionem in ſe congerat, *ait illi: Tu dixiſti*, affirmat Chriſtus, ſed diſcipuli non intellexerunt, Matthæus, qui hæc verba affirmantia cognoſcit, præmiſit, *qui tradidit illum,*

Digitized by Google

um, vt ſciamus Chriſtum non latuiſſe proditorem, & verè ſic contigiſſe. At verba Lucæ. *Veruntamèn eccè manus tradentis me, mecum eſt in menſa*, ſunt pòſtpoſita, & non eſt veriſimile Chriſtum ea dixiſſe pòſt, ſed antè diſtributionem corporis, & ſanguinis ſui, vt Iudam pungeret, & mutaret, pro quo dicebantur, cum ad alios non pertinerent, & pòſt Euchariſtiam ſumptam non aptarentur, vel non tantum, & ſic illum concordabimus cum alijs Euangeliſtis, Matthæo, Marco, & Ioanne, qui videntur magìs ordinem ſeruaſſe (primus enìm dicit; *edentibus illis dixit, vnus veſtrum, &c.* ſecundus *& diſcumbentibus eis, & manducantibus, &c. vnus ex vobis, &c.* tertius. cap. 13. 21. *quia vnus ex vobis tradet me* antè datam buccellã) quàm Lucas, qui pòſt calicem datum, ſubdit, *veruntamèn, &c.* quæ non connectuntur cum ſuperioribus, nequè verbis, nequè re. Confert, quia dicit Dominus, *qui intingit mecum manum in paropſide*, ſeù *catino*, & pòſt ſumptum corpus, & ſanguinem non fuerunt ſumpti alij cibi communes ex contextu. Matth. Marc. & Luc. cap. 22. 20. qui dicit *cœna facta*, ſic Paulus. 1. Cor. 11. 24. poſtquàm cœnauit, & Ioan. cap. 13. qui pòſt verba denunciantia proditorem dicit, Ieſum porrexiſſe panem intinctum Iudæ, & continuò illum abijſſe; ſcilicèt omnibus perfectis; vt quid enìm hoc Sacramentum immiſcere cum alijs communibus, præſertìm cum ſurrexerit à cœna, lauerit pedes, deindè confecerit? dari illi non poterat primus locus debitus agno, pòſt quem ſumenda communis cœna, huic vltimus locus non miſtus, ſed purus: Hæc pro hac ſententia, tamèn contraria videtur poſſe ſuſtineri, vt infrà. *Facta eſt autèm & contentio intèr eos, quis eorum videretur eſſe*, ſeù eſſet *maior*, qui alijs præferretur. Veriſimile eſt hanc contentionem ortam antè conſecrationem, antè quam cum Dominus dixiſſet ſe ab vno eorum prodendum, & quærerent intèr eos quis eſſet, ſubdit immediatè Lucas. *Facta eſt autèm & contentio*, nàm cum verba illa Chriſti iuxtà Matthæum, & Marcum præcedant conſecrationem, videtur hæc contentio illis vnita ſimilitèr præcedere, præſertìm quia pòſt diſtributionem corporis, & ſanguinis (Iuda iàm amoto) Chriſtus ex Ioanne deſcendit ad alia, vt nõ videatur locus fuiſſe tùnc huic contentioni, & ſermoni Chriſti ad concordiam illos reducere tentantis; nec etiàm veriſimile pòſt abitum Iudæ de maioritate natam contentionem. Vltrà quòd præſumendum & hanc contentionem à Chriſto ſedatam antè ſumptionem Sanctiſſimi Sacramenti, proùt diximus etiàm veriſimiliùs præceſſiſſe verba de proditore, propterea cenſui hic ſituandam, imò & antè cœnam communem ſituanda fuiſſet, ſed nolui interrumpere dicta Ioannis.

At vndè originem habuit hæc contentio? credo ex lauta, & opipara cœna in cœnaculo parato, qua cum Domino fuerunt excepti in Ieruſalem, in qua eis hæc non exhibebantur timentibus omnibus Iudæos, qui edictis ſe declarauerant, & quia audierunt de proditione, quæ ad regnum tendere videbatur, diſcipulos Iacobum, & Ioannem de illo tractaſſe, parabolam de nobili regnum capturo; vltrà verba Chriſti milliès de regno loquentis, ità vt ſempèr eis inhæſerit cogitatio de regno temporali, in quo cuiuslibet eorum maioritas eſſet apparitura, quæ & in actu Aſcenſionis Chriſti durabat in eis interrogantibus: Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? ideò putarunt regnum Chriſti tùnc manifeſtandum, propterea contentio *quis eorum maior* eſſet, nata eſt, & oblatio Petri, & aliorum in carcerem, & in mortem ſecum futuros. Matth. 26. 36. Luc. 22. 33. Ieſus ergò vt ab eis hæc amoueret primò verbis, deindè facto, lotione pedum per ipſum, & intèr ipſos facta ad concordiam, & humilitatem eos declinare conatus eſt. *Dixit autèm eis: Reges gentium*, Ethnici *dominantur eorum* hominum gentilium, imperium ſupèr eos retinent, calcant imperio, *& qui poteſtatem habent ſupèr eos*, Ethnicos; nàm datur ſubordinatio, *benefici*, Principes *vocantur. Vos autèm non ſic*, non dominantes in cleris; *ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicùt minor, & qui præceſſor eſt, ſicùt miniſtrator. Nàm quis maior eſt, qui recumbit* ad menſam, *an qui miniſtrat* menſæ? *nonnè qui recumbit? ego autèm in medio veſtrum ſum*, à quo diſcere debetis, *ſicùt qui miniſtrat*: non enim veni miniſtrari, ſed miniſtrare.

Matth.20. *Vos autèm eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, tribulationibus, anguſtijs, quas paſſus ſum, & patior, & numquàm me dereliquiſtis, vel à me alienati eſtis, ſed ſtabiles, & firmi fuiſtis non obſtantibus edictis Iudæorum, *& ego* veſtri curam gerens, & vos diligens *diſpono*, deſtino, concedo, iuxtà dicta Ezechiæ ab Iſaia: diſpone domui tuæ, quia morieris; *vobis ſicùt poſuit mihi Pater meus* ad ſe me citò aſſumpturus *regnum* cæleſte, quod prædicaui, & iuſſi vobis prædicandum, *vt edatis, & bibatis, ſupèr menſam meam*, vti familiares, & Principes ſolent ad menſam Regis accumbere, vti Dauid cum Saule, filij Berzellai, & Miphiboſeth cum Dauide, *in regno meo* à Patre mihi diſpoſito ob Crucem: proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. Philip.2. ex his corporalibus vult denotare gloriam cæleſtem; *& in* iudicio *ſedeatis ſupèr thronos* in maieſtate *iudicantes duodecim tribus Iſrael*, proùt iàm dixi, & cum agat de regno ſuo, gloria, guſtu, ſuauitate, & de iudicio, non poſſunt hæc ad alia trahi, maximè ad regnum Eccleſiæ de quo aliàs, & in quo hæc non concurrunt. Et hæc ſtabiliunt intellectus ſuprà datos de genimine vitis non bibendo, &c. vbiquè enim intelligit de regno cæleſti, æterno, ſpirituali. Interim pòſt cœnam factam (in ea enim de proditore, & contentione) conſecrat Chriſtus, & licèt Matthæus dicat, *cœnantibus autèm eis*, Marcus, *& manducantibus illis*, tamèn non contrariantur, quia comprehendunt totum tempus cœnæ abſquè diſtinctione; iàm enim cœna facta lauerat pedes diſcipulorum iuxtà Ioannem, & Lucam loquentem de calice, ſecundùm quem dicendum, & de pane, vtitur enim verbo, *ſimilitèr*, dicens, *ſimilitèr pòſtquam cœnauit, accipiens calicem*, ergò & pòſt cœnam panem ſumpſerat, quod & Apoſtolus Paulus dixit. 1. Cor. 11. & conſecrauit panem, & vinum iunctim, non tempore diuerſo; quid enim expectandum erat, ſi iàm cœna perfecta, vt differretur conſecratio vini? eò magis quia hæc incruenta vniuntur ad repræſentandum vnicum ſacrificium cruentum; Ioannes verò non ponit conſecrationem, quia cap.6. de Sacramento multa dixerat, & alij tres Euangeliſtæ ſatis dixerant, & inſtitutio hæc inſerenda eſt in Ioanne antè verba, *& cum intinxiſſet*. Io.13.26. Vel *erat ergò recumbens*. verſ.23. & cum dediſſet Sacramentum Iudæ, ſequantur quæ dicit Ioannes de Iuda, & ſi hæc non præcederent, ſaltèm interponenda eſt inſtitutio Sanctiſſimi Sacramenti circà tempus illud, quia aliàs non poſſent omnia benè connecti, & probari Iudam ſumpſiſſe. *Accepit Ieſus panem* in manus, *& benedixit* illum modo tùnc ſolito, quia crucis ſignum non aptabatur captui Apoſtolorum, *ac fregit* antè conſecrationem, *& gratias egit* Patri, proùt Lazarum reſuſcitaturus. Ioan. 11. 41. de hoc tanto munere, *deditquè diſcipulis ſuis*. Sed an Iudæ? & videtur, quia iuxtà Matth. Mar. Luc. *dedit diſcipulis*; ergò omnibus, intèr quos aderat Iudas, & ſignantèr nominantur duodecim, ſic etiàm *bibite omnes*, *& biberunt ex illo omnes*, vndè nullus excluſus. At quòd adeſſet Iudas habetur. Luc. 22. 21. pòſtquàm enim inſtituerat Sanctiſſimum Sacramentum, & diſtribuerat, ſubdit dixiſſe Dominum. *Veruntamèn eccè manus tradètis me, mecum eſt in menſa*, & licèt credatur hæc verba antè inſtitutionem, vel diſtributionem prolata, nihilominus non eſt credendum appoſita fuiſſe à Luca eo loco, ſi Iudas non ſumpſiſſet. Sed & clariùs Iudam ſumpſiſſe habetur. Ioan.13.26. vbi de buccella Iudæ data. Si negas buccellam fuiſſe Sanctiſſimum Sacramentum, ſed panem communem, reſpondeo neceſſariò fuiſſe Sanctiſſimum Sacramentum. Primò, quia iàm cœna facta, loti pedes. Ioan.13.3. deindè iterum recubitum. verſ.12. & inſtitutio pòſtquàm cœnauit facta. Luc.22. 20. 1. Cor.11.24. vndè vel nulli cibi communes remanſerant, vel non præſumitur datos ſaturis, & iàm cœnatis à Chriſto. Secundò, quia panem in ſuum corpus tranſubſtantiandum fregit. Matt.26.26. Mar.14. 22. Luc.22. 19. 1. Cor. 11. 24. & ſic in buccellas redegit, *deditquè diſcipulis*, vt dicunt omnes prædicti, alius antè m panis non fractus, nec diſtributus. Tertiò, ſi buccella non fuit Sanctiſſimum Sacramentum, ſequeretur Iudam illud non recepiſſe contrà alios Euangeliſtas dicentes omnibus diſtributum, nàm antè cœnam confectum non fuit, pòſt cœnam non competebat cibus com-

communis; at buccella ſumpta abijt, & eſſet etiàm contrà textum Ioannis loquentis de buccella cœna facta,& lotione pedum ſecuta. Quartò, cur Iudæ tùnc alius panis datus cœna iàm completa extrà ordinem præter alios?ſi aliqua bellaria,poſſet admitti, at panis ordinarius quid importaſſet? Quintò, ſi panis communis fuiſſet datus Iudæ ſoli, omnes ſuſpicati eſſent contrà illum, maximè Petrus, qui iàm innuerat Ioanni, & fuiſſet deprehenſus proditor,& Chriſtus noluit illum manifeſtum reddere: ex buccella verò,& Sacramento,quod alijs eodem tempore in orbem diſtribuebatur, omnis ſuſpicio ceſſauit. Si opponis, intinxit illi, quod non alijs, at id parum fuit, neque animaduerſum,quòd ſi ſecùs euenturum fuiſſet,abſtinuiſſet Dominus, qui certò noluit eum prodere. Sextò,quia ſi Ioannes omiſit inſtitutionem Sanctiſſimi Sacramenti à tribus alijs dictam, addidit hæc de Iuda ab alijs omiſſa, verſantia tùnc circà eandem inſtitutionem, vel materiam, ideò buccella fuit Sanctiſſimum Sacramentum. Septimò, ſi fuiſſet panis communis,non obſeruaſſet tanta diligentia Ioannes illicò pòſt buccellam introiſſe diabolum in Iudam, & abijſſe ad Dominum tradendum;at obſeruatio illa fuit ritè facta,vt oſtenderet panem illum(de quo adeò egregiè ſcripſerat. cap.6.) & de munditia verba fecerat eodem.cap.13.& præcedenti lotione, malè ſumentes ſeuerè puniri, & ſub diaboli poteſtate fieri, & ad hoc fortè alluſit Apoſtolus: probet autèm,&c. & quicunque,&c. Octauò, quandò buccella non fuiſſet Sanctiſſimum Sacramentum, dicendum,vel antè, vel pòſt ſumptum ab eo, quia alij Euangeliſtæ hoc dicunt de omnibus, & hoc fundamento obſtantibus facilè reſpondetur. Secundò principalitèr, ſicuti eſt admodùm veriſimile Dominum pluriès, de tanto Sacramento cum diſcipulis verba habuiſſe, proùt cum turbis habuit. Ioan.6. & diſcipulis ardorem quendam induxiſſe illud ſumendi proùt turbis. Ioan.6.46. & illa nocte antè inſtitutionem prælocutum de eo fuiſſe, illius vigorem aperuiſſe, ſucceſſurum ſacrificijs cruentis,& in memoriam ſuæ paſſionis offerendum,quod dicunt Euãgeliſtæ, & Paulus munditiam requiſitam in illius ſumptione, quod ex Ioan. cap.13. & ex lotione pedum colligitur, & alia circà illud præſertim cum tùnc illos, & Sacerdotes, & Epiſcopos eſſet ordinaturus, ſic veriſimile Iudam noluiſſe hac participatione priuari, quia & mali nouis rebus oblectantur, ideòquè antè hæc omnia perfecta non abijſſe, ſed ſumpſiſſe cum alijs. Tertiò, ſi antè inſtitutionem, & ſumptionem receſſiſſet, notatus eſſet ab alijs,& tamèn Iudas ſeipſum noluit prodere totiès à Domino inuitatus,imò negauit ſe talem: *numquid ego ſum Rabbi?* Imò quãdò pòſt buccellam abijt, liber fuit à ſuſpicione ex verbis dictis à Domino, *quod facis, fac citiùs*, quæ tanquàm ad eius officium ſpectantia cœteri tranſtulerunt. Quartò, Iudas edit Agnum Paſchalem, coenauit, & iterum accubuit pòſt coenam, & pòſt lotionem pedum,& edit buccellam. Io.13.22. tùnc inſtitutum Sanctiſſimum Sacramentum, ergò ſumpſit, quia omnibus datum. Quintò, ſi Iudas non ſumpſiſſet, tres Euangeliſtæ ſcripſiſſent,ſicùt ſcripſerunt indignationem contrà Magdalenam vnguentum effundentem, & ſe conformaſſent Chriſto dicenti. Io.6.vnus ex vobis diabolus eſt,& hìc *vnus ex vobis,&c.* Sextò, adeò hoc videtur fuiſſe certum apud tres Euangeliſtas, vt ne quidèm abitum Iudæ ſcripſerint, de quo ſolus Ioannes, buccella accepta. Non eſt autèm attendendus ſolus contextus Ioannis in omnibus, ſed intèrſerenda inſtitutio (quam ipſe omiſit, cum de Sacramento egerit c.6.) iuxtà alios, quæ interuenit pòſt ſermonem ſupèr illa,& proditore, in quo aliquod tempus inſumptum, & interim dum fieret, vel circà nutus Petri Ioanni, Ioannis interrogatio,dum fieret diſtributio,& deindè in ordine porrectio corporis facta Iudæ; dixit enim: Chriſtus *cui porrexèro*, non porrigo, qui & bibit ſanguinem, etſi Ioannes dicat buccella accepta continuò abijſſe;nàm dandus terminus moralis etiàm ſumptioni ſanguinis,aliòquin ſi ſoli contextui Ioannis hæreas, nec conſtabit Chriſtum confeciſſe. Si neges buccellam fuiſſe Sanctiſſimum Sacramentum, quia pòſt abitum Iudæ de morte actum, non de Sacramento, nec Apoſtolos intèr ſe lotos, nec ſermonem de maioritate, de quo Lucas. cap.22. inferes & tamèn hæc ſub-

ſubintelligenda, & ſupplendus Ioannes ex alijs,prout alij ex eo. Nonnè in alijs ſupplemus lotionem pedũ, porrectionem buccellæ datæ Iudæ,de quibus Ioannes,quæ alij omiſerunt? ſi id in alijs ex ipſo, cur non ille ex alijs? Chriſtus non repulit Iudam;quia ſciebat eius peccatum quà Deus, non quà homo, ideò more Dei vſus eſt, numquamque voluntati ſuæ dimittentis; At quid non fecit vt illum conuerteret,nonnè inquirenti de ſe reſpondit, *tu dixiſti?* nonnè lauit illum, de munditia diſſeruit, ad menſam prodendum ſe dixit,proditorem adſtare, manum immitentem in paropſide, vel catino, & in ſumma ſtuduit prouidentia ſua illum retrahere, ſed omnia fruſtrà. Noluit autèm propalare, imò pro abitu neceſſario protulit illa verba, *quod facis, fac citiùs*,quibus & poterat compungi, & redire ad cor. At cur ſigno intinctionis prodit illum Ioanni? quia non erat ſignum ad manus magis promptum, & latens, cum buccellæ omnibus diſtribuerentur, ità vt nemo aduerterit, quòd ſi fuiſſet panis communis ipſi ſoli datus,omnibus fiebat manifeſtus. Intinxit etiàm, vt & hoc facto diuerſo ab alijs Iudas compungeretur,& rediret ad cor dicens, cur mihi intinctus panis?noluit enim vſquè in finem non trahere, buccella enim accepta ſciebat à dæmone ſubuertendum,& non diſplicet opinio,quòd intinxerit in vino, quia cibi communes cœna facta ſublati à menſa, & inueriſimilius in Embemmate,quia ſi id cum agno,pòſt quem cœna, & de quo nihil remanere debuerat, quomodò tùnc illud cœna etiàm facta?Diabolus verò non cognouit quid ageretur, nàm ſi cognouiſſet mutari ſacrificia cruenta in oblationem mundam, de qua Malachias, Chriſtum ſe ipſum in potum,& cibum dare, ſe reſurrecturum dicere, vtiquè non ſollicitaſſet Iudam ad proditionem, ſed retraxiſſet timens, ne eſſet Deus, prout factus dubius tentauit Pilatum auertere precibus vxoris, & Iudæos pœnitentia Iudæ reportantis pecuniam,& iuſtum atteſtantis.

Dicens,accipite,& comedite,hoc eſt corpus meum, vſus eſt enim verbis conſecrationis omnibus audientibus, prout innuunt Euangeliſtæ, vt omnes edocerentur de forma, & cognoſcerent ab eo ſeruatam, & in ea vim poſitam,quod non contigiſſet, ſi virtute excellentiæ abſquè verbis conſecraſſet.Et non protulit verba bis, ſed ſemèl iuxtà omnes Euangeliſtas, ad quid enim hæc reiteratio? *quod pro vobis datur*, dabitur. 1. Cor. 11. quod pro vobis tradetur in mortem. *Hoc facite in meam commemorationem* ex Luca, & Paulo. 1.Cor.11. in memoriam tanti beneficij,mortis pro vobis aſſumptæ, & crucis vt ibi Paulus, & his verbis inſtituit eos Sacerdotes, & vnà Iudam, qui aderat. Sed quod in azyma confecerit,vltrà infinita conſidera azyma fuiſſe in pretio,nàm Abraham tribus Angelis azyma. Geneſ. 18. 6. Lot duobus Angelis. Geneſ. 19.4.in azyma iuſſum celebrari Paſcha. Exod. 12. quia eſt cibus viatorum, hinc azyma Hebræis ex Aegypto egredientibus. Exod. 12. 34. & denotat puritatem. 1. Cor. 5. 7. & iuxtà figuram agni, qui comedebatur cum azymis: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus per agnum figuratus. 1. Cor. 5. 8. *Et accipiens calicem gratias egit,& dedit illis*, ergò & Iudas bibit de calice,& ſic danda mora in verbis Ioannis, vt dixi, *dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti*. Et Marcus licèt præmittat, *biberunt ex eo omnes*, nihil refert, nàm intelligendus eſt prolatis priùs verbis conſecrationis,quæ refert ad illa indicanda, & quid bibitum, non quod pòſt ſumptionem prolata ſint. Lucas dicens *hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo*, & Paulus. 1.Cor.11. hic calix nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo, intelligendi hic calix, in, pro, cum, ſanguine meo nouum teſtamentum eſt.Dicitur autèm nouum teſtamentum, ſeù pactum reſpectu antiqui pacti, ſeù teſtamenti initi intèr Deum, & populum in ſanguine hircorum,& vitulorum,quo ſanguine ſicùt remittebantur immunditiæ legales, ità hoc ſanguine excellentiùs remittuntur peccata, ideò S. Matthæus addit *in remiſſionem peccatorum*, & hoc colligitur ex Paulo. Hebr. 9. 13. 14. & per totum cap. & 1. Cor. 11. æternum verò, quia duraturum vſquè ad diem Iudicij. 1. Cor. 11. 26. Hebr. 13. 20. & dixi in Apocal.nec datur aliud pòſt illud; & Chriſtus dicitur Sacerdos in æternum. Pſalm. 109. & Hebr. 7. & 9. & per totam.

My-

Myſterium fidei, ſecretum fidei, quod fide ſola capitur. *Qui pro multis*, ideſt omnibus, proùt & Mar. 10. & Hebr. 9. in fin. ad multorum, ideſt omnium peccata exhaurienda; *pro vobis* hominibus; ſic Paulus. Heb. 9. 24. in verſ. pro nobis, & 2. Cor. 5. 21. eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, & 1. Pet. 2. 21. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens, &c. *effundetur in remiſſionem peccatorum* omnium, & loquitur de ſacrificio cruento, nàm in cruce fuſus eſt; hinc: eccè agnus Dei, occidendus ſcilicèt, qui tollit peccata mundi, quod verbum (mundi) declarat quomodò verbum, *multis, & vobis* capiatur; idem verbum, multorum. Iſai. 53. 12. & tamen ex lectura capitis colligitur importare omnium. Sed tutò adhæritur huic intellectui, nàm ſcimus veritatem certam Dominum pro omnibus mortuum, nàm vltrà prædicta Paulus. Rom. 8. 32. qui etiàm proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. 2. Cor. 5. 15. quoniàm ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, &c. 1. Thimot. 1. 15. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, &c. & cap. 2. 5. qui dedit redemptionem ſe ipſum pro omnibus, &c. & Tit. 2. apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, &c. & cap. 3. ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritùs ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Hebr. 5. 9. conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. 1. Pet. 3. Chriſtus ſemèl pro peccatis noſtris mortuus eſt; & agnus occiſus eſt ab origine mundi, quod & colligitur ex Paulo. Hebr. 9. 26. aliòquin oportebat eum frequentèr pati ab origine mundi, & quia agit de effundendo pro omnibus, & per eum; Hinc non videtur procedere intellectus, *pro multis* efficacitèr, pro omnibus ſufficientèr, quia loquitur de effundendo, & *in remiſſionem peccatorum*, tractatquè de facto ſuo, quod ad omnia, & omnes dirigitur, quòd ſi non efficacitèr, imputandum contemnenti, ſeù non vtenti ſufficientia ſuæ paſſionis, non Chriſto. Nec poſſet dici *pro vobis* efficacitèr, quia non pro Iuda, qui aderat, efficacitèr, ideò verbum, *vobis*, intelligendum videtur hominibus, vt dixi. Hinc probauit ſe Deum, intèr opera enìm ſua principalia fuit mori pro toto mundo. Ioan. 10. 18. ideò hoc fuit firmum teſtimonium ſuæ diuinitatis, quia alius à Deo non poterat id præſtare pro toto mundo, & ergà totum mundum tanta charitate indui, qua nulla maior. Ioan. 15. 13. hinc dicit: ſicùt mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Ioan. 14. 31. & 15. 10. 17. 4. & nuncupat ſe paſtorem morientem pro ouibus. Io. 10. 11. ideò expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Io. 11. 50. & Hebr. 2. 9. 10. vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, decebat enìm eum proptèr quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari. *Dico autèm vobis, non bibam amodò* impoſterum *de hoc genimine vitis* (hinc collige Sacramentum ſumpſiſſe cum alijs) *vſquè in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum*, ſpirituale, gaudio plenum, non huius generationis *in regno Patris mei*, in cælo, & ſic eos demulcet, & tutos (ſi verba attendiſſent) facit beatitudinis recipiendæ. Non hic de vino pòſt reſurrectionem, quia alius locus deſtinatur huic nouo bibendo, nec pòſt reſurrectionem de his cibarijs agendum, ſed de cæleſtibus, de æternis, grauibus, nempè in regno Patris, in cœlo; non de Sanctiſſimo Sacramento, quia loquitur de genimine vitis, non de ſuo ſanguine, de quo nec bibiſſe probari poteſt pòſt reſurrectionem; cætera vide ſuprà ad ſimilia verba in Luca. Interìm facta conſecratione corporis, intèr quam, & ſanguinis noluì hæc interſerere, dum Ieſus corpus ſuum diſtribuebat; nàm primò diſtribuit, deindè ſanguinem conſecrauit ſecundùm ordinem Euangeliſtarum. Petrus impatiens, & ſcire optans quis eſſet traditor, fortè volens ad defenſionem ſui magiſtri cum illo, proùt cum Malcho agere, innuit Ioanni, dicit enìm Ioannes; *erat ergò recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu* (ex ſtatu ad menſam ſic contigit) *quem diligebat Ieſus* præ cæteris, aliòqui id non apponeretur, nec Petrus illi innuiſ-

nuiſſet; *innuit ergò huic* dilecto, & propinquo Ieſu *Simon Petrus*, *& dixit ei: Quis eſt de quo dicit*, à quo prodendus? *Itaquè cum recubuiſſet ille ſuprà pectus Ieſu*, vt tacitè, & commodè ageret, at is recubitus magnum quid ſignificat, quia illius fit mentio. Ioan. 21. qui & recubuit in cœna ſupèr pectus eius, at hæc dicta ad ſignificandum quis eſſet, de quo loquitur, quia præmiſit, *quem diligebat Ieſus*, proùt hìc, & quia iàm contenderant de primatu, in quo & ipſe cum fratre prætendit; piè tamèn omnia dici, & præſumi poſſunt de Ioanne. *Dicit ei: Domine, quis eſt* qui tradet te? *Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. & cum intinxiſſet panem* Euchariſticum (ſi enìm non illum, non probaretur ſumpſiſſe ità de facili) in aliquo libamine ibi adhùc manente, vel potiùs vino, vt dixi, quia iàm coena facta, *dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ*, qui etiàm ſumpſit ſanguinem, omnes enìm biberunt; Ioannes cognouit proditorem, quia aliàs ad quid ei dare ſignum vanè? & cum viderit, excluditur raptus in Ioanne, qui nec præſumendus in eo loco, & tempore, & occaſione; ſed Chriſtus non dixit tùnc reuelaturo, quia nec reuelauit, & fortè ipſe interdixit, ne paſſio differretur, vel proditor propalaretur, nàm cur non reuelauerit alia ratio dari non poteſt, cum rogatus nutu à Petro à Domino petierit, vndè & quandò Dominus dixit, *quod facis, fac citiùs* nullus intellexit. *Et pòſt buccellam* ſumptam, & ſanguinem ſumptum *introiuit in eum Satanas* non arripiēs, vt omnes dicunt, ſed magìs tentans, & ad malum inducens.

At cur pòſt buccellam Satanas? quia timuit Iudæ peccatum cognoſci, & ab alijs auerti, nimis enìm apertè dixerat de illo Ieſus, & quia, hora, & poteſtas tenebrarum.

Cur Iudas Apoſtolus continuus cōmenſalis traditor? & capturæ aſſiſtens? (Vltrà moralia, vt oſtenderet patientiam, & tolerantiam etiàm inimicorum domeſticorum, & continuum vermem doloris ex præſentia traditoris, & ad implementum prophetiæ. Ioan. 13. 18.) dico maximam fuiſſe prouidentiæ diuinæ actionem, tùm ne Iudæi poſſent dicere vnum pro alio coepimus, tùm quia ex ore ipſius traditoris erutum fuit in eius malitia teſtimonium innocentiæ Chriſti validum à Diſcipulo, Apoſtolo, continuo commenſali, pro tali cognito; hinc act. 4. 14. cognoſcebant eos, quoniàm cum Ieſu fuerant, quod ab alio diſſimili fieri non poterat peccaui tradens ſanguinem iuſtum, & duobus argumentis confirmauit dictum ſuum; primò referendo argenteos triginta, & illis recuſantibus recipere, proijciendo illos; ſecundò ſe ſuſpendendo miſerabilitèr, ex quibus animi ſui amaritudinem, & confeſſionis veritatem oſtendit, & ex primo erutum & conſtructum eſt mònumentum æternum, æterna memoria, fornix innocentiæ Chriſti ex emptione agri ad vſum peregrinorum, quam nulla vnquàm delebit obliuio, & illicò cœpit diuulgari. acto. 1. 19. & nota facta eſt cœcitas, & malitia Iudæorum, qui non perquiſierunt à Iuda, cur ſic mutatus, ſed impiè dixerunt, quid ad nos? tu videris; & ipſi erant, qui capturam Chriſti fabricauerant. At fortè qui miſerat in cor Iudæ diabolus vt traderet Chriſtum, hanc pœnitentiam humanam, qua conſcientia iniqua torquetur; inquit Leo in ſimili ſerm. 8. de Paſſione Domini, in eo creauit referendi pecunias, & atteſtandi innocentiam Chriſti, timens ſibi ipſi, ne eſſet Meſſias, proùt ſic egit cum vxore Pilati ea de cauſa. *Et dixit ei* Iudæ *Ieſus: Quod facis, fac citiùs*, iàm enim hora peruenerat, & coarctabatur mori; hæc verba debebant eum retrahere, ſed cum peccator in profundum malorum venit, contemnit, induratur proùt Pharao. *Hoc autèm nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei*, quid vellet in his verbis Ieſus; *quidam enìm putabant, quia loculos*, burſam, pecunias *habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus, eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum* craſtinum, quòd iàm coeperat, *aut egenis vt aliquid daret*, (hìnc collige Chriſti conſuetudinem dandi egenis) An ſaltèm Ioannes intellexerit? dico quòd non, quia nemo diſcumbentium intellexit, quod veriſimilius, quia ignorabant ſeriem negocij, & quid Iudas tractaret. *Cum ergò accepiſſet ille buccellam* ei à Domino porre-

re-

rectam, dixit enìm *cui porrexero, & dedit Iudæ, exiuit continuò* à diabolo adactus, pondera quia denuò meminit buccellę tamquàm rei inſignis, *erat autèm nox*, quaſi, nec tempus noctis curauit ad facinus obcoecatus à dæmone. Hæc eſt interpretatio verborum, ſed non ordo rerum, ne verba Euangeliſtarum interuerteremus; ordo verò rerum ſic videtur poſſe dici veriſimilitèr.

Accubuit Ieſus cum duodecim diſcipulis ſuis, intèr coenandum Agno iàm ſumpto, turbatus eſt Ieſus ſpiritu ſecundùm Ioannem, & dixit de proditore ſecundùm Matthæum, & Marcum, iuxtà quos reſpectu temporis reducendi Ioannes, & Lucas ſecundùm veriſimilitudines iàm conſideratas, & ſequuntur omnia dicta à Ieſu iuxtà Matthæum, & Marcum, & Ioannem, & quæ interuenerunt de Petro annuente Ioanni, & Ioanne recumbente ſupèr pectus Ieſu, à quo audiuit, *ille eſt, cui panem intinctum porrexero* iuxtà Ioannem. Deindè *facta eſt & contentio intèr eos quis eorum videretur eſſe maior*, de qua Lucas ſolus, quæ veriſimilitèr præceſſit conſecrationem ex iàm dictis, cui Dominus obuiauit aliquibus verbis, quæ ſunt apud Lucam. Poſteà, facta coena communi, Dominus lauit pedes diſcipulorum, & ipſi intèr ſe, vt hoc facto hortaretur eos ad pacem, & humilitatem, deindè recubuit ad menſam; & ſi non placeret nutum Petri, & alia ſecuta, vbi poſuimus, poſſent hic ſituari, vel etiàm pòſt conſecrationem. Conſecrauit, diſtribuit buccellas, proditori intinctam porrexit, & quia interceſſit hoc ſpacium, poſſet dici Ioannem non animaduertiſſe, vel ſi aduertit, non potuit ſignificare Petro, quia ad extraneos actus non eſt proceſſum, vel fuit ei inhibitum à Domino, conſecrauit calicem, bibit Iudas, diabolus in eum introiuit, exijt ad proditionem, & pòſt eius exitum fit ſermo à Ieſu, & hoc modo omnia rectè connectentur. Si enìm ſecundùm Lucam verba de proditore, & contentio poſtponátur conſecrationi corporis, & ſanguinis, quomodò reſpondebit Iudas, *numquid ego ſum Rabbi?* qui iàm exierat, aut quomodò Dominus dicit, *qui intingit mecum manum in paroſide?* ſi ſecundùm Ioannem pòſt coenam; & contrarios habemus Matthæum, & Marcum, ceſſabit dictum Domini, *qui intingit mecum manum in catino*, quia pòſt coenam communem hæc aſportata, & veriſimilius eſt dicta eſſe intèr coenandum, quàm facta coena, pòſtquàm ſolùm conſecrationi, & diſtributioni Dominus incubuit; ſed non eſt mirum in Ioanne congerente materias, nec ſeruante ordinem rerum. Hìnc omnia hæc vniui iuxtà Euangeliſtas, diſtinguenda tamèn, vt hic.

CAPVT CXLI.

DE SERMONE DOMINI IN COENACVLO.

Ioan. 13.

31 *CVM ergò exiſſet, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt Fi-*
32 *lius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo.* Si Deus cla-*
rificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo:
33 *& continuò clarificabit eum. * Filioli, adhùc modicum*
vobiſcum ſum. Quæretis me: & ſicùt dixi Iudæis: Quò
ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modo.
34 ** Mandatum nouum do vobis: Vt diligatis inuicèm, ſicùt*
35 *dilexi vos, vt & vos diligatis inuicèm.* In hoc cognoſcent omnes, quia diſci-*
puli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicèm.

COMMENTARIVS.

CVM ergò exiſſet Iudas, dixit Ieſus. Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo ob paſſionem meam inſtantem coeptam à traditione Iudæ ad illam exeuntis. *Si Deus clarificatus eſt in eo*, quia ad gloriam Dei moritur, *& Deus clarificabit eum in ſemetipſo*, per ſemetipſum potentia ſua illum ſuſcitans, & ad dexteram ſuam collocans, *& continuò*, & illicò pòſt paruam moram trium dierum *clarificabit eum*, innuit ad illa verba è cælo; & clarificaui, & iterum clatificabo. Io. 12. *Filioli:* ex teneritudine amoris eos ſic compellat vltimum vale daturus, *adhùc modicum vobiſcum ſum* mortalis, quia citò moriar, non intelligit de tempore pòſt reſurrectionem, quia tùnc de alio ſtatu agitur, nec erat tùnc cum eis in carne mortali, ideò dixit: cum eſſem vobiſcum. *Quæretis me*, deſiderabitis me abeuntem à vobis per mortem, *& ſicùt dixi Iudæis*, ex antiquitate dicti cum alijs noluit eos ex eo deterreri; ne quis veſtrũ putet poſſe me modò ſequi; *Quò ego vado* per mortem ad gloriam, *vos non poteſtis venire, & vobis dico modò*, nunc enìm tempus non eſt, vt me ſequamini, alia reſtant vobis in mundo peragenda, iàm regnum vobis diſpoſui, ſed alio tempore accepturis. *Màndatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, ſicùt dilexi vos: nouum*, non priùs ſic explicitè dictum, vel *nouum* mihi vobiſcum, cum de illo ampliùs ſic clarè non egerim, vel *nouum*, quia vſquè ad mortem pro ſalute ſpirituali proximi, ideò *ſicùt dilexi vos* qui animam meam pono; Cum enìm toti mundo eſſent pacem nunciaturi, priùs in ſe ipſis eam ſtabilire conueniebat, aliòquin eam alijs non erant perſuaſuri; occaſionem autèm ſumpſit hoc nouum, & vltimum mandatum inſinuandi ex contentione maioratus, vt magìs animos illorum ſedaret, & ideò ipſis particularitèr hæc de di-

lectio-

lectione dicta ſunt; hinc ſubdit: *in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicèm*, cũ enim ipſe in hoc præualuerit, animam ſuam dilectam pro nobis ponendo, illum ſequi videbimur, ſi nos inuicèm diligamus; ſic Ioſeph fratribus ſuis ad contentionem procliuibus; ne iraſcamini in via. Geneſ. 45. 25. ſic Abraham cum Lot ne eſſet iurgium intèr eos, eò quòd fratres eſſent. Geneſ. 13.

CAPVT CXLII.

DE PETRI NEGATIONIS PRÆDICTIONE IN SERMONE INSERTA.

Matth. 26.

30 E*T hymno dicto, exierunt in Montem Oliueti.* * *Tunc dicit*
31 *illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in*
iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, &
32 *diſpergentur oues gregis.* * *Poſtquàm autèm reſurrexero,*
33 *præcedam vos in Galilæam.* * *Reſpondens autèm Petrus, ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego*
34 *numquàm ſcandalizabor.* * *Ait illi Ieſus: Amen dico ti-*
35 *bi, quia in hac nocte antequàm Gallus cantet, ter me negabis.* * *Ait illi Petrus:*
Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similitèr & omnes diſcipuli dixerunt.

Marc. 14.

26 E*T hymno dicto exierunt in Montem Oliuarum.* * *Et ait eis Ieſus: Omnes*
27 *ſcandalizabimini in me in nocte iſta: quia ſcriptum eſt: Percutiam paſto-*
28 *rem, & diſpergentur oues.* * *Sed poſtquàm reſurrexero, præcedam vos in Ga-*
29 *lilæam.* * *Petrus autèm ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te: ſed non*
30 *ego: Et ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia tu hodiè in nocte hac, priuſquàm*
31 *Gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* * *At ille ampliùs loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimùl commori tibi, non te negabo: Similitèr autèm & omnes dicebant.*

Luc. 22.

31 *AIT autèm Dominus: Simon, Simon, eccè Satanas expetiuit vos vt cri-*
32 *braret ſicùt triticum: * ego autèm rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:*
33 *& tu aliquandò conuerſus confirma fratres tuos. * Qui dixit ei: Domine, tecum*
34 *paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. * At ille dixit: Dico tibi Pe-*
35 *tre, non cantabit hodiè Gallus, donèc ter abneges noſſe me. Et dixit eis: * Quan-*
dò miſi vos ſinè ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit
36 *vobis? * At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergò eis: Sed nunc qui habet ſacculum,*
tollat ſimilitèr & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat
37 *gladium. * Dico enim vobis, quoniàm adhùc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet*
impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me,
38 *finem habent. * At illi dixerunt: Domine, eccè duo gladij hìc. At ille dixit eis:*
Satis eſt.

Ioan. 13.

36 *DICIT ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Reſpondit Ieſus: Quò*
37 *ego vado, non potes me modò ſequi: ſequeris autèm poſteà. * Dicit ei Pe-*
38 *trus: Quarè non poſſum te ſequi modo? animam meam pro te ponam. * Reſpon-*
dit ei Ieſus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit
Gallus, donèc ter me neges.

COMMENTARIVS.

AVDACIA Petri non ex vitio animi, ſed ex feruore amoris, quo Chriſtum proſequebatur, & à quo ægrè ſeparabatur, vndè ſequutus eſt eum à longè, quod alij non fecerunt, videtur proceſſiſſe.

Sed an vna tantùm prædictio, vel trina? credo vnā tantùm, quia omnes Euangeliſtæ conueniunt in galli cantu, conueniunt in tempore, nempè pòſt cœnam, dum eſſet abiturus è cœnaculo ad Gethſemani, conueniunt in trina negatione: ſi trina fuiſſet, contriſtatus eſſet Petrus, proùt quandò tèr fuit interrogatus: Petre, amas me? Io. 21. 17. nec erat tempus addendi afflictionem afflicto, quod cauit Dominus in illa nocte cum diſcipulis amantèr agens: Petrus etiam ſemèl tentauit Dominum auertere à paſſione, & correptus nihil ampliùs dixit; vndè non preſumitur tèr ſe ingeſſiſſe ſempèr corrigendus. Si quæ verò diuerſitas, ſi vnus Euangeliſta annectens vni phraſi, vel actui ait de prædictione; alius alteri, identitatem non ſeruantes, nō officit, hoc eſt proprium Euangeliſtarum omittere, & addere quod alij non fecerunt, & hoc reddit eorum dicta magis tuta, & credibilia. Sed propiùs ad rem Matthæus, & Marcus dicunt: *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, ſcriptum eſt enim, percutiam paſtorem, & diſpergentur oues*, at parum differunt, vel aberrant ab eodem ſcopo dicta per Lucam; *Simon, Simon, eccè Satanas expetiuit vos, vt cribra-*

ret

ret ſicùt triticum, *ego autèm rogaui pro te*, *vt non deficiat fides tua*, *& tu aliquandò conuerſus confirma fratres tuos*, nonnè hic etiàm de diſperſione gregis? at plura primi, & Lucas addit de Simone; Ioannes profert verba, *modicum vobiſcum ſum*, ſimilia dictis per Matthæum, & Marcum, *ſcandalum patiemini in me in nocte iſta*: alia, *quæretis me*, *& quò ego vado*, *vos non poteſtis venire*, tendentia ad diſperſionem gregis, alia de mandato nouo tendentia ad illa Lucæ, *confirma fratres tuos*, exhortans eos ad vnionem, & pacem. Vndè videtur concludendum vnicam eſſe prædictionem negationis non duplicem, vel triplicem. Petrus ſecundùm Ioannem: *Dicit ei Simon Petrus Domine*, *quò vadis*, quia dicis nos te ſequi non poſſe? *Reſpondit Ieſus*: *Quò ego vado* per mortem, *non potes me modò ſequi* per mortem, quia adhùc non venit hora tua, *ſequeris autèm poſteà* aliquo interiecto tempore, quod ei prædixit. Ioan. 21. Interim *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte* videntes me captum, illuſum, ad Iudæos ductum; ſic Paulus de Cruce: Iudæis ſcandalum; & Simeon: hic erit in ruinam, & in reſurrectionem multorum; & Chriſtus: beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me ex his, quæ paſſurus ſum, *ſcriptum eſt enim*. Zach. 13. *percutiam paſtorem* (is ſum ego mortem paſſurus) *& diſpergentur*, errabunt *oues gregis*, vos diſcipuli mei, dixerat: nolite timere puſillus grex; *poſtquàm autèm reſurrexero* die tertio; *præcedam vos in Galilæam* in monte, vbi conſtituerat illis Ieſus, ibi vos præſtolabor: iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: Hæc ex Matthæo, & Marco. Lucas verò *Simon*, *Simon*, duplicatio nominis ad maiorem cautelam imprimendam, *ecce Satanas expetiuit vos* (à ſe enim non poteſt; ſic cum Achab, & Iob) vos fugam capturos, *vt cribraret ſicùt triticum* cribrari ſolet, vt ſus, deque eijceret, & vacuos fide redderet, ſtaret à dextris veſtris. Pſal. 108. ità vt vos confoderet, præualeret in vos. *Ego autèm rogaui* quà homo *pro te*, quem ille ſingularitèr appetit, *vt non deficiat fides tua*, & ſucceſſorum, quæ negando verbis ob timorem mortis corde non defecit, *& tu aliquandò conuerſus* reſurgens (cades enim) ecce hæc tendunt ad negationem, hæc pro vno intellectu; at meliùs, *& tu aliquandò conuerſus* oculos conuertens ad fratres tuos, fideles, *confirma* illos, non enim tùnc videtur Chriſtus agere de caſu, vel pœnitētia Petri, cum dicat rogaſſe ne fides ſua deficiat, & clariùs loquutus eſſet; vltrà quòd quæ conuenientia à conuerſo ad pœnitentiam velle confirmari fratres? ſic Zach. 13. conuertam manum meam ad paruulos: Deus tu conuerſus viuificabis nos; ſic conuerſus Ieſus reſpexit Petrum. Luc. 22. & conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum. Ioan. 21. Præterea ſi de conuerſione agendum, tùnc aptiùs, quandò dixit eum caſurum; at hoc præmittitur prædictioni caſus, ergò hìc non agit de pœnitentia. Non obſtat verbum, *aliquandò*, quia abſque pœnitentia ſtare poteſt, & quia non apparet Petrum cum Apoſtolis id feciſſe, reſpiceret enim tantùm tempus illud, non aliud. *Confirma fratres tuos*, & fideles omnes, hæc Petro, ne cui datus primatus exiſtimaret ad paritatem reductum, & quia ad aliud tempus hæc referenda, quàm illud, quod interceſſit intèr mortem, & reſurrectionem Chriſti; hincque confirmatur intellectus; *rogaui pro te Petre*, *vt non deficiat fides tua*, extendi etiàm ad ſucceſſores, & vſque ad durationem mundi, eò magis quia non apparet Petrum vmquàm confirmaſſe Apoſtolos vacillantes. At factus audacior Petrus iuxtà omnes Euangeliſtas, præbet ſe paratum carceri, & morti; ſed ſecundùm Ioannem, *Dicit ei Petrus* amore feruens, *quare non poſſum te ſequi modò?* ſi opus eſt vt te ſequar, *animam*, vitā *meam pro te ponam*, vitam hanc pro te paruipendo. *Reſpondit ei Ieſus*: *Animam tuam pro me pones? Amen*, *amen dico tibi*, *non cantabit gallus*, *bis*, dicit Marcus, *donèc tèr me* neges, nedum pones animam tuam pro me, & omnes Euangeliſtæ concordant in trina negatione. Addit S. Lucas, *& dixit eis*: *quandò miſi vos* prædicatum. Luc. 9. Matth. 10. *ſinè ſacculo*, *& pera*, *& calceamentis*, *numquid aliquid defuit vobis* neceſſarium? *At illi dixerunt*. *Nihil. Dixit ergò eis*: *Sed nunc* non ſic, ſed *qui habet ſacculum*, *tollat ſimilitèr & peram*, *& qui non habet*, *vendat tunicam ſuam*, *& emat gladium*; ex his deno-

tare voluit ſuperuentura in eum, & illos, quomodò ab armatis capietur, & ſecundùm modum humanum hæc futura neceſſaria. *Dico enim vobis, quoniàm adhùc* in hoc vltimo vitæ meæ *hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me*, verificari: *& cum iniquis deputatus eſt.* Iſa.13. capiar, illudar, Cruci affigar in medio latronum, declarat verbum, *adhùc, etenim ea, quæ de me* ſcripta *ſunt, finem habent*, quod & in Cruce dixit: conſummatum eſt. *At illi* carnalitèr intelligentes, *dixerunt: Domine, eccè duo gladij hic* fortè ab alijs inuenti, quia ſi ab ipſis, nó diceretur quaſi nouũ, ſed hoc nutat vt in paſſione. *At ille dixit eis*, nolẽs in his cõterere tẽpus, *ſatis eſt*, poſtquàm nó intelligitis quò rendant verba mea; nàm Chriſtus non ſimplicitèr intellexit, quod patet ex increpatione in Petrum percutientem Malchum, & ex verbis: ſi ergò me quæritis ſinite hos abire.

CAPVT CXLIII.

CONTINVATIO SERMONIS IN COENACVLO.

Ioan. 14.

1 *NON turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me*
2 *credite. * In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. ſi*
quo minus dixiſſem vobis: Quia vado parare vobis lo-
3 *cum. * Et ſi abiero, & præparauero vobis locum: iterum*
venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbì ſum ego,
4 *& vos ſitis. * Et quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.*
5 ** Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò vadis: & quo-*
6 *modò poßumus viam ſcire? * Dicit ei Ieſus: Ego ſum via, & veritas, & vi-*
7 *ta. nemo venit ad Patrem, niſi per me. * Si cognouiſſetis me, & Patrem meum*
8 *vtiquè cognouißetis: & amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum. * Dicit ei Phi-*
9 *lippus: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. * Dicit ei Ieſus: Tanto*
tempore vobiſcum ſum: & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt
10 *& Patrem. Quomodò tu dicis: Oſtende nobis Patrem? * Non creditis quia ego*
in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non lo-
11 *quor. Pater autèm in me manens, ipſe facit opera. * Non creditis, quia ego in*
12 *Patre, & Pater in me eſt? * Aliòquin proptèr opera ipſa credite. Amen, amen*
dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora ho-
13 *rum faciet: quia ego ad Patrem vado. * Et quodcumque petieritis Patrem in*
14 *nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. * Si quid petieritis me*
15 *in nomine meo, hoc faciam. * Si diligitis me: mandata mea ſeruate. * Et ego*
16 *rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æter-*
17 *num, * Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt*
eum,

eum, nec ſcit eum. vos autèm cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in
18 *vobis erit. * Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. * Adhùc mo-*
19 *dicum: & mundus me iàm non videt. Vos autèm videtis me: quia ego vi-*
20 *uo, & vos viuetis. * In illo die vos cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo, &*
21 *vos in me, & ego in vobis. * Qui habet mandata mea, & ſeruat ea: ille eſt,*
qui diligit me. Qui autèm diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum,
22 *& manifeſtabo ei meipſum. * Dicit ei Iudas, non ille Iſcariotes: Domine, quid*
23 *factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo? * Reſpondit*
Ieſus, & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater *meus*
24 *diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: * qui non*
diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem, quem audiſtis, non eſt
25 *meus: ſed eius, qui miſit me,* Patris. * *Hæc locutus ſum vobis apud vos ma-*
26 *nens. ** Paraclitus *autèm Spiritus ſanctus, quem mittet* Pater *in nomine meo,*
ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.
27 * Pacem *relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat ego*
28 *do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. * Audiſtis quia ego di-*
xi vobis: Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiquè, quia
29 *vado ad* Patrem: *quia* Pater *maior me eſt. * Et nùnc dixi vobis prius quàm*
30 *fiat: vt cum factum fuerit, credatis. * Iàm non multa loquar vobiſcum. ve-*
31 *nit enìm* Princeps *mundi huius, & in me non habet quidquam. * Sed vt co-*
gnoſcat mundus quia diligo Patrem, *& ſicùt mandatum dedit mihi* Pater, *ſic*
facio. Surgite, eamus hinc.

COMMENTARIVS.

TVRBATA erant corda diſcipulorum ex proditione Iudæ, & negatione Petri à Domino prædictis, & ex incertitudine ſtatus ipſorum, à quibus dicebat ſe ſeparandum, neque eos ſecuturos, & ex afflictionibus contrà eos ſuborituris, vt deſideraturi eſſent diem vnum cum eo ducere; ideò Dominus hoc ſermone eos conſolatur in omnibus. *Non turbetur cor veſtrum* timore, vel mœrore ex ijs, quæ à me audiſtis malorum euenturorum, eſtote fortes; *creditis in Deum*, certò hoc ſcio, *& in me credite*, vel quæ dixi, quæ à vobis triſtitiam auferre poſſunt, vt illud me reſurrecturum, & poſtquàm reſurrexero præceſſurum vos in Galilæam, & vos ad regnum meum à Patre mihi diſpoſitum, quod vobis diſpoſui, euehendos, & ibi inebriandos. Luc. 22. vel quæ dicam; vel habetis fiduciam in Deum, & in me fiduciam habete, quia eximemini anguſtijs, quas prædixi. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt;* hoc dicit ne timerent ex loci anguſtia manſiones in regno, quod prædixerat eis diſpoſuiſſe, defuturas, & pro omnibus non ſufficere, præſertìm quia Petrum dixerat clarè ſecuturum, de alijs non; ideò vult dicere, vobis ad hanc domum euehendis lætandum eſt, non in triſtitia immanendum. Reſpondit hoc eorum intentioni quærenti primatum in regno, vt in contentione per Lucam c. 22. *Si quo minùs dixiſſem vobis*, aliòqui non dixiſſem vobis ſi multæ manſiones non forent. *Quia vado* per mortem ad cælum *parare vobis locum*, quem vobis

 diſpoſui,

diſpoſui; dicitur ire parare locum per Crucem, quia ianua cæli primò erat ei aperienda, ideò præmiſit *credite in me*, vt fidem his aptent. *Et ſi abiero, & preparauero vobis locum*, proùt certò fiet, *iterum venio* in morte veſtra, *& accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego* (reſpicit tempus quandò illic erit in corpore, non tempus præſens, etſi de præſenti quòad ſuperiorem animæ partem eſſet beatus) *& vos ſitis*: Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic & miniſter meus ſit; agit hic de gloria, quia dicit *accipiam, vbi ſum ego*, & ſermo eſt de manſionibus in domo Patris, non igitur hic de tempore pòſt reſurrectionem, in quo hæc conſiderari non poſſunt. *Et quò ego vado ſcitis*, ad gloriam, & Patrem, *& viam ſcitis* per Crucem, hæc enim multotiès vobis dixi. *Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò vadis*, & ſi hoc neſcimus, *quomodò poſſumus viam ſcire?* hoc enim fieri non poteſt. *Dicit ei Ieſus: Ego ſum via*, per quam ambuletis, exemplo præſertim crucis, qui enim non baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus; fide, credere enim in me neceſſe, quod præmiſerat; doctrina, qua docui, quomodò ambulandum; merito, quia non eſt datum aliud nomen, in quo vos oporteat ſaluos fieri; ideò ſubdit: *nemo venit ad Patrem, niſi per me*, ex quibus verbis demonſtrat, quò ipſe eat, & quò illis eundum, & cum de Patre ſæpiùs dixerit, & in eum credant, vt præmiſit: creditis in Patrem; concludit illos ſcire quò eat, & viam, cum ipſe illa ſit. Addit *ſum veritas*, quaſi infallibilis eſt via veritate fulta, *& vita*, ideſt non eſt via fragilis, paruæ durationis, ſed vitalis, immortalis, ad immortalitatem, æternitatemquè ducens; *ſi cognouiſſetis me* perfectè qualis ſim, Filius Dei viui, qui mundo apparui, *& Patrem meum vtique cognouiſſetis*, quia Pater, & ego vnum ſumus; ſed Petrus cognouit Filium ex reuelatione Patris, vt in eius confeſſione dictum, ergò hæc verba illum non tangunt, *& amodò*, inpoſterum Spiritu ſancto pleni *cognoſcetis eum* Patrem, *& vidiſtis eum* in me, me videntes, ſed non cognouiſtis, me non cognoſcendo quà Deum. *Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem*, quaſi dicat, illum adhùc non vidimus, explica quis ille, vt intelligamus, *& ſufficit nobis*, tùnc enim ſciemus viam, & terminum quò tendis, & quò nos tendemus. *Dicit ei Ieſus: tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me*, cognoſcit me, *videt*, cognoſcit *& Patrem* meum. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Pater, & ego ſumus vnius eſſentiæ, & naturæ, & vno cognito, alter cognoſcitur, & ſic firmantur intellectus præcedentes. *Verba quæ loquor vobis, à meipſo non loquor*, ſed à Patre in me manente, *Pater autem in me manens, ipſe facit opera*, quæ ego facio, ità vt indiuiſa ſint cum Patre meo & verba, & opera, & ideò *ego in Patre, & Pater in me* ſit, ſimus vnum, vnius eſſentiæ, *non creditis* mihi, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* proùt probaui clarè. *Alioquin propter opera ipſa* mirabilia, quæ feci, quæ vidiſtis, *credite*, ſic Ieſus agebat cum Hebræis, ad fidem ex operibus eos trahendo; at credere mihi deberetis. *Amen, amen dico vobis* (vt alliciat diſcipulos ad credendum in eum, explicat effectus fidei, nempè operum, miraculorum excedentium) *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum*, quæ ego facio, *faciet*, ſi expedierint ad gloriam meam, & gentium conuerſionem, *quia ego*, qui maiora facere poſſum, ſed ampliùs non faciam præſentia corporali, qua *ad Patrem* glorificandus *vado*, vos hìc vice mea ſubſtituens, & exauditurus, &, pro quia *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*, proptèr me, ad gloriam meam ſeruatis ſeruandis, *hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio*, qui ſempèr gloriam Patris quæſiuit. *Si quid petieritis me in nomine meo*, dicentes per temetipſum, ad gloriam tuam, *hoc faciam*; & æqualitatem ſuam cum Patre manifeſtat. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate*. Audiſtis, quæ ego facturus ſum pro vobis apud Patrem, & quæ vos facturi eſtis, & recepturi me rogantes, at vnum à vobis peto, *ſi diligitis me*, proùt oſtenditis ex mœſtitia ob diſceſſum meum à vobis, *mandata mea ſeruate*, obedite mihi in omnibus vobis præfixis, & ne mœſtitia deprimamini, *ego rogabo* quà homo *Patrem* (in cælo aduocati vice fungitur pro nobis:

nobis:aduocatũ habemus apud Patrem,&c. 1. Io. 2. ſempèr viuens ad interpellandum pro nobis. Heb. 7. 25. apparens vultui Dei pro nobis. Heb. 9. 24. & ideò dicitur: Sacerdos in æternum, vt in tota Epiſtola ad Heb.) *& alium paraclitum*, conſolatorem *dabit vobis*, non temporalem, proùt ego fui, ſed qui *maneat vobiſcum in æternum*, vobis ſempèr aſſiſtentem, docentem, ſuggerentem vobis omnia, non enim agit de vita beata, ſed de agendis in mundo, at non corporalem, ſed *ſpiritum veritatis*, veracem; qui docebit vos omnem veritatem infrà cap. 16. *quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum*, cum ſit inuiſibilis, & mundus animalis ad viſibilia tantùm trahitur: animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus, *nec ſcit eum*, quia nondum manifeſtus eſt, ſed in vobis citò manifeſtabitur, vt in die Pentecoſtes, *vos autèm* ſpirituales *cognoſcetis eum*, quia illum ſpirantem, & vocem eius internam audietis. Io: 3. 6. 7. 8. *quia apud vos manebit* veritatem docens, *& in vobis erit*, hærens vobis, dans vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduerſarij veſtri. Negatio Petri, in qua à Spiritu ſancto derelictus, non obſtat prædictis, quia loquitur de futuris pòſt Reſurrectionem ſuam, & Aſcenſionem. *Non*, nequè ego *relinquam vos orphanos* ſolos abſquè mea directione, *veniam ad vos* poſtquàm reſurrexero; vel quamquàm præſentia corporali à vobis diſcedam, tamèn ſpirituali ero vobiſcum omnibus diebus vſquè ad conſummationem ſæculi. *Adhùc modicum* tranſibit, quo morte afficiar, *&* deindè pòſt meam Reſurrectionem *mundus me iàm non videt*, videbit, quia viderunt illũ teſtes præordinati à Deo tãtùm, *vos autèm videtis me*, videbitis me, *quia ego viuo*, reſurgam, *& vos viuetis* nullam paſſi iniuriam, incolumes, & hæc non videntur conuenire vitæ beatæ, ſed præſenti ſæculo, & conſolationi in hac vita, & hic eſt ſcopus. *In illo die*, tempore pòſt Reſurrectionem meam, adde, & Spiritus ſancti miſſionem antè quam adhùc rudes, vt patet. Act. 1. interrogantes de regno temporali, *cognoſcetis* clarè, *quia ego ſum in Patre meo*, quia vna eius, & mea eſſentia, magis enim ad hæc cognoſcenda illuſtrabimini, *& vos in me, & ego in vobis*, ſcilicèt vnum ſumus vos & ego per charitatem, dilectionem, ſic infrà cap. 17. 22. & ego charitatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicùt & nos vnus ſumus; ego in eis, & tu in me, & verſ. 26. vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis, ſic & infrà cap. 15. in parabola viris, & palmitum. Qui habet præ manibus, cognoſcit mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me, & in me eſt, vt præmiſit; dilectio autèm oſtenditur ex mandatorum obſeruatione, *qui autèm diligit me*, ideſt in me eſt, *diligetur à Patre meo*, Parer meus in eo erit, & infrà; *ad eum ueniemns, & manſionem apud eum faciemus, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*, illuminabo eum, ego lux omnem hominem illuminans, claritarem, cognitionem mei, & rerum cæleſtium dabo; non hic de vita æterna, ſed de præſenti, quod ex ſubſequentibus clarius fit. *Dicit ei Iudas non ille Iſcariotes: Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?* Vndè hoc, vt potiùs nobis, quàm mundo manifeſtari velis? & quomodò hoc fiet, non enìm intellexerat dicta Ieſu. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei:* repetens clariùs, vndè manifeſtatio hæc, & ſuperior eſt de ſpirituali: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*, mandata mea exequetur, *& Pater meus diliget eum*, & quia dixerat etiàm de ſe, *ego diligam eum*, ſubdit; *& ad eum* Pater, & ego, & Spiritus ſanctus *ueniemus, & manſionem apud eum*, ſic ſeruantem, *faciemus*, illuſtrando, fouendo, illuminando eum, & hi vos eſtis; *qui non diligit me*, qui eſt mundus in maligno poſitus, me odiens, quia opera ſua arguo, *ſermones meos non ſeruat*, ſed ſpernit, propterea manifeſtaturus non ſum me illi, qui non meretur, *& ſermonem* pro ſermo, *quem audiſtis, non eſt meus* ſolùm, *ſed & eius, qui miſit me* in mundum, *Patris*; ſic infrà cap. 15. iàm vos mundi eſtis proptèr ſermonem, quem locutus ſum vobis; ſic ſuprà verſ. 10. *Verba, quæ ego loquor, à me ipſo non loquor, Pater autèm in me manens, ipſe facit opera*; ſic Io. 5. 30. ſicùt audio, iudico, & Io. 3. 32. & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur, vel non procedit à natura

tura

tura humana, ſed diuina, paterna, ideò non meus, ſed Patris, ni mirum ſi ſeruandus diligentèr, ſi non ſeruantes ſunt indigni manifeſtatione. *Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens* in hac præſentia corporali. *Paraclitus,* conſolator *autèm, Spiritus ſanctus* tertia perſona in diuinis, *quem mittet Pater in nomine meo*, vice mea, vel proptèr merita mea, illum enim ipſe nobis meruit & rogauit pro illius miſſione quà homo, *ille vos docebit omnia, & ſuggeres vobis omnia, quæcunque dixero*, dixi *vobis*, ſeù dicam, inuiſibilirèr illuminando, illuſtrando. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, cum effectu operaturam, quod ſignificat, hanc in vobis creo, & efficio, qui poſſum, hanc ſincerè relinquo, non *quomodò mundus*, homines enim mundi poſſunt eam imprecari, non dare, non creare, non efficere, & multotiès fictè id faciunt, ideò *non turbetur cor veſtrum*, & ſic videntur hæc verba dici, & pacem dari ad ſedandam eorum animi inquietitudinem, & turbationē, de qua etiàm ſæpiùs. Vel *pacem meam* æternam, ſtabilem *do vobis* prædeſtinatis, *non quomodò mundus dat* infirmam, & mutabilem; ſed primus intellectus melior, quia videtur pax dari vſquè ad reditum ſuum pòſt reſurrectionem, cum ſubdat, *vado, & venio ad vos*. At quomodò & validè operata eſt hæc pax, quia non legitur inrèr eos vllum diſſidium charitatem rumpens? *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet* etiàm ſi ego à vobis tollar per mortem (eccè ſempèr reuertit ad ſcopum principalem) *Audiſtis, quia ego dixi vobis*, iàm *vado*, à vobis recedo per mortem, *& venio ad vos* pòſt reſurrectionem celerem, ſolemus dicere citò nos videbimus incolumes, ideò proptèr modicam abſentiam ne turbemini, *ſi diligeretis me* verè, *gauderetis vtiquè* de meo bono, *quia vado* per mortem *ad Patrem* glorificandus quà homo à Patre. Philip. 2. non gaudebant, ſed triſtabantur præſentia ſua corporali delectari, nec aliud cogitabāt, *quia Pater maior me eſt*, quà homo ſum, & vri homini glorificationem tribuet, *& nùnc dixi uobis*, non ad mœſtitiam vobis inferendam, me moriturum, & ſurrecturum, & vos reuiſurum *priuſquàm fiat*, ſciens quid mihi immineat, *vt cum factum fuerit, credatis* ob hanc prædictionem meam ſic euenturum, quia tùnc Deus vobis demonſtrabor. *Iàm non multa loquar vobiſcum*, paruo tempore inſimùl verſabimur. *Venit enim Princeps mundi huius* hominum malorum, ſupèr quibus principatur diabolus, qui adorationem præripuit mihi inſidians vſquè ad mortem, vt tradar, hæc eſt enim hora ſua, & poteſtas tenebrarum, ſicùt ego volui; ideò intrauerat in Iudam, & cum pugna ſit cum diabolo, immiſericors, crudelis erit, iuxtà illud Pauli: non eſt nobis colluctatio aduerſùs carnem, & ſanguinem; ſed aduerſùs Principes, & poteſtates; aduerſùs mundi rectores tenebrarum harum contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Epheſ. 6. *& in me non habet quidquàm* morte dignum, quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; & ipſe: quis ex vobis arguet me de peccato? mundo reddens rationem ſuæ innocentiæ; & tamèn à diabolo calcaneo inſidiante perquiritur. Vel mihi non præualebit, ſed confodietur, & debellabitur, primus tamèn ſenſus videtur melior, *ſed ad mortem vado, ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, &*, pro quia, *ſicùt mandatum dedit mihi Pater* moriendi pro genere humano, qui proprio etiàm Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illū, *ſic facio* libentèr, & ſuprà dixerat ſignum dilectionis eſſe obſeruantiam mandatorum, vndè: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam Deus; hic interpungendum iuxtà Bibliam correctam. *Surgite, eamus hinc*, impatiens mandati paterni exequendi, mortis pro nobis peccatoribus ſubeundæ. Hoc mandatum accepi à Patre meo. loquens de morte. Io. 10. 18. & Philip. 2. factus obediens vſquè ad mortem, &c. non tamèn tùnc diſceſſit, ſed proſequutus eſt ſermonem, in fine cuius dicitur. Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis, &c. Io. 18. ſic Io. 20. finierat Euangelium, poſteà addidit cap. 21. & in fine iterum ponit quæ ſolent ad finem poni.

CA-

CAPVT CXLIV.

CONTINVATIO SERMONIS.

Ioan. 15.

1 *EGO ſum vitis vera: &* Pater *meus agricola eſt.*
2 ** Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet*
eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fru-
3 *ctum plùs afferat. * Iàm vos mundi eſtis proptèr ſermo-*
4 *nem, quem locutus ſum vobis. * Manete in me: & ego*
in vobis. Sicùt palmes non poteſt ferre fructum à ſemet-
ipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me man-
5 *ſeritis. * Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic*
6 *fert fructum multum: quia ſinè me nihil poteſtis facere. * Si quis in me non*
manſerit: mittetur foràs ſicùt palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem
7 *mittent, & ardet. * Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint:*
8 *quodcumque volueritis petetis: & fiet vobis. * In hoc clarificatus eſt* Pater
9 *meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. * Sicùt*
10 *dilexit me* Pater*, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. * Si præcepta*
mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicùt & ego Patris *mei præcepta*
11 *ſeruaui, & maneo in eius dilectione. * Hæc locutus ſum vobis: vt gaudium*
12 *meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. * Hoc eſt præceptum meum*
13 *vt diligatis inuicèm, ſicùt dilexi vos. * Maiorem hac dilectionem nemo ha-*
bet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis, ſi fe-
14 *ceritis quæ ego præcipio vobis. * Iàm non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit*
15 *quid faciat dominus eius. * Vos autèm dixi amicos: quia omnia quæcumque*
16 *audiui à* Patre *meo, nota feci vobis. * Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos,*
& poſui vos vt eatis, & fructum afferatis: & fructus veſter maneat: vt
17 *quodcumque petieritis* Patrem *in nomine meo, det vobis: * Hæc mando vobis,*
18 *vt diligatis inuicèm. * Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis*
19 *odio habuit. * Si de mundo fuiſsetis: mundus quod ſuum erat diligeret: quia*
verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mun-
20 *dus. * Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt ſeruus maior*
domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum
21 *ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. * Sed hæc omnia facient vobis proptèr no-*
22 *men meum: quia neſciunt eum, qui miſit me. * Si non veniſſem, & locutus*
23 *fuiſſem eis, peccatum non haberent: nùnc autèm excuſationem non habent de*
24 *peccato ſuo. * Qui me odit, &* Patrem *meum odit. * Si opera non feciſſem in*
eis,

eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nùnc autèm & uiderunt, &
25 *oderunt & me, & Patrem meum. * Sed ut adimpleatur ſermo, qui in lege eo-*
26 *rum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratìs. * Cum autèm uenerit Para-*
clitus, quem ego mittam uobis à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre pro-
27 *cedit, ille teſtimonium perhibebit de me: * & uos teſtimonium perhibebitis,*
quia ab initio mecum eſtis.

COMMENTARIVS.

PRAEDIXERAT capite præcedenti, vt in eum crederent, mandata Patris, & ipſius ſeruarent, venturum ad eos, cum ipſis manſurum; nùnc vtilitatem in eo manendi, & præiudicium ſeparationis parabola vitis, & palmitis inculcat, & ad manſionem in eum hortatur, & quomodò hoc aſſequuturi ſint docet. ***Ego*** vtì homo ***ſum vitis uera***, dicit ***uera***, quia loquitur de vite, quæ potatur ab agricola, non de labruſca, quæ dimittitur ſuæ naturæ abſquè vlla inciſione, ***& Pater meus*** Deus ***agricola eſt*** curam gerens palmitum, non quòd non & vitis, ſed hic nihil de cura illius. ***Omnem palmitem*** (& palmites ſunt fideles) ***in me*** hærentem ***non ferentem fructum*** bonorum operum, infructuoſum, expectatum vt faceret vuas, & fecit labruſcas (Fides enim ſola non ſaluat) ***tollet eum*** Pater, abſcindet, amputabit, proùt ſolet agricola palmites inutiles abſcindere, & in ignem mittet, ***& omnem*** palmitem, ***qui fert fructum, purgabit eum*** modò lætis, modò triſtibus, putabit proùt putator facit cum palmite bono, ***ut fructum plus afferat***, nàm ſicùt palmes liber à luxurijs, quæ illum deprimebant, fit fructuoſior, ſic iuſtus à Deo purgatus. ***Iàm uos mundi eſtis proptèr ſermonem, quem locutus ſum uobis***, quem ſuprà cap. 14. dixerat eſſe Patris: & ſermonem, quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius, qui miſit me, Patris, vndè cum mundi ſitis, adhùc eſtis cum vite; videtur loqui de ſermone hìc habito, huius noctis, vnito, vnico, non de alijs diuerſis temporibus eis dictis, & præſertìm, quia interuenit contentio de primatu, & in dubio verba intelliguntur de præſentibus, & propinquis, non præteritis, & remotis, de quibus ſi intellexiſſet, expreſſiſſet. ***Manete in me*** per dilectionem, ***& ego in uobis*** manebo, infrà enìm dicit, ***qui manet in me, & ego in eo***, petit ergò à diſcipulis primum, & ſecundum fiet; fidelis enìm Deus, qui ſeipſum negare non poteſt, imò ſtat ad oſtium pulſans intraturus, & cœnaturus nobiſcum; & ſuprà dixit cap. 14. ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, & manifeſtabo ei meipſum, & in illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis, ibì enìm & per dilectionem, ***ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in uite, ſic nec uos, niſi in me manſeritis***, quia non eſt datum aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri, & ſic allicit eos ad manendum in eo, quia aliòqui inutiles eſſent. ***Ego ſum uitis, uos palmites*** fideles, ***qui manet in me*** per dilectionem, & obſeruationem mandatorum, ***& ego in eo*** maneo, imò prior diligo. ***hic fert fructum multum***, quem aliàs non faceret, ***quia ſinè me nihil poteſtis facere***, in me enìm omnis vita palmitis. ***Si quis in me non manſerit*** (eccè declaratio verborum, ***tollet eum***) ***mittetur foràs ſicùt palmes*** exciſus, vel excidendus, ***& areſcet***, vt aptior fiat igni, qui enìm non hæret Deo, aridus fit, nihil ſucci capiens, ***& colligent eum*** iàm arefactum, ***& in ignem mittent*** infernalem, ***& ardet*** in æternùm. ***Si manſeritis in me, & uerba mea***, præcepta mea ***in uobis manſerint***, illa exequemini, ***quodcunque uolueritis*** Dei voluntati conforme ***petetis, & fiet uobis***, & hac ratione eos allicit ad manendum in eo. ***In hoc clarifi-***

catus

catus eſt, clarificabitur *Pater meus*, *ut fructum plurimum afferatis*, conuertendo mundum ad ipſum; conuerſio enim mundi ad gloriam Dei refertur: hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, *& efficiamini mei diſcipuli*, imitatores mei, vt meo exẽplo proficiatis. *Sicùt dilexit me Pater, & ego dilexi uos* amore filiali; *manete* igitur & vos *in dilectione mea*; iuſtum eſt enim, vt mihi hoc rependatis. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*, ego vos diligam, *ſicùt & ego* vt homo *Patris mei præcepta ſeruaui* ad vnguem, *& maneo in eius dilectione*, ab eo diligor. Pater diligit Filium. Io. 3. 35. & 5. 20. *Hæc loquutus ſum uobis, ut gaudium meum in uobis ſit*, gaudeatis mecum ad gloriam eunte per crucem, dixerat ſuprà: ſi diligeretis me, gauderetis vtiquè, quia vado ad Patrem, &c. hoc enim gaudium ſuum, glorificandus abire ad Patrem, *& gaudium ueſtrum impleatur* in æternitate, vt ſitis vbì ego ſum. *Ego ſum uitis, & uos palmites*: ſimilitudinariè, & ſpiritualitèr loquitur, indicatquè velle nos omnes eſſe ſpirituales, carnalis enim homo non percipit quæ ſunt ſpiritus, ſpirituales erimus ſi charitate illi vniamur, amor enim nos transformat, vt ipſe diſcurrit in hoc ſermone, ſi pòſt eum portemus crucem noſtram illum imitando datum nobis in exemplar; abſquè dilectione verò omnia fruſtrà agimus: Si linguis hominum loquar, &c. & hæc dilectio ſuperare debet dilectionem quorumcunque carorum, etiàm animæ noſtræ; hìnc: qui non odit Patrẽ, &c. & qui non baiulat crucem, &c. cum enìm ſimus palmites maior eſt noſtra vnio cum vite, qui eſt Chriſtus, quàm viri ad vxorem, qui dicuntur duo in carne vna, maior quàm filij ad patrem, qui ſunt duæ perſonæ, nàm vitis, & palmites unum ſunt, maior quàm uitæ noſtræ, cum non ſimus noſtri, ſed Chriſti. Hìnc tolle vxorem, & ſoluitur affinitas, tolle Patrem, ſoluitur coniunctio, tolle vitam, & ſoluimur, mors enìm omnia ſoluit, at ſiuè morimur, ſiuè viuimus Chriſti ſumus, nàm & mortui audient vocem Filij Dei. Hæc attendens Paulus dicebat: Chriſto confixus ſum Cruci, quaſi non ampliùs ab eo ſeparandus; in Cruce enìm mortuo illo, & nos, quibus ex peccato mors inſtabat, mortui, & eo ſepulto, & nos conſepulti, quod in baptiſmo figuratur, & ipſo reſuſcitato, & nos ſurreximus; ſi enìm Chriſtus reſurrexit, &c. 1. Cor. 15. Saluatorem expectamus, &c. illo aſcendente, & nos aſcendimus, vt ſint miniſtri, vbì Dominus. Hinc Paulus Chriſto hærens: quis nos ſeparabit à charitate Dei, tribulatio, &c. Si ergò cum illo vniamur in charitate, palmites erimus fructificantes, & obtinentes quidquid petierimus; quòd ſi diſiungemur, ad ignem tantùm erimus apti, membra ſinè capite Chriſto primogenito. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicèm*, idem prçceptum dederat ſuprà, nouum appellans cap. 13. 34. ideò nùnc ſuum dicit, & ſuum quaſi ſuprà alios optatum, nàm: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autèm non habeam, factus ſum velut æs ſonans, &c. ad Apoſtolos eſt ſermo, ideò *vt diligatis inuicèm ſicùt dilexi vos*, adeò arctè, vt etiàm vſquè ad mortem diligatis; hìnc ſubdit, ad hunc terminum dilectionis reſpiciens, *maiorem hac dilectionem nemo habet*, *vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. 1. Io. 3. in hoc cognouimus charitatem Dei, quoniàm ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, &c. non loquitur pro inimicis, quia ad amicos loquebatur, & de charitate, & amore conſeruando, & quia nullum debemus reputare inimicum, ſed proximi quique proùt nos amandi, vt iubemur, ideò non diſtinguit: ſic dicit de bono Paſtore ponente animam pro ouibus ſuis, quia de illis erat ſermo, non de alijs, non quòd pro omnibus animam non poſuerit, at ipſe hanc ſuperauit pro peccatoribus verè ſuis inimicis moriens; vndè Paulus. Rom. 5. commendat autèm charitatem ſuam Deus, quoniàm cum adhùc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: at reſpectu animæ, ſeù vitæ idem eſt eam pro amicis, vel inimicis effundi, quia maius non habemus quod demus; tenemur autèm pro proximo vitam ponere ad ſaluandam eius animam corpore noſtro pretioſiorem in caſibus, de quibus per Summiſtas. *Vos amici mei eſtis*, ex parte ve-

te veſtra, *ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*, amici enim eſt moueri ad obſeruantiā mandatorum ex amore, & deſiderio amico obſequendi, non ſerui, qui timore mouetur, & obedit, & ſimilitèr ego viſa hac obedientia veſtra procedente ex charitate: *Iàm non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius*, illi enim Dominus non communicat ſecreta, ſed *dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo* vobis manifeſtanda, iuxtà Caietanum, *nota feci uobis*, imò & omnia mandaui vobis, quibus mundum conuertendum tradidi, vt pro me legatione fungamini. Vult oſtendere Chriſtus dilectionem, qua illos proſequitur ex modo, quo cum eis ſe geſſit, ideò dicit non reputaui vos ſeruos, ſed amicos, quia more amici, non Domini vobiſcum egi. Amicitia autèm hæc à me cœpit, prior enìm dilexit nos, dicit Ioannes, nàm *non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos, & poſui uos* (eò vſquè extuli ad munus Apoſtolicum) *ut eatis* nomine meo, & totius Trinitatis per totum Orbem, pro illius conuerſione, *& fructum afferatis* ad gloriam Dei, quem ſuprà dixit cap. 13. glorificandum: *Et fructus ueſter maneat* vobis proficuus vſquè ad finem ſæculi, quia: eccè vobiſcum ſum omnibus diebus vſquè ad conſummationem ſæculi, &c. ſubrogabo enìm ſucceſſores vobis, qui fructum veſtrum conſeruabunt. Io. 17. 20. & hæc ſunt myſteria, quæ vtì amicis communicauit, nempè conuerſionem per eos fiendam totius mundi, Spiritum ſanctum affuturum cum eis, docturum, ſuggeſturum, ipſummet eos non relicturum in hoc opere, quod clariùs alio tempore non dixerat; eò vſquè etiàm extuli; *poſui uos, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det* ipſe Pater *uobis*, & hæc magna amicis, non ſeruis communicantur, & demandantur, ideò *iam* poſtquàm hæc communicaui, & mandaui; *non dicam uos ſeruos*, ſed amicos. *Hæc mando uobis*, quæ ſuprà mandaui, vt ad effectum *ut diligatis inuicèm*; Vel *hæc*, quæ ſequuntur *mando*, ordino, præcipio *uobis*, vt, ad effectum, *ut diligatis inuicèm*, reſpiciens ad odiū, quo proſequuturi eos erant Iudæi, quaſi, hac de cauſa dilectione mutua magis indigebitis, ſuprà etiàm dixit verſ. 11. *hæc loquutus ſum uobis*, & infrà 16. 1. poſtquàm explicauit officium eorum conuerſionis totius mundi, iterat mandatum dilectionis, & ad patientiam hortatur eorum, quæ à mūdo paſſuri erant vſquè ad verſ. 26. *Hæc mando uobis*, ego ſum qui iubeo, dicebat Abſalon ſeruis ſuis, quibus iubebat vt necarent Amnon. Ego Dominus, obediendum, quia os Domini locutum eſt; dilectio, vult dicere, intèr vos erit admodum neceſſaria; quia mundus oderit vos; ſed *ſi mundus uos odit*, vos oſurus eſt, ne miremini, aut turbemini, exemplum meum habetis, in quod reſpiciatis, *ſcitote, quia me* veſtrum magiſtrum, & Dominum *priorem uobis odio habuit*: vult dicere, hoc mundi proprium eſt odio proſequi iuſtos. Vel *me priorem*, ſuperiorem *uobis odio habuit*, proùt Ioannes Bapriſta. Io. 1. quia prior me erat. *Si de mundo fuiſſetis* iniqui, proùt homines mundani, *mundus quod ſuum erat* maligni *diligeret* in vobis, *quia uerò de mundo non eſtis* ſequentes eius malitiam, *ſed ego elegi uos* in Apoſtolos meos, & abſtraxi *de mundo*, cuius veſtigia horretis: *propterea odit uos mundus*; ſic Sap. 2. 12. circumueniamus ergò iuſtum, quoniàm inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, &c. verſ. 15. diſſimilis eſt vita illius, &c. & Chriſtus. Io. 7. me odit mūdus, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſūt: Hinc vobis gaudendum, cū odium eorum futurū ſit eò quod vos iuſti. ſic & Petrus in epiſt. *Memētote ſermonis mei, quem ego dixi uobis* ſuprà. Io. 13. *nō eſt ſeruus maior domino ſuo*, alioquì ſeruus non eſſet, *ſi me perſequuti ſunt* Dominum ad eos miſſum à Patre pro eorum ſalute, *& uos* ſeruos *perſequentur* etiàm pro ſalute eorū laborantes; *ſi ſermonem meum*, verba mea *ſeruauerunt*, obſeruauerunt ſupèr eo malignantes, *& ueſtrum ſeruabunt*, obſeruabunt malitiosè, vt vos apprehendant in eo, *ſed hæc omnia facient uobis proptèr nomen meum*, quod in vobis glorificabitur hoc quæſituris, *quia neſciunt eum, qui miſit me*; ſi enìm ſcirent, nequè mihi inſidiati eſſent, nec vobis inſidiaturi eſſent; hìnc Paulus loquens de eis: ſi cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. 8. & Petrus. Act. 3. 17. & nùnc

ſcio

ſcio fratres, quia per ignorantiam feciſtis, ſicùt & Principes veſtri; & Paulus. Act. 13. 27. qui enim habitabant Ieruſalem, & Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, &c. ſed gaudete, quia proptèr nomen meum patiemini, nàm beati eritis. Matth. 5. Luc. 6. eorum tamèn ignorantia illos non excuſat à peccato infidelitatis, excuſaret, *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis*, proùt feci, quia tùnc ſuffeciſſet eis fides in venturum, *nùnc autèm* poſtquàm veni ad eos à Patre miſſus iuxtà promiſſionem eis factam, *excuſationem non habent de peccato ſuo* infidelitatis, nec putent parùm eſſe odiſſe me miſſum, nàm *qui me odit, & Patrem meum* (vnum enim ſumus) *odit*; nec poſſunt opponere me non dediſſe ſigna manifeſtantia qualis eſſem: *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit*, nec facere potuit data ad Meſſiam agnoſcendum à Prophetis, ità vt me, vt debueram, ex eis me non manifeſtaſſem, *peccatum non haberent* infidelitatis, *nùnc autèm & viderunt* opera illa, quibus ad fidem moueri debuerant, *&* tamèn *oderunt* & *me*, & vnà *Patrem meum*, ſed ſic omnia contingunt, *vt adimpleatur* conſequentèr ex eorum malitia, *ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt*, præ manibus eorum verſans, *quia odio habuerunt me gratis*, ſinè cauſa vlla. Poterant dicere Apoſtoli: Domine, ſi non crediderunt tibi ad eos miſſo, nequè miraculis tuis, quomodò credent nobis homunculis? occurrit Chriſtus dicens: venturus eſt alius teſtis, cui non poterunt refragari, is eſt Spiritus ſanctus tertia perſona in diuinis; ideò dicit: *Cum autèm venerit paraclitus*, conſolator, *quem ego* vti Deus *mittam vobis à Patre*, quem vti homo, ſuprà cap. 14. 16. dixi me rogaturum, ideò hic *à Patre*, ne putarent diuerſum Spiritum ſanctum, quem ipſe miſſurum ſe dicit, & de quo Patrem rogaturum dixerat, ſed eundem, *ſpiritum veritatis*, veracem, *qui à Patre procedit*, & à me. Sed cur ipſe non addit & à me? quia iàm dixerat, *quem ego mittam vobis*, quomodò enim mittet non à ſe procedentèm? & quia nedum in hoc ſermone vltimo, ſed ferè ſempèr, vel vt plurimùm omnia refert ad Patrem, ſed ad Patrem referendo non excludit ſe Filium, proùt quandò dicit Petro: caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt; diſcipulis. Act. 1. non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Prætereà, Pater per generationem æternam cõmunicauit omnia Filio prætèr paternitatem incommunicabilem, vndè: Pater operatur, & ego operor; quæcunque Pater facit, hæc & Filius facit. Io. 5. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Io. 3. 35. ſicùt ergò dicit, *qui à Patre procedit*, ità dicit à ſeipſo procedere, ſed infrà clarè: de meo accipiet, & annunciabit vobis, & ibi dicam. *Ille* ſpiritus *teſtimonium perhibebit de me, & vos* eo fulti, & audaces facti *teſtimonium perhibebitis* verum, & ſolidum, ſcientia plenum de me, *quia ab initio* operum meorum *mecum eſtis*, nempè à baptiſmo Ioannis vſquè ad Aſcenſionem. Act. 1. & apparet. Act. 2. quia poſt acceptum Spiritum ſanctum illicò fortes & ardentes diſſeminabant verbum Dei, & teſtimonium de Ieſu; Vel *teſtimonium perhibebit de me, &*, pro quia *vos teſtimonium perhibebitis*, faciet vos teſtimonium perhibere de me.

CAPVT CXLV.

CONTINVATIO SERMONIS IN COENACVLO.

Ioan. 16.

1 *HAEC locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini.* Abſ-*
2 *què Synagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis,*
qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.
3 ** & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, nequè*
4 *me.* Sed hæc locutus ſum vobis: vt cum venerit hora*
5 *eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Hæc autèm*
vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram: Et nùnc
vado ad eum, qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?
6 ** Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.* Sed ego ve-*
7 *ritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam: ſi enìm non abiero, Para-*
8 *clitus non veniet ad vos: ſi autèm abiero, mittam eum ad vos.* Et cum ve-*
9 *nerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.* de pecca-*
10 *to quidem: quia non crediderunt in me: * de iuſtitia verò: quia ad* Patrem
11 *vado: & iàm non videbitis me: * de iudicio autèm: quia princeps huius mun-*
12 *di iàm iudicatus eſt. * Adhùc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis por-*
13 *tare modò.* Cum autèm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem*
veritatem: non enìm loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque audiet loquetur, &
14 *quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Ille me clarificabit: quia de meo acci-*
15 *piet, & annunciabit vobis.* Omnia quæcumque habet* Pater, *mea ſunt.* Pro-
16 *pterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Modicum, & iàm*
non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Pa-
17 *trem.* Dixerunt ergò ex diſcipulis eius ad inuicèm: Quid eſt hoc, quod dicit*
nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me,
18 *& quia vado ad* Patrem? ** Dicebant ergò: Quid eſt hoc, quod dicit, Modi-*
19 *cum? neſcimus quid loquitur.* Cognouit autèm Ieſus, quia volebant eum in-*
terrogare, & dixit eis: De hoc quæritis intèr vos quia dixi, Modicum, & non
20 *videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Amen, amen dico vo-*
bis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autèm gaudebit: vos autèm con-
21 *triſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Mulier cum parit,*
triſtitiam habet, quia venit hora eius: cum autèm pepererit puerum, iàm non
22 *meminit preſſuræ proptèr gaudium: quia natus eſt homo in mundum.* Et vos*

igitur

igitur nùnc quidèm triſtitiam habetis, iterum autèm videbo vos, & gaudebit
23 *cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* * *Et in illo die me non*
rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in no-
24 *mine meo, dabit vobis.* * *Vſquè modò non petiſtis quidquam in nomine meo:*
25 *Petite, & accipietis, vt gaudium ueſtrum ſit plenum.* * *Hæc in prouerbijs locutus*
ſum vobis. Venit hora cum iàm non in prouerbijs loquar vobis, ſed palàm de
26 *Patre annunciabo vobis.* * *in illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis*
27 *quia ego rogabo Patrem de vobis.* * *Ipſe enìm Pater amat vos, quia vos me*
28 *amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exiui.* * *Exiui à Patre, & veni in*
29 *mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* * *Dicunt ei diſci-*
30 *puli eius: Eccè nùnc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.* * *nùnc ſci-*
mus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi vt quis te interroget: in hoc credimus
31 *quia à Deo exiſti.* * *Reſpondit eis Ieſus: Modo creditis?* * *Eccè venit hora,*
32 *& iàm venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relin-*
33 *quatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* * *Hæc locutus ſum vobis:*
vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego
vici mundum.

COMMENTARIVS.

H*AEC locutus ſum uobis*, hæc mala vobis euentura prædixi, *ut non ſcandalizemini*, impingatis, retrò eatis quandò vobis euenient, Vel *hæc locutus ſum uobis* de me, *ut non ſcandalizemini* in me in iſta nocte, in qua mihi, & vobis hæc euenient. *Abſquè Synagogis* (deſcendit ad particularia) *facient uos* Hebræi, ideſt eijcient vos ab eorum comercio, nō recipient Euangelium à vobis prædicandum, fugient à vobis, id verò habebatur pro graui pœna tùnc apud Hebræos, & refert Chriſtus ad oſtenſionem grauitatis malorum per eos patiendorum, *ſed*, quod plùs eſt, *uenit hora*; tempus inſtat, *ut omnis* eorum Iudæorum, de quibus præmiſit, *qui interficit*, interficiet *vos*, *arbitretur* (etſi falsò) *obſequium*, ſacrificium, rem gratam *ſe præſtare Deo*, quaſi Dei honorem zelantes; ſic Paulus. Gal. 1. & Phil. 3. nihil hìc de Ethnicis; ſic dixerat: eccè ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis, &c. Matth. 23. Vel *uenit hora, ut omnis* (de gentilibus hìc) quare enim non de his, qui peiora intulerunt? & Matth. 10. de gentibus fit mentio; ideò de his etiàm hìc agi veriſimile eſt. Et quòad obſequium Dei, ſi dicis: Hebræos cognouiſſe Deum, reſpondeo, non comprehenduntur Hebræi in ſequenti particula (*quia non nouerunt Patrem, nequè me*) cum Patrem cognoſcerent, & adorarent; ideò ad gentiles referri; Si dicis Hebræi non nouerunt, vt debuerunt; idem de gentilibus; Si dicis putabant obſequi Deo: reſpondeo, proùt ipſi vero, ità gentiles falſis Deis; at primus intellectus reſtrictus ad Hebræos placet, vltimis his facilis reſponſio; *& hæc* mala *facient uobis, quia non nouerunt Patrem, nequè me* Filium ſuum incarnatum, & ad illos miſſum & ſic proptèr ignorantiam, ſed hæc *locutus ſum*, dixi *uobis*, *ut cum uenerit hora*, tempus *eorum*, *reminiſcamini*, *quia ego dixi uobis*, quod cedet ad maiorem veſtram cautelam, & certitudinem; ſic ſuprà Io. 14. & nùnc dixi vobis, priuſquàm

Digitized by Google

fiat, vt cum factum fuerit credatis. *Hæc autèm uobis ab initio non dixi*, ità clarè, & apertè; vndè infrà verſ. 29. dicunt: *eccè nùnc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis; quia uobiſcum eram* præſentia corporali vti ſponſus, & amara tacui, vel non apertè expreſſi, nec tùnc expediebat, & *nùnc uado ad eum* præſentia corporali, *qui miſit me* in mundum, ad Patrem, vos præſentia mea priuans, proptereà hæc dico, vel ſi tùnc dixit apertè, & clarè, vt Matth. 10. & 24. 9. tamèn præſentia corporali Chriſti allecti, ea non percipiebant animo, vel non conſiderabant, proùt nùnc, quandò ſe abire profitetur, quaſi velit dicere, fruſtrà aliàs dixi, eſt ac ſi non dixiſſem, *quia uobiſcum eram;* at nùnc ſecùs. Nec videtur poſſe dici tùnc non dixiſſe de Spiritu ſancto, quia Matt. 10. 19. de illo dicit: Cum autèm tradent vos, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini, dabitur enìm vobis in illa hora quid loquamini, non enìm vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Vndè vel non ità clarè, vt hìc, vel in vanum, quia ipſi non aduertebant, vel per anticipationẽ dicit ibì Matthæus, quod ſtare poteſt, imò credo verius, quia non erat tempus tùnc proferendi verba illa de Spiritu ſancto. *Et nemo ex uobis interrogat me, quò uadis?* ſed nonnè Petrus. Ioan. 13. 36. Reſpondeo, vel non ad effectum ſciendi, ſed ſequendi, ideò reſpondit Ieſus: quò ego vado, non potes me modò ſequi, vel non continuauerant, mœſtitia dictorum per Ieſum oppreſſi, vt per Chryſoſt. hom. 5. Col. 6. in 1. Cor. 1. vel non quæſierant in tempore, quo volebat illis hoc edicere; ideò verba ſunt reſtricta ad tempus, quo illa profert, vel non loquimini mecum de meo diſceſſu, dum ſum uobiſcum, poſtquàm is eſt tanti ponderis, quaſi non deberetis nùnc in ore aliud habere, uel quærere. *Sed quia hæc loquutus ſum uobis* me diſceſſurum, & mala uobis imminentia, *triſtitia impleuit cor ueſtrum*, adeò ut de alijs non cogitetis, *ſed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam* per mortem ad Patrem meum, *ſi enìm non abiero*, hinc præſentia corporali, *Paraclitus non ueniet ad uos;* undè nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Io. 7. *ſi autèm abiero, mittam eum ad uos*. Sed cur hoc? quia non apparuiſſet Chriſtum meruiſſe nobis Spiritum ſanctum per mortem ſuam, niſi priùs mors præceſſiſſet, & quia difficiliùs creditum eſſet Spiritum ſanctum etiàm ab ipſo procedere, proùt procedit, ideò dicit *mittam eum ad uos*; ſi Chriſtus præſentia corporali in mundo fuiſſet, & non in cælo, & quia cum ueniret teſtificaturus de Chriſto, conuenientius fuit, priùs Chriſtum abſoluiſſe diſpenſationem ſuam, & abeſſe præſentia corporali, & quia dum hìc ipſe erat, non erat neceſſarius alius conſolator cum Apoſtolis, & Eccleſia, ut ipſe indicat, at illo præſentia corporali diſcedente, neceſſarius erat cõſolator, & director non quidèm corporalis, ſed ſpiritualis, cum per Apoſtolos homines promulgandum eſſet Euangelium, & conuertendus Orbis, & quia, ut ſubdit: eo diſcedente mundus indigebat arguente, & exprobrante, & quia exprobratio continebat beneficia, & fundabatur in beneficijs per Chriſtum præſtitis, proptereà conuenientius fuit per aliam perſonam hoc fieri. Et quia ſi præſente Chriſto facta eſſent mirabilia per Spiritum ſanctum, eiquè attributa in mũdo parùm capaci, diminuta eſſet fama Chriſti, uel non creditum à Spiritu Sancto illa procedere, & tamèn perſona Spiritus ſancti tertia in diuinis manifeſtanda erat in mundo, ſicùt Pater, & Filius manifeſti erant redditi. *Expedit* ergò *uobis, vt ego uadam*, quia me abeunte, inuiſibili, non uiſibili directore, & conſolatore indigetis. *Et cum uenerit ille* paraclitus, *arguet*, per uos exprobrando, *mundum*, Iudæos, ad quos miſſus ſum (nondum enìm ad gentes) *de peccato*, ſcilicèt infidelitatis, quia non crediderunt in me Meſſiam à Deo miſſum cum omnibus ſignis, quæ me talem manifeſtauerunt; undè dicebat ſuprà cap. 15. ſi non ueniſſem, & locutus eis non fuiſſem; ſi non feciſſem opera, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; ſic exprobauit Chriſtus infidelitatem incredulis in inferno. 2. Pet. 3. 19. *& de iuſtitia*, manifeſtabit enìm me pro peccatis hominum Deo ſatisfeciſſe, hæc iuſtitia per Chriſtum facta appellatur iuſtitia Dei ſatisfactoria, de qua Paulus. Rom.

Rom. 10. ſeù quàm iuſtè Deus glorificauerit me, qui exinaniui me ipſum vſquè ad mortem Crucis, & perſuadebit eum ad me recognoſcendum, & mihi genufle&tendum iuxtà Dei iuſtitiam, *quia ad Patrem uado, & iam non uidebitis me*. Proptèr quod, & Deus exaltauit,&c. vt in nomine Ieſu,&c. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Philip. 2. perpetuò manens, indè non diſceſſurus, nec in mundo appariturus, niſi ad Iudicium, proùt Angeli dixerunt in Aſcenſione; vel *de iuſtitia uerò* quia adimpleui quidquid habui in mandatis à Patre meo, *&* nùnc ad eum per Crucem *vado* omnibus completis; & ſic pro omnibus ſatisfeci, & hoc citò, cràs erit, *& iam non uidebitis me* ampliùs mortalem in mundo; arguet ergò mundum de ingratitudine, & oſtendet quàm malè agat abutendo ſanguine meo, in quo pro omnibus ſatisfeci; redargutio enim verſabitur circà ingratitudinem; ratio *quia ad Patrem vado, & iàm non videbitis me*, non patitut, vt dicamus intelligi hìc ſinè fide Chriſti neminem poſſe eſſe iuſtum, illa enim hunc intelle&tum excludit. *De iudicio autèm*, ideſt ſententia, quæ in morte Chriſti lata eſt: nùnc iudicium eſt mundi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs, *quia princeps huius mundi iàm iudicatus eſt*, & ſic mundus eſt à tyranno liberatus, & in libertatem à Chriſto vindicatus, & de hoc arguetur, quia non victorem, ſed victum adhùc ſequitur, & libertate non vtitur, intendit enim de proximè fiendis, de diabolo, non de futuris in fine mundi; & propterea ſubdit: *quia princeps huius mundi* adorationem rapiens *iam iudicatus eſt*, ità vt mundus non poſſit dicere ſe detineri ne conuertatur, ne credat ſublatis à Chriſto omnibus impedimentis, & ſic arguet pro ingratitudine, vt dixi: *Adhùc multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*, quia non eſtis capaces, tùm ob triſtitiam, vel temporis breuitatem, tùm quia indigetis lumine Spiritus ſancti. Sed quomodò dixit ſuprà. Io. 15. omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis? intellige tùnc reuelanda, at multa habeo, quorum dies reuelationis nondum ceſſit; ſed an dixerit pòſt Reſurrectionem, veriſimile eſt, ſed non probatur ex his verbis, *multa habeo uobis dicere:* nàm ſubdit Spiritum ſanctum docturum; at ex verbis. Act. 1. per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, ſi de Eccleſia. *Cũ autèm uenerit ille ſpiritus ueritatis*, verax, *docebit uos omnem veritatem* neceſſariam ad functionem veſtram, ad quam vos mitto, loquitur enim de veritate in mundo percipienda, & in eo vtenda, non de cæleſti, quam tamèn non infudit Spiritus ſanctus ſimùl vnà die Pentecoſtes, ſed pedetentìm iuxtà neceſſitates vrgentes, vt apparet in Actibus Apoſtolorum paſsim, & in Petro, & Paulo, & alijs eo imbutis, & ſupèr quos cecidit. Et ad quid Chriſtus dixit ſpiritum permanſurum ſempèr cum eis, & conſequentèr cum Eccleſia? *Non enim à ſemetipſo loquetur*, cum à Patre, & Filio procedat, *ſed quæcunque audiet* ab illis, *loquetur*, vult de Spiritu ſancto dicere Chriſtus, proùt de ſe, ad certos reddendos Apoſtolos veritatis per eum infundendæ; quæ enim è cælo deſcendunt, vera credimus, & docendum conſenſionem, & vnitatem ſanctiſſimæ Trinitatis. Io. 5. non poſſum à me ipſo facere quidquam, ſicùt audio, ſic iudico, & Io. 3. 32. Ioannes de illo, & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur: & Io. 8. 26. quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, & 28. idem Io. 12. 49. & 14. 10. Vel quia indiuiſa ſunt opera Trinitatis ad extrà; *& quæ ventura ſunt, annunciabit vobis*, vt poſſitis vobis cauere, & proſequi legationem, qua fungemini, *ille me clarificabit* teſtimonium perhibens de me, ſuprà cap. 15. *quia de meo accipiet, & annunciabit vobis* idem quod ſuprà: docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Io. 14. & quæ dicturus eram, quæ modò portare non poteſtis. Vel *de meo accipiet*, quia procedit à me, proùt à Patre; *omnia enim quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*, de ſapientia mea infinita, cum à me quoquè procedat, *& annunciabit vobis*, de proceſſione Spiritus ſancti etiàm à Filio nil clariùs. *Modicum*, intercedet, *& iam non videbitis me*, quia capiar, & moriar, & ſepulchro condar, *& iterum modicum* trium

dierum pertranſiet, *& uidebitis me*, rediuiuum; *quia* ſic per mortem, & reſurrectionem *vado ad Patrem*, nec conuenit pòſt mortem, & reſurrectionem niſi modicum manere. *Dixerunt ergò ex diſcipulis eius* aliqui *ad inuicèm, quid eſt hoc quod dicit nobis* obſcurum, *modicum &c. cognouit autèm Ieſus*, cui nihil occultum, vel ex ſignis apparentibus, *quia volebant eum interrogare, & dixit eis: de hoc quæritis intèr vos, quia dixi: Modicum, &c. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos* in primo modico dum capiar, moriar, & ſepulchro condar, *mundus autèm*, Iudæi, *gaudebit: vos autèm contriſtabimini* ex morte mea, *ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, quia videbitis me reſurrexiſſe, vt triſtitiæ præteritæ obliuiſcamini. *Mulier cum parit, &c.* exemplum notũ, & facile, & vos igitur nùnc quidèm triſtitiam habetis in hac morte mea inſtante; *iterùm autèm videbo vos* rediuiuus, *& gaudebit cor veſtrum* lætitia vera, & magna, ideò de corde agit, *& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*, permanens erit; dona enìm Dei ſunt ſinè pœnitentia; *& in illo die*, quo apparebo rediuiuus, *me non rogabitis* quidquam, nec interrogabitis me de te vlla, quia nullum erit apud vos dubium, proùt nùnc dubitatis circà verba à me prolata (circà interrogationes enìm verſabatur) vndè Io. 21. & nemo diſcumbentium audebat interrogare eum, tu quis es? Nec poteſt intelligi pòſt aduentum Spiritus ſancti, quia tùnc ablatus erat ab eis, & loquitur de interrogatione illi fienda in mundo, & de his, circà quæ tùnc dubitabant, voluit enìm dicere, ex euentu omnia vobis patefient circà iſta modica, & alia, ſupèr quibus dubitatis; & ſic interrogatio limitanda eſt iuxtà tempus, quo ſe pòſt Reſurrectionem manifeſtauit, non vltrà, & totus diſcurſus verſatur circà agenda in mundo, & pòſt Reſurrectionem, non in cælo. *Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo*, proptèr me, ſeruatiſquè ſeruandis, iuxtà 1. Io. 3. & 5. *dabit vobis:* vt magis tutos, ac lætos reddat, præſertìm in hoc modico, quo ab eis abſuturus, etiàm ad Patris auxilium accurrere docet. *Vſquè modò non petiſtis quidquam in nomine meo*, quia ego eram vobiſcum, *petite* hoc, *& accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum*, vt beatitudine vos reficiat in æternum. Vel *vt gaudium veſtrum ſit plenum*, in vobis ex triſtitia, qua nùnc opprimimini, & à vobis non tollatur, ſicùt præmiſit. *Hæc in prouerbijs*, ſubobſcurè, *locutus ſum vobis: Venit*, inſtat *hora* pòſt Reſurrectionem, in qua de regno egit. Act. 1. *cum iam non in prouerbijs*, obſcurè, *loquar vobis, ſed palam*, & clarè *de Patre annunciabo vobis*. Vel dic, *venit hora*, nùnc eſt, dum loquitur, ſecundùm Apoſtolos, non illum, quia ipſi infrà dicunt, *ecce nùnc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. In illo die*, tempore pòſt Reſurrectionem meam, & Aſcenſionẽ *in nomine meo petetis*; ſic orabant Deum. Act. 4. *& non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis*, quia non eſt neceſſarium. (Hìnc collige Chriſtum orare, eſt enìm ſacerdos æternus ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſempèr interpellans pro nobis. Vide epiſt. ad Heb.) *Ipſe enìm Pater amat vos, quia vos me amaſtis*, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, prior tamèn dilexit Deus ex Ioanne, *& credidiſtis, quia ego a Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum* incarnandus, & ſuprà dixit, *qui non credit in Filium, neque in Patrem:* quia ego in Patre, & Pater in me eſt, ſuprà Ioan. 14. 10. *iterum relinquo mundum* per mortem præſentia corporali, *& vado ad Patrem* glorificandus; ſic: nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis, qui eſt in cælo. *Dicunt ei diſcipuli eius: ecce nùnc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis* (ergò hoc tempus, quod dicebat ſe in prouerbijs non locuturum) *nùnc ſcimus, quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interroget*, quia noſti quid eſt in homine. Io. 2. & ſatisfacis abſquè interrogatione: *in hoc* quia omnia noſti, *credimus, quia à Deo exiſti*, vt dicis. *Reſpondit eis Ieſus: modò*, nùnc *creditis?* ex hoc videtur eorum fidem tardam arguere, vel adhùc etiàm infirmam, & de infirmitate ſubdit: *ecce venit hora, & iam venit*, inſtat, præſens eſt, *vt diſpergamini vnuſquiſque in propria* receptacula, vbi libuerit: percutiam paſtorem, & diſpergentur oues, *& me ſolum relinquatis*,

linquatis, proùt contigit: *& non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt*, ſempèr profert Patrem, etſi de ſe poſſet dicere. *Hæc locutus ſum vobis, vt in me*, proptèr me *pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis*, ità vt tædeat vos aliquandò viuere, *ſed confidite, ego vici mundum*, diabolũ eius principem, & tyrannum morte mea inſtante, & hæc victoria vobis proderit, & Reſurrectione, & Aſcenſione, & miſſione Spiritus ſancti confortabimini & vos ad illum ſuperandũ meo exemplo meo: in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Vel *vici mundum* morte mea, & euictum, & eiectum à diabolo in meam transtuli poteſtatem; ideò de facili vobis ſubijcietur, ſuperabitis & uos eum per Euangelicam prædicationem.

CAPVT CXLVI.
ORATIO DOMINI IN COENACVLO.

Ioan. 17.

1 *HAEC locutus eſt Ieſus: & ſubleuatis oculis in cælum, di-*
xit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Fi-
2 *lius tuus clarificet te: * Sicùt dediſti ei poteſtatem omnis*
carnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.
3 ** Hæc eſt autèm vita æterna: Vt cognoſcant te ſolum*
4 *Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. * Ego*
te clarificaui supèr terram: opus conſummaui, quod dedi-
5 *ſti mihi vt faciam: * & nùnc clarifica me tu Pater apud temetipſum, clarita-*
6 *te, quam habui priùs, quàm mundus eſſet, apud te. * Manifeſtaui nomen tuum*
*hominibus, quos dediſti mihi de mundo. * Tui erant, & mihi eos dediſti: &*
7 *ſermonem tuum ſeruauerunt. * Nùnc cognouerunt quia omnia, quæ dediſti mi-*
8 *hi, abs te ſunt: * quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt,*
9 *& cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti. * ego*
pro eis rogo: Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt:
10 ** & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & clarificatus ſum in eis: * Et*
11 *iàm non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſan-*
cte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicùt & nos.
12 ** Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cu-*
ſtodiui: & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur.
13 ** Nùnc autèm ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium*
14 *meum impletum in ſemetipſis. * Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos*
15 *odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicùt & ego non ſum de mundo. * Non ro-*
16 *go vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. * De mundo non ſunt,*
ſicùt

Digitized by Google

17 *ſicùt & ego non ſum de mundo. * Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus ve-*
18 *ritas eſt. * Sicùt in me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. * Et*
19 *pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. * Non pro*
20 *eis autèm rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in*
21 *me: * vt omnes vnum ſint, ſicùt tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in*
22 *nobis vnum ſint: vt credat mundus, quia tu me miſiſti. * Et ego claritatem,*
23 *quam dediſti midi, dedi eis: vt ſint vnum, ſicùt & nos unum ſumus. * Ego*
in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum, & cognoſcat mundus quia tu
24 *me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicùt & me dilexiſti. * Pater, quos dediſti mihi,*
uolo ut ubì ſum ego, & illi ſint mecum: ut uideant claritatem meam, quam
25 *dediſti mihi: quia dilexiſti me antè conſtitutionem mundi. * Pater iuſtè, mun-*
dus te non cognouit. Ego autèm te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me mi-
26 *ſiſti. * Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dile-*
xiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

COMMENTARIVS.

HAEC *locutus eſt Ieſus* cum diſcipulis ſuis, & deindè in eodem cœnaculo, nam cap. 18. dicit Ioannes: Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt tràns torrentem Cedron, *ſubleuatis oculis in cælum* ad Patrem; ſic & in Lazaro, & in inſtitutione ſanctiſſimi Sactamenti, ***dixit: Pater*** mi, mihi ſoli naturalis, ***venit hora*** mortis meæ, quã ex mandato tuo ſubeo, & eligo: ***clarifica Filium tuum***, non hic in Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione ſeſſione ad dexterã tuam, etſi & in his glorificandus. Philip. 2. ſed in conuerſione, ſeù fide hominũ, vt infrà, ***vt filius tuus clarificet te*** in his, in quibus clarificatus erit, in te redundet gloria hæc, quam ſempèr pro te quæſiui, ego gloriam meam non quæro, ſed tuam, & ſubdit in quo, ***ſicùt***, quemadmodum ***dediſti ei poteſtatem omnis carnis***, omnium hominum; omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: ſciens Ieſus, quia omnia dedit ei Pater in manus. Io. 13. & Heb. 1. quem conſtituit hæredem, Dominum vniuerſorum, ***ut omne, quod dediſti ei, det eis uitam æternam***, ità vt quodcumque patrat, cedat ad conuerſionem mundi, vt omnes credant, ***& det eis uitam æternam***, per fidem ſaluetur totus mundus; aperit quid intelligat ſub verbis, ***uitam æternam; Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum uerum*** vnà cum Filio, & Spiritu ſancto, ***& quem miſiſti Ieſum Chriſtum***, Meſſiam, idòlis abiectis, vult ergò fidem in hominibus, vt vitam æternam cõſequantur, & ſic copulat gloriam Patris, & ſuam, & benè aptantur verba præcedentia, ***clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te***, credaris, per totum orbem adoreris, & ſic intelligit de hìc credendis, non de viſione beatifica, & huic intellectui concordant verba ſimilia. Io. 12. pòſt gentiles eum videre volentes, tùnc enìm dicit: venit hora vt clarificetur Filius hominis, & ſubdit rationem frumenti mortui fructificantis, deindè: Pater clarifica nomen tuum, venit ergò vox de cælo, & clarificaui & iterùm clarificabo, & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: reges eos, &c. Pſal. 2. Nec videntur hæc reſtringenda ad prædeſtinatos, quia verba, ***ſicùt dediſti ei poteſtatem omnis carnis***, non patiuntur hanc reſtrictionem, & licèt multi non ſaluentur, non fit, quin oratio, & paſſio Chriſti ad omnes ex-

tenſa

tenſa non fuerit ex ſua ſufficientia, & quantum in eis eſt, quòd ſi aliqui non ſaluantur, ſit culpa illorum. *Ego te clarificaui*, glorificaui *ſupèr terram* miraculis, prædicatione, vita, *opus conſummaui, quod dediſti mihi ut faciam*, redemptionem generis humani, preſupponit illud factum, quia citò conſummandum, *& nùnc* (hic de ſua perſona, & glorificatione loquitur, & ſic excluditur, quòd in ſuperioribus verbis de illa agat) poſtquàm hæc omnia iuxrà beneplacitum tuum feci, in gratiam meorum meritorum, *clarifica*, glorifica *me tu Pater apud temetipſum* in cælo, *claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet* ab æterno, *apud te*, antè enim ſola æternitas, hoc erat in principio apud Deum; vult ergò humanitatem aſſumptam glorificari ea gloria diuina ei communicata; & ſic actum. Phil. 2. nonnè oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam? *Manifeſtaui nomen tuum* gloriam tuam, potentiam tuam maximè ex miraculis, & doctrina, *hominibus, quos dediſti mihi de mundo*, ex tua electione mihi aſſumptos de mundo. *Tui erant* quà Dei, *& mihi eos dediſti* quà homini, *& ſermonem tuum*, præcepta tua à me illis dicta *ſeruauerunt*, *nùnc cognouerunt quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt*, miracula, doctrinam, quia verba, *quæ dediſti mihi*, vt euelarem, *dedi eis, & ipſi acceperunt* vtì vera, *& cognouerunt uerè, quia à te exiui* per Incarnationē, *& crediderunt quia tu me miſiſti*, me eſſe Meſſiam ad Hebræos miſſum, iuxrà promiſſionem (hic tantùm apparer de fide Apoſtolorum omnium, de fide Petri in ſua confeſſione) *ego pro eis* particularitèr *rogo* te Pater, ſciens me exaudiēdum, *non pro mundo rogo* in vniuerſum, quia non audirer ob eorum opera mala, *ſed pro his, quos dediſti mihi* in mundum mittendos, *quia tui ſunt*, ex voluntate tua electi, *& mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*, quaſi, & mei ſunt, ſicùt tui; hinc etiàm probatur proceſſio Spiritus ſancti ab vtroque, Patre, & Filio, *& clarificatus ſum*, glorificatus ſum, & glorificabor *in eis*, & eodem modo tu Pater; ſic ſuprà cap. 15. clarificatus eſt Pater meus, *& iam non ſum in mundo*, citò hinc per mortem abiturus, *& hi in mundo ſunt* remanſuri, propagaturi Euangelium, tui indigentes, *& ego ad te uenio*, quia ego ad te venio, & illos legatos vice mea functuros dimitto. *Pater ſancte*, ſanctitas propria Deo, & hæc vox cæleſtis Hierarchiæ: Sanctus, Sanctus, Sanctus, *ſerua eos in nomine tuo*, virtute, potentia tua, ſub alis tuis eos protege, *quos dediſti mihi* à te dependentes, à te electos, *vt ſint vnum* intèr ſe concordes, vnanimes, non diſſentientes, & hoc eſt quod in toto ſermone inſinuat, vt diligant ſe inuicèm, *ſicùt & nos*, ſicùt ego & tu *vnum ſumus*, ad noſtri ſimilitudinem. *Cum eſſem cum eis* in mundo mortalis; ſic Raphael: cum eſſem vobiſcum. Tob. 12. 18. *ego ſeruabam eos in nomine tuo*, in potentia, auxilio tuo mihi communi. *Quos dediſti mihi* Apoſtolos, tua æſtimans, ego *cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis*, perditus Iudas, *vt ſcriptura impleatur* conſequentèr, *nùnc autèm ad te venio* præſentia mea corporali eos deſtituens, *& hæc loquor in mundo*, dùm hic ſum, *vt habeant* hi mei Apoſtoli *gaudium meum impletum in ſemetipſis*, participent & ipſi quantum fas eſt de gaudio meo internè dum in mundo ſunt. *Ego dedi eis ſermonem tuum*, quaſi, diſcipuli tui ſunt, præſertim quia ſuprà dixit, *ſermonem tuum ſeruauerunt*: *& mundus eos odio habuit* vtì tibi adhærentes; & ſic proptèr te hoc odium contraxerunt, hæc omnia ad mouendum Patrem, *quia non ſunt de mundo, ſicùt & ego non ſum de mundo*, ſimiles mei facti; ſi enìm de mundo eſſent, mundus eos diligeret, *non rogo, vt tollas eos de mundo* nùnc, cum neceſſarij ſint, vt mundum illuſtrent, *ſed* vt in mundo *ſerues eos à malo*, ne ſint diſcordes, proùt ſuprà, *vt vnum ſint*, ne cribret eos dæmon, ne pereant, ſicùt filius perditionis, ne anguſtijs ſupèr eos venturis ſuccumbant; id facile tibi, Pater, quia *de mundo non ſunt, ſicùt & ego non ſum de mundo*; me enìm ipſi ſecuti ſunt. *Sanctifica*, firma, ſtabili *eos in veritate*, ne vmquàm ab ea recedant. *Sermo tuus veritas eſt*, in eo ergò ſiſte, confirma, ſtatue eos; indigent hac, quia *ſicùt tu me miſiſti in mundum*, vt teſtimonium perhibeam veritati. Io. 18. 37. ità *& ego miſi*, & mittam *eos in mundum*,

Digitized by Google

mundum, vt veritati teſtimonium perhibeant, bonamquè confeſſionem illius faciant. Act. 1. ***& pro eis ego ſanctifico***, ſacrifico, dedico ***me ipſum*** pro hac veritate obſignanda, & conſummanda, pro hac enim veni, & tu me miſiſti, ***vt ſint & ipſi ſanctificati***, ſegregati ***in veritate*** annuncianda, in teſtimonio de illa perhibendo: ***non pro eis autèm*** Apoſtolis ***rogo tantùm*** (præcedentia ergò pro eis) ***ſed & pro eis, qui credituri***, & perſeueraturi ***ſunt per uerbum eorum***, per eorum, & ſucceſſorum prædicationem ***in me***, ***ut omnes*** credituri ***unum ſint*** in charitate, & concordia; ſic enìm propagabitur fides, ***ſicùt tu Pater in me, & ego in te vnum ſumus***, ***ut & ipſi in nobis*** per charitatem, & dilectionem ***unum ſint***, ***ut credat mundus*** ex hac vnione, ***quia tu me miſiſti***, id effici quod antè non erat, quia ego in mundum veni hanc pacem afferens, annuncians, faciens, ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum; ſic ſuprà Io. 13. in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicèm, & vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum; & infrà: ***vt ſint conſummati in unum***, vt cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, ***& ego*** his credentibus ***claritatem***, gloriam (ſatis enim dixerat de vnione in mundo, nùnc in cælo iuxtà Auguſtinum) ***quam dediſti mihi***, erat enim viator, & comprehenſor, & mihi daturus es pòſt Crucē, ***dedi eis***, promiſi eis: qui credit in me, &c. Io. 11. ***ut ſint unum*** in cælo, ***ſicùt & nos unum ſumus. Ego in eis*** ſim caput, ipſi membra, ***& tu in me***, ***ut ſint conſummati***, glorioſi ***in unum;*** ſic verbum conſummarentur pro glorificarentur. Heb. 11. in fin. ***& cognoſcat mundus***, ***quia tu me miſiſti***, quod infertur ex gloria à me promiſſa eis à te danda, ***& dilexiſti eos*** ad hanc gloriam vſquè, ***ſicùt & me dilexiſti*** vſquè ad hanc gloriam meam. ***Pater*** (eccè quomodò agit de gloria) ***quos dediſti mihi, uolo***, opto (vti homo enim proſequitur orationem) ***ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum***, ſic aliàs dixit: vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Io. 12. ***ut videant claritatem meam***, gloriam meam, ***quam dediſti mihi***, ***quia dilexiſti me*** ad illam quà incarnandum ***antè conſtitutionem mundi***, ab æterno, antè enìm ſola æternitas; & ſic de gloria humanitatis, & hìc de prædeſtinatione illiùs; etſi cum ſit vnum ſuppoſitum, ſub hoc & claritas diuina comprehendi poſſit. ***Pater iuſte***, ***mundus te non cognouit***, proùt debuerat, quia dixerat ***antè conſtitutionem mundi***, ideò de mundo ſubdit: ***te non cognouit***, quia noluit cognoſcere me: in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit; ***ego autèm te cognoui***, ego autèm ſcio eum, & ſi dixero, quia neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax, ***& hi*** Apoſtoli ***cognouerunt***, ***quia tu me miſiſti*** in mundum Meſsiam, ***& notum feci eis nomen tuum:*** ſuprà: ***manifeſtaui nomen tuum hominibus***, ***quos dediſti mihi***. Io. 1. Deum nemo vidit vnquàm, Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit, ***& notum faciam***, pòſt Reſurrectionē, ***ut dilectio*** tua, ***qua dilexiſti me***, ***in ipſis ſit*** permanens, ***& ego in ipſis*** etiàm per dilectionem in beatitudine, iuxtà præmiſſa ad verba, ***dilexiſti eos***, ***&c.*** hìc apparet Apoſtolos verè cognouiſſe Dominum de hoc tempore.

C A-

CAPVT CXLVII.

DE PASSIONE DOMINI, ET SEPVLTVRA.

Matth. 26.

36 *TVNC venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur*
Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hìc donèc
37 *vadam illùc, & orem. * Et aſſumpto Petro, & duo-*
bus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe.
38 ** Tùnc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſquè ad mortem:*
39 *ſuſtinete hìc, & vigilate mecum. * Et progreſſus puſil-*
lum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater
mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamèn non ſicùt ego volo,
40 *ſed ſicùt tu. * Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit*
41 *Petro: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? * Vigilate, & orate vt*
non intretis in tentationem. Spiritus quidèm promptus eſt, caro autèm infirma.
42 ** Iterùm ſecundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tran-*
43 *ſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua. * Et venit iterùm, & inuenit eos*
44 *dormientes: erant enìm oculi eorum grauati. * Et relictis illis, iterùm abijt, &*
45 *orauit tertiò, eundem ſermonem dicens. * Tùnc venit ad diſcipulos ſuos, & di-*
cit illis: Dormite iàm, & requieſcite: eccè appropinquauit hora, & Filius ho-
46 *minis tradetur in manus peccatorum. * Surgite eamus: eccè appropinquauit qui*
47 *me tradet. * Adhùc eo loquente, eccè Iudas vnus dè duodecim venit, & cum*
eo turba multa cum gladijs, & fuſtibus, miſſi à Principibus Sacerdotum, &
48 *Senioribus populi. * Qui autèm tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quem-*
49 *cumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. * Et confeſtìm accedens ad Ieſum,*
50 *dixit: Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum. * Dixitque illi Ieſus: Amice, ad quid*
veniſti? Tùnc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum.
51 ** Et eccè vnus ex his, qui erant cum Ieſu, extendens manum, exemit gla-*
dium ſuum, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam
52 *eius. * Tùnc ait illi Ieſus: Conuerte gladium tuum in locum ſuum. Omnes*
53 *enìm, qui acceperint gladium, gladio peribunt. * An putas, quia non poſſum*
rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones
54 *Angelorum. * Quomodò ergò implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?*
55 ** In illa hora dixit Ieſus turbis: Tamquàm ad latronem exiſtis cum gladijs, &*
fuſtibus comprehendere me: quotidiè apud vos ſedebam docens in templo, & non

me

56 me tenuiſtis. * Hoc autèm totum factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ pro-
57 phetarum. Tùnc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. * At illi tenentes Ieſum,
duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbì Scribæ, & Seniores conue-
58 nerant. * Petrus autèm ſequebatur eum à longè, vſquè in atrium Principis Sa-
59 cerdotum. Et ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem. * Prin-
cipes autèm Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium con-
60 trà Ieſum, vt eum morti traderent: * & non inuenerunt, cum multi falſi te-
ſtes acceſsiſſent. Nouiſsimè autèm venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt:
61 * Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.
62 * Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti ad-
63 uersùm te teſtificantur? * Ieſus autèm tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait il-
li: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei.
64 * Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti. Veruntamèn dico vobis, amodò videbitis Fi-
lium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.
65 * Tùnc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit:
66 quid adhùc egemus teſtibus? eccè nunc audiſtis blaſphemiam: * quid vobis vi-
67 detur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. * Tùnc expuerunt in fa-
ciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autèm palmas in faciem eius dede-
68 runt, * dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit? * Petrus ve-
69 rò ſedebat foris in atrio: & acceſsit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ie-
70 ſu Galilæo eras. * At ille negauit coràm omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.
71 * Exeunte autèm illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi:
72 Et hic erat cum Ieſu Nazareno. * Et iterùm negauit cum iuramento: Quia non
73 noui hominem. * Et pòſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro:
74 Verè & tu ex illis es: nàm & loquela tua manifeſtum te facit. * Tùnc cœpit de-
75 teſtari, & iurare quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. * Et
76 recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat: Prius quàm Gallus cantet, tèr
me negabis. Et egreſſus forâs, fleuit amarè.

Matth. 27.

1 MANE autèm facto, conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum,
2 & Seniores populi aduersùs Ieſum, vt eum morti traderent. * Et vin-
3 ctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. * Tùnc videns
Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentia ductus, retulit tri-
4 ginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, * dicens: Peccaui, tra-
5 dens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. * Et pro-
6 iectis argenteis in templo, receſsit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit. * Principes au-
tèm Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbo-
7 nam: quia pretium ſanguinis eſt. * Conſilio autèm inito, emerunt ex illis agrum
8 figuli, in ſepulturam peregrinorum. * Proptèr hoc vocatus eſt ager ille, Hacel-
dama,

9 *dama, hoc eſt, ager ſanguinis, vſquè in hodiernum diem. * Tùnc impletum*
eſt quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt trigin-
10 *ta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſrael: * & dede-*
11 *runt eos in agrum figuli, ſicùt conſtituit mihi Dominus. * Ieſus autèm ſtetit*
antè Præſidem, & interrogauit eum præſes, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Di-
12 *cit illi Ieſus: Tu dicis. * Et cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum, &*
13 *Senioribus, nihil reſpondit. * Tùnc dicit illi Pilatus: Non audis quanta ad-*
14 *uersùm te dicunt teſtimonia? * Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ità vt*
15 *miraretur præſes vehementèr. * Per diem autèm ſolemnem conſueuerat præſes*
16 *populo dimittere vnum vinctum, quem voluiſſent. * Habebat autèm tùnc*
17 *vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas. * Congregatis ergò illis, dixit Pi-*
latus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chri-
18 *ſtus? * Sciebat enìm quòd per inuidiam tradidiſſent eum. * Sedente autèm illo*
19 *pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi. Mul-*
20 *ta enìm paſſa ſum hodiè per viſum proptèr eum. * Principes autèm Sacerdo-*
tum, & Seniores perſuaſerunt populis vt peterent Barabbam, Ieſum verò per-
21 *derent. * Reſpondens autèm præſes, ait illis: Quem vultis vobis de duobus di-*
22 *mitti? At illi dixerunt: Barabbam. * Dicit illis Pilatus: Quid igitur fa-*
23 *ciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? * Dicunt omnes: Crucifigatur. At illis Præ-*
ſes: Quid enìm mali fecit? At illi magìs clamabant dicentes: Crucifigatur.
24 ** Videns autèm Pilatus quia nihil proficeret, ſed magìs tumultus fieret: acce-*
pta aqua, lauit manus coràm populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iu-
25 *ſti huius: vos videritis. * Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis*
26 *eius ſupèr nos, & ſupèr filios noſtros. * Tùnc dimiſit illis Barabbam: Ieſum*
27 *autèm flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. * Tùnc milites Præſidis ſuſci-*
pientes Ieſum in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem:
28 ** Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, * & plectentes*
29 *coronam de ſpinis, poſuerunt ſupèr caput eius, & arundinem in dextra eius.*
30 *Et genu flexo antè eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. * Et ex-*
31 *puentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. * Et pòſt-*
quàm illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis
32 *eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. * Exeuntes autèm inuenerunt homi-*
nem Cyrenæum, nomine Simonem: hùnc angariauerunt vt tolleret crucem
33 *eius. * Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Caluariæ locus.*
34 ** Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum. Et cum guſtaßet, noluit bi-*
35 *bere. * Poſtquàm autèm crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſor-*
tem mittentes: vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem. Diui-
36 *ſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſupèr veſtem meam miſerunt ſortem. * Et ſe-*
37 *dentes ſeruabant eum. * Et impoſuerunt ſupèr caput eius cauſam ipſius ſcri-*
38 *ptam: HIC EST IESVS REX IVDÆORVM. * Tùnc*
39 *crucifixi ſunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris. * Præ-*

40 tereuntes autèm blaſphemabant eum mouentes capita ſua, * & dicentes: Vah qui
deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: ſalua temetipſum: ſi Filius
41 Dei es, deſcende de Cruce. * Similitèr & Principes Sacerdotum illudentes cum
42 Scribis, & Senioribus dicebant: * Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum
43 facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei: * confidit in
44 Deo: liberet nunc, ſi vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei ſum. * Idipſum
45 autèm & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. * A ſexta au-
tèm hora tenebræ factæ ſunt ſupèr vniuerſam terram vſquè ad horam nonam.
46 * Et circà horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma
47 ſabacthani? hoc eſt: Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me? * Qui-
48 dam autèm illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte. * Et conti-
nuò currens vnus ex eis acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundi-
49 ni, & dabat ei bibere. * Cæteri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias
50 liberans eum. * Ieſus autèm iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. * Et
51 eccè velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſquè deorſum, & terra
52 mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, * & monumenta aperta ſunt: & multa corpora
53 ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. * Et exeuntes de monumentis poſt re-
ſurrectionem eius, venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.
54 * Centurio autèm, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu &
55 his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte. * Erant
autèm ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, mini-
56 ſtrantes ei: * intèr quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph
57 mater, & mater filiorum Zebedæi. * Cum autèm ſerò factum eſſet, venit qui-
dam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu.
58 * Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi cor-
59 pus. * Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda. * Et poſuit il-
60 lud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit ſaxum ma-
61 gnum ad oſtium monumenti, & abijt. * Erat autèm ibi Maria Magdalene,
62 & altera Maria, ſedentes contrà ſepulchrum. * Altera autèm die, quæ eſt poſt
63 Paraſceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, * di-
centes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhùc viuens: Poſt
64 tres dies reſurgam. * Iube ergò cuſtodiri ſepulchrum vſquè in diem tertium: ne
fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mor-
65 tuis: & erit nouiſſimus error peior priore. * Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam,
66 ite, cuſtodite ſicùt ſcitis. * Illi autèm abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignan-
tes lapidem, cum cuſtodibus.

Digitized by Google

Marc. 14.

32 ET venivnt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: Se-
33 dete hìc donèc orem.* Et aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ſe-
34 cum: & cœpit pauere, & tædere.* Et ait illis: Triſtis eſt anima mea vſquè ad
35 mortem: ſuſtinete hìc, & vigilate.* Et cum proceſsiſſet paululum, procidit ſu-
36 pèr terram: & orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora:* & dixit: Abba
pater, omnia tibi poſsibilia ſunt, transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego
37 volo, ſed quod tu.* Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Si-
38 mon, dormis? non potuiſti vna hora vigilare?* Vigilate, & orate vt non in-
39 tretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.* Et ite-
40 rum abiens orauit eumdem ſermonem, dicens:* Et reuerſus, denuo inuenit eos
dormientes, (erant enìm oculi eorum grauati) & ignorabant quid reſponderent
41 ei.* Et venit tertio, & ait illis: Dormite iàm, & requieſcite. Sufficit: ve-
42 nit hora: eccè Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Surgite, eamus:
43 eccè qui me tradet, propè eſt.* Et, adhùc eo loquente, venit Iudas Iſcariotes
vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs, & lignis, à Summis
44 Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus.* Dederat autèm traditor eius ſignum
eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.
45 * Et cum veniſſet, ſtatìm accedens ad eum, ait: Aue Rabbi: & oſculatus eſt
46 eum.* At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum.* Vnus autem qui-
47 dam de circumſtantibus educens gladium, percuſsit ſeruum Summi Sacerdotis:
48 & amputauit illi auriculam.* Et reſpondens Ieſus, ait illis: Tamquam ad la-
49 tronem exiſtis cum gladijs, & lignis comprehendere me?* quotidiè eram apud
50 vos in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed vt impleantur Scripturæ.* Tùnc
51 diſcipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt.* Adoleſcens autem quidam ſe-
52 quebatur eum amictus ſindone ſupèr nudo: & tenuerunt eum.* At ille reſecta
53 ſindone, nudus profugit ab eis.* Et adduxerunt Ieſum ad Summum Sacerdotem:
54 & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores.* Petrus autèm à lon-
gè ſecutus eſt eum vſquè intro in atrium Summi Sacerdotis: & ſedebat cum mi-
55 niſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.* Summi verò Sacerdotes, & omne concilium
quærebant aduersùs Ieſum teſtimonium, vt eum morti traderent, nec inuenie-
56 bant.* Multi enìm teſtimonium falſum dicebant aduersùs eum: & conuenien-
57 tia teſtimonia non erant.* Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant
58 aduersùs eum, dicentes:* Quoniàm nos audiuimus eum dicentem: Ego diſſol-
uam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædifi-
59 cabo.* Et non erat conueniens teſtimonium illorum.* Et exurgens Summus Sa-
60 cerdos in medium, interrogauit Ieſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea,
61 quæ tibi obijciuntur ab his?* Ille autèm tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum
Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus Filius Dei be-

62 nedicti ? * Ieſus autèm dixit illi: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſeden-
63 tem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli . * Summus autem
64 Sacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait : Quid adhùc deſideramus teſtes ? * Audi-
ſtis blaſphemiam : quid vobis videtur ? Qui omnes condemnauerunt eum eſſe
65 reum mortis . * Et cœperunt quidam conſpuere eum , & velare faciem eius , &
colaphis eum cædere, & dicere ei : Prophetiza : & miniſtri alapis eum cædebant.
66 * Et cum eſset Petrus in atrio deorsùm , venit vna ex ancillis Summi Sacerdo-
67 tis: * & cum vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Ie-
68 ſu Nazareno eras . * At ille negauit, dicens : Nequè ſcio, nequè noui quid dicas.
69 Et exijt foràs antè atrium , & Gallus cantauit . * Rursùs autèm cum vidiſſet
70 illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. * At ille iterum
negauit . Et pòſt puſillum rursùs qui aſtabant , dicebant Petro : Verè ex illis es :
71 nàm & Galilæus es . * Ille autèm cœpit anathematizare , & iurare : Quia ne-
72 ſcio hominem iſtum , quem dicitis . * Et ſtatìm Gallus iterum cantauit . Et re-
cordatus eſt Petrus verbi , quod dixerat ei Ieſus : Prius quàm Gallus cantet bis,
tèr me negabis : Et cœpit flere .

Marc. 15.

1 ET confeſtìm , mane conſilium facientes Summi Sacerdotes cum Senioribus,
& Scribis , & vniuerſo concilio , vincientes Ieſum , duxerunt , & tradi-
2 derunt Pilato . * Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum ? At ille re-
3 ſpondens , ait illi : Tu dicis . * Et accuſabant eum Summi Sacerdotes in multis .
4 * Pilatus autèm rursùm interrogauit eum , dicens : Non reſpondens quidquam ?
5 vide in quantis te accuſant . * Ieſus autèm ampliùs nihil reſpondit , ità vt mi-
6 raretur Pilatus . * Per diem autèm feſtum ſolebat dimittere illis vnum ex vin-
7 ctis, quemcumque petiſſent . * Erat autèm qui dicebatur Barabbas, qui cum ſedi-
8 tioſis erat vinctus qui in ſeditione fecerat homicidium . * Et cum aſcendiſset tur-
9 ba , cœpit rogare , ſicùt ſempèr faciebat illis . * Pilatus autèm reſpondit eis : &
10 dixit : Vultis dimittam vobis regem Iudæorum ? * Sciebat enìm quod per inui-
11 diam tradidiſſent eum Summi Sacerdotes . * Pontifices autèm concitauerunt tur-
12 bam , vt magìs Barabbam dimitteret eis . * Pilatus autèm iterum reſpondens ,
13 ait illis : Quid ergò vultis faciam Regi Iudæorum ? * At illi iterum clamaue-
14 runt : Crucifige eum . * Pilatus verò dicebat illis : Quid enìm mali fecit ? At
15 illi magìs clamabant : Crucifige eum . * Pilatus autèm volens populo ſatisface-
re , dimiſit illis Barabbam , & tradidit Ieſum flagellis cæſum , vt crucifigere-
16 tur . * Milites autèm duxerunt eum in atrium prætorij , & conuocant totam co-
17 hortem , * & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam.
18 * Et cœperunt ſalutare eum : Aue Rex Iudæorum . * Et percutiebant caput eius
19 arundine : & conſpuebant eum , & ponentes genua , adorabant eum . * Et poſt-
20 quàm illuſerunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eũ veſtimentis ſuis, &

educunt

Digitized by Google

21 *educunt illum vt crucifigerent eum. * Et angariauerunt prætereuntem quem-*
piam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi,
22 *vt tolleret crucem eius. * Et perducunt illum in Golgotha locum: quod eſt inter-*
23 *pretatum Caluariæ locus. * Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non ac-*
24 *cepit. * Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſu-*
25 *pèr eis, quis quid tolleret. * Erat autèm hora tertia: & crucifigerunt eum. * Et*
26 *erat titulus cauſæ eius inſcriptus: REX IVDAEORVM. Et cum eo*
27 *crucifigunt duos latrones: vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius. * Et im-*
28 *pleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. * Et prætereuntes bla-*
29 *ſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum*
30 *Dei, & in tribus diebus reædificas: * ſaluum fac temetipſum deſcendens de cru-*
31 *ce. * Similitèr & Summi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis di-*
32 *cebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. * Chriſtus Rex Iſrael*
deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi
33 *erant, conuitiabantur ei. * Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt per totam*
34 *terram vſquè in horam nonam. * Et hora nona exclamauit Ieſus voce magna,*
dicens: Eloi, Eloi, lamma ſabacthani? quod eſt interpretatum: Deus meus,
35 *Deus meus, vt quid dereliquiſti me? * Et quidam de circumſtantibus audien-*
36 *tes, dicebant: Eccè Eliam vocat. * Currens autèm vnus, & implens ſpon-*
giam aceto, circumponenſquè calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videa-
37 *mus ſi veniat Elias ad deponendum eum. * Ieſus autèm emiſſa voce magna ex-*
38 *pirauit. ** Et *velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo vſquè deorsùm. * Vi-*
39 *dens autèm Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait:*
40 *Verè hic homo Filius Dei erat. ** Erant *autèm & mulieres de longè aſpicientes:*
intèr quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph ma-
41 *ter, & Salome: * & cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant*
42 *ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymam. ** Et *cum iàm*
43 *ſero eſſet factum (quia erat paraſceue, quod eſt antè Sabbatum) * venit Ioſeph*
ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & au-
44 *dactèr introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. * Pilatus autèm mirabatur*
ſi iàm obijſſet. Et *accerſito Centurione, interrogauit eum ſi iàm mortuus eſſet.*
45 * Et *cum cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph. * Ioſeph autèm merca-*
46 *tus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento,*
47 *quod erat exciſum de petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti. * Ma-*
ria autèm Magdalene, & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur.

Luc. 22.

39 E*T egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in Montem Oliuarum. Secuti ſunt*
40 *autèm illum & diſcipuli. ** Et *cum perueniſſet ad locum, dixit illis: Ora-*
41 *te ne intretis in tentationem. ** Et *ipſe auulſus eſt ab eis quantùm iactus eſt la-*

 pidis:

42 *pidis : & poſitis genibus orabat ,* dicens : Pater ſi vis , transfer calicem iſtum*
43 *à me : Veruntamèn non mea voluntas, ſed tua fiat .* Apparuit autèm illi An-*
44 *gelus de cælo , confortans eum .* Et *factus in agonia , prolixiùs orabat .* * Et *fa-*
45 *ctus eſt ſudor eius , ſicùt guttæ ſanguinis decurrentis in terram .* * Et *cum ſurre-*
xiſſet ab oratione , & veniſſet ad diſcipulos ſuos , inuenit eos dormientes præ tri-
46 *ſtitia .* * Et *ait illis : Quid dormitis ? Surgite , orate , ne intretis in tentatio-*
47 *nem .* Adhùc eo loquente eccè turba : & qui vocabatur Iudas, vnus de duode-*
48 *cim , antecedebat eos : & appropinquauit Ieſu vt oſcularetur eum .* * *Ieſus au-*
49 *tèm dixit illi : Iuda , oſculo Filium hominis tradis ?* * *Videntes autèm hi , qui*
circà ipſum erant, quod futurum erat , dixerunt ei : Domine ſi percutimus in gla-
50 *dio ?* * *Et percuſsit vnus ex illis ſeruum Principis Sacerdotum , & amputauit*
51 *auriculam eius dexteram .* * *Reſpondens autèm Ieſus , ait : Sinite vſquè huc .*
52 *Et cum tetigiſſet auriculam eius , ſanauit eum .* Dixit autèm Ieſus ad eos, qui*
venerant ad ſe , Principes Sacerdotum , & Magiſtratus templi , & Seniores .
53 *Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs , & fuſtibus ?* * *Cum quotidiè vobiſcum*
fuerim in templo , non extendiſtis manus in me : ſed hæc eſt hora veſtra , & po-
54 *teſtas tenebrarum .* * *Comprehendentes autèm eum , duxerunt ad domum Prin-*
55 *cipis Sacerdotum : Petrus verò ſequebatur à longè .* * *Accenſo autèm igne in me-*
56 *dio atrij , & circumſedentibus illis , erat Petrus in medio eorum .* * *Quem cum*
vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen , & eum fuiſſet intuita , dixit : Et
57 *hic cum illo erat .* At ille negauit eum , dicens : Mulier , non noui illum .* Et*
58 *pòſt puſillum alius videns eum , dixit : Et tu de illis es . Petrus verò ait : O ho-*
59 *mo , non ſum .* Et interuallo facto quaſi horæ vnius, alius quidam affirmabat,*
60 *dicens : Verè & hic cum illo erat : nam & Galilæus eſt .* Et ait Petrus : Ho-*
61 *mo neſcio quid dicis . Et continuò adhùc illo loquente.cantauit Gallus .* Et con-*
uerſus Dominus reſpexit Petrum . Et recordatus eſt Petrus verbi Domini , ſicùt
62 *dixerat : Quia prius quàm Gallus cantet, tèr me negabis .** Et *egreſſus foràs Pe-*
63 *trus fleuit amarè .* * Et *viri qui tenebant illum , illudebant ei , cædentes .* * Et
64 *velauerunt eum , & percutiebant faciem eius : & interrogabant eum , dicentes:*
65 *Prophetiza , quis eſt , qui te percuſsit ?* * Et *alia multa blaſphemantes dicebant*
66 *in eum .* * Et *vt factus eſt dies , conuenerunt Seniores plebis , & Principes Sa-*
cerdotum , & Scribæ , & duxerunt illum in concilium ſuum , dicentes : Si tu es
67 *Chriſtus , dic nobis .** Et *ait illis : Si vobis dixero , non credetis mihi .* * *Si au-*
68 *tèm & interrogauero , non reſpondebitis mihi , nequè dimittetis .* * Ex *hoc au-*
69 *tèm erit Filius hominis ſedens à dexteris virtutis Dei .* * *Dixerunt autèm om-*
70 *nes : Tu ergò es Filius Dei ? Qui ait : Vos dicitis , quia ego ſum .* At illi di-*
71 *xerunt : Quid adhùc deſideramus teſtimonium ? ipſi enìm audiuimus de ore*
eius .

Luc.

Luc. 23.

1 ET ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. * Cæpe-
2 runt autèm illum accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gen-
tem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Re-
3 gem eſſe. * Pilatus autèm interrogauit eum, dicens: Tu es Rex Iudæorum? At
4 ille reſpondens ait: Tu dicis. * Ait autèm Pilatus ad Principes Sacerdotum, &
5 turbas: Nihil inuenio cauſæ in hoc homine. * At illi inualeſcebant, dicentes:
Commouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſquè
6 hùc. * Pilatus autèm audiens Galilæam, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet.
7 * Et vt cognouit quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui
8 & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. * Herodes autèm viſo Ieſu, gauiſus eſt val-
dè. Erat enìm cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa
9 de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. * Interrogabat autèm eum
10 multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. * Stabant autèm Principes Sa-
11 cerdotum, & Scribæ conſtantèr accuſantes eum. * Spreuit autèm illum Herodes
12 cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. * Et
facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in ipſa die: nàm anteà inimici erant ad
13 inuicèm. * Pilatus autèm conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtrati-
14 bus, & plebe, * dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi auertentem
populum, & eccè ego coràm vobis interrogans, nullam cauſam inueni in homi-
15 ne iſto ex his, in quibus eum accuſatis. * Sed nequè Herodes: nàm remiſi vos
16 ad illum, & eccè nihil dignum morte actum eſt ei. * Emendatum ergò illum di-
17 mittam. * Neceſſe autèm habebat dimittere eis per diem feſtum vnum. * Ex-
18 clamauit autèm ſimùl vniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis
19 Barabbam, * qui erat proptèr ſeditionem quandam factam in ciuitate & homi-
20 cidium, miſſus in carcerem. * Iterum autèm Pilatus locutus eſt ad eos, volens
21 dimittere Ieſum. * At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.
22 * Ille autèm tertiò dixit ad illos: Quid enìm mali fecit iſte? nullam cauſam
23 mortis inuenio in eo: corripiam ergò illum, & dimittam. * At illi inſtabant
vocibus magnis poſtulàntes vt crucifigeretur, & inualeſcebant voces eorum.
24 * Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. * Dimiſit autèm illis eum, qui
25 proptèr homicidium, & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant,
26 Ieſum verò tradidit voluntati eorum. * Et cum ducerent eum, apprehenderunt
Simonem quendam Cyrenenſem venientem de villa: & impoſuerunt illi cru-
27 cem portare pòſt Ieſum. * Sequebatur autèm illum multa turba populi, & mu-
28 lierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. * Conuerſus autèm ad illas
Ieſus, dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſupèr me, ſed ſupèr vos ipſas flete,
29 & ſupèr filios veſtros. * Quoniàm eccè venient dies, in quibus dicent: Beatæ
ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.

* Tùnc

30 * Tùnc incipient dicere montibus: Cadite ſupèr nos, & collibus: Operite nos.
31 * Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? * Ducebantur autèm
32 & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. * Et poſtquàm venerunt in lo-
33 cum, qui vocatur Caluariæ, ibì crucifixerunt eum: & latrones, vnum à de-
34 xtris, & alterum à ſiniſtris. * Ieſus autèm dicebat: Pater dimitte illis: non
enìm ſciunt quid faciunt. Diuidentes verò veſtimenta eius, miſerunt ſortes.
35 * Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes:
36 Alios ſaluos fecit, ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. * Illudebant
37 autèm ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei; * & dicentes: Si tu es
38 Rex Iudæorum, ſaluum te fac. * Erat autèm & ſuperſcriptio ſcripta ſupèr eum
39 litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic eſt Rex Iudæorum. * Vnus au-
tèm de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chri-
40 ſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos. * Reſpondens autèm alter increpabat eum,
41 dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. * Et nos qui-
42 dèm iuſtè, nàm digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. * Et dicebat
43 ad Ieſum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. * Et dixit
44 illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodiè mecum eris in Paradiſo. * Erat autèm ferè
hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſquè in horam nonam.
45 * Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium. * Et clamans
46 voce magna Ieſus, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et
47 hæc dicens, expirauit. * Videns autèm Centurio quod factum fuerat, glorifica-
48 uit Deum, dicens: Verè hic homo iuſtus erat. * Et omnis turba eorum, qui ſi-
mùl aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pe-
49 ctora ſua reuertebantur. * Stabant autèm omnes noti eius à longè: & mulieres,
50 quæ ſecutæ eum erant à Galilæa hæc videntes. * Et eccè vir nomine Ioſeph, qui
51 erat decurio, vir bonus, & iuſtus: * hic non conſenſerat conſilio, & actibus
eorum, ab Arimathæa Ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei.
52 * Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu: * & depoſitum inuoluit ſindo-
53 ne, & poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fue-
54 rat. * Et dies erat paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat. * Subſecutæ autèm mu-
55 lieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemad-
56 modum poſitum erat corpus eius. * Et reuertentes parauerunt aromata, & vn-
guenta: & Sabbato quidèm ſiluerunt ſecundum mandatum.

Ioan. 18.

1 HAEC cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans Torrentem
2 Cedron, vbì erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius. * Scie-
bat autèm & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequentèr Ieſus conuene-
3 rat illùc cum diſcipulis ſuis. * Iudas ergò cum accepiſſet cohortem, & à Pontifi-
cibus, & Phariſæis miniſtros, venit illùc cum laternis, & facibus, & armis.

* Ieſus

Digitized by Google

4 * Ieſus itaquè ſciens omnia, quæ ventura erant ſupèr eum, proceſsit, & dixit
5 eis: Quem quæritis? * Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego
6 ſum. Stabat autèm & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. * Vt ergò dixit eis:
7 Ego ſum: abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. * Iterum ergò interroga-
8 uit eos: Quem quæritis? Illi autèm dixerunt: Ieſum Nazarenum. * Reſpondit
9 Ieſus: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergò me quæritis, ſinite hos abire. * Vt im-
pleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quem-
10 quam. * Simon ergò Petrus habens gladium eduxit eum: & percuſsit Pontificis
ſeruum: & abſcidit auriculam eius dexteram. * Erat autèm nomen ſeruo Mal-
11 chus. * Dixit ergò Ieſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem,
12 quem dedit mihi Pater, non bibam illum? * Cohors ergò, & tribunus, & mi-
13 niſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum: * Et adduxerunt
eum ad Annam primum, erat enìm ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.
14 * Erat autèm Caiphas, qui conſilium dederat Iudæis: Quia expedit, vnum ho-
15 minem mori pro populo. * Sequebatur autèm Ieſum Simon Petrus, & alius di-
ſcipulus. Diſcipulus autèm ille erat notus Pōtifici, & introiuit cum Ieſu in atrium
16 Pontificis. * Petrus autèm ſtabat ad oſtium forìs. Exiuit ergò diſcipulus alius,
17 qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ: & introduxit Petrum. * Dicit ergò
Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit il-
18 le: Non ſum. * Stabant autèm ſerui, & miniſtri ad prunas: quia frigus erat,
19 & calefaciebant ſe: erat autèm cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe: * Pon-
20 tifex ergò interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. * Reſpondit
ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſempèr docui in Synagoga, & in
21 templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil. * Quid me
interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus ſim ipſis: eccè hi ſciunt quæ
22 dixerim ego. * Hæc autèm cum dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit ala-
23 pam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici? * Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus
24 ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autèm benè, quid me cædis. * Et miſit
25 eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. * Erat autèm Simon Petrus ſtans,
& calefaciens ſe. Dixerunt ergò ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es? Nega-
26 uit ille, & dixit: Non ſum. * Dicit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius,
27 cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonnè ego te vidi in horto cum illo? * Iterum
28 ergò negauit Petrus: & ſtatìm Gallus cantauit. * Adducunt ergò Ieſum à Cai-
pha in prætorium. Erat autèm mane: & ipſi non introierunt in prætorium, vt
29 non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. * Exiuit ergò Pilatus ad
30 eos foràs, & dixit: Quam accuſationem affertis aduersùs hominem hunc? * Re-
ſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus
31 eum. * Dixit ergò eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram
iudicate eum. Dixerunt ergò ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam.
32 * Vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit: Significans qua morte eſſet moriturus.
33 * Introiuit ergò iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Ieſum, & dixit ei:

Tu

34 Tu es Rex Iudæorum ? * Reſpondit Ieſus : A temetipſo hoc dicis, an alij dixerunt
35 tibi de me ? * Reſpondit Pilatus: Numquid ego Iudæus ſum ? Gens tua, & Pon-
36 tifices tradiderunt te mihi : quid feciſti ? * Reſpondit Ieſus : Regnum meum non
eſt de hoc mundo . Si ex hoc mundo eſſet regnum meum , miniſtri mei vtiquè
decertarent vt non traderer Iudæis : nunc autèm regnum meum non eſt hinc .
37 * Dixit itaquè ei Pilatus : Ergò Rex es tu ? Reſpondit Ieſus : Tu dicis quia Rex
ſum ego . Ego in hoc natus ſum , & ad hoc veni in mundum , vt teſtimonium
38 perhibeam veritati : omnis , qui eſt ex veritate , audit vocem meam . * Dicit
ei Pilatus : Quid eſt veritas ? Et cum hoc dixiſſet , iterum exiuit ad Iudæos, &
39 dicit eis : Ego nullam inuenio in eo cauſam . * Eſt autèm conſuetudo vobis vt
vnum dimittam vobis in Paſcha : vultis ergò dimittam vobis Regem Iudæo-
40 rum ? * Clamauerunt ergò rursùm omnes, dicentes : Non hunc , ſed Barabbam.
Erat autèm Barabbas latro .

Ioan. 19.

1 TVNC ergò apprehendit Pilatus Ieſum , & flagellauit . * Et milites ple-
2 ctentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius : & veſte purpurea cir-
3 cumdederunt eum . * Et veniebant ad eum & dicebant : Aue Rex Iudæorum ,
4 & dabant ei alapas . * Exiuit ergò iterum Pilatus foràs , & dicit eis : eccè ad-
5 duco vobis eum foràs, vt cognoſcatis quia nullam inuenio in eo cauſam.(* Exi-
uit ergò Ieſus portans coronam ſpineam , & purpureum veſtimentum :) Et di-
6 cit eis : Eccè homo . * Cum ergò vidiſſent eum Pontifices , & Miniſtri clama-
bant , dicentes : Crucifige , crucifige eum . Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos ,
7 & crucifigite: ego enìm non inuenio in eo cauſam . * Reſponderunt ei Iudæi. Nos
8 legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. * Cum
9 ergò audiſſet Pilatus hunc ſermonem , magìs timuit . * Et ingreſſus eſt prætorium
iterum : & dixit ad Ieſum : Vndè es tu ? Ieſus autèm reſponſum non dedit ei .
10 * Dicit ergò ei Pilatus : Mihi non loqueris ? neſcis quia poteſtatem habeo crucifi-
11 gere te , & poteſtatem habeo dimittere te ? * Reſpondit Ieſus : Non haberes pote-
ſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſupèr . Propterea qui me tra-
12 didit tibi , maius peccatum habet . * Et exindè quærebat Pilatus dimittere eum .
Iudæi autèm clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Om-
13 nis enìm , qui ſe regem facit , contradicit Cæſari . * Pilatus autèm cum audiſſet
hos ſermones , adduxit foràs Ieſum , & ſedit pro tribunali , in loco , qui dicitur
14 Lithoſtrotos, Hebraicè autèm Gabbatha . * Erat autèm paraſceue Paſchæ , hora
15 quaſi ſexta, & dicit Iudæis : Eccè Rex veſter . * Illi autèm clamabant : Tolle,
tolle , crucifige eum . Dicit ei Pilatus : Regem veſtrum crucifigam ? Reſponde-
16 runt Pontifices : Non habemus Regem , niſi Cæſarem . * Tunc ergò tradidit eis
17 illum vt crucifigeretur. Suſceperunt autèm Ieſum, & eduxerunt . * Et baiulans
ſibi crucem exiuit in eum , qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autèm Golgo-
tha :

Digitized by Google

18 tha :* vbì crucifixerunt eum , & cum eo alios duos hìnc, & hìnc, medium au-
19 tèm Ieſum .* Scripſit autèm & titulum Pilatus : & poſuit ſupèr crucem . Erat
20 autèm ſcriptum . Ieſus Nazarenus , Rex Iudæorum .* Hunc ergò titulum mul-
ti Iudæorum legerunt : quia propè ciuitatem erat locus , vbi crucifixus eſt Ieſus :
21 Et erat ſcriptum Hebraicè , Græcè , & Latinè .* Dicebant ergò Pilato Pontiſi-
ces Iudæorum : Noli ſcribere , Rex Iudæorum : ſed quia ipſe dixit : Rex ſum Iu-
22 dæorum .* Reſpondit Pilatus : Quod ſcripſi , ſcripſi . * Milites ergò cum cruci-
23 fixiſſent eum , acceperunt veſtimenta eius , (& fecerunt quattuor partes : vni-
cuique militi partem) & tunicam . Erat autèm tunica inconſutilis, deſupèr con-
24 texta per totum .* Dixerunt ergò ad inuicèm : Non ſcindamus eam , ſed ſortia-
mur de illa cuius ſit . Vt Scriptura impleretur , dicens : Partiti ſunt veſtimen-
ta mea ſibi : & in veſtem meam miſerunt ſortem . Et milites quidèm hæc fece-
25 runt . * Stabant autèm iuxtà crucem Ieſu Mater eius , & ſoror Matris eius ,
26 Maria Cleophæ , & Maria Magdalene . * Cum vidiſſet ergò Ieſus Matrem ,
& diſcipulum ſtantem , quem diligebat , dicit matri ſuæ : Mulier , eccè Filius
27 tuus .* Deindè dicit diſcipulo : Eccè Mater tua . Et ex illa hora accepit eam di-
28 ſcipulus in ſua .* Poſteà ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt , vt conſum-
29 maretur Scriptura , dixit : Sitio .* Vas ergò erat poſitum aceto plenum . Illi au-
30 tèm ſpongiam plenam aceto , hyſſopo circumponentes , obtulerunt ori eius . * Cum
ergò accepiſſet Ieſus acetum , dixit : Conſummatum eſt . Et inclinato capite tra-
31 didit ſpiritum .* Iudæi ergò (quoniàm Paraſceue erat) vt non remanerent in
Cruce corpora Sabbato , (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pila-
32 tum vt frangerentur eorum crura , & tollerentur . * Venerunt ergò milites : &
33 primi quidem fregerunt crura , & alterius , qui crucifixus eſt cum eo . * Ad Ie-
ſum autèm cum veniſſent , vt viderunt eum iàm mortuum, non fregerunt eius
34 crura , * ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis,
35 & aqua . * Et qui vidit , teſtimonium perhibuit : & verum eſt teſtimonium
36 eius . Et ille ſcit quia vera dicit : vt & vos credatis . * Facta ſunt enim hæc
37 vt Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo .* Et iterum alia Scriptura
38 dicit : Videbunt in quem transfixerunt .* Pòſt hæc autèm rogauit Pilatum Io-
ſeph ab Arimathæa , (eo quòd eſſet diſcipulus Ieſu , occultus autèm proptèr me-
tum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu . Et permiſit Pilatus . Venit ergò , &
39 tulit corpus Ieſu . * Venit autèm & Nicodemus , qui venerat ad Ieſum nocte
40 primum , ferens mixturam mirrhæ, & aloes , quaſi libras centum .* Acceperunt
ergò corpus Ieſu , & ligauerunt illud linteis cum aromatibus , ſicùt mos eſt Iu-
41 dæis ſepelire .* Erat autèm in loco , vbi crucifixus eſt, hortus: & in horto monu-
42 mentum nouum , in quo nondum quiſquam poſitus erat .* Ibi ergò proptèr Para-
ſceuen Iudæorum,quia iuxtà erat monumentum,poſuerunt Ieſum .

COM-

COMMENTARIVS.

IESVS ab inſtanti conceptionis propaſſiones ſpirituales multas à ſe ſuſcepit, nunc (& illis firmis) ad corporales recipiendas ab alijs tendit.

De diſceſſu à cœnaculo in hortum.

ET *hymno dicto* ordinario in gratiarum actionem pòſt cœnam; ſi enim nouum fuiſſet, Euangeliſtæ deſcripſiſſent; & finito ſermone: *egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis* in Montem Oliuarum *trans torrentem Cedron*, quem & Dauid dum Abſalom occuparet regnum pertranſiuit. 2.Reg.15.23. *vbì erat hortus Getbſemani* dictus, vt vbi lapſus hominis, ibi inciperet illius redemptio, *ſciebat autèm & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequentèr Ieſus conuenerat illùc cum diſcipulis ſuis*; hæc dicit ne ſit mirum, ſi Iudas opportunitatem loci, & temporis obſeruans ad locum illum ſibi notum acceſſerit, & ſi Chriſtus ſciens omnia ſupèr eum ventura ad locum notum ſeceſſerit, cum voluntariè ſe traderet.

De geſtis in horto.

CVM intraſſet in hortum, *dixit diſcipulis ſuis, ſedete bìc donèc vadam illùc, & orem, & aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cæpit contriſtari, & mœſtus eſſet*, pauere, & tædere: aſſumpſit has animi propaſſiones à ſe, rationi non dominantes; ideò vtuntur Euangeliſtæ verbo *cæpit*, non quòd inchoatio non dicat perfectionem, quam docet ex ſequentibus verbis *triſtis, &c.* & vt ipſi teſtes eſſent ſuæ amaritudinis. *Tùnc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſquè ad mortem*, horrore mortis inſtantis, anguſtiæ meæ, tribulationes, quibus premor, mortales ſunt, apprehendebat enim paſſionũ acerbitatem, quæ varijs cauſis fouebantur, & grauitatem earum non potuit aptiùs deſcribere, quàm verbis ad mortem, quia mors vltimum omnium terribilium, horruit ergò mortem, ſeù mortis horrorem aſſumpſit, aliòquin hæc verba non protuliſſet ipſa veritas; ſed quid clariùs ſi ſanguinem ſudauit ex dolore, quem aſſumpſerat? ſic Iud.16.16. de Samſone: defecit anima eius, & ad mortem vſquè laſſata eſt, & 1.Reg.5.12. fiebat enim pauor mortis in ſingulis vrbibus; & in Pſal. circumdederunt me dolores mortis; & Eccleſ.7.27. inueni amariorem morte mulierem; exemplum in Agag oblato Samueli ad necem tremente. 1.Reg.15.32. *& progreſſus* ab eis *puſillum quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus procidit in faciem ſuam* in terram *orans, & dicens*; potuit vno, & altero modo oraſſe, vel quod vnus dixit alter omiſit. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* mœroris, horroris, triſtitiæ, & mortis plenus; hæc ex parte ſenſualitatis, & rationalis, *veruntamèn non ſicùt ego volo, ſed ſicùt tu*: in capite enim libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam, gloriam tuam quæram, hæc controuerſia in hominibus deſcribitur à Paulo. Rom.2.15. intèr ſe inuicèm cogitationibus accuſantibus, aut etiàm defendentibus; ſic in Suſanna: anguſtiæ mihi ſunt vndiquè, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autèm non egero, non effugiam manus veſtras, ſed meliùs eſt mihi abſquè opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Daniel.13.22. & in Paulo: mihi enim uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrum, quòd ſi uiuere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligã ignoro, coarctor autèm è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multò magis meliùs; permanere autèm in carne neceſſarium proptèr vos, & hoc confidens ſcio quia manebo, &c. & in Dauide electuro flagellum. Coarctor nimis,

ſed

ſed meliùs eſt ut incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quàm in manus hominum. 2. Reg.24. 14. *& uenit ad diſcipulos ſuos*, tres illos, *& inuenit eos dormientes*, ſomno oppreſſos, *& dicit Petro, ſic*, quaſi, tu, qui dixiſti uelle commori mecum, *non potuiſtis una hora uigilare mecum? uigilate, & orate*, non ſitis otioſi dormitantes, *ut non intretis in tentationem* inſtantem, quæ uobis cauſa erit fugæ; *ſpiritus quidèm* ueſter *promptus eſt* ad mecum patiendum, *caro autèm infirma*, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Sap.10.15. condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem, uideo autèm aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ,&c. Rom.7.22. ibi uide. *Iterùm ſecundò abijt* ab eis; hùc atquè illùc diſtrahitur more dolentium; *& orauit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix*, paſſio amara, ſub nomine calicis potionis amaræ eam uocat, *tranſire* à me, *niſi bibam illum, fiat uoluntas tua*, quam in omnibus præfero; ſic calicem, quem dedit mihi Pater, non uis ut bibam? & numquid poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? *& venit iterùm, & inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati* à ſomno, quia pòſt cœnam,& quia nocte illa non dormierant, & *ex triſtitia* ex Luca, vndè Propheta: dormitauit anima mea præ tædio, *& relictis illis*, ità vt eos non excitauerit, *iterùm abijt,& orauit tertiò* ab eis diſtans,*eundem ſermonem dicens: Pater mi,&c. Apparuit autèm illi Angelus de cælo* bonus ad differentiam mali, ſeù de cælo miſſus *confortans eum*, conſolans eum, in mortis doloribus afflictum,à ſe conſolationem recipere recuſantem, *& factus in agonia* in horrore magno, proùt moribundis contingit, *prolixiùs orabat* Patrem,*& factus eſt ſudor eius*, quem emittebat aquoſitate ſanguinis deficiente, vel ſimùl, *ſicùt guttæ ſanguinis decurrentis in terram:* ex nimio dolore, erat ſudor, & ſanguis miſtus, ità vt non inficere loca, per quæ defluebat, quia aliòquin ſanguinolentus diſcipulis, & Iudicibus, & turbis apparuiſſet,quod non dicitur, nec eſt veriſimile,vel ſilentio inuolutum. *Tùnc* finita oratione *venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iàm, & requieſcite*, quaſi, non erit ampliùs hora vigilandi mecum, vt petieram, *eccè appropinquauit hora*, tempus, *& Filius hominis tradetur*, ego tradar *in manus peccatorum* flagellandus, occidendus, *ſurgite*, non eſt ampliùs tempus ſomni, ſed vigiliæ, *eamus, eccè appropinquauit qui me tradet*, Iudas, occurramus illi. *Adhùc eo loquente* hæc verba, *eccè Iudas vnus de duodecim* (ad facinus exaggerandum hoc addit) *venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fuſtibus*, ſeù lignis *miſſi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi*,& cum cohorte, *& laternis, & facibus, & armis*, & cum eo erant etiàm Principes Sacerdotum,& Magiſtratus templi,*& Seniores*,quos Iudas antecedebat;Sed cur tanta multitudo ad vnum ſolum capiendum,& Iudices ipſi? quia multotiès tentauerant illum capere, inſidias parauerant, edicta publicauerant, ad hunc effectum milites miſerant,& ſempèr euaſerat, timebant etiàm turbam ſequentem, ne è manibus eorum illum eriperet, ideò noctem expectauerunt opportuniorem, quam obſeruauit proditor,qui etiàm ſibi ipſi timebat; ideò dicit *tenete, & ducite cautè*,ne euadat, quia non potero ferre oculos magiſtri mei, ſi euaſerit. *Dederat autèm traditor eius ſignum eis, dicens: Quemcunquè oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè*, ne elabatur, ipſe enim ſibi timebat, nedum illi; quouſquè traxit illum auaritia, vt etiàm doceret miniſtros ſupèr his? altèr Achitophel cum Dauid. Ioab occidens Amaſam tenens manu dextera mẽtum Amaſæ, quaſi oſculans eum. 2. Reg. 20. 9. & in dolo Abner. 2. Reg. 3. 27. *& confeſtim accedens ad Ieſum,dixit: Aue Rabbi,& oſculatus eſt eum* audax ex malitia factus; *dixitquè illi Ieſus: Amice,ad quid veniſti*, diſceſſiſti è cœnaculo, cur intempeſta nocte me conuenis? *Iuda,oſculo Filium hominis tradis?* quid facis miſer? pœniteat te, conuertere, audis me ſcire quid agas. Videns Ieſus ad prima verba non reſpicere, hæc alia protulit, vt conuerteretur. *Ieſus itaquè ſciens omnia, quæ ventura erant ſupèr eum*, nihil eum latebat (& hìnc maior anxietas) *proceſſit* vltrò, *& dixit eis: Quem quæritis?* offert ſe quandò

vult pati. *Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum*, iàm proditor illum manifeſtauerat, ſed adhùc timebant in eum inijcere manus. *Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autèm & Iudas, qui tradebat eum cum ipſis*, hoc dicitur ad maiorem Domini angorem, & ad notandam eius peruicaciam, & audaciam. *Vt ergò dixit eis: Ego ſum, illicò abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram*; etiàm capiendus dat capturis ſigna diuinitatis, quibus conuerti poſſent, ſi ſaperent; eccè Samſon, intèr medios hoſtes ligatus à Dalida, excitatus, prodigia faciens. Iudi. 16. *Iterùm ergò interrogauit eos: Quem quæritis?* me tàm mira facientem capturi quæritis? *Illi autèm dixerunt: Ieſum Nazaranum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quia ego ſum*, quid moramini? ſed nihil potuerunt quòuſque noluit. *Si ergò me quæritis* ad capturam, *ſinite hos* meos Apoſtolos *abire* liberos, ſic iubeo, ſic volo, *vt impleretur ſermo, quem dixit, quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam* etiàm corporalitèr, vt hìc, cognouit Dominus imbecillitatem eorum, & quia dux ipſe præcedere debuerat, eos milites ſubſequi, vt dicit Petro. Ioan. 13. *Videntes autèm hi* Apoſtoli, *qui circà ipſum* Ieſum *erant, quod futurum erat*, nempè hos tentantes apprehendere Ieſum, quem dixerant quærere, *dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?* quaſi, licet ne nobis hoc facere, vel, viſne hoc nos facere? *Simon ergò Petrus* non expectato reſponſo zelo motus, *habens gladium* (quandò ergò dixerunt: *Eccè duo gladÿ hìc*, erant proprij, non enim veriſimile alienos ſecum geſtaſſe) *eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram, erat autèm nomen ſeruo Malchus. Reſpondens autèm Ieſus* diſcipulis ſic interrogantibus, *ait: ſinite vſquè hùc* eos facere, nàm hæc eſt hora ſua, & poteſtas tenebrarum. *Et cum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum*; tangit vt conſtet eum ſanare, miraculum facit, vt conuertat illos, at Malchum etiàm in anima ſanauit iuxtà regulam. *Tùnc ait illi* Petro *Ieſus: Conuerte gladium tuum in locum ſuum*, in vaginam, quia ego non ſic defendendus, *omnes enim, qui acceperint* propria auctoritate *gladium*, eoquè malè vſi fuerint, *gladio peribunt* iuxtà legem, quam violare nefas eſt. *An putas* (ſi vellem) *quia non poſſum rogare Patrem meum*, quà homo loquitur ad Patrem referens, *& exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* & quid hi facturi eſſent, conijce ex vno, qui vna nocte centum octuaginta quinque millia hominum occidit. *Quomodò ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* hæc etiàm verba poterant reducere præſentes ad caulam gregis. *Calicem* mortis amarum, *quem dedit mihi Pater* ad bibendum, *non bibam illum?* non obediam Patri meo? nonnè tibi Petro aliàs dixi retrahenti me à morte: vade pòſt me retrò Satana, quia non ſapis quæ Dei ſunt? *In illa hora dixit Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe Principes Sacerdotum, & Magiſtratus templi, & Seniores: Quaſi ad latronem*, cum latro non ſim, *exiſtis cum gladÿs, & fuſtibus*; quarè hoc facitis? *cum quotidiè vobiſcum fuerim in templo* palàm *docens*, non aliena ſubripiens, *non extendiſtis manus in me*, ſi enìm aliquid mali egiſſem, tùnc poteratis, proptèr quod opus vultis me apprehendere? quia prædicaui vobis regnum Dei in templo? *Sed hæc eſt hora veſtra*, qua vobis permittitur, *& poteſtas tenebrarum* diabolo data. Facta hac poteſtate. *Cohors ergò, & tribunus, & Miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum*; hic incipit paſſio corporis afflictiua per alios illata iuncta ſpirituali, quæ nunquàm defecit, & huiuſmodi ligamina fuerunt acerba, quia dixerat Iudas: *tenete eum, & ducite cautè*, ſed eia milites: cur aliàs miſſi ad illum apprehendendum non comprehendiſtis, ſed dixiſtis, nunquàm ſic locutus eſt homo, proùt homo iſte? tùnc auditus loquelæ vos repulit, nunc nequè loquela, nequè miracula repellunt à tanto facinore? *ſed hæc eſt hora veſtra, &c.* Ille ſic captus tamquàm ouis ad occiſionem ducebatur, nec aperiebat os ſuum, & ſicùt agnus coràm tondentibus ſe obmutuit, vt Iſaac à Patre immolandus. *Tùnc diſcipuli, omnes relicto eo, fugerunt* timore perculſi, proùt dixerat Ieſus. Ioan. 16. in fin. *Petrus* deindè à fuga retractus, *ſecutus eſt eum à longè*, & Ioannes ſub cruce fuit. *Adoleſcens autèm quidam*, incognitus ex verbo *quidam*, caſu ibi occurrens, curioſitate ductus,

ctus,

ctus ex horto Gethſemani, vel propinquo loco, viſa turba, audito ſtrepitu prodiens, vndè excluduntur omnes diſcipuli, & ſic Ioannes, & Iacobus, qui è cœnaculo comitati eum fuerant ad hortum, præſertim quia narrata eorum fuga, ſubditur ex oppoſito comitantis factum: *adoleſcens autèm, &c.* nec ſub nomine adoleſcentis diceretur de diſcipulo. Vltrà quòd inconuenit quemquam Apoſtolorum moleſtia affectum, cum Chriſtus dixiſſet *ſi ergò me quæritis, ſinite hos abire*, vel tùnc *ſindone ſupèr nudo* inuolutum, qui veſtiti è cœnaculo exierant, nec explicatur quòd veſtis eſſet cœnatoria, imò nec veſtis, quia ſindon dicitur, & non fuiſſet ſupèr nudo corpore, vt nudus euaderet, ſed ſupèr veſtibus communibus, ſeù quotidianis; At ad quid hìc mentio huius adoleſcentis? vel vt appareat de magna diligentia per miniſtros adhibita capiendi quemlibet hominem, quem ſuſpicarentur ad Ieſum pertinere, & conſequentèr miraculum, vt Apoſtoli abirent illæſi. Vel vt oſtendat dictum Chriſti, *ſinite hos abire*, etiàm ad extraneos fuiſſe extenſum, ne ſui cauſa quiſquam pateretur, quod præſtitit & ſuis nempè S. Thomæ Cantuarienſi Epiſcopo, vndè in eo verificatum: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet. Io. 14. 12.

De geſtis in domo Caiphæ Pontificis.

PRIVS S. Ioannes præmittit omiſſum ab alijs. *Et adduxerunt eum* ſic ligatum, & cautè *ad Annam primùm*, ſcilicèt antequàm duceret ad domum Caiphæ ab exiſtimantibus rem gratam facturis Caiphæ genero, proùt ſubditi Alexandri Regis Ptolomæo ſuo ſocero in Machabæis, ideò ſubdit Ioannes, *erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*, vel ad ipſum vti virum magnæ exiſtimationis quondàm Pontificem magnum, & etiàm Caiphæ ſocerum, verbum enim, *primùm*, pòſt quod aliquid ſequi debeat, denotat à domo Annæ deindè illum duxiſſe ad domum Caiphæ Pontificis etiàm ex eodem Ioanne ſe non ſatis explicante verbis, ſed ex narratione, & factis, quæ apud Pontificem contigerunt; ſi enim ille Pontifex, ergò in domo eius omnia illa geſta. Hinc quia Ioannes excurrerat ad geſta in domo Caiphæ, in medio geſtorum notat, *& miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* verſ. 24. & ſolet id Ioannes. Ioan. 1. 5. fuit homo miſſus à Deo; & 25. qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Nec dicatur in domo Annæ interrogatum Dominum de diſcipulis, & doctrina, vel Petrum negaſſe, quia dicta à Ioanne, à cuius dictis naſcitur dubium, intelliguntur geſta in domo Caiphæ, non Annæ, vti ſe declarat, oſtendens ductum eſſe Ieſum ab Anna ad Caipham, & deindè à Caipha ad Prætorium iuxtà alios Euangeliſtas concordes in his; & quia dicit interrogatum à Pontifice, & is Caiphas erat non Annas. In via, & in domo Annæ nil actum, niſi fortè illuſus Chriſtus ſic tentus, & ligatus, nunc enim tempus illuſionum, quæ & in domo Caiphæ ſequuntur, ab vno diſcamus omnia; obſerua tamèn ab Anna ad Caipham Dominum miſſum ligatum, vt appareat nullam requiem datam, vel interpoſitionem in ligaminibus illis. *At illi tenentes Ieſum duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi* omnes Sacerdotes, *Scribæ, & Seniores conuenerant* vnà cum illis, qui capturæ interuenerant, qui veriſimilitèr retulerunt miracula, & alia geſta, & tamèn nulla ſupèr his diſcuſſio, adeò obcœcauerat eos malitia, odium, inuidia; *Erat autèm Caiphas, qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo*, neſciens quid diceret, ſed ſuæ prædictioni addictus, & executioni promptus, ſic enim ſolent homines; & ob id Euangeliſta hæc verba refert. Interim Iudas pòſt capturam recepit triginta argenteos quos *pacti* erant *illi dare. Pontifex ergò* Caiphas *interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius.* Hæc interrogatio tendit ad firmandam iuriſdictionem, quaſi Chriſtus in legem, vel Prophetas inueheretur, vel ab illis aberraret, ideò præmiſſa fuit à Caipha legitimè agente; ſed interrogatio quoàd diſcipulos tendit etiàm quòd intenderent & in ipſos agere. *Reſpondit ei Ieſus* iuſtificans ſe ipſum ſupèr doctrinæ ſinceritate, & verita-

te: de diſcipulis enim reſpondere vanum erat, & quia ſi bona doctrina, etiàm diſcipulos retinere licebat, ideò de doctrina reſpondens, etiàm quòad diſcipulos ſatisfacit; ſic dicentibus ipſum dæmoniacum, & Samaritanum, ad primum tantùm reſpondit, quod & ſecundum comprehendebat; *ego palàm locutus ſum mundo, ego ſempèr docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil*, quod publicè dici non poſſet; dicit hoc quia cum diſcipulis aliqua occulta, & cum alijs, vt cum Nicodemo; aliquid mali machinans quærit latebras, odit lucem, ego coràm omni populo verba feci, nihil ergò mali in mea doctrina, & hoc eſt, quod dixit etiàm ad Principes Sacerdotum, & Magiſtratus populi, & Seniores capturæ præſentes ſe in templo docuiſſe, quaſi, ſi mali aliquid proferebam in fragranti crimine comprehendi poteram, quod cum non feceritis, nihil ergò mali commiſi; *quid me interrogas?* quaſi, mihi aſſerenti bonam, & ſanam doctrinam attuliſſe non credes, fruſtrà ſupèr hac interrogor, *interroga eos, qui audierunt quid locutus ſum ipſis*, adhibe teſtes de auditu, non enim poterunt non dicere veritatem. *Eccè hi ſciunt quæ dixerim ego*, quaſi, nihil mali dixi, refero me ad teſtes veſtros; hinc innocentia apparebat, nec poterat cauillari. *Hæc autèm cum dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici?* coràm concilio conſtituto datur *alapa*, & à miniſtro, & nullus contradicit, nullus obiurgat; ſic percuſſus Paulus. Acto. 23. 3. ſic Soſthenes nihil curante Gallione. Acto. 18. 17. Non licebat reo quæ ad defenſionem erant, & interrogationis euacuationem proferre? ſed hæc hora eorum. *Reſpondit ei Ieſus* manſuetus: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo*, argue me, conuince me, *ſi autèm benè, quid me cædis* priuata auctoritate, me non audito? Neceſſarium fuit Ieſu reſpondere cædenti, ne tacendo videretur aliquid mali egiſſe, vel protuliſſe, vel impudentèr Pontifici reſpondiſſe, proùt is dicebat. *Vnus aſſiſtens miniſtrorum*, officialium ſcilicèt, non ergò Malchus, qui ſuprà fuit ab eodem Euangeliſta ſeruus nominatus, qui ſi id patraſſet, ingratitudinis arguendus erat proprio iterum nomine expreſſo, ſicùt exprimit cognatum illius, cuius Petrus abſciderat auriculam. Vltrà quòd ſtante doctrina, quòd ſanando corpus ſanaret animam, non eſt veriſimile Malchum tàm ſubitò mutatum; vel ſicùt dicitur de nouem leproſis ingratis, ſic diceretur de illo. *Principes autèm Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contrà Ieſum, vt eum morti traderent*, eo odio in eum ferebantur, vt nolentes eum viuere quærerent falſis teſtibus eũ morti addicere. Pſal. 2. aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius; & Sap. 2. circumueniamus iuſtum, &c. grauis eſt nobis etiàm ad videndum, &c. morte turpiſſima condemnemus eum, &c. Quærentes falſis teſtibus eum neci tradere declarant eius innocentiam, quam Euãgeliſtæ ex hoc etiàm voluerunt reddere manifeſtam, ità vt non eſſet locus nedum capturæ, ſed nec proceſſui fabricando contrà illum, *& non inuenerunt* teſtimonium ſcilicèt, quo neci poſſent illum tradere; *cum multi falſi teſtes acceſſiſſent* contrà eum falſa depoſituri, & Marcus, *& conuenientia teſtimonia non erant*, ad necem ſcilicèt; hinc maior innocentia apparet, quò plures teſtes inanes. *Nouiſſimè autèm venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit, poſſum deſtruere templum, & pòſt triduum reædificare illud, & non erat conueniens teſtimonium illorum*, inquit Marcus, ad mortem inferendam. Vltrà quòd erat falſum; recitant enim verba dicta à Chriſto diuerſimodè, ipſe enim dixit hoc tantùm, ſoluite vos templum hoc, non ego ſoluam, & in tribus diebus excitabo illud, non refero alias diuerſitates, hæc ſola ſufficit ad excluſionem delicti, ſi dixit: Soluite, non ſoluam, ſed falſitas clarior, quia intelligebat de templo corporis ſui metaphoricè loquens, vt dicit. Ioan. 2. hi verò de templo materiali; ſic Naboth agente impia Iezabele falſis teſtibus ſubornatis ad necem traditus. 3. Reg. 21. cum hi memoria retinuerint verba à Chriſto prolata, veriſimilius eſt vnam tantùm fuiſſe eiectionem è templo poſtquàm Ioannes ſolus hæc verba refert. cap. 2. vt tenui. Chriſtus nihil reſpondens ad hæc, quia

agnus

agnus tanquàm coràm tondente ſe obmuteſcebat. Iſai. 53. arguitur à Principe Sacerdotum. *Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſùm te teſtificantur?* quaſi, non agis more reorum, & verè, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, cùm malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. *Ieſus autèm tacebat*, quia tùm falſum, tùm nihil honori proprio, vel Dei, vel eius innocentiæ detrahens. *Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei.* Neſciens Caiphas quò ſe verteret, & calumnias expiſcaretur, Chriſto maximè non reſpondente, ad adiurationem ſe conuertit, & ex ore rei vult abſquè indicijs præcedentibus delictum carpere contrà omnem iuſtitiam. Non credo hanc interrogationem feciſſe Caipham quaſi ſcienté, vel Myſterium Trinitatis, vel Deum habere Filium, ſed quia apud omnes notum erat Ieſum palàm de hoc loqui, & propterea illum oderant Iudæi. Ioan. 5. 18. quia dicebat Patrem habere Deum, ſe ei æqualem faciens, & quia ſæpiùs interrogauerunt quis eſſet, præſertim, quòuſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm; & voluerunt eum lapidare, quandò dixit, antequàm Abraham fieret, ego ſum; loquitur ergò Caiphas iuxtà reputationem, & ſenſum Chriſti, non ex veritate quam credat. *Dicit illi Ieſus* adiuratione nominis paterni motus, & ne vlla excuſatione tueri ſe poſſent quin ſciuerint qualis eſſet ex ore ſuo, (quod diſtulit facere vſquè hùc; & Apoſtolis prohibuit, ne dicerent quòd ipſe eſſet Ieſus Chriſtus, ſciens hac confeſſione facta ſibi mortem imminere) dum vellet mori, & eſſet hora tenebrarum, & congrueret in Iudicio interroganti Sacerdoti ſummo veritatem aperire. *Tu dixiſti*, ità eſt, ſum, non infitior; veni me manifeſtaturus mundo, ſic coactus Ioannes dixit: Ego vox clamantis, vt in eo dictum. *Veruntamèn dico vobis, amodò*, impoſterum non *videbitis* ampliùs me in terra, ſed *videbitis Filium hominis*, me vobis hominem apparentem, ſed verè Deum hac nunc mortali carne indutum *ſedentem à dextris virtutis Dei* in ſummo honore, qui maior dari non poteſt creaturæ vlli. Philip. 2. Eph. 1. *& venientem in nubibus cæli* in iudicio; ſic aliàs: dico vobis non me videbitis amodò, donèc dicatis, benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 23. ſic prædicarunt Angeli venturum. Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ità veniet, iudicaturus, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum, ſunt verba perterrefacientia; in ſimili Micheas cum Sedecia, & Achab. 3. Reg. 22. 25. 28. ſic Eliſeus cum duce. 4. Reg. 7. 2. De die autèm Iudicij neceſſariò hæc intelligenda, quia alio tempore non erat coràm omnibus appariturus, nàm pòſt reſurrectionem paucis tantùm, & à Deo præordinatis, & in Aſcenſione ſuis, in qua non dicitur veniſſe, proùt hic, ſed aſcendiſſe; hinc Angeli. Acto. 1. ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum; & Luc. 22. 69. ex hoc erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei, vndè Paulus: proptèr quod & Deus exaltauit, &c. Philipp. 2. Videte ergò quem iudicetis, vos enim iudicabit qui nunc tacet pro vobis paſſurus. Sed cur non meminit abominationis, euerſionis Ieruſalem, vel alterius pœnæ, & exterminij, proùt Matth. 23? quia nihil ſeuerius, rigidiuſue Iudicio, in quo nulla miſericordia, in quo videbunt in quem transfixerunt; paſſiones in hoc mundo ſeruiunt aliquandò ad nos excitandos, ibi punitio tantùm, propterea nihil terribilius proponere poterat ad illos auertendos. Sed meliùs, & ad rem. *Veruntamèn dico vobis* rem grandem, & vobis do hoc documentum ſingulare, me, quem nunc videtis, & ſum Meſſias, nec recipitis, ſed reijcitis, & crucifigetis, *amodò*, impoſterum non *videbitis* hic ampliùs, quaſi, non erit hic amplius in terra vobis quærendus Meſſias in maieſtate regnans; vanè enim illum exſpectabitis, cum ego ille ſim, ſed tantùm *videbitis* hunc *Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei* in maieſtate magna, *& venientem* in hunc mundum *in nubibus cæli* glorioſum ad illum iudicandum, ideò in me credere debeteris, & me in Meſſiam recipere. Concordant Marcus. cap. 14. 62. Luc. 22. 69. ſimilis locus. Matth. 23. 39. Dico enim vobis: non me videbitis amodò donèc dicatis, benedictus qui venit in nomine

Digitized by Google

Domini, & ibì dictum; nec vos detrahat à fide humilitas mea, quia ſic veni paſſurus, tùnc in maieſtate apparebo, ne decipiamini, vndè ſcopus Chriſti non eſt eos atterrere ex Iudicio, de quo expreſſiùs, & clariùs agendum fuiſſet, ſed conuertere eos à cogitatione videndi Meſſiæ, de quo interrogabatur à Caipha, in terris pòſt ipſum, & ad fidem in ſe ipſum illos adducere. *Tùnc Princeps Sacerdotum*, quaſi zelo, ſed vano motus, *ſcidit veſtimenta ſua* iuxtà ſolitum audientium blaſphemias, *dicens: Blaſphemauit*, faciens ſe Dei Filium, Meſſiam (reuelauit veritatem non credituris) *eccè nunc audiſtis blaſphemiam*, format nunc proceſſum, *quid vobis videtur?* dicite ſententiam. *At illi reſpondentes* præcipitantèr nullo ordine ſeruato, *dixerunt: Reus eſt mortis*, blaſphemi enìm morti tradebantur. Leuit. 24. & verificatum: & condemnabunt eum morte. Matth. 20. captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. *Tùnc illudebant ei, expuerunt in faciem eius* in opprobrium, *& colaphis eum ceciderunt, alij faciem velabant, alij palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte*, Meſſias, & Propheta. *Quis eſt qui te percuſſit?* hæc omnia prædicta: contumelia, & tormento interrogemus eum. Sap. 2. 19. & corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus. Iſa. 50. dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs: Thren. 3. ipſe prædixit hæc omnia ſciens: tradetur ad illudendum, flagellandum, &c. Interìm Petrus amore Domini ſui tractus, quem *à longè ſequebatur*, petit palatium Caiphæ, & ſic introducitur ex Ioanne. cap. 18. *ſequebatur autèm Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus* nobis ignotus, *diſcipulus autèm ille erat notus Pontifici* Caiphæ; hoc dicit, vt aſtruat quomodò introierit ipſe, & introduxerit Petrum, *& introiuit* diſcipulus ille *cum Ieſu in atrium Pontificis*. *Petrus autèm* incognitus *ſtabat ad oſtium foris* non admiſſus. *Exiuit ergò diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ* vt Petrum introduceret, *& introduxit Petrum*. At quis diſcipulus alius innominatus? non videtur fuiſſe Ioannes diſcipulus notus, ſed occultus aliquis nobilis, & familiaris, qui cognoſceretur etiàm à familiaribus Pontificis, nàm egit cum ancilla, vt Petrum introduceret: hæc enìm non conueniunt Ioanni à latere Magiſtri nunquàm diſcedenti, Galilæo, piſcatori vili, qui nec præſumitur à Galilæa in Iudæam piſces venales detuliſſe, & ſimiles non ſunt noti Principibus, & præualuiſſet tùnc furor miniſtrorum, ità vt nec pepercìſſent Ioanni, quin illum, proùt Petrum interrogarent, & explorarent: præſertìm quia omnes erant cogniti vti diſcipuli Chriſti. Acto. 4. Et ſi fuiſſet Ioannes, ſicùt cum Petro ſecutus eſſet dominum, ità cum Petro ſtetiſſet, & interrogationibus Petri adſtitiſſet, nec diuiſus eſſet ab illo. Prætereà tùnc omnes aufugerant, & Ioannes ſtetit ſub Cruce cum Maria, quam veriſimilitèr conuenit præordinatione diuina, vt commendaretur ei Virgo. Ad hæc: ex Apoſtolis dicitur de ſolo Petro, *ſequebatur eum à longè, vſquè in atrium Principis Sacerdotum*. Matth. 26. 58. is ergò diſcipulus non erat ex Apoſtolis, qui *omnes relicto eo fugerunt*, ſi enim fuiſſet, ſicùt dicitur de Petro, & de illo dictum eſſet. Accedit quòd ſimplex locutio (*alius diſcipulus*) non infert ad Ioannem, quia Ioannes quandò de ſe loquitur, addit, quem diligebat Ieſus. Ioan. 13. 24. & 20. 2. 19. 26. cap. 21. 7. 20. At cur Ioannes non nominat hunc diſcipulum? quia nihil ad hiſtoriam. Sed quomodò concordabimus, cum dicat Ioannes, *ſequebatur autèm Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus, qui introiuit cum Ieſu?* nàm tùnc in nocte non fit mentio niſi adoleſcentis ſindone inuoluti, & contextus præſupponit ſimùl ſecutos Petrum, & diſcipulum pòſt Ieſum; dicas & hunc diſcipulum occultum adfuiſſe, non enìm ex mentione adoleſcentis alij excluduntur, & ad rem tàm inſignem veriſimile eſt adſtantes alios adfuiſſe, præſertìm ex diſcipulis, & ſi dicitur *alius*, nonnè ſufficit? Euangeliſtæ enìm raRò repetunt, & ex vna narratione ad multa deueniunt, & adoleſcens ille non fuit, tùm quia non erat ex diſcipulis, vt ſuprà tenui, tùm quia aufugit, & euaſit. *Dicit ergò Petro ancilla oſtiaria, &c.* ſic & oſtiariam habuit Rex Isboſeth. 2. Reg. 4. Nùnc ad negationes

tiones Petri. Sed quot vicibus negauit Petrus? dic tèr; ſic enim Dominus: *antequàm gallus cantet, tèr me negabis*, negationes autèm claræ. Prima ex interrogatione ancillæ huius oſtiariæ, ex Ioanne, Matthæo, Marco, Luca, *& gallus cantauit* ex Marco, qui obſeruauerat Dominum dixiſſe *antequàm gallus bis vocem dederis*, ſed non dicitur Petrum hunc galli cantum audiſſe: ſecunda *pòſt puſillum* iuxtà Lucam: *exeunte autèm illo ianuam* ad verba alterius ancillæ, quam & alij ſubſecuti ſunt *iterùm negauit, cum iuramento* iuxtà Matthæum, & licèt vnus Euangeliſta ancillæ, alius aliorum meminerit, tamèn vna negatio pro his omnibus interceſſit: tertia *pòſt puſillum* iuxtà Matthæum, & Marcum, *interuallo facto quaſi horæ vnius*, iuxtà Lucam ad interrogationem alterius, quem alij ſecuti ſunt, & pręſertim cognatus Malchi, cuius fit mentio, vt appareat de cauſa maioris timoris in Petro, proùt & de loquela cognita, & tùnc *cœpit iurare, & anathematizare, & deteſtari, &c.* Collige ex tot percunctationibus factis Petro Iudæos voluiſſe & diſcipulos capere, quod & colligitur ex prima interrogatione Caiphæ supèr diſcipulis; at iubente Chriſto ſalui tùnc, & pòſt redditi; nàm & pòſt reſurrectionem, & Spiritus ſancti miſſionem prædicàbant cum feruore, tùnc tamèn multa paſſi; ſed quò ducit peccatum? nàm pòſt negationem *cœpit* etiàm *iurare, & anathematizare, quia non noui hominem*. Occaſioni ſe præcipitem dedit Petrus ingrediendo in Atrium Principis, ſic Satanas cribrauit illum. Negauit tamèn ore ſolo, non corde, nàm: oraui pro te Petre, vt non deficiat, interior, fides tua; *& conuerſus Dominus* turbatus ob negationes ſui Petri, *reſpexit Petrum*, qui fortè ex negationibus tutior factus, & putans non ampliùs moleſtiam pati, introgreſſus erat in locum, vbi erat Dominus, vel Dominus deorsùm deſcenderat; ſed quid fecit reſpectus huiuſmodi? Petrum illicò pœnituit, *& recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicùt dixerat*, cuius caſus aduenerat, quia *priùſquam gallus cantet, tèr me negabis*; Vide quàm iuuit prædictio illa Chriſti, quod non fecerat interuallum temporis ex Luca, & galli cantus primus ex Marco; ſic Nathan improperante Dauid conuerſus illicò, quod non antè ferè per annum, *& egreſſus forás* (piſcator ictus ſapit) ab occaſione ſecedens, *fleuit amarè* peccatum ſuum; reſpicit Zachæum, Matthæum, in alios mutat, mutauit & Petrum peccantem. *Mane autèm facto* impatientes moræ cotrà agnum conuenientes, *inierunt conſilium omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi, & Scribæ* (non enim in nocte potuerunt omnes congregari) *aduersùs Ieſum, vt eum morti traderent* exequerentur ſententiam nocte præcedenti contrà eum latam, & ſatiarentur eius ſanguine, quem ſitiebant, *& duxerunt illum in concilium ſuum* iuxtà Lucam, vt Ieſus ratificaret quæ noctu dixerat etiàm coràm alijs, qui non interfuerant, *dicentes: Si tu es Chriſtus*, proùt hac nocte affirmaſti, *dic nobis* iterum, *& ait illis* Ieſus: *Si vobis dixero, non credetis mihi*, proùt aliàs, nequè hac nocte credidiſtis mihi, ſed me reum mortis feciſtis, illuſiſtis, expulſtis, percuſſiſtis; *ſi autèm & interrogauero* diſcurrens per ſcripturas, & per illas, & geſta me Meſſiam oſtendero, proùt feci pluriès in vanum, dum de Chriſto, quem Dominum ſuum Dauid dicit, dum de baptiſmo Ioannis interrogaui, quia odio, & de facto, non iure mouemini contrà me, *non reſpondebitis mihi*, quem non æſtimatis, *nequè dimittetis*, liberum, *ex hoc autèm*, at impoſterum, *erit Filius hominis*, homo iſte ſic vobis apparens *ſedens* glorificatus per crucem *à dextris virtutis Dei*, ad omnem maieſtatem, & gloriam aſſumptus, quam dabit illi Deus; hinc apparet meliorem ſecundum intellectum datum ad verba dicta Caiphæ. *Veruntamèn, &c. Dixerunt autèm omnes; tu ergò es Filius Dei? qui ait: vos dicitis, quia ego ſum:* ſum Filius Dei. *At illi dixerunt: Quid adhùc deſideramus teſtimonium?* quid egemus probationibus? *ipſi enim audiuimus* de ore eius, ſumus in confeſſis, ſuperflua eſt alia quæuis probatio; poſſumus ergò iuſtè eum morti tradere, & vinctum, *& vincientes Ieſum*, dicit Marcus, quod ſignificat eum antè liberum à vinculis, & ſic fortè in nocte illum ſoluerant; vinciunt timentes ne euaderet, quia pluriès ab eorum manibus euolauerat, *duxerunt, & tradiderunt* ipſimet primores authorizantes

tes

tes factum *Pontio Pilato Præſidi*, nō habentes ipſi facultatem necis inferēdæ, quæ apud Præſides Romanorum reſidebat. *Tùnc videns Iudas, qui eum tradidit*, qui rei euentum expectabat, illum damnatum ad mortem, & duci ad Præſidem, *pænitentia* humana *ductus* (fortè à diabolo inductus, qui cœpit timere, ne Filius Dei eſſet, poſtquàm tot ſigna, & verba vidit, & audiuit, quod etiàm fecit cum vxore Pilati, mulieres capere aſſuetus, putans Iudæos hoc modo auertere) *retulit triginta argenteos*, quos pòſt capturam receperat, *Principibus Sacerdotum, & Senioribus*, vt ſuprà congregatis; præſumitur enìm dicere de præſentibus, & de quibus iàm erat ſermo, non de alijs, quòd ſi de alijs, expreſſiſſet, *dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum:* ex ore eius, qui eum prodiderat, vult Deus conſtare de innocentia. *At illi dixerunt: Quid ad nos?* ſi malè egiſti, *tu videris:* tibi ipſi conſule de malo commiſſo, nos ad tui dictum non debemus hunc, quem tradidiſti, dimittere; & quia argenteos ipſi recipere noluerunt, ne viderentur eius factum approbare, receſſit, *& proiectis argenteis in templo*, ad quod iuit ad hunc effectum, quia concilium non erat congregatum in templo, & fortè quia è templo, ſeù gazophilacio argentei erant extracti, aliòquin ad quid illos in templo proiecit potiùs quàm vbi conuenti Principes ſupèr hoc negocio? *& abiens laqueo ſe ſuſpendit*, vt alter Achitophel, antequàm Chriſtus moreretur ex contextu Matthæi, qui dicit, *videns, quòd damnatus eſſet*, non quòd eſſet mortuus: Mortuus eſt autèm Iudas ſuſpendio, vt hìc, & Acto. 1. ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius; voluit Deus apparere de morte tali ad denotandum eius graue peccatum, proùt in Chore, & Abiron Moyſes, ſi conſueta hominum morte interierint, &c. Num. 16. 29. Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur, dixit Chriſtus: *Principes autèm Sacerdotum, acceptis argenteis* proiectis à Iuda in templo, *dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam*, in gazophilacium, *quia pretium ſanguinis eſt*, quia his traditus, & emptus ſanguis, vita hominis. *Conſilio autèm inito emerunt ex illis triginta argenteis agrum figuli*, artificis, non quòd ex eo agro figulus terram ad vaſa conficeret, quia alio modo exprimeretur, *in ſepulturam peregrinorum* pauperum Ieruſalem aduentantium, *proptèr hoc vocatus eſt ager ille*, lingua eorum, *Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis*, nempè emptus ex pretio ſanguinis, *vſquè in hodiernum diem*, quod habetur & Acto. 1. *tùnc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam*, quem non habemus, ſed tùnc extabat, quia aliàs Euangeliſta illum non nominaret, & alia allegantur, quæ ſimilitèr perierunt; *dicentem: & acceperunt Principes Sacerdotum triginta argenteos*, qui fuerunt *pretium appretiati* Chriſti, *quem appretiauerunt*, appretiauit Iudas promittens tradere, *à filijs Iſrael*, à primoribus Iſrael, *& dederunt eos in agrum figuli* emendum, *ſicùt conſtituit mihi Dominus* faciendum eſſe ex ſua prædictione; hæc ſic Zach. 11. 12. & appenderunt Iudæi mercedem meam triginta argenteos Iudæ traditori, quaſi vtì mercenarius ſubripuit mercedem, quę mea erat ſupèr vita mea tradenda, ſibi, quæ fuit triginta argenteorum, & dixit Dominus ad me, hæc prænoſcens. Proijce illud ad ſtatuarium, ad emptionem agri figuli, decorum pretium per ironiam, quo appretiatus ſum ab eis, & tuli, & tulit triginta argenteos Iudas, & proieci, & proiecit illos in domum Domini in templo ad ſtatuarium, ad emptionem agri figuli, & ſic erexerunt Iudæi Chriſti innocentiæ perpetuum, & æternum fornicem triumphalem, qui illam ſempèr manifeſtet, & tamquàm vox illam indicet, interrogantes enim cur hic ager ad ſepulturam peregrinorum? ſempèr audient Iudam proditorem, iuſtum quē tradiderat confitentem, pecuniam reportaſſe, ex qua à Iudæis emptus is ager, quod erit argumentum Enoch, & Eliæ pro conuerſione ſuorum auditorum.

De geſtis in prætorio coràm Pilato.

A*DDVCVNT ergò* homines conciliijmet *Ieſum ad Pilatum*, vt morti tradatur, quia illis nō licebat interficere quemquam

quam

Digitized by Google

quam, iudicia enim ſanguinis reſeruata erãt Præſidi Romano, & quia cum viderent geſta per eos, quibus illum reum mortis pronunciauerunt non conſiſtere, in Pilatum hominem culpam mortis reijcere volebant, & ſe facto eximere; proùt ſic gladio Ammonitarum Dauid procurauit occidi Vriam; tentauit Saul Dauidem occidi gladio Philiſtijm; Iezabel gladio Iezrahelitarum fecit occidi Naboth, ſe occultare volentes ab homicidio; Cum peruentum eſt ad Prætorium Pilati, introductus eſt Ieſus, *& ipſi* Iudæi *non introierunt in Prætorium, ne contaminarentur* ex ingreſſu in domum viri gentilis, ex quo contrahebant immunditiã, *ſed vt manducarent* mundi *Paſcha* agnum paſchalem, quia eſus illius eo die cadebat infrà tempus legitimum; ſi enìm de alijs cibis ageretur, Euangeliſta non feciſſet hanc mentionem? *exiuit ergò Pilatus ad eos foràs* intellecturus quid cauſæ eſſet contrà reum adductum, *& dixit: Quam accuſationem affertis aduersùs hominem hunc?* nàm non ſolent Romani cauſa indicta reos morti tradere. *Reſponderunt, & dixerunt ei,* volentes ex ſola auctoritate, & præſentia eorum reum condemnari, *ſi non eſſet hic malefactor,* & morte dignus (iuxtà legem noſtram intelligunt) quia ob aliam rem eis non licuiſſet capere, & alia facere, & quia Pilatus reſpondet, vt ſecundùm legem ipſi iudicent, *non tibi tradidiſſemus eum* nullam mentionem ſpecificam faciunt eorum proceſſus, & ſententiæ contrà Chriſtum latæ, quia cognoſcebant eam non ſubſiſtere, nequè à Pilato admittendam vti non rectè, nec ritè formatam, quia fortè non licebat eis pronunciare quemquam morte dignum. *Dixit ergò eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram* Moſaicam *iudicate eum*, ego enìm abſquè cauſa nota non me ingeram; ſic Gallio. Act. 18. 15. ſi verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis, Iudex ego horum eſſe nolo. *Dixerunt ergò ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam,* non habemus facultatem ferendi ſententias ſanguinis; clarum eſt ergò eis ablatam poteſtatem, vt fit communitèr cum victis, quod & declarat licentia Præſidis; *accipite eum vos, &c.* Ioan. 19. 6. hæc enìm innuit priuationem. In Stephano fuit tumultus popularis. In adultera poſtquàm damnaſſent, adijſſent Præſidem, & cum Chriſto de illa tantùm damnanda egerunt. *Vt ſermo Ieſu impleretur,* & ſic ſermo Ieſus impletus, *ſignificans qua morte eſſet moriturus,* nempè tradendus gentibus ad crucifigendum. Matth. 20. Videntes Iudæi Pilatum detrectare iudicium, & cauſa indicta nolle ſe ingerere, *cæperunt,* ex Luca, *illum accuſare: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & probibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.* Hæc tria tendunt ad crimen læſæ maieſtatis, circumueniuntquè Ieſum, & Iudicem; etenim Principes ſolent in his nullis terminis ſeruatis procedere, & omnia ſubuertere ratione ſtatus, religionem contemnere; ſic Ieroboam, & alij, de quibus alibì. Primum enìm ſignificat tumultus excitantem. Secundum tangit quod Principibus neceſſariũ recipere tributa, quod tanti fit. Tertiũ expreſsè tendit in crimen læſæ maieſtatis, ſed omnia falſa. Primum, quia nedum ſubuertebat, ſed docebat, ſanabat omnes, fouebat omnes, paſcebatquè. Secundum, quìa reſpondit dolo petentibus: reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo. Tertium, quia vt ipſe ſe explicat, regnum ſuum non erat de hoc mundo, imò fugit dum ad regnum à turbis ab eo ſatiatis quæreretur. Reticent quòd faceret ſe Filium Dei, fortè ne res differretur, quaſi grauior, vel Pilatus in aliquam ſuſpicionem adduceretur, & cauſam ad Cæſarem, vel Senatum deferret. *Introiuit ergò iterum in Prætorium Pilatus,* vbì Ieſus erat vinctus, *& vocauit Ieſum* ad ſe, *& dixit ei,* reſidens in maiori obiectione affectati regni: *tu es Rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis,* eſt ne tua hæc obiectio, *an alij* Iudæi *dixerunt tibi de me?* quaſi, vanè hoc quæris, videns ſtatum meum humilem ſi ex te: ſi ex alijs, calumniam noſce. *Reſpondit Pilatus: Numquid ego Iudæus ſum,* qui hoc comminiſcar? quaſi, id à me non inuenio, nequè ex officio cauſam tuam cognoſco; *Gens tua* Hebræa, *& Pontifices* tui Hebræi *tradiderunt te mihi* morte afficiendum, *quid feciſti?* de quo delicto argueris? *Reſpondit Ieſus* videns Pilatum nolle

le

le ex facti euidentia perſuaderi. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, in cælo eſt regnum meum, & probè noſſe potes; nàm *ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum*, *miniſtri mei* regio more, exercituſquè meus me circumuallantes *vtiquè decertarent*, & decertaſſent, *vt non traderer Iudæis*, proùt me traditum cognoſcis, nunc autèm quia nullo miniſtro, vel exercitu ſtipor, ſolus ſum humilis, nullus pro me aſſiſtit, ſcito *regnum meum* non eſſe *hinc*; hoc ſolum tibi perſuadeat quod dico. *Dixit ei Pilatus, ergò Rex es tu?* infert hoc ex Chriſti reſponſione, & quaſi cum admiratione. *Reſpondit Ieſus: Tu dicis quia Rex ſum ego*; ſed quia poterat dicere Pilatus, ſi Rex es, & non huius mundi, ad quid te hùc conferre inermem, humilem, nullo regali honore inſignem? Ideò Ieſus huic tacitæ obiectioni ſatisfacit; *ego* Deus ęternus *in hoc natus ſum*, carnem ſumpſi, homo ſum, *& ad hoc veni in mundum* è cælo à Patre miſſus; *vt teſtimonium perhibeam veritati*, vt hominibus occultam veritatem manifeſtem, quam nullus prætèr me enarrare poteſt. Ioan. 1. & à qua omnes aberrarunt, quam diabolus pater mendacij infecit, ſibi arrogans adorationem; vel *veritati*, ideſt Deo, qui eſt veritas prima; vndè in oratione. Ioan. 17. manifeſtaui nomen tuum hominibus, &c. ſic & Ioannes teſtimonium perhibuit veritati pro Meſſia Chriſto. Ioan. 5. 33. Vel *veritati*, fidelitati Dei, qui obſeruauit promiſſa Abrahæ, & alijs; manifeſtaui enìm me Meſſiam ſignis, & doctrina, iunge hæc, & dices teſtimonium dedi hanc eſſe vitam ęternam, vt cognoſcant te Patrem ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum; ad idem officium miſſus ſpiritus veritatis teſtimonium perhibendi. Ioan. 15. & 16. vndè 1. Ioan. 1. tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, *omnis, qui eſt ex veritate*, ex Deo, qui veritatem ſcire optat, *audit vocem meam* nedum auribus, ſed facto, operans iuxtà id, quod à me audit. Vel iuxtà præmiſſa; *omnis*, qui eſt ex veritate, ex parte promiſſionis, ex Iſrael fideli, *audit vocem meam*, me cognoſcit, in me credit, huic ego veritati prædicandæ incubui, & incumbo, hinc ex officio meo collige, quæ mihi obijciuntur eſſe falſa. *Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?* hanc enim homines ignorabant; & impatiens moræ, animalis homo non percipiens quæ Dei ſunt, non expectato reſponſo Chriſti; ſic & Felix audito Paulo de reſurrectione diſſerente: audiam te iterum; *& cum hoc dixiſſet* cupidus liberare Chriſtum *iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam* mortis, quamuis de multis interrogauerim. *At illi* Principes Sacerdotum, & turbæ, quas ſecum traxerant, ſecundùm Lucam, *inualeſcebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſquè hùc*; ſed, quæſo, quomodò commouetur populus docendo illum? & tu præſes hæc ignoras? videſne commotionem vllam reipublicę noxiam? Cur ſe reſtringunt ad hanc commotionem? quia audierant per aliquos intromiſſos Chriſtum ſe expurgaſſe à calumnia affectati regni, probare non poterant prohibitionem tributi, audierant ſe dicentem teſtimonium perhibere veritati, hoc prædicando faciebat; ideò habentes hoc ex ore eius colorem, ſeù apparentiam præſeferens ſiſtũt in hac accuſatione duobus omiſſis, & tùnc ſecundùm aliquos euenit quod dicunt Matthæus, & Marcus, vt Chriſtus nihil reſponderet etiàm Pilato excitante, ità vt miraretur. At non poſſumus dicere Chriſtum non reſpondiſſe his, quæ expreſſit Lucas, quia iuxtà Ioannem à Pilato interrogatus reſpondit; & Præſes dixit nullam inuenire cauſam, neceſſe eſt ergò, vt eſſent aliæ accuſationes, quibus Chriſtus non reſponderet vti friuolis, vel iàm ſublatis ex his, quæ Pilato dixerat, ſi is aduertiſſet. Vel hæc mulcta erant cum illis, quæ dixit S. Lucas, quibus iunctis non reſpondit Chriſtus, ſed Pilato illum ad ſe vocanti, & omnia ad regnum reducenti poſteà ſatisfecit, quod credo verius. *Pilatus autèm audiens Galilæam*, quæ ſub ſuo regimine non comprehendebatur, *interrogauit ſi homo Galilæus eſſet*, *& vt cognouit* ex ore ſuo Galilæum eſſe incolatu, & educatione, *remiſit eum ad Herodem* Tetrarcham Galilæę, *qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus* feſti Iudæis nõ contradicentibus, quia iàm ſubodorauerant mentẽ Pilati pro Ieſu, & Herodes ex ſuis erat.

De

Digitized by Google

De geſtis in domo Herodis.

HERODES *autèm viſo Ieſu gauiſus eſt valdè* ob curioſitatem, *erat enim cupiens ex multo tempore videre eum*, quem ſuſpicabatur aliquandò eſſe Ioannem Baptiſtam, quem ipſe occiderat, rediuiuum. Marc. 6. & voluit illum occidere. Luc. 13. *eo quòd audierat multa grandia de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri* vti curioſus, & incredulus. *Interrogabat autèm eum multis ſermonibus*, vt aliquid ab eo venaretur ad guſtum ſuum; *At ipſe* Ieſus *nihil illi reſpondebat*, quia nolebat in vanum verba effundere, & miracula facere, proùt noluit facere miraculum inſtante diabolo non credituro, & quia erat hora tenebrarum, & patiendi, non patrandi miracula. *Stabant autèm Principes Sacerdotum, & Scribæ conſtantèr accuſantes eum*, timentes illum eripi è manibus, & liberari; quia hic nulla mentio non ingreſſus Sacerdotum, & Scribarum in palatium Herodis, veriſimilitèr in illud ingreſſi ſunt, quia ipſe erat de facili pro ſelytus. *Spreuit autèm illum Herodes cum exercitu ſuo*, ſic mali bonos odientes (voluit Chriſtus & has iniurias) *& illuſit indutum veſte alba*, candida, quaſi regem, non enim aliud innuere volebant ex veſte, & eſt veriſimile Iudæos obieciſſe coràm Herode quæ coràm Pilato obijciebant, didicerunt à militibus, & alijs in nocte præcedenti ſimilia agentibus, *& remiſit* eum *ad Pilatum* cum ſuis veſtimentis; veſtis enim alba pro illuſione tantùm induta, & apparet Chriſtum ad Crucem ſuis, non alienis veſtimentis exutum, & ità decuit, ne alius putaretur, vel diceretur, & quia cum eſſent ſimultates intèr Herodem, & Pilatum, ſi Ieſus fuiſſet remiſſus in veſte alba, potuiſſet Pilatus malè affectus aliquid ſuſpicari, & in malam partem trahere, nàm res incertæ varias capiunt ſignificationes iuxtà mentes, vltrà quòd obſtitiſſent Iudæi, vt non mitteretur veſte alba indutus ne ex illa innocens appareret, & doceretur; Vndè placet opinio Caietani; *& facti ſunt amici in ipſa die* ob hanc cauſam remiſſionis cauſæ *Herodes, & Pilatus, nàm anteà inimici erant ad inuicèm.*

De geſtis in Prætorio pòſt reditum ab Herode.

PILATVS *autèm* (pòſt remiſſionem Chriſti factam ab Herode) *conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, & plebe dixit ad illos*, intendens liberare Ieſum: *obtuliſtis mihi hunc hominem* ad necem, *quaſi auertentem populum* (in hoc enim capite reſederant vltimò, vt dixi) *& eccè ego coràm vobis interrogans* (quaſi non poteſtis dubitare de vlla affectione, vel paſſione mea) ſed hinc vide etiàm iniquitatem Iudicij, ſtat enim in interrogationibus, non in indicijs, & probationibus; *nullam cauſàm mortis inueni in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis* (hic etiàm ſtat in accuſatione, numquàm de probationibus) ſed *neque Herodes* inuenit ſcilicèt cauſam mortis in eo ex his, quæ coràm illo deduxiſtis, *nàm remiſi vos ad illum* vobis conſentientibus *& eccè nihil dignum morte*, ſed tãtùm illuſionibus *actum eſt ei* (& etiàm illuſiones neque ritè, neque rectè ò Pilate) voluit Deus ad Pilatum remitti Ieſum, vt à gentibus iuxtà prophetias & ſua dicta crucifigeretur; *emendatum ergò illum*, correptum flagellis *dimittam* liberum à morte; hæc erat intentio Pilati liberare Chriſtum; nouerat enim quòd per inuidiam tradidiſſent eum; ſic Luc. 23. 21. *Pilatus locutus eſt ad eos volens dimittere Ieſum*; vndè Acto. 3. quem negaſtis antè faciem Pilati iudicante illo dimitti. *Per diem autèm ſolemnem* Paſchæ *conſueuerat Præſes populo dimittere* liberum *vnum vinctum, quem voluiſſent* in memoriam liberationis Aegyptiacæ ſeruitutis, ità vt vi conſuetudinis teneretur iuxtà Lucam dicentem: *neceſſe autèm habebat dimittere eis per diem feſtum vnum. Habebat autèm tùnc vinctum inſignem* latronem, *qui dicebatur Barabbas*, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium, *& cum aſcendiſſet turba*

ba ad Pilatum *cœpit rogare*, vt faceret, *ſicùt ſempèr faciebat illis*, dimitti ſcilicèt vnum vinctum. *Congregatis ergò illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enìm quòd per inuidiam tradidiſſent eũ*, ſcilicèt Ieſum. *Principes autèm Sacerdotum, & Seniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam* dimitti, *Ieſum verò perderent*. Cum ergò Pilatus audiſſet turbam petentem Barabbam dimitti, intentus ad liberationem Ieſu, *dicit: Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præſes: Quid enim fecit? Tùnc ergò apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit*, flagellare fecit, recurrit ad primum remedium, quod propoſuerat, putans hoc modo ſedare rabiem Iudæorum in Ieſum; ſic enim dixerat, *emendatum illum dimittam*; vndè hæc flagellatio non eſt quæ præcedere ſolebat crucifixionem, quia adhùc Pilatus non condeſcenderat, vt crucifigeretur, ſed ſeruiuit pro illa, poſtquàm cruci figendus traditus eſt; rectus autèm flagellatus videtur, quia in ſummitate columnæ, ad quam flagellatus, eſt annulus ferreus, cui alligatus fuit. *Et milites plectentes*, verberantes, *coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & arundinem in dextera eius, & veſte purpurea* (quod ab Herode didicerant) *circumdederunt eum, & veniebant ad eum vniuerſa cohors congregata, & dicebant: Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas*, ſic illudentes tamquàm Regem ſe facienti, *& expuentes in eum* iuxtà Matthæum, *percutientes caput eius* ſic ſpinis coronatum, *arundine*, quibus percuſſionibus ſpinæ magis infigebantur, *& ponentes genua adorabant eum*, ex Marco, tamquàm Regem. His non credo interfuiſſe Virginem Sanctiſſimam, nàm quibus quæſo comitata? omnes enim aufugerant, timebant comparere & ipſi ad necem, vel tormenta quæſiti, fit de ea mentio ſub Cruce, & tùnc comite Ioanne; ſi hìc quoquè fuiſſet, Euangeliſtæ dixiſſent. *Exiuit ergò iterum Pilatus foràs ad Iudæos, & dicit eis: eccè adduco vobis eum foràs* emendatum grauiſſimèquè correptum, *vt cognoſcatis, quia nullam in eo inuenio cauſam* mortis, ſed tantùm quod cenſui ſatis pro correptione me feciſſe; *exiuit ergò Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum*, & flagellis iàm cæſus, vt facto cognoſcerent in eum acritèr actum, & irriſum, hoc fecit Pilatus nedum vt oſtenderet quid feciſſet, ſed vt ad compaſſionem dura corda traduceret, & ceſſarent à calumnia, & illum liberaret, *& dicit eis* volens eos commouere, & ad miſericordiam flectere: *Eccè homo*. videte quomodò malè affectus, iàm vlterius eius ſanguinem ſitire deſiſtite, ad pietatem moueamini, quid in hoc homine humili, abiecto de regno quæritis? quid de commotione populi? vana hæc, recedite tandèm ab his, ſufficit correctio hæc acris. *Cum ergò vidiſſent eum Pontifices, & Miniſtri clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum*, non ceſſat, non quieſcit odium, non inuidia, mortalia hæc ſitiunt mortem, non flectuntur corda dura, petroſa. *Dicit eis Pilatus* tendens ad liberationem: *Accipite eum vos, & crucifigite*, ſi poteſtis; *ego enim non inuenio in eo cauſam* id faciendi. *Reſponderunt ei Iudæi* deſtituti omnibus obiectionibus, & accuſationibus, quibus iàm nimium contrà omnem iuſtitiam ſatisfactum erat ex ſententia Præſidis, & primum, quod nũquàm obijcere clarè voluerant, ſupèr quo iàm ipſi pronunciauerant, ſilentio tamèn ſententiam inuoluẽtes, opponunt. *Nos legem habemus* Moſaicam, *& ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*; blaſphemauit. Leuit. 24. qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo; & nos teſtes ſumus, quia coràm nobis, & toto concilio dixit ſe talem. *Cum ergò audiſſet Pilatus hunc ſermonem magis timuit*, audiens agi de Filio Dei, cauſa intèr graues grauiſſima, quam tamèn poterat ad Senatum referre, vel Cæſarem, & ſe explicare ab eorum tricis; fouebatur hæc obiectio, quia iàm Chriſtus dixerat ſe Regem, ſed non mundi huius, quia Chriſtus, ideſt vnctus vocabatur, & in hac maiori difficultate, qua magis ad abſolutionẽ, & liberationem inclinare debuerat, cadit in fine. *Et* hoc audito *ingreſſus eſt prætorium iterum* cum Chriſto volens rem hanc introſpicere diligentèr, *& dixit ad Ieſum. Vndè es tu?* interrogauit fortè prout Nautæ Ionam: quod eſt

opus

opus tuum? quæ terra tua? quò vadis, vel ex quo populo es tu. Ionæ 1.8. *Ieſus autèm reſponſum non dedit ei*, quia vanè egiſſet cum Ethnico docere ſe Deum. *Dixit ergò ei Pilatus: Mihi* ad liberationem tuam omnia facienti *non loqueris*? mihi Iudici non das reſponſum? *neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te*, prout petor ab his, *& poteſtatem habeo dimittere te*? loquitur abſolutè, præſertim quia guſtauerat cauſam. *Reſpondit Ieſus: Nō haberes poteſtatem aduersū me vllam, niſi tibi datum eſſet deſupèr*, à Deo, tùm quia omnis poteſtas à Deo, tùm quia hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum à Deo permiſſa; *propterea qui me tradidit tibi* calumnioſè, inuidia, odio motus, Iudæi hi, *maius peccatum habet*, quia in maiori eſt malitia quàm tu, qui me liberare niteris, & ipſe te impellit ad iniuſtè ſæuiendum in me, quod non feciſſes ſi tibi traditus non eſſem, & nunc non irritareris, ſiquidèm à Iudicio in me ferendo abſtinuiſſes; Vel quia tu metu, illi odio, inuidia mouentur, *& exindè* tanto magìs *quærebat Pilatus dimittere eum*, timens ne Filius Dei eſſet, & ne ſibi obijceretur cur cauſam ad Cæſarem non retuliſſet, & quia is innocens, in quo nulla cauſa mortis inueniebatur, ità vt vltimum obiectum quòd eſſet Filius Dei, propenſiorem eum reddiderit ad liberationem. *Iudæi autèm clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, grandis malitia, vt timorem inijciant, quærunt Iudicem ad reatum trahere, *omnis enim, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari* regni noſtri poſſeſſori, & legitimo Domino: *Pilatus autèm* timore correptus, & ob intereſſe amiſſionis præfecturæ cadens, *cum audiſſet hos ſermones*, quibus & ipſe in reatū traducebatur præualente in eo omnibus alijs cauſis præmiſſis hoc timore, *adduxit forás Ieſum, & ſedit pro tribunali* (quod anteà non fecerat) *in loco, qui dicitur Lithòſtrotos, Hebraicè autèm Gabbatha. Erat autèm Paraſceue Paſchæ*, apud nos dies Veneris, *hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis: Eccè Rex veſter*, illuſoriè, quaſi, contrà hunc quaſi Regem adeò inſurgitis, quòd non deberetis. Vel nuncupando hunc Regem veſtrum, & inſtando tanquàm talem occidi, vobis ipſis detrahitis, videte qualis Rex is, volebat ex hoc eos ad miſericordiam mouere. *Illi autèm clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum*, non ſaturi, niſi moriatur. *Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam?* ob hoc tātùm quia Rex veſter eſt, id faciam? quaſi, non licet mihi hoc facere. Vel ſic inſultatis Regi veſtro, vt velitis eum morti tradere? ſempèr intendens illa corda dura molleſcere. *Reſponderunt Pontifices*, rem ludicram ad ſeriam deducentes odio pleni: *non habemus Regem, niſi Cæſarem*; ideò ne nobis obijcias alium Regem antè oculos, & hoc etiàm feriebat Pilatum. Interim *ſedente illo pro tribunali* iuxtà Matthæum, cuius dicta hìc cenſui inſerenda, quia nullibi habemus eum ſediſſe niſi nùnc pro tribunali, *miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi*, ne te immiſceas in iuſto, caue quid agas, noli in eius damnatione te ingerere, *multa enim paſſa ſum hodiè per viſum proptèr eum*, non in ſomnis igitur, ſi paſſa eſt, ſi in die, etſi *per viſum*, clara enim ſunt verba, & quomodò per ſomnium, ſi hæc à mane vſquè ad horam ſextam contigerunt? & malus dæmon, qui illi apparuit ex his, quæ agebantur, informatus, non prius hoc tentauit, ſed ſi græcè importat ſomnium, hæc nutabunt, & paſſio illa erit terror, prout Iob: terrebis me per ſomnia, & hodiè pro nocte, vel antequàm è lecto ſurgeret. Sed an verè bonus, vel malus Angelus is fuerit? ſecundùm aliquos edocta fuit hæc mulier à bono ſpiritu, audito tumultu in Chriſto tradendo, ſed meliùs à malo ſpiritu timente ex maioribus indicijs, quæ cumulauerat, hunc eſſe Meſſiam, & eijci è mundo, vt quid enim bonus ſe ingeſſiſſet in Chriſti paſſione impedienda, vel retardanda, cum ſint perpetui ſequaces voluntatis Dei? non legitur in ea ſe ingeſſiſſe niſi ille, qui Chriſtum in horto confortauit, vltrà quòd quomodò bonus ad mulierem infidelem, & in die, & quomodò ad Pilatum virum ſuum improbum, & infidelem? nonnè ſatis fecit Deus, ſi voluiſſet rectum cognoſcere, & iudicare, & non timore corripi? & quia mulier dicit, *paſſa ſum*, ſi enim bonus, eam ſubleuaſſet, vt ſolent in fine Angeli boni. Nec obſtat, voluit hoc teſtimonium innocentiæ à muliere dicente: *nihil tibi, & iuſto illi*, nàm habuit certe teſtimo-

ſtimonium, at non mediante Angelo bono, ſed malo, Deo id non intendente, ſed permittente id tenebris, à quibus Chriſtus nunquàm voluit teſtimonium, & idem dicas de teſtimonio Iudæ reportantis pecuniam acti à malo dæmone timente, proùt hic, quemadmodùm enim tùnc ille, ſic nunc idem in muliere hoc operatus eſt. Non dicas, ignorabat dæmon dùm intrauit in Iudam pòſt buccellam Chriſtum Redemptorem, quomodò nunc cognouit? non cognouit, ſed ſuſpicatus eſt, & cauſas ſuſpicionis varias habuit, ex patientia, dictis, confeſſione per eum facta coràm Caipha, & concilio; ideò & Iudam, & hanc mulierem commouit, ſcit enim quantùm poſſit mulier cum viro expertus in Eua cum Adamo, vndè petijt maiorem arcem, nec potuit tùnc Iudæos remouere intereſſe habentes, nimìs infixos in odio, & inuidia illius, nimìs ab eo edoctos, vt non eſſet locus reuocationi, & retrogreſſioni illorum. Hinc ſomnium erit quòd ad conuerſionem mulieris fuerit facta hæc terriculatio; nàm conſtat de facto, non conſtat de alijs, in quibus diuinamus, & conuerſio illius non erat huius temporis, neque mediante Angelo malo, & diceretur ab Euangeliſtis, proùt de latrone, Centurione, & alijs, & ſi illa conuerſa eſſet, adijſſet virum ad tribunal, & maiora feciſſet, quàm mittendo tantùm, neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia: At *Pilatus* nuncio vxoris ſpreto, *videns quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret* ex vocibus, petitionibus, & reiectione delicti in eum, more Iudicum fatuorum, qui ad ſedandos populos non verentur innocentes ſuſpendere, vel torquere, quo nil iniuſtius, *accepta aqua* ex more Hebræorum, ad denotandum ſe in hac re peccare nolle, nullamquè velle habere ingeſtionem, vel labem contrahere, proteſtatio in vanitate conſiſtens, inſipida, contraria facto proprio ſequenti, *lauit manus coram populo, dicens. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*, iterum proteſtatio verboſa, contraria facto, ex qua non declarat directò Ieſu innocentiam; ex lotione enim manuum non infertur ad Chriſti innocentiam, ſed ad ſui expurgationem, & munditiam nolentis contaminari ex iudicio, & ſententia contrà Ieſum proferenda, iniuſta, iniqua, nulla; ſed tantùm in conſequentiam, quia facit hæc ob innocentiam Chriſti, *vos videritis*, vos huius rationem dabitis, vos tenebimini, nolo ego teneri, & de facto fatuè ſe obligat, & in laqueos ſe conijcit; ſic Gallio. Act. 18. 15. vos videritis, licèt alio ſenſu; ſic Iudæi ad Iudam: tu videris, hoc ſenſu. *Et reſpondens vniuerſus populus dixit: Sanguis eius*, iuſti huius, *ſupèr nos, & ſupèr filios noſtros*, nos omnem iniuſtitiam ſupèr nos, & ſupèr filios noſtros aſſumimus, & ſic adhùc ſanguis ille iuſtus agit in illos. *Tunc tradidit eis illum*, volens populo ſatisfacere more fatui Iudicis, & iniqui, iàm anteà flagellatum, *vt crucifigeretur*, Barabba dimiſſo, in cuius dimiſſione cum nihil operatus ſit Ieſus, niſi patiendo fieri quod factum eſt, nimìs dilataremus ſententiam illam quòd ſanando, vel ſaluando corpora, ſanabat, vel ſaluabat animas, quam ego extendi ad adulteram coràm eo adductam, ſi vellemus hunc liberum in corpore, etiàm liberum fuiſſe in anima, eſt enim diuinare, illa enim procedit in miraculis, hìc autèm miraculum nullum, imò nec vllum externum factum Chriſti, vel dictum; antequàm autèm ducerent eum ad ſupplicium, *milites exuerunt illum purpura*, qua iàm illi illudentes eum induerant, *& induerunt eum veſtimentis ſuis*; id actum, ne alius ab eo mortuus diceretur, & eius paſſio calumniæ ſubiaceret cum reſurrectione. At infelix Iudex timore Domini deſtitutus, & ideò ſic flexus ad malùm, ad condemnandum innocentem; illud mirandum neque verbis, quæ milites demulcerunt, neque vultu diuino venuſto, maieſtate pleno, quem deſiderauerat videre vniuerſa terra captum, niſi fortè ſputis nocturnis conſpurcatus, & colaphis, & alapis tumefactus. Infelix, dum cum Ieſu colloquebatur ad dimiſſionem propendebat, dum cũ Iudæis infatuabatur, recedebat, & tandèm vicit timor, ex his nutat epiſtola aſſerta Pilati ad Tiberium ex Egeſippo; ſe ipſum enim prodidiſſet, vltrà aliâ, quæ patitur.

Duci-

Ducitur ad montem Caluariæ.

SVſceperunt autèm Ieſum Milites, & Iudæi, quibus traditus fuerat crucifigendus, *& eduxerunt* extrà prætorium, *& baiulans ſibi crucem*, vt magis pateretur, quaſi alter Iſaac ligna portans, inuitans omnes ſuo exemplo ad crucem propriam pòſt ſe portandam, vt digni eo ſint, & intrà Ciuitatem *inuenerunt Simonem quendam Cyreneum venientem de villa*, dixi intrà Ciuitatem, tùm quia dicitur *venientem de Villa*, tùm quia pòſt illum ſequebantur mulieres, quæ veriſimilitèr intrà, non extrà Ciuitatem, præſertìm cum præparandum eſſet pro Paſchate, & quia ſi non horrent ductum ad mortem, horrent certè videre ſupplicio affectos, & quia de ſequela turbæ, & mulierum legitur continuatè pòſt egreſſum à prætorio, *hunc* Simonem *angariauerunt*, coegerunt inuitum Iudæi, *vt tolleret* ſuprà ſe *Crucem eius* Ieſu *pòſt Ieſum*, hoc fecerunt, vel quia Ieſus nimis afflictus per totam noctem, & diem deficiebat, vel vt citiùs perueniret ad locum, & crucifigeretur. *Sequebatur autèm illum* Ieſum *multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum* pietate motæ. *Conuerſus autèm ad illas Ieſus, dixit:* noluit eas ſinè aliquo munere verborum præterire gratus Dominus earum lacrymis. *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſupèr me*, quia ego per hanc Crucem ad gloriam pergo citò excitandus, *ſed ſupèr vos ipſas flete, & ſupèr filios veſtros*, vti ego nudius tertius feci ſupèr hanc veſtram Ciuitatem miſericordia motus, *Quoniàm eccè* citò *venient dies*, tempus, *in quibus* mulieres tùnc extantes, *dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt*, (& ſic omnes comprehendit) ob magnum excidium huic ciuitati imminens ex nece mea; *tùnc incipient dicere montibus, cadite ſupèr nos, & collibus, operite nos*, nolentes videre tot mala, & potiùs non eſſe; ſimilis phraſis. Apoc. 6. Hæc prædixerat Moyſes. Deut. 28. 53. & omnia, quia ſic merebuntur; *quia ſi* viri veſtri *in ligno viridi*, in me fructificante plantato ſecùs decurſus aquarum, tot bona opera in eis exercente, Meſſia ad eos miſſo pro ſalute eorum, *hæc* mala *faciunt*, congerunt contrà omnes leges, omnemquè iuſtitiam, *in arido*, in eis nullum fructum producentibus, non pœnitentiam acturis, in eorum vitijs perſeueraturis, & ſic igni aptis, *quid fiet?* inexplicabile hoc, indicibile, ſic aliàs lugens Dominus prædixit ſupèr Ieruſalem, dicens: quia ſi cognouiſſes & tu, &c. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur*, vt hac ignominia notaretur per totam Ciuitatem, & in loco ſupplicij, & facilè fuit hoc à Pilato obtentum, qui iàm ſatisfecerat eis in Chriſto tradendo, vt crucifigeretur, *& impleta eſt Scriptura, quæ dicit: & cum iniquis reputatus eſt:* Dum ſic comitatus iret, acceſſit Veronica, commodauit pietate mota linteum ad faciem extergendam, cui ille impreſſit faciem ſuam Romæ aſſeruatam. Tandèm *venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Caluariæ locus.*

De geſtis in monte Caluariæ.

PEruento ad montem Caluariæ, vt nulla humanitate foueretur *dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum*, iuxtà Matthæum; *mirrhatum vinum, amarum* iuxtà Marcum, *& eum guſtaſſet noluit bibere*; ſic verificatur: dederunt in eſcam meam fel. Pſal. 68. & excluditur ex Matthæo vinum mirrhatum fuiſſe optimum, & generoſum; & quamuis fuiſſet conſuetudo (cuius fides ſit apud auctores) dandi vinum optimum damnatis, in ea non eſt inſiſtendum, tùm ex Pſal. tùm ex verbis Euangeliſtarum, tùm quia Iudæi crudeles, improbi, odio pleni, ab ea recedentes Chriſto propinaſſent felleum, & amarum, proùt factum eſt; noluit autèm guſtare vt ſitim pateretur, quam expreſſit in Cruce, dicens: *ſitio*, vt in Cruce etiàm ſiti vrgeretur, ibì omnia vniret in ſe mala, & amaritudines; valdè enim ſitibundi, proùt ipſe ex his, quæ paſſus erat nul-

lum reſpuunt liquorem, dummodò madefiant, vt obſeruare licet in ægrotis ſitibundis. Deindè nudauerunt eum veſtimentis ſuis, non tamèn omninò nudum reliquerũt, poſteà, *erat autèm hora tertia, & crucifixerunt eum* in apportata Cruce, ſeù ligno tribus clauis manus, & pedes fodientes: foderunt manus meas, & pedes meos, & corpus illud adeò immanitèr traxerunt, vt dinumerauerint omnia illius oſſa. *Scripſit autèm & titulum Pilatus, & poſuit ſupèr Crucem*; ſic Ioannes, Matthæus: *impoſuerunt ſupèr caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Erat autèm ſcriptum. Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, vt appareret in omnibus de eius innocentia pro roſtris; & quomodò ſinè cauſa crucifixus eſſet, etſi enim iuxtà mentem ſcribentis, & imponentis titulum intellectum fuerit, quòd faceret ſe Regem Iudæorum, proùt Iudæi petentes mutari titulum aſſerebant, non enim negauit Pilatus id non intellexiſſe, ſed non expreſſiſſe, aliud tamèn Spiritus ſanctus intendebat, nempè hunc Saluatorem mundi, Meſſiam Iudæis miſſum, Deum etiàm ex eo titulo declarari. *Hunc ergò titulum multi Iudæorum legerunt, quia propè Ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus*, & eis licuit abſquè læſione feſtiuitatis illùc adire, *& erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè*, ex maxima Dei prouidentia vt ab omnibus populis, qui illùc occaſione feſti aduenerant, legi, & intelligi poſſet. *Dicebant ergò Pilato*, qui adierunt *Pontifices Iudæorum* odio adhùc æſtuantes, nec ſaturi. *Noli ſcribere Rex Iudæorum*, muta hanc inſcriptionem, *ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum*, & quomodò hoc nùnc Pontifices? nonnè ſempèr dixit vobis Regem veſtrum eſſe? *eccè Rex veſter, regem veſtrum crucifigam?* at antequàm Præſes *adiudicaret* fieri *petitionem* veſtram hæc non admodum curaſtis intenti ſanguini iuſti, quem ſitiebatis, dixiſtis tantùm *non habemus regem niſi Cæſarem*, potiùs ad vos eximendos à calumnijs, & fideles, ac gratos oſtendendos, & auram indicis captandam, quàm ad Chriſtum excludendum, nùnc his etiàm incumbitis illius ſanguinis non ſaturi, vultis ne nomen eius memoretur ampliùs, nùnc animaduertitis quò tendat? ſed ſerò ſapitis; ſtabit enim conſilium Dei, & meritò repellimini. *Reſpondit Pilatus* in hoc ſolo ſtabilis; *quod ſcripſi, ſcripſi*, non muto titulum, æſtimauit Pilatus titulo ſolo ſibi proſpicere, appoſuit *Nazarenus*, ne ſibi obijceretur aliquid de diuinitate, quæ illum torſerat, & puniretur, cur cauſam non remiſiſſet, vel Dei Filium condemnaſſet more Ethnicorum. Secundò, appoſuit *Rex Iudæorum*, quia Chriſtus ſe Regem dixerat, etſi non Iudæorum, & fortè voluit apparere liberè ſe dixiſſe, non aſſertiuè, quia magìs ipſe defendebat ſententiam ſuam, licèt in mente aliud ſentiret. Sed Spiritus ſanctus ex facto iniquo ad veritatem peruenit. *Ieſus* erat Saluator. *Nazarenus*, quia Nazareus vocabitur, vt conſtaret de identitate morientis: *Rex Iudæorum*; ſic ab Angelo vocatus: Dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum; ſic à Nathanaele dictus, & à pueris acclamatus, non tamèn mundanus, ſed cæleſtis, non temporalis, ſed ſpiritualis; *Regnum meum non eſt hinc; Tùnc crucifixi ſunt cum eo duo latrones*, vt & ipſe medius malefactor crederetur, imò caput latronum. *Tertia* ergò *hora*, iuxtà Marcum: propè ſextam iuxtà Matthæum, & Marcum, & Ioannem, qui dicit tempore ſententiæ latæ à Pilato fuiſſe *horam quaſi ſextam*, vndè non ſibi contrarij Euangeliſtæ; Crucifixus eſt Dominus, *& à ſexta hora vſquè ad horam nonàm tenebræ factæ ſunt ſupèr vniuerſam terram*, quam ſol illuminabat, ex interpoſitione Lunæ, & iuxtà illius capacitatem, ſeù partem, quam obſcurare poterat ex Dionyſio Areopagita, quod eſt conforme S. Lucæ, qui dicit *& obſcuratus eſt ſol*; ſi enim obſcuratus ille, neceſſariò tenebræ in omnem terram, quam illuminabat in die, & tempore illo, vndè vel parùm antè, vel in actu crucifixionis, vel parùm pòſt tenebræ factæ ſunt, ſi coniungas verba Ioannis, dum dicit de ſententia Pilati, à qua ad crucifixionem parùm intereeſſit, *hora autèm erat quaſi ſexta*. cap. 19. 14. Marc. 15. 25. *erat autèm hora tertia, & crucifixerunt eum*. Matth. 27. 45. *à ſexta autèm hora tenebræ factæ ſunt ſupèr vniuerſam terram vſquè ad horam nonam*. Marc.

15. &

15. *& facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram uſquè ad horam nonam*. Luc. 23. *erat autèm hora ferè ſexta, & tenebræ factæ ſunt in uniuerſam terram uſquè ad horam nonam*. Nulla igitur diſcordia eſt circà horam intèr Euangeliſtas, nàm affirmant, & conueniunt clarè, Matthæus, & Marcus de hora ſexta, Lucas quod certò neſcit ſub dubio ponit ſub verbo, *ferè*, ſeù *quaſi*, vel illud verbum affirmat hoc loco, vt alibì ſæpiùs; ſic non diſcordat Ioannes in hora crucifixionis, dum dicit de ſententia; parum enìm diſtantiæ temporis fuit à ſententia ad crucifixionem, vt ibì proſequitur, & loquitur ſub dubio more ſuo in his, quæ non ſunt de ſubſtantia, vt cap. 1. 39. hora erat quaſi decima; & cap. 26. metretas binas, vel ternas, & alibì ſæpè, vt aliàs obſeruaui; nec contradicit Marcus cap. 15. 25. dicens: *erat autèm hora tertia*, nàm intelligit vel tranſacta, vel ad finem properans intrante ſexta, qua tenebræ factæ ſunt, vt ſubſequitur verſ. 33. & ſatis eſt ipſum affirmare, Ioannem non, vt tollatur intèr eos diſſenſio; ità vt à principio ferè vſquè ad finem tenebræ permanſerint, quia tamèn multa geſta in monte Caluariæ, credendum non fuiſſe tales, vt commercium impedirent, proùt Aegyptiacæ; vndè hæc, & alia ſigna habuerunt Hebræi in morte, quæ quærebant in vita, & non ſunt conuerſi, ſed magìs auerſi. *Milites ergò cum crucifixiſſent eum, acceperunt ueſtimenta eius* ex more, (*& fecerunt quattuor partes* veſtimentorum *unicuique militi partem*) qui erant quattuor, nec non acceperunt *tunicam, erat autèm tunica inconſutilis, deſupèr contexta per totum. Dixerunt ergò ad inuicèm: non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit*, non ergò hæc venit in partes, ſed cauſa fuit ſortium. Nec obſtant Matthæus, Marcus, Lucas, dicentes: *miſerunt ſortem* abſquè ſpecificatione veſtimentorum, quia credẽdum Ioanni ſpecificanti, & diſtinguenti ſicùt teſti diſtinguenti magis credimus, & iuxtà Ioannem illi non declarantes intelligendi, & congruit quod dicit Matthæus, quod & Ioannes, *diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea, & ſupèr ueſtem meam* tunicam ſolam *miſerunt ſortes; & ſedentes ſeruabant eum*, ne, antequàm moreretur, deponeretur; In Cruce pendens, (etſi grauiſſimis doloribus actus, ità vt Propheta in eius perſona dixerit: ò vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicùt dolor meus.) aurea cœpit proferre verba officio Meſsiæ in eafungens, doctoris, ſacerdotis: *Pater, dimitte illis; non enìm ſciunt quid faciunt*, & verè ignorabant milites, ignorabant turbæ, & Principes; vndè Petrus. Act. 3. ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicùt & Principes veſtri; & Paulus. Act. 13. 27. qui enim habitabant Ieruſalem, & Principes eius hunc ignorantes, &c. & ſuprà Ioan. 16. 3. Ieſus: & hæc omnia facient vobis, quia non nouerũt Patrem, nequè me, & Ioan. 15. 21. neſciunt eum, qui miſit me; vndè Petrus, & Paulus ex hoc fonte hauſerunt; & ſi cognouiſſent, numquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. & ideò Paulus non poteſt ibi intelligi de dæmonibus, quibus remiſſio nõ aptatur, pro qua Chriſtus rogat illius incapacibus. Exaudita fuit oratio, proùt paſsio operata pro his, qui ſe illa dignos reddiderunt. *Prætereuntes autèm blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalua temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de Cruce*; hæc Matthæus, his ſimilia Marcus, & Lucas. hæc prædicuntur Sap. 2. Pſalm. 21. at quomodò frumentum multiplicaſſet? & poſtquàm de templo hæc dicunt hoc tempore veriſimilis opinio vnam tantùm fuiſſe eiectionem, vt tenui, quia hæc de templo referuntur à Ioanne tantum; ſi enim in primo Paſchate hæc uerba prolata, nõ eſſet memoria adeò recens. *Dixit enim, quia Filius Dei ſum:* ſtant principes Sacerdotum in eorum obiectione, calumnioſa, qua illum in concilio condemnarunt. *Vnus autèm de his, qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens: ſi tu es Chriſtus ſaluum fac temetipſum, & nos*; non mouebatur ex fide, quia conditionalitèr loquitur *ſi tu es*, ſed quaſi improperabat etiàm in tormẽtis poſitus. *Reſpondens autèm alter* Spiritu ſancto plenus *increpabat eum, dicens: nequè tu times Deum*; hinc malitia primi, *quòd in eadem dammnatione es*, qua is, quaſi, ex hoc ad miſericordiam moueri deberes; *&*

nos quidèm iuſtè damnati; *nàm digna factis* noſtris malis *recipimus; hic verò nihil mali geſſit;* etiàm Latro publicat innocentiam, quam à Iuda, Pilato, eius uxore, Centurione uoluit enunciari, *& dicebat ad Ieſum: Domine*, uocat Dominum, quem uidet in Cruce pendentem, & morientem: *memento mei*, animæ meæ, *cum veneris in regnum tuum*, & nùnc vocat regem: *& dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodiè mecum eris* glorioſus *in paradiſo* omnium delitiarum, frueris beatitudine in limbo vnà cum ſanctis Patribus, & placet Auguſtini ſententia hunc bonum latronem numquàm improperaſſe, & Matthæum, & Marcum vſos plurali pro ſingulari, ſeù indiſtinctè, & Lucæ diſtinguenti ſtandum, & non eſt danda tanta mora & verba in doloribus Crucis exiſtenti, vt modò vnum, modò aliud dixerit. *Stabant autèm iuxtà Crucem Ieſu mater eius*, non clauis, ſed dolore confixa cum Filio, iuxtà Simeonem: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, proùt imberbes ad patibulum alligati ætate prohibente patibulũ, erat enìm ipſa impotens, quæ pro mundo pateretur, cum Deus in humana carne pati deberet, vt diuinæ iuſtitiæ ſatisfieret, non ſimplex homo, *& ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergò Ieſus Matrem, & diſcipulum* Ioannem *ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: mulier*, communi nomine eam nuncupat, *eccè filius tuus*, Ioannes, qui tui curam habebit, *deindè dicit diſcipulo*, Ioanni: *eccè mater tua*, curam illius habe; ideò recepit eam in ſua: hinc Ioſeph mortuus, & quia ſubditur executio, & *ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*, non recepturus, aut illa itura, ſi vir ſuperſtes; & hinc Ioannis excellentia recipientis matrem Chriſti in matrem ſuam. Ioanni dicenti Mariam matrem, & alias duas eam comitantes adſtitiſſe Cruci, non contrariatur Lucas, dicens: *ſtabãt autèm à longè*, quia vno tempore potuerunt ſtare à longè, proùt ille dicit, alio propè proùt Ioannes: non enim ſinguli Euangeliſtæ referunt idem, ſed diuerſum regulariter, at non contrarium. Sed cur nùnc matri prouidet de filio? quia non erat ampliùs mortalis venturus, ſed ad gloriam reſurrecturus; ideò more mortalium ſe geſſit dum mortalis erat, *circa horam nonam exclamauit Ieſus dicens: Eli, Eli, lamaſabacthani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* in his doloribus, anguſtijs, agonia? hæc denotant vehementiam, & acerbitatem dolorum; ſic & nos ſolemus in his verſantes dicere: Deus me dereliquit ob peccata mea, & ne putaremus diuinitatem ſibi adfuiſſe, & aliquam miſcuiſſe conſolationem; ideò ad diuinitatem hæc verba dirigit, & derelictionem hanc factam dicit ob peccata in pſal. 21. vndè ſubdit: at longè à ſalute mea à ſaluatione vitæ, ità vt moriar, fecerunt me verba delictorum meorum, totius orbis, quæ ſuprà dorſum meum aſſumpſi clamantia contrà me vindictam, vt ira Dei placetur, iuſtitiæquè ſatisfiat; clamant enìm peccata ad Dominum: ſanguis fratris tui clamat, &c. Gen. 4. clamor Sodomorum, &c. Quòd autèm de doloribus agat, legendus eſt Pſalm. 21. vbi omnia enumerat, quæ patitur tùnc in Cruce. At dum dicit ſe derelictum, petit ſimùl à Deo, vt in eum reſpiciat: reſpice in me, ſed & Reſurrectionem. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam; ſalua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam; promittitquè deindè per Apoſtolos ſuos nunciaturum nomen ſuum. Narrabo, &c. Annunciabunt cæli, ideſt Apoſtoli iuſtitiam eius populo, qui naſcetur, gentili ſcilicèt, quem fecit Dominus; vndè ni mirum ſi verſ. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentum, poſſit ad litteram de Apoſtolis intelligi, quia & in Pſal. 21. cæli pro Apoſtolis, & dicit ſe exauditum: nec auertit faciem ſuam à me, & cum clamarem ad eum exaudiuit me. Vt oſtenderet ſe verè pati, & etiàm hominem eſſe, decuit hæc proferre verba, ſicutì ſe Deum ex ſignis tùnc factis oſtendit. *Quidam autèm illìc ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte:* hi non fuerunt milites, quia milites ignorabant nomina prophetarum, & ſi milites, expreſſiſſent Euangeliſtæ, nec dixiſſent Matthæus, & Marcus *quidam*, ſed fuerunt Hebræi illudentes, qui proùt dixerant, *ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nùnc de Cruce*,

confidit

Digitized by Google

confidit in Deo, liberet, &c. ità ſubdunt ſimile: *ſine videamus an veniat. Elias liberans eum. Poſtea ſciens Ieſus quia omnia iam conſummata ſunt*, quæ Pater mandauit, quæ de eo prædicta ſunt, *vt conſummaretur Scriptura*. Pſal. 68. in ſiti mea potauerunt me aceto, ſitim verò expreſsit. Pſal. 21. aruit tamquàm teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, *dixit: ſitio. Vas ergò erat poſitum aceto plenum*, ex his verbis innuit Ioannes ſic ſolitum fieri; *illi autem* eum ſitire audientes, *ſpongiam plenam aceto hyſſopo* herba abſtergente, iuxtà illud: aſperges me hyſſopo, & mundabor, proùt & acetum, *circumponentes*, ornantes, circumdantes, *obtulerunt ori eius*; acetum enim habet ſuas partes frigiditatis, quibus refrigerat, & ſitim extinguit, hinc illo meſſores in æſtu vtuntur; ſitire dicit, & bibit nùnc, vt appareat homo doloribus confectus; & ſiti; nec dum recuſauit bibere, quandò peruenit ad montem vinum oblatum, ſecùs de illo ſuſpicaremur, & præſertim bibit cũ iàm ad conſummationem eſſet, vt ex ſequentibus habemus. *Cum ergò accepiſſet Ieſus acetum*, bibit enim, nàm Matthæus dicit: *dabat ei bibere*; ſi enim recuſaſſet, diceret proùt ſuprà, *& noluit bibere*, Marcus, *potum dabat ei*, Ioannes, *cum accepiſſet acetum*; prætereà non dixiſſet: *ſitio*, ſi bibendo non probaſſet ſe verè ſitire, nec pſalmo eſſet ſatisfactum: in ſiti mea potauerunt me aceto. *dixit: conſummatum eſt*. iàm ſpiritum dabo: omnia, quæ in Scripturis, quæ in paſſione, quæ in mandatis habui à patre de genere humano per Crucem redimendo, perfecta, conſummata ſunt; baptiſmo (dicebat) habeo baptizari, & quomodò coarctor donèc perficiatur? *Et clamans voce magna Ieſus* ex miraculo, vt oſtenderet ſe Deum in fine, & mortem viciſſe, non à morte victum: vbi eſt mors victoria tua? vbi mors eſt ſtimulus tuus in Chriſto, *ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, vt illũ pòſt tres dies reſurgens recipiam, hùc enim tendunt orationes, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem: non derelinques animam meam in inferno: erue à framea Deus animam meam, &c. non ſpreuit, nequè deſpexit deprecationem pauperis, & cum clamarem ad eum exaudiuit me, &c. Pſal. 21. *Et inclinato capite* ſic deficiens, non ampliùs volens illud ſuſtinere, *tradidit ſpiritum*, in quo illicò ad Patres, & animas in limbo exiſtentes perrexit, eaſquè beatificare dignatus eſt, & in quo, & his, qui in carcere erant ſpiritibus in inferno veniens prædicauit exprobrando, qui increduli fuerunt aliquandò, quandò expectabant Dei patientiam, quam longiorem exiſtimarunt in diebus Noe, cum fabricaretur arca, &c. 1. Per. 3. 19. vbi dixi, & ſic fuit Ieſus nedũ intèr mortuos liber in inferioribus ſtans, ſed etiàm dominator. *Et eccè velũ templi*, quod erat in Sãcta Sanctorũ, de nobiliori enim intelligendũ, & in quo myſteriũ *ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſquè deorſùm*, non ampliùs vniendum, aut aſsuendũ, in Sancta enim Sanctorum introibat ſemèl in anno Pontifex: Chriſtus autèm aſsiſtens Pontifex futurorum bonorùm per ampliùs, & perfectiùs tabernaculum non manufactum, ideſt non huius creationis, nequè per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemèl in ſancta æterna redemptione inuenta: hæc enim ſciſsio denotauit apertam portam cæli ſemèl per eum, nec ampliùs velo, vel loco illo vtendum, vel ingrediendum per ſacerdotem, quia iàm morte ſua ipſe conſummauerat omnes figuras, & ſacerdotium tranſtulerat, iuxta Paulum cap. 9. ad Hebr. & tot. epiſt. *Terra mota eſt*. crederem totam terram motam, ſicùt tenebræ vbiquè, cum ſol obſcuratus, *& petræ ſciſſæ ſunt* nedum in Iudæa, ſed in alijs Orbis partibus, *& monumenta aperta ſunt*, hæc per præoccupationem, nàm ſicuti non ſurrexerunt, niſi pòſt Reſurrectionem Domini primogeniti mortuorum, ſic nequè ſepulchra antè aperta; ad quid enim hæc? præſertim quia non vidiſſent veriſimilitèr corpora in eis condita Hebræi intenti neci Chriſti, feſto, & ſabbato, & diluculò in Dominica facta Reſurrectione, & ſi vidiſſent corpora, ſeù potiùs cineres, & oſſa ad quid ſeruiſſet? *Et multa corpora Sanctorum*, non dicit proximè mortuorum, quia Sanctis magis creditur, quàm illis, & quia Sancti ad immortalitatem antè iudicium vniuerſale euocandi, non homines alterius conditionis, *qui*

dormie-

Digitized by Google

dormierant, mortui erant, ***ſurrexerunt***, intellige pòſt Chriſti Reſurrectionem primogeniti ex mortuis, antè quem nullus ad immortalitatem; & ſe declarat S. Matthæus, ***& exeuntes de monumentis*** rediuiui ***pòſt Reſurrectionem eius*** Chriſti, ***venerunt in ſanctam Ciuitatem***, quia extrà Ciuitatem ſepulchra, ***& apparuerunt multis*** à Deo præordinatis. An autèm ad gloriã non ampliùs moritura, & hoc credo; quòd enim ſic reſurrexerint, eſt admodum veriſimile, tùm quia ceſsit ad maiorem Chriſti gloriam, tùm ad maiorem reſurrectionis eius manifeſtationem, & quandò hæc concurrunt, præſumimus interueniſſe quod maius, & excellentius eſt, cum de potentia nõ dubitemus, neque de conuenientia, quia præſupponimus Chriſtum primò reſurrexiſſe, cui id debebatur, cum eſſet primogenitus mortuorum. Apoc. 1. & qui morte ſua id acquiſierat & ſibi, & nobis, & deindè ſanctos illos excitaſſe, & quia hæc fuit arrha reſurrectionis totius generis humani, ideò multa corpora reſurrexerunt, non vnum, vel duo. Secundò, animæ illæ erant beatæ, Domino enim in Limbo apparente fuerunt gloria ſuperindutæ, anima autèm glorioſa gloriam corpori, quod informat, illicò communicat. Tertiò, Textus dicit (*ſurrexerunt*) & nihil aliud ſubdit, capiamus nos verba in potiori ſignificatu, vti debemus, ſcilicèt ad immortalitatem, & gloriam, nec quidquam addamus vltrà Euangeliſtam dicturum, ſi corpora depoſuiſſent, proùt in transfiguratione quandò Moyſes, & Elias euanuerunt, eo magìs quia loquitur de corporibus Sanctorum, quibus applicatur rectè reſurrectio primaria, & ad immortalitatem; oportet (dicit Paulus) corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Quartò, non eſt veriſimile multa corpora excitata, vt irerum deficerent. Quintò, corpora Enoch, & Eliæ excitabuntur pòſt tres dies ad gloriam, & cælũ petent. Apoc. 11. ſi tùnc id, cur non Domino reſurgente? Sextò, fuit hoc miraculum in Chriſto, vt gloria animæ in corpus non redundauerit, & gloria in corpus tranſfuſa in transfiguratione non permanſerit, quomodò id in alijs abſquè auctoritate?

Septimò, agebatur de reſurrectione primaria ad gloriam, & immortalitatem in Chriſto non ampliùs moriturо, & in eo vtitur eodem verbo ***reſurrexit***, idem dicendum de alijs animabus, & corporibus tùnc excitatis, de quibus agitur in eadem oratione, & facto eiſdem verbis, eo magis, quia conueniebat Chriſto capiti ad Patris ſedenti dexteram ſecum in cælis habere corpora configurata corpori claritatis ſuæ, nàm & Pater prædeſtinatos voluit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Rom. 8. Octauò probatur opinio hoc, quia textus dicit, ***multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt***, ex quibus reſurrectio probatur, dicenti iterùm mortua incumbit probatio, & interim non præſumitur hæc mutatio, ſed primus ſtatus, & quia ſubdit: ***& apparuerunt multis***, & ſic admiſſi ad actum ſolis immortalibus conceſſum, vt de Chriſto per dies quadraginta apparens eis. Act. 1. & quia non eſt veriſimile Chriſtum aſſumpſiſſe comites diſſimiles, ducebat enim ſecum captiuam captiuitatem in ſinu Abrahæ exiſtentem; iterùm non eſt veriſimile ſemèl hos comites cum corporibus aſſumptis glorioſis habuiſſe per dies quadraginta poſtmodũ ſinè eis, hæc enim mutatio nõ conueniebat Chriſto neminem priuanti priuilegio conceſſo, niſi ex culpa, quæ in animabus impeccabilibus conſiderari non poteſt, & nulli dubium magnum fuiſſe priuilegium ex deſiderio, quo tenentur Sancti corpora recipere glorioſa. Si dicis miraculo factum eſſe, vt animæ glorioſæ ad tempus tantùm gloriam corporibus cõmunicauerint, nempè, donèc reſurrectionem Domini annunciarent, & confirmarent. Reſpondeo hanc eſſe diuinationem, & additionem factam Euangeliſtæ, qui miraculi non meminit, cuius (ſi fuiſſet) mentionem feciſſet, & non debemus miracula præſumere abſquè neceſſitate. Secundò, daretur inconueniens, quia anima remanſiſſet beata, corpus ad tempus, & ſic diuerſitas in eodem ſubiecto. Tertiò, negamus corpora ſurrexiſſe ad manifeſtandam reſurrectionem ſolam, ſed dicimus ad Chriſti potentiam, maieſtatem, gloriam, & diuinitatem demonſtrandam, & ad anima-

animarum priuilegium, & ſortem; vndè ſi ceſſaret primum, ſecundum ſuberat, vt reſurrectio ſtaret: ſed eſto, ſurrexerunt ad manifeſtandam Reſurrectionem ſolam, id præſtiterunt, & vis Deum pòſt gloriam eius oſtenſam eos priuaſſe gloria donata? at non eſt liberalis noſtri Dei, & prodigi in homines, & qui neminem gratuitò ſibi ſeruire permittit, cuius dona ſinè pœnitentia. Quartò, monumenta aperta ſunt, & talia viſa, vt certa & euidens fieret eorum reſurrectio, iterùmne corpora illa ſancta ſepulchra propria repetierunt? at ſi in monumentis reperta fuiſſent, ſpectra fuiſſe comprobatum eſſet, quod detraxiſſet reſurrectioni Chriſti; ſi alia loca, quæ cum corpori beatificato ſolum proprium cælum eſſet, nec præſumendum ablatam hanc virtutem animabus beatis. Quintò, fuit id etiàm lætitiæ Angelorum, & hinc didicerunt fortè: conſeruus tuus ſum, Deum adora, videntes ad quam gloriam etiàm corpora eſſent aſſumpta. Non obſtant verba Pauli. 1. Cor. 15. 23. vnuſquiſque in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus, deindè ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt; quaſi in reſurrectione generali tantùm immortalitas aſſumenda, nàm Paulus loquitur certè de generali reſurrectione, quæ omnibus ſuccedet malis, & bonis, vt præmiſerat (omnes viuificabuntur) nec tangit hanc particularem, quia nihil ad id, quod ipſe intendebat, quod erat probare reſurrectionem vniuerſalem ex reſurrectione Chriſti. Si dicis, aſſumunt corpora Angeli, & deponunt, at non propria, neque angelicum eſt ea retinere, cum ſint ſpiritus, proùt Sanctorum, qui iàm propria informauerant, quorum terra ampliùs capax non erat. Imò ex hoc, quod Angeli corpora aerea humanis ſimilia aſſumunt, arguitur quàm conuenientèr corpora humana in cælo adſtent.

Si dicis Moyſes aſſumpſit proprium in Transfiguratione, & depoſuit, at non poterat antè Ieſum primogenitum reſurgentium corpus retinere, non erat ipſe adhùc beatus in anima, proùt hi, non erat redditum eius corpus immortale, proùt horum, non illud retinuerat niſi momentaneè, hi per quadraginta dies, neque alia opportuna, quæ diximus, concurrebant, ſed ſi non concurrentibus his in Moyſe, tamèn apparuit cum ſplendore, dum Transfigurationi aſsiſteret, quanto magis credendum hæc corpora ſuo ſplendore nõ fuiſſe deſtituta? cur ergò ſplendorem tollimus ab his beatis? Illud autèm crediderim veriſimilitèr Moyſis corpus pòſt Chriſti reſurrectionem intèr ea Sanctorum corpora reſurrexiſſe glorioſum, tùm ob præcedens priuilegium illi datum in Transfiguratione, in qua ſicùt præuenit videre Chriſtum glorioſum eo modo, ità præuenerit tempus corporũ glorificandorum, quod fiet in Elia eius ſocio. Apoc. 11. tùm quia ſicùt Deus voluit occultũ eſſe corpus eius, ità vt non potuerit in mundo honorari, ità illud in cælum aſſumpſerit beatitudine fruiturum, ſi enìm corpus eius, & aliorum Sanctorum, quorum reliquias non habemus, vt Ioſeph, & Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ in mũdo eſſent, vtiquè illas proùt aliorum Sanctorum venerandas expoſuiſſet, cũ autèm hæc non appareant, veriſimilitèr in cælo adſtant eorũ corpora glorioſa ex ſpeciali priuilegio. Quod dicitur de Lazaro excitato iterùm mortuo tollitur ex præmiſsis, & quia ſuſcitatio Lazari, & aliorũ mortuorũ Chriſto in mundo exiſtente, facta eſt ad demonſtrandum ipſum eſſe Meſsiam, nùnc de perpetuitate agebatur, ideò multa corpora excitantur, non vnum, vel duo, hinc ſurrexerunt, non proùt Chriſto exiſtente in mundo excitabantur, ſed nouo modo in perpetuum manſura. Imò ſicùt ſi infrà paucos dies Lazarus iterùm defeciſſet, vana & ficta viſa eſſet reſurrectio, idem in his corporibus Sanctis accidiſſet. Pòſt hæc vidi recentiores. Apoc. cap. 1. tenentes ac defendentes hanc opinionem, de qua etiàm per alios. Act. 2. verſ. 19. & alibi. *Centurio autèm, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum,* donèc moreretur *viſo terræmotu, & his quæ fiebant* iàm dictis, *timuerunt valdè, dicentes: verè Filius Dei erat iſte,* & ex his non conſtat illos tùnc crediſſe, ſed tantùm quòd ſic teſtabantur, & idcircò S. Lucas aſſerit etiàm dixiſſe: *verè hic homo iuſtus erat,* quæ verba tendunt ad declarationem innocentiæ Chriſti, non ad fidem, & quòd eſſet Filius Dei potuerunt audire ab his, qui in

Cruce

Cruce ſtanti inſultabant hoc dicentes; *& omnis turba eorum, qui ſimùl aderant ad ſpectaculum iſtud* (nihil de principibus proteruis, qui & ipſi aderant) *& videbant qua fiebant* prodigia *percutientes pectora ſua* in ſignum admirationis, *reuertebantur in* Ieruſalem. *Iudaei ergò quoniàm paraſceue erat*, dies præparationis, *vt non remanerent in Cruce corpora ſabbato* illo(*erat enim magnus dies ille ſabbati*) *rogauerũt Pilatum vt frangerentur eorum* crucifixorum *crura*, vt citiùs morerentur, *& tollerentur* de patibulo. *Venerunt ergò milites*, hæc mandata executuri, *& primi quidèm* latronis *fregerunt crura*, *& alterius* latronis, *qui crucifixus eſt cum eo*, Ieſu, *ad Ieſum autèm cum veniſſent, vt viderunt eum iàm mortuum*(ecce cauſa) *non fregerunt eius crura, ſed vnus militum*, volens probare an eſſet mortuus, vel tutior fieri de morte non credens rei euidentiæ, *lancea latus eius aperuit, & continuò* ex miraculo *exiuit ſanguis, & aqua* ſeparatim, ſanguinem exire à corpore mortuo non eſt miraculum, inquit Caietanus; & pluriès exit ad præſentiam occiſoris, vt obſeruant iuris conſulti dantes hoc pro indicio, at quia aqua miraculosè, ità & ſanguis ex corpore Chriſti miraculosè exiuit, vt per eum. *Et qui vidit*, Ioannes de ſeipſo, *teſtimonium perhibuit*, & perhibet, *& verum eſt teſtimonium eius* de viſu, *& ille ſcit quia vera dicit, vt & vos* legentes, & audientes *credatis; facta ſunt enim hæc vt* conſequentèr *Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo*, quòad non fractionem crurum, hoc in eſu agni paſchalis, qui fuit figura Chriſti, *& iterùm alia Scriptura dicit: videbunt in* die Iudicij *in quẽ transfixerunt*, ideò transfixus; ſic & Apoc. 1. videbit omnis oculus, & qui eum pupugerunt. *Cum autèm ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa nomine Ioſeph nobilis decurio*, vir bonus, & iuſtus, hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum, *qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu*, expectans regnum Dei, *occultus autèm proptèr metum Iudæorum*, nùnc vult Chriſtus opera diſcipuli vti, noluit antè Paſſionem, quia volens patiebatur, nec fruſtrà quidquã agendũ. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu* ad ſepeliendũ. *Pilatus autèm mirabatur ſi iàm obijſſet*, poſtquàm Iudæi obtinuerant, vt frangerentur crura, ne remanerent corpora in ſabbato, *& acceſſito Centurione*, qui illum ſeruauerat, *interrogauit eum ſi iàm mortuus eſſet*, fortè timebat decipi, ne viueret, & viuus deponeretur, & conſeruaretur, *& cum cognouiſſet à Centurione* dè morte, ſupèr qua Ioſeph fidem non adhibuerat, & totum factum eſt, vt conſtaret ex his de illius morte, *donauit corpus* Ieſu *Ioſeph. Ioſeph autèm mercatus* eſt *ſindonem* mundam ad illud inuoluendum. *Venit autèm* in adiutorium *& Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm* (ex hoc conijce non fuiſſe hoc in primo anno, ſed vltimo, poſtquàm hic commemoratur à Ioanne tamquàm quid recẽs) *ferens mixturam mirrhæ, & aloes, quaſi libras centum* pro vnctione. *Acceperunt ergò corpus Ieſu* ſimùl, *& ligauerunt illud linteis*, ſindone munda, *ſicùt mos eſt Iudæis ſepelire*, de more ergò curarunt funus Ieſu.

De ſepultura.

Erat autèm in loco, vbi crucifixus eſt Ieſus, *hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondũ quiſquam poſitus erat; ibi ergò proptèr paraſceuen Iudæorum*, qua ceſſandum erat ab opere, *quia iuxtà erat monumentum* exciſum in petra, quod erat Ioſeph, *poſuerunt Ieſum*: ex diuina prouidentia poſitus fuit in monumento nouo, & petrino, in quo nullus poſitus fuerat, ne diceretur alium pro alio ſurrexiſſe, & duos voluit magnos viros huic rei incumbentes, quorum teſtimonia attenderentur, *& aduoluerunt ſaxum magnum ad oſtium monumenti*, ne quis in ſepultum quidquam machinaretur; prædictum fuerat: & erit ſepulchrum eius glorioſum. Iſai. 11. *ſubſecutæ* ſunt *autèm mulieres*, & ipſæ teſtes reſurrectionis futuræ, *quæ cum eo venerant de Galilæa* (nihil hic de Virgine) *Maria Magdalena, & altera Maria Ioſeph*, quæ *viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus* Ieſu. *Et reuertentes* à ſepulchro *parauerunt aromata, & vnguenta* ad Chriſtum vngendum ituræ tempore cõgruo,

gruo, quod tamèn eis non eſt conceſſum, & prædictum à Domino in Magdalena, quia iàm ſurrexerat, *& ſabbato quidèm ſiluerunt, ſecundùm mandatum*, præceptum ſabbati, in quo quieſcendum ab omni opere ſeruili. *Altera autèm die, quæ eſt pòſt paraſceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes*: adhùc inquieti, fluctuantes contrà puerum Ieſum; proùt Act. 4. timentes ne reſurgeret, proùt Herodes Ioannem Baptiſtam timebat reſurrexiſſe, & hic eſt vermis conſcientiæ malæ. *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhùc viuens*; ſic de illo Io. 7. Quidam dicebant, quia bonus eſt, alij autèm dicebant, non, ſed ſeducit turbas; & Pilato dixerunt: *hùnc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram*, quæ omnia falſa; ſequebatur cum gens miracula facientem, & ſanantem infirmitates, ſed inuidia, & odium in Iudæis excitatum eſt, quia ipſi deſtituebantur, fide deficiebant; vndè dicebant: non videtis, quia mundus totus pòſt ipſum abijt? *Pòſt tres dies reſurgam*, hinc malitia; dum enim in concilio contrà eum agebant, hæc interpretati ſunt pro templo, de quo tamèn nihil tùnc cum Pilato, nùnc in verum ſenſum, ſed ad eorum malitiam explendam, proùt intellexit Chriſtus de corpore ſuo, licèt Apoſtoli non intellexerint, niſi pòſt reſurrectionem. Io. 2. *Iube ergò cuſtodiri ſepulchrum illius vſquè in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli eius* (non dicunt, ne fortè reſurgat, volebant enim oſtendere ipſos de hoc non dubitare, & aliòquin ſe in laqueos coniecciſſent cum Pilato) *& furentur eum, & dicant Plebi: ſurrexit a mortuis, & erit nouiſſimus error peior priore*, quia diſcipuli plebem ſubuertent; timent nùnc diſcipulos, de quibus & interrogauit Caiphas, & ſic impijs folium volans eſt in timorem. Vel puto Iudæos territos prodigijs in morte Chriſti viſis, & honorifica ſepultura per viros illuſtres, quam ipſi impedire non potuerunt, & quæ in admiratione cuique eſſe poterat, verè timuiſſe, ne (quod vulgatum erat) Chriſtus reſurgeret, proùt dixerunt Pilato, & mala, quæ eis Ieſus prædixerat ſupèr eos ventura, & ne in mente Pilati aliqua ſuſpicio in eos hæſiſſet à Ioſeph corpus impetrāte expoſita, incipiunt, *ſeductor ille, &c.* venenum, quod adhùc retinebant, euomentes. *Ait illis Pilatus: habetis cuſtodiam*, ideſt concedo cuſtodiri à militibus, *ite, cuſtodite ſicùt ſcitis. Illi autèm abeuntes* (omnibus aſſiſtunt adeò cœci ſunt ex odio) *munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem* ſigillo, *cum cuſtodibus*, quæ omnia inſeruierunt veritati, & Chriſto, ità Domino benè diſponente, & omnia ad finem ab illo deſtinatum trahente; ſic vòluit ſignari lacum leonum, in quem miſſus Daniel, ne ab alijs offenderetur.

CAPVT CXLIX.

DE CHRISTI RESVRRECTIONE

Matth. 28.

1 *VESPERE autèm ſabbati, quæ luceſcit in prima ſab-*
bati, venit Maria Magdalene, & altera Maria vi-
2 *dere ſepulchrum.* * *Et eccè terræmotus factus eſt magnus.*
Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens re-
uoluit lapidem, & ſedebat ſupèr eum: * *erat autèm aſpe-*
3 *ctus eius ſicùt fulgur: & veſtimentum eius ſicùt nix:* * *Præ*
4 *timore autèm eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt*

velut

5 *velut mortui. * Reſpondens autèm Angelus dixit mulieribus: Nolite timere*
*vos: ſcio enìm, quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis: * non eſt hìc: ſurrexit*
6 *enìm, ſicùt dixit. venite, & videte locum, vbì poſitus erat Dominus.* * Et
7 *citò euntes, dicite diſcipulis eius quia ſurrexit: & eccè præcedit vos in Galilæam:*
8 *ibì eum videbitis. eccè prædixi vobis.* * Et *exierunt citò de monumento cum*
9 *timore, & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis eius.* * Et *eccè Ieſus*
occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autèm acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius,
10 *& adorauerunt eum. * Tùnc ait illis Ieſus: Nolite timere. ite, nunciate fra-*
11 *tribus meis vt eant in Galilæam, ibì me videbunt. * Quæ cum abiſſent, eccè*
quidam de cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus ſa-
12 *cerdotum omnia, quæ facta fuerant.* * Et *congregati cum ſenioribus conſilio ac-*
13 *cepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, * dicentes: Dicite quia diſcipuli*
14 *eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* * Et *ſi hoc audi-*
15 *tum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. * At illi ac-*
cepta pecunia, fecerunt ſicùt erant edocti. Et *diuulgatum eſt verbum iſtud apud*
16 *Iudæos, vſquè in hodiernum dieum. * Vndecim autèm diſcipuli abierunt in*
17 *Galilæam in montem, vbì conſtituerat illis Ieſus.* * Et *videntes eum adoraue-*
18 *runt: quidam autèm dubitauerunt.* * Et *accedens Ieſus locutus eſt eis, dicens:*
19 *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* * Euntes *ergò docete omnes gen-*
20 *tes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: * docentes*
eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis: & eccè ego vobiſcum ſum omni-
bus diebus, vſquè ad conſummationem ſæculi.

Marc. 16.

1 E*T eum tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Sa-*
2 *lome emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum.* * Et *valdè mane*
3 *vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iàm ſole.* * Et *dicebant ad*
4 *inuicèm: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* * Et *reſpicientes vi-*
5 *derunt reuolutum lapidem.* Erat *quippè magnus valdè.* * Et *introeuntes in*
monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida,
6 *& obſtupuerunt. * Qui dicit illis: Nolite expaueſcere: Ieſum quæritis Naza-*
7 *renum, crucifixum, ſurrexit, non eſt hìc, eccè locus vbì poſuerunt eum. * Sed*
ite, dicite diſcipulis eius, & Petro quia præcedit vos in Galilæam: ibì eum vi-
8 *debitis, ſicùt dixit vobis. * At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaſe-*
rat enim eas tremor & pauor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.
9 * *Surgens autèm mane, prima ſabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de*
10 *qua eiecerat ſeptèm dæmonia. * Illa vadens: nunciauit his, qui cum eo fuerant:*
11 *lugentibus, & flentibus.* * Et *illi audientes quia viueret, & viſus eſſet ab ea,*
12 *non crediderunt. * Pòſt hæc autèm duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in*
13 *alia effigie, euntibus in villam: & illi euntes nunciauerunt cæteris: nec illis*
credi-

14 crediderunt. * Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobra-
uit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia ijs, qui viderant eum reſur-
15 rexiſſe, non crediderunt. * Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum prædi-
16 cate Euangelium omni creaturæ. * Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus
17 erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. * Signa autèm eos, qui credide-
rint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis:
18 * ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſupèr ægros
manus imponent, & benè habebunt.

Luc. 24.

1 VNa autèm ſabbati valdè diluculò venerunt ad monumentum, portantes,
2 quæ parauerant, aromata: * & inuenerunt lapidem reuolutum à monu-
3 mento. * Et ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. * Et factum eſt, dum
4 mente conſternatæ eſſent de iſto, eccè duo viri ſteterunt ſecùs illas in veſte ful-
5 genti. * Cum timerent autèm, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad
6 illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? * non eſt hìc, ſed ſurrexit: recor-
7 damini qualitèr locutus eſt vobis, cum adhùc in Galilæa eſſet, * dicens: Quia
oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, &
8 die tertia reſurgere. * Et recordatæ ſunt verborum eius. * Et regreſſæ à monu-
9 mento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. * Erat au-
10 tèm Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum
11 eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc. * Et viſa ſunt antè illos, ſicùt delira-
12 mentum verba iſta: & non crediderunt illis. * Petrus autèm ſurgens cucurrit
ad monumentum: & procumbens vidit linteamina ſola poſita, & abijt ſecum
13 mirans quod factum fuerat. * Et eccè duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum,
14 quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus. * &
15 ipſi loquebantur ad inuicèm de his omnibus, quæ acciderant. * Et factum eſt,
16 dum fabularentur, & ſecum quærerent: & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum il-
17 lis: * oculi autèm illorum tenebantur ne eum agnoſcerent. * Et ait ad illos: Qui
18 ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicèm ambulantes, & eſtis triſtes? * Et re-
ſpondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſa-
19 lem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? * Quibus ille dixit:
Quæ? Et dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere,
20 & ſermone coràm Deo, & omni populo: * Et quomodò eum tradiderunt ſum-
mi ſacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.
21 * nos autèm ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nùnc ſupèr hæc om-
22 nia, tertia dies eſt hodiè quòd hæc facta ſunt. * Sed & mulieres quædam ex no-
23 ſtris terruerunt nos, quæ antè lucem fuerunt ad monumentum, * &, non inuen-
to corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiàm viſionem angelorum vidiſſe, qui di-
24 cunt eum viuere. * Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ità in-

25 *uenerunt ſicùt mulieres dixerunt, ipſum verò non inuenerunt.* Et ipſe dixit ad*
eos: O ſtulti, & tardi corde ad eredendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophe-
26 *tæ! * Nonnè hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam? * Et*
27 *incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scri-*
28 *pturis, quæ de ipſo erant. * Et appropinquauerunt caſtello quò ibant: & ipſe ſe*
29 *finxit longiùs ire. * Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniàm*
30 *aduesperaſcit, & inclinata eſt iàm dies. Et intrauit cum illis. * Et factum*
eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porri-
31 *gebat illis. * Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipſe euanuit*
32 *ex oculis eorum. * Et dixerunt ad inuicèm: Nonnè cor noſtrum ardens erat in*
33 *nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? * Et ſurgentes eadem*
hora regreſſi ſunt in Ieruſalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui
34 *cum illis erant, * dicentes: Quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simo-*
35 *ni. * Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodò cognouerunt eum*
36 *in fractione panis. * Dum autèm hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum,*
37 *& dicit eis: Pax vobis: ego ſum nolite timere. * Conturbati vero, & conter-*
38 *riti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. * Et dixit eis: quid turbati eſtis, & co-*
39 *gitationes aſcendunt in corda veſtra? * Videte manus meas, & pedes quia ego*
ipſe ſum: palpate, & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicùt me
40 *videtis habere. * Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes. * Adhùc*
41 *autèm illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic ali-*
42 *quid, quod manducetur? * At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum*
43 *mellis. * Et cum manducaſſet coràm eis, ſumens reliquias dedit eis. * Et di-*
44 *xit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhùc eſſem vobi-*
ſcum, quoniàm neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Pro-
45 *phetis, & Pſalmis de me.* Tùnc aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas.*
46 ** & dixit eis: Quoniàm ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſur-*
47 *gere à mortuis tertia die: * & prædicari in nomine eius pænitentiam, & remiſ-*
48 *ſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma. * Vos autèm*
49 *teſtes eſtis horum. * Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos. vos autèm ſe-*
dete in ciuitate, quòadusquè induamini virtute ex alto.

Ioan: 20.

1 *VNa autèm ſabbati, Maria Magdalene venit manè, cum adhùc tenebræ*
2 *eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento. * Cu-*
currit ergò: & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem
amabat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento & neſcimus
3 *vbi poſuerunt eum. * Exijt ergò Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt*
4 *ad monumentum. * Currebant autèm duo ſimùl, & ille alius diſcipulus præcu-*
5 *currit citiùs Petro, & venit primùs ad monumentum. * Et cum ſe inclinaſſet,*
vidit

Digitized by Google

6 *vidit poſita linteamina, non tamèn introiuit.* Venit ergò Simon Petrus ſequens*
7 *eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, * & ſuda-*
rium, quod fuerat ſupèr caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſepara-
8 *tìm inuolutum in vnum locum. * Tùnc ergò introiuit & ille diſcipulus, qui ve-*
9 *nerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit: * nondum enìm ſciebant*
10 *Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere. * Abierunt ergò iterum di-*
11 *ſcipuli ad ſemetipſos. * Maria autèm ſtabat ad monumentum forìs, plorans.*
12 *Dum ergò fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum: * & vidit duos*
angelos in albis, ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbì poſitum
13 *fuerat corpus Ieſu. * Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tule-*
14 *runt Dominum meum: & neſcio vbì poſuerunt eum. * Hæc cum dixiſſet, con-*
uerſa eſt retrorsùm, & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat quia Ieſus eſt.
15 ** Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia hor-*
tulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbì poſuiſti eum:
16 *& ego eum tollam. * Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni*
17 *(quod dicitur Magiſter.) * Dicit ei Ieſus: Noli me tangere, nondum enìm*
aſcendi ad Patrem meum: vade autèm ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo
ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.
18 ** Venit Maria Magdalene annuncians diſcipulis: Quia vidit Dominum, &*
19 *hæc dixit mihi. * Cum ergò ſerò eſſet die illo, vna ſabbatorum, & fores eſſent*
clauſæ, vbì erant diſcipuli congregati proptèr metum Iudæorum: venit Ieſus,
20 *& ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. * Et cum hoc dixiſſet, oſtendit*
21 *eis manus, & latus. Gauiſi ſunt ergò diſcipuli, viſo Domino. * Dixit ergò eis*
22 *iterum: Pax vobis. Sicùt miſit me Pater, & ego mitto vos. * Hæc cum di-*
23 *xiſſet, inſufflauit: & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: * quorum remiſe-*
24 *ritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. * Thomas*
autèm vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quandò ve-
25 *nit Ieſus. * Dixerunt ergò ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autèm*
dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum
meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.
26 ** Et pòſt dies octo, iterum erant diſcipuli eius intùs: & Thomas cum eis. Ve-*
27 *nit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. * Deindè di-*
cit Thomæ: Infer digitum tuum hùc, & vide manus meas, & affer manum
28 *tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. * Reſpon-*
29 *dit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. * Dixit ei Ieſus: Quia*
30 *vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. * Multa*
quidem, & alia ſigna fecit Ieſus, in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt
31 *ſcripta in libro hoc. * Hæc autèm ſcripta ſunt vt credatis, quia Ieſus eſt Chri-*
ſtus Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Ioan. 21.

1 POſteà manifeſtauit ſe iterum Ieſus diſcipulis ad mare Tiberiadis. Manife-
2 ſtauit autèm ſic: * Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Di-
dymus, & Nathanael, qui erat à Cana Gelilææ, & filij Zebedæi, & alij ex di-
3 ſcipulis eius duo. * Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus
& nos tecum. * Et exierunt, & aſcenderunt in nauim, & illa nocte nihil pren-
4 diderunt. * Mane autèm facto ſtetit Ieſus in littore: non tamèn cognouerunt diſci-
5 puli quia Ieſus eſt. * Dixit ergò eis Ieſus: Pueri numquid pulmentarium habetis?
6 reſponderunt ei: Non: * Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenie-
tis. Miſerunt ergò: & iàm non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.
7 * Dixit ergò diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. * Simon
8 Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enìm nudus) &
9 miſit ſe in mare. Alij autèm diſcipuli nauigio venerunt (non enìm longè erant
10 à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium. * Vt ergò deſcenderunt
11 in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. * Dicit
12 eis Ieſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nùnc. * Aſcendit Simon Petrus, &
traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et
13 cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. * Dicit eis Ieſus: Venite, prandete. Et ne-
mo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes, quia Domi-
14 nus eſt. * Et venit Ieſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimilitèr. * Hoc
15 iàm tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis cum reſurrexiſſet à mortuis.
16 * Cum ergò prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus
his? Dicit ei: Etiàm Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.
17 * Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiàm Domine, tu ſcis
18 quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. * Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas
me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domi-
19 ne tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oues meas. * Amen,
amen dico tibi: cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbì volebas: cum
autèm ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non
20 vis. * Hoc autèm dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et cum
21 hoc dixiſſet, dicit ei: Sequere me. * Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum,
quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſupèr pectus eius, & di-
22 xit: Domine quis eſt qui tradet te? * Hunc ergò cum vidiſſet Petrus, dixit Ie-
23 ſu: Domine hic autèm quid? * Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donèc ve-
24 niam, quid ad te? tu me ſequere. * Exijt ergò ſermo iſte intèr fratres quia diſci-
pulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus: Non moritur. ſed: Sic eum volo
25 manere donec veniam, quid ad te? * Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium
26 perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.
* Sunt autèm & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec
ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

COM-

COMMENTARIVS.

OBSERVAVERANT mulieres vbi poſitus erat Dominus in monumento à Ioſeph, & Nicodemo, amore in Dominum ſuum ebriæ, deindè reuerſæ in domum ſunt. ***Et cum tranſijſſet ſabbatum*** de ſerò ***emerunt aromata***, iuxtà Marcum, cui concordat Lucas cap. 23.dicens:***reuertentes parauerũt aromata,& vnguenta***, nàm intelligit tempore congruo, ſic enim intelligenda verba illa,præſertim quia ſubdit: ***& ſabbato quidèm ſiluerunt ſecundùm mandatum***; vndè illa dicta ſunt per præoccupationem; hìnc cap. 24. dicit: ***portantes quæ parauerant***, tùnc tranſacto ſabbato,***aromata***, quæ in paraſceue, cum diutiùs ad ſepulchrum moram traxiſſent, parare non potuerunt; parauerunt autèm, ***vt venientes vngerent Ieſum:*** Cur autèm vncturæ, cum vidiſſent tantam quantitatem mirrhæ, & aloes à Nicodemo apportatam?ſi enim viderũt vbi poſitus Dominus, etiàm viderunt, vel ſaltèm cognouerunt eum vnctum. Dicendum & ipſas perſoluere voluiſſe officium hoc ex ardore amoris, quo Chriſtum proſequebantur, & quia dixerat Dominus de Magdalena: ſinite, vt in diem ſepulturæ ſeruet illud, non quidèm vnctura, ſed hoc ſolo apparatu præmium receptura,cum Deus cor noſtrũ, & voluntatem noſtram reſpiciat,& coronet. ***Veſpere autèm***,ſerò, in nocte, ***ſabbati,quæ luceſcit in prima ſabbati***, propè tamèn ad lucem diei primæ pòſt ſabbatum, quæ eſt Dominica, ſic Matthæus, concordat Marcus ***cum tranſijſſet ſabbatum***,pòſt occaſum ſolis, ***& valdè mane vna ſabbatorum.*** Lucas,***vna autèm ſabbati valdè diluculò***. Ioannes ***vna autèm ſabbati Maria Magdalene venit mane cum adhùc tenebræ eſſent***; Vndè ſic coniuncti Euangeliſtæ in nullo diſcordant; non obſtat ſi Marcus dicit, ***orto iàm ſole***, nàm ille in primis verbis, & alij dixerunt quandò receſſerunt è domo, ſolus addidit quandò ad monumentum peruenerunt:tùnc enim ortus erat ſol,aliòquin ſi nox, ſi tenebræ fuiſſent quandò peruenerunt, nec potuiſſent videre quæ viderunt; nec res tanta, quam Dominus voluit illuſtriſsimam eſſe, clarè apparuiſſet. Ad hæc Chriſtus ſurrexit diluculò intrante Dominica, nàm cœpit de die tertio,vt tertia die dicatur reſurrexiſſe, proùt verè ſurrexit; quandò autèm peruenerunt iuxtà omnes iàm vel ſurrexerat, vel tùnc ſurrexit, ergò mulieres,quæ audierunt ab Angelis eum ſurrexiſſe, & quæ viderunt ſepulchrum vacuum, peruenerunt facto iàm die, & orto ſole; & Marco diſtinguenti, & addenti hoc, quod alij non fecerunt, credendum, nàm ex dicto ſuo non diuerſificatur, vel falſum redditur dictum aliorum; Euangeliſtæ etiàm hæc, quæ parùm referunt non ſolent ad vnguem,& adamuſsim obſeruare; ſatis eſt nobis ſcire ipſas diligentes fuiſſe, & quàm primùm potuerunt, & licuit ſabbato trànſacto ſepulchrũ adijſſe. Veniunt ergò ***videre ſepulchrum***,vel ***ad monumentum vt vngerent Ieſum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, Ioanna***, & cœteræ, quæ cum eis erant, ***quæ venerant è Galilæa***, vt per Lucam cap. 23. & 24. vndè non ſunt contrarij Euangeliſtæ, ſed quod vnus tacuit, alter appoſuit iuxtà morem ipſorum. Virgo Deipara non, quia Euangeliſtæ de ea nullam faciunt mentionem, facturi vti de digniori,& maiori. Puto illam ſcientem illum reſurrecturum ſtetiſſe, proùt Eliſæus alijs volentibus quærere Eliam raptum, quem ipſe viderat rapi. ***Et dicebant ad inuicèm: quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti***, quod ipſæ viderant ſuperponi, vt illum videre, & vngere poſſimus? ***erat quippè magnus valdè***, dicit Euangeliſta,ne putaremus fragilem fuiſſe eorum dubitationem; nihil agunt de militibus, quia ſabbato fuerant poſiti ad cuſtodiam,& ipſæ ſabbato ſiluerunt,vndè factum illud ad eorum notitiam non peruenerat. ***Et eccè***,cum peruenerunt,***terræmotus factus eſt magnus***, fortè tùnc ſurrexit Dominus,

dùm terra mota, eſt ad denotandum maieſtatem è ſepulchro prodeuntis, & terrendos alios, præſertìm cuſtodes; ideò Angelus dicit mulieribus: *nolite timere vos* Ieſum quærentes, proptèr vos non eſt hic terræmotus, & dicitur: terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudicio Deus; ſic credendum, quia illicò ſe oſtendit mulieribus; non otiatur Dominus, illo nato paſtoribus mittuntur nuncij; miniſtrum terræmotus dicit Angelum ſpiritum adminiſtratorium. Hebr. 1. in fin. ſubdens: ***Angelus enim Domini deſcendit de Cælo;*** quem tamèn mulieres non viderunt deſcendentem, ſed cum deſcendiſſet, ***& accedens*** ad ſepulchrum ***reuoluit lapidem***, vt appareat Chriſtum clauſo ſepulchro exiſſe glorioſum, ***& ſedebat ſupèr eum,*** vt appareret ipſum miniſtrum reuolutionis, ***erat autèm aſpectus eius ſicùt fulgur, & veſtimentum eius ſicùt nix,*** læta nunciaturus, ***præ timore autèm eius***, Angeli terræmotum concitantis, ***exterriti ſunt cuſtodes*** ſepulchri à Iudæis poſiti, ***& facti ſunt velut mortui:*** Timebãt & mulieres, ſed Angelus bonus (ſic boni ſolent) aufert ab eis timorem, dicens: ***nolite timere vos; ſcio enim, quòd Ieſum Nazarenum qui crucifixus eſt*** (clarè loquitur, vult intelligi, & clarè omnia cognoſci) ***quæritis*** vncturæ, ***non eſt hic***, vbi poſitum illum vidiſtis, ***ſurrexit enim, ſicùt dixit,*** cuius dicta non poſſunt non eſſe. ***Reſurrexit, non eſt hic.*** aliud non explicant: generationem eius, ideſt reſurrectionem eius, quis enarrabit? Iſa. cap. 53. intelligitur enim de reſurrectione ad litteram, quia in d. cap. de Paſſione, & ad ea verba præmittit, de anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt: generationem, &c. & generationem pro reſurrectione ponit Paulus. Heb. 1. & vbiquè dum profert verba Pſal. 2. filius meus es tu, ego hodiè genui te; ibi enim Dauid loquitur de reſurrectione; quia reſpicit ad verbum incarnatum, & paſſum, & exaltatum, vt alibi dixi, & reſurrectio vniuerſalis nuncupatur regeneratio: in regeneratione, cum ſederit Filius hominis, &c. Sed cur generatio hæc Chriſti, noſtra regeneratio? quia diuinitas quod ſemèl aſſumpſit, nunquàm dimiſit, & corpus nedũ non vidit corruptionem, ſed nequè oſſium fractionem, quæ ad quandam corruptionem tendebat; propterea generatio dicitur; at nos omninò ſeparamur; & in puluerem conuertimur, propterea reſurgendo regenerabimur. Cur reſurgit? vt intret in gloriam ſuam, vt ipſe dixit, & Paulus. Phil. 2. qui cum in forma, &c. proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. Secundò proptèr iuſtificationem noſtram, inquit Paulus. Rom. 4. nàm hæc habetur fide. Rom. 5. quomodò enim credidiſſemus mortuo, non valenti ſibi conſulere? potuiſſemus dicere proùt illi: alios ſaluos fecit, &c. ideò Paulus: ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides veſtra, inanis prædicatio noſtra; hinc reſurrectio tàm munita prophetijs, data à Chriſto pro ſigno diuinitatis: non dabitur niſi ſignum Ionæ: ſoluite templum hoc, de illa ſæpiùs cum diſcipulis, præſertìm cum de morte ageret; mortui excitati ad eam propalandam, teſtes magnæ fidei, iuxtà Epulonem, angeli annunciantes, & horum irrefragabile teſtimonium, & tot apparitiones per quadraginta dies, conueſcens cum diſcipulis, loquens de regno Dei. Act. 1. Hinc cum morte voluit prædicari, & in electione Matthiæ (etſi Apoſtoli totius vitæ Chriſti teſtes eſſent. Act. 1.) fit ſpecialis mentio vti de principali, teſtem reſurrectionis fieri vnum ex iſtis, & Petrus, & Paulus & in actis, & in epiſtolis ſempèr illam inſerunt, & inculcant; & 1. Cor. 15. Paulus enumerat apparitiones ad illam ſtabiliendam. Hinc de identitate corporis, quod reſurrexit, voluit manifeſtè conſtare ex titulo Crucis: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, & Angelus hùc reſpiciens ***Ieſum Nazarenũ crucifixum***, monumento nouo, in quo nemo poſitus fuerat, ne alius diceretur reſurrexiſſe, & propheta, erit ſepulchrũ eius glorioſũ, voluit deponi de cruce à Principibus, aromatibus cõdiri, inuolui ſindone, ligari ſudario, quæ poſteà in ſepulchro dimiſſa viſa à Petro, & Ioanne, ſepulchrum ſignari, cuſtodiri, à mulieribus obſeruari vbì poneretur, & hùc alludens Angelus: ***ecce locus, vbì poſitus erat Dominus;*** eaſdem vncturas redire, non tamèn ab eis vngi, ne fraudem aliquam ſuſpicarentur Hebræi; prædixit loca, in quibus videndus pòſt Reſurrectionem, & ad eadem ab Angelo per mulie-

res

Digitized by Google

tres diſcipuli iubentur conuenire: ſed *ite, &c.* retentæ cicatrices ab alijs crucifixis diſtinctæ, quia addita lateralis, & nulla oſſium fractio, diſcipulis oſtenſæ; & proùt ſolemus in claris, dicit: *Venite, & videte locum, vbì poſitus erat Dominus*, & vos obſeruaſtis in paraſceue; *& deindè citò euntes*, hinc diſcedentes, *dicite diſcipulis eius, & Petro* (eccè nomina eorum quomodò in cælo ſcripta) neganti, ne exiſtimaret à Ieſu reijci, *quia ſurrexit, & eccè* (quod erit gratiùs) *præcedit vos in Galilæam, ibì eum videbitis* rediuiuum, *eccè prædixi vobis*, hæc addit, vt magìs fidem adhibeant; Marcus, *ſicùt dixit* ille *vobis*, verificabitur quod ille dixit, *& introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt*, qui dixit verba ferè eadem quæ Matthæus refert. Eundem autèm angelum, & vnicum credo, de quo Matthæus, & Marcus, quia habent in vtroque eadem verba, eundem ſtilum, & ſcopum, & poteſt eſſe, vt qui erat ſedens ſupèr lapidem, iuxtà Matthæum, de quo Marcus tacet, illis in monumentum introeuntibus, & ipſe introgreſſus ſit, & dixerit quæ Marcus; vel fuerunt duo, ſeù diuerſi, de vno Matthæus, de alio Marcus, de ambobus Lucas, & Ioannes in Magdalena, qui ſic cum alijs meliùs concordabuntur, & tùnc dicemus primum ſedentem, ne putemus eundem intrò viſum à mulieribus. *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nunciare diſcipulis eius* iuxtà mandatum angeli; & Marcus, *inuaſerat enim eas tremor, & pauor, & nemini quidquam dixerunt*, in via ſcilicèt, ſed Apoſtolis ſic, *timebant enim* ob viſionem, & locutionem angelicam, vt exprimunt Euangeliſtæ, nec alius expiſcandus timor, cuius ipſi non meminerunt, præſertim ob Iudæos, quia publicarent Chriſti reſurrectionem, id enim abfuit à mulieribus intrepidis, & primis ad ſepulchrum, & tùnc nondum nunciauerant, ſed ibant nunciaturæ. Sed Lucas alio modo rem narrat; nempè: *& ingreſſæ* (in monumentum ſcilicèt) *non inuenerunt corpus Domini Ieſu*, nec videntur poſſe diuerſificari facta. At crederem Lucam dicere ingreſſas eſſe, ſed iuxtà dictum Angeli, de quo Matthæus, quod & omiſit Marcus, & non inuento corpore Domini Ieſu, prima fronte ſequi quod narrat Lucas, nempè *& factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto*, nempè quod corpus non inueniſſent, tùnc ſuccedere dicta Angelorũ, etſi de vno ſolo Matthæus ſedente ſupèr lapidem, non de his, *eccè duo viri*, angeli in forma humana aſſumpta, *ſteterunt ſecùs illas in veſte fulgenti; cum timerent autèm, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: quid quæritis viuentem* nempè Ieſum, qui iàm ſurrexit, *cum mortuis?* intrà ſepulchra, quæ ſunt habitationes mortuorum? *non eſt hic* corporalitèr, ſed *ſurrexit* ad gloriam; *Recordamini qualitèr loquutus eſt vobis, cum adhùc in Galilæa eſſet*, mortalis, *dicens, quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die reſurgere, &* (eccè effectus) *recordatæ ſunt verborum eius* Ieſu, *& regreſſæ à monumento*, idem factum videtur quod narrant Matthæus, Marcus, & Ioannes, niſi dicas pòſt factum recitatũ à Matthæo, & Marco, hoc aliud contigiſſe, quia repetierint ſepulchrum antequàm indè diſceſſiſſent, non enim ex contextu Euangeliſtarum apparet mulieres repetijſſe ad ſepulchrũ pòſtquàm ſemèl ab eo elongatæ ſunt; Eodem tempore contigiſſe dicendum eſt factum Magdalenæ, quod narrat Ioannes, quæ primò vidit lapidem ſublatum à monumento, & hoc vnà cum alijs, ſed de ſola non contenta cum alijs feciſſe quæ fecerat, & audiſſe, narrat Ioannes: *Maria autèm ſtabat ad monumentum foris plorans* (aliæ tùnc in diuerſam partem fortè erant) *dùm ergò fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis* veſtibus, vel eoſdem, vel alios à Luca *ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: mulier, quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbì poſuerunt eum*, adhùc non credit primis angelis, & primis ſignis. *Hæc cum dixiſſet conuerſa eſt retrorsùm*, vel quaſi inquieta, & circumſpiciens, vel audito ſtrepitu, cum non expectauerit reſponſum angelorum, *& vidit Ieſum ſtantem* (hìnc illo adſtante tacent angeli miniſtri)

& non

& non ſciebat quia Ieſus eſt, illum non cognoſcebat. *Dicit ei Ieſus: mulier, quid ploras? quem quæris? illa* nec vocem, nec perſonam agnoſcens, *exiſtimans quia hortolanus eſſet* (erat enim in horto) *dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, vt ego eum tollam*: adhùc fixa ſtat eum ſublatum, nec ſurrexiſſe, & intenta ſuo negotio putat omnes de illo agere, & illud ſcire, prout ſponſa, & prout diſcipuli in Emaus euntes. *Dicit ei Ieſus* voce intelligenti, propria, *Maria, Conuerſa illa* ad eum *dicit ei. Rabboni (quod dicitur Magiſter)* & accedit tactura Dominum, quem ex voce, & effigie iàm cognouerat; *Dicit ei Ieſus. Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, vade autèm ad fratres meos, & dic eis, aſcendo*, quaſi dicat, nùnc me tangendo non recipies perfectam conſolationem, tùnc receptura, cum ad Patrem aſcendero, & Spiritum ſanctum conſolatorem miſero, neque mecum nùnc tamquàm cum mortali agere debes, & quia diſcipulis hoc promiſerat in vltima cœna, mittit illam ad informatos, & edoctos, vt diſcat, & ipſi reddantur certi reſurrectionis, & fidelitatis eis promiſſorum, ideò dicit: *vade autèm ad fratres meos, & dic eis aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Pro intelligentia horum verborum repetenda ſunt verba Chriſti, *mulier, quid ploras? quem quæris?* conſolatorem ergò quærebat Magdalena: cognito Domino, cuius præſentiæ corporalis amore ardebat, accurrit illum tactura, & ſeipſam conſolatione repletura, Dominus prohibet, dicens: *noli me tangere*, cum primùm enim illùc aſcendero, mittam conſolatorem, & tùnc perfectè conſolaberis: niſi enim abiero, dicebat, paraclitus nō veniet ad vos, &c. cum autèm venerit ille docebit, & ſuggeret, &c. & pòſt Reſurrectionem dixit illis: & ego mitto promiſſum Patris mei in vos; vos autèm ſedete in Ciuitate, quòadusque induamini virtute ex alto, & hoc ſymbolo voluit eos erigere, promiſſiones illis factas commemorando ne deterrerentur ſi nùnc mœſti, & derelicti viderentur, nondum enim tempus conſolationis veniſſe, ſed citò venturum, quia, inquit, *aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum* vos conſolaturum, vt dixi antè mortem meam, & hæc verba continent quandam recapitulationem ſermonis in cœna habiti, & is ſenſus videtur verus. Vel ſciens Ieſus Magdalenam de ſua præſentia corporali nimis anxiam, in eaquè nimis hærentem, volens eam ad cæleſtia erigere, dicere voluit, non eſt tempus nùnc agendi mecum, qui ad vitam immortalem ſurrexi, prout dum eram in vita mortali: vndè ad cæleſtia te erigere debes, *noli me tangere*, quia non ſum ampliùs mortalis, etſi enim *nondum aſcendi*, citò tamèn aſcendam ad Patrem, & hinc etiàm præſentia corporali tollar, propterea de eodem inſtrue fratres meos, eos etiàm ad cæleſtia reuoca, nō eſt tempus ploratus, & lacrymarū, & mœſtitiæ, dicquè eis, *aſcendo ad Patrem meum, &c.* ſicùt illis dixi, & indè mittam Spiritum ſanctum, qui ſtabit vobiſcum inuiſibilis; ad ea enim, quæ non apparent, animus erigendus, hinc illa etiàm fuit in cœnaculo, quo tempore deſcendit Spiritus ſanctus, vt ex 1. & 2. cap. Act. & is magis placet. At ſenſus ille ne me detineas, tempus erit hæc faciendi, *nondum enim aſcendi*, pro aſcendo *ad Patrem*, permanebo aliquantulum vobiſcum, tùnc poteris; euaneſcit, quia in eodem ſermone dicit ſe citò abiturum; *aſcendo ad Patrem, &c.* & quia ponitur tēpus vnum pro alio; & tanto minus procedit ſi dicatur: erit tempus id faciendi poſtquàm aſcendero ad Patrem, &c. id enim repugnat, cum tùnc non poſſet tangere eo modo, quo volebat. Sed cur prohibet nùnc Magdalenam, quæ eamdem, & alias mulieres tenentes pedes eius non prohibuit? reſpondeo, vel tetigerit, vel non hac prima vice ſola Magdalena, id facit cum ea magis capace, vt eā à carnalibus ad cæleſtia erigat, & ideò non iubet eam nunciare ſe videndum in Galilæa, ſed quod eſt maius, aſcenſurum ad Patrem, & nihilominus etiàm alias mulieres citò dimittit, dicens: *ite, nunciate*. Vel quia non adorabunda tangere voluit prout omnes ſimùl, etſi primus magis placeat: Sed ſi hac prima vice non tetigit, cur ſecunda? reſpondeo, fuit illa temporalis prohibitio, vndè quod ſemèl noluit pro ſola, poſteà placuit ſimùl cum alijs. Sed an tetigerit Dominum,

minum, & an pedes, an aliam partem tangere vellet? de pedibus potiùs ſentiendum, iuxtà morem illius, & aliarum fœminarum, quibuſcum & illa, & credo non tetigiſſe, prohibuit enim Dominus, nec contrà illius prohibitionem feciſſet, & Euangeliſta dixiſſet clarè, proùt de alijs mulieribus ſimùl. Nùnc iungendæ ſimùl omnes mulieres, quæ ad monum ntum venerant, *currentes nunciare diſcipulis eius*, dicit Matthæus. Lucas *& regreſſæ, &c.* Ioannes de ſola Maria Magdalena, *Cucurrit ergò*, intellige cum alijs, *& venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus*, & alios diſcipulos. *Dum irent, eccè Ieſus occurrit illis, dicens: auete; Illæ autèm eum recognoſcentes, acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*, quod non fecerat Maria Magdalena ſola, quæ reiecta fuit tùnc, nùnc cum alijs admiſſa. *Tùnc ait illis Ieſus*, quia fortè timebant, nàm & exterriti ſunt diſcipuli viſo Domino: *Nolite timere; Ite, nunciate fratribus meis*, Apoſtolis, & diſcipulis, *vt eant in Galilæam*, ſicùt prædixi, *ibi me videbunt*. De Maria autèm Magdalena ſola dicit Ioannes, non excludendo alias, de quibus per alios Euangeliſtas. *Cucurrit ergò, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: tulerunt Dominum* meum *de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum*, nec contrariatur alijs, quia retulerunt mulieres omnes ſimùl quæcunque eis contigerant, ideò Magdalena dicit: *neſcimus*, in plurali, & præmittit primam dubitationem, quam habuerunt. Lucas enim dicit: *nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus; Erat autèm Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cætera, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc*, ſed difficilius eſt annectere quod replicat Ioannes in Magdalena ſola. *Venit Maria Magdalene annuncians diſcipulis: quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* At ſicuti ſimùl omnes retuliſſe creduntur vidiſſe Dominum, ità & hæc; at de hac ſola Ioannes, quia de hac ſola agit, non de alijs; & tamèn diſcipuli non crediderunt, neque relationi viſionis Chriſti ſimùl, neque Magdalenæ ſi de per ſe, quod & Marcus cap. 16. dicit exprobratum à Domino, quia non crediderant his, qui viderant eum reſurrexiſſe. Ex præmiſſis conſtat vnicum eſſe factum recitatum à tribus Euangeliſtis, & à Ioanne cap. 20. alij enim tres recitant acceſſum mulierum ad monumentum de mane prima ſabbatorum, & intèr eos ponunt Magdalenam primò, eiuſdem ſolius meminit Ioannes de eodem tempore, ideò factum non eſt diuerſum, ſed idem, & ſi poſtponis hoc factum Magdalenæ relatum à Ioanne ſolo, quomodò ſaluabis iuſſam eſſe nunciare Apoſtolis, ſi præmittis Petrum, & Ioannem ad ſepulchrum acceſſiſſe? non enim pòſt acceſſum illorum ad ſepulchrum Chriſtus iuſſiſſet nunciari illis. Secundò, Magdalenæ primò apparuit, & alijs mulieribus apparuit poſteà Ieſus, dum recedentes à monumento irent nunciatum, & hæc retulerunt Apoſtolis, ergò antè, non pòſt eſt hiſtoria Magdalenæ ſolius. Tertiò, iuſſit Dominus Magdalenæ ſoli nunciare Apoſtolis, dùm illi ſoli apparuit, iuſſit omnibus ſimùl, dùm omnibus apparuit; fuit ergò vna iuſſio bis facta, nõ bis, ſed ſemèl executioni demãdanda; quamuis cõtineant diuerſa, vna *vt eant in Galilæam*, altera: *aſcendo, &c.* hoc enim nihil refert: eadẽ die apparuit Apoſtolis Dominus, non ergò dabitur tanta mora, vt vel Apoſtoli duplici nuncio indiguerint, & Chriſtus bis referendum iuſſerit. Sed rem tutam reddit quod ſcribit Lucas pòſt relationem mulierum omnium: *Petrus autèm ſurgens, cucurrit ad monumentum*, idem enim curſus cùm Ioanne, quamuis Ioannem taceat. Non dicas Magdalenam viſo monumẽto aperto abijſſe illicò nunciatum Apoſtolis abſquè eo quòd aliud expectarit, & poſteà rediſſe, nàm contrarium dicunt tres Euangeliſtæ, quibus cõcordandus Ioannes, & ex facto elicitur, quia nuncia miſſa Apoſtolis fuerunt ex parte Angelorum, & Ieſu; vndè hoc ſtare non poteſt, quia iuſſiones ambæ factæ in primo acceſſu. Præterea quomodò redijt vnà cũ alijs mulieribus, quæ citò ex ordine Angelorum abeuntes diſceſſerunt narraturæ Apoſtolis omnia, vbi illam expectarunt, quæ vnà cum illis vidit, & tenuit pedes Ieſu, & nunciauit? Non te angat quia Ioannes interponit intrà narrationem Magdalenæ, factum Petri, & ſuum,

ſuum, quia non ſeruat ordinem, intentus ſoli factorum narrationi, & quia duobus illis ſolis dicit factam à Magdalena, quia de illis duobus ſolis ad ſepulchrum euntibus verba facit, non de alijs. *Et viſa ſunt antè illos ſicùt deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis*; ità vt parùm profuerit dicere etiàm vidiſſe Dominum, quod clarè inſinuat Marcus dicens: *ſurgens autèm* Ieſus *mane, prima ſabbati* in terræmotu illo, vt dixi, *apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua eiecerat ſeptem dæmonia*; hoc eſt quod narrat Ioannes; hinc vide cōcordiam meam ſtare, quia præmiſi apparitionem factam Magdalenæ antè factam ſimùl omnibus mulieribus, & ſic etiàm erit verum ſemèl tantùm acceſſiſſe mulieres ad ſepulchrum; cur enim iterùm acceſſuræ, ſi iàm Dominum reſurrexiſſe viderant? ſi ab Angelis audierant, cur quærerent viuentem cum mortuis? ſi Ieſus dixerat eis ſe iturum in Galilæam? *Illa videns nunciauit his, qui cum eo fuerant* Apoſtolis, *lugentibus, & flentibus, & illi audientes, quia viueret*, reſurrexiſſet, *& viſus eſſet ab ea, non crediderunt*, concordant igitur Marcus, & Ioannes, ſic & Lucas cap. 24. 22. *Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ antè lucem fuerunt ad monumentum, &, non inuento corpore eius, venerunt dicentes ſe etiam viſionem Angelorū vidiſſe, qui dicunt eum viuere, & abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ità inuenerunt, ſicùt mulieres dixerunt; ipſum verò non inuenerunt*, tacent apparitionem duplicem Ieſu mulieribus, & Magdalenæ factam, quas non credebant, & Matthæus dicit: *in Galilæa in monte, quidam autèm dubitauerunt*; ex his collige vnam tantùm annunciationem factam à mulieribus, quod confirmat vnicam aditionem ad monumentum, non plures in omnibus mulieribus; Sed cur noluit vngi in ſepulchro? quia ſi ibì contrectatum fuiſſet corpus eius à mulieribus, vel alijs notis, eo magis procederet falſa fama, quòd furati eum eſſent diſcipuli, ideò prouidit ne lapis ſuprà tumulum auferri poſſet appoſitis ſignaculis, & cuſtodia, & præuenit Reſurrectione ſua acceſſum fœminarum.

De Militibus corruptis.

QVæ mulieres *cum, abijſſent, ecce quidam de cuſtodibus*, tandèm expergefacti, & à timore liberi, *venerunt in Ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant, & illi congregati cum ſenioribus, conſilio* improbo *accepto*, contrà Deum conſulentes, *pecuniam copioſam dederunt militibus dicentes: dicite quia diſcipuli eius Ieſu nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus*, ſed ſi nocte, quomodò vidiſtis? ſi vobis dormientibus, quomodò & vidiſtis, & audiſtis? *& ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus*; timebant fortè Iudæi Præſidem ne improperaret eis de iniuſtitia, ad quam eum impulerant. *At illi accepta pecunia* omnia corrumpente, *fecerunt ſicùt erant edocti* à Iudæis, *& diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſquè in hodiernum diem*, diſcipulos ſcilicèt furatos eſſe corpus Domini, infelix aſtutia; ſic Achaz nolens petere, ne Deus glorificaretur; ſic Ieroboam exponens idola adoranda, ne Deus in Ieruſalem adoraretur. Euenit quod dicebat illis Ieſus exprobrando, vos non intratis, & non ſinitis alios intrare, quia nedum noluerunt ipſi credere, ſed occultarunt veritatem ne alij crederent; ſic illi veritatem Dei in iniuſtitia detinentes. Rom. 1. 19. ſic Onan fundebat ſemen, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Gen. 38.

De Petro, & Ioanne ad ſepulchrum.

EXceptis à Petro, & Ioanne, qui fortè ſimùl cucurrerant, & erant in loco mulieribus noto, nuncijs, dicit Ioannes. *Exijt ergò Petrus, & ille alius diſcipulus* è domo, *& venerunt ad monumentum*; *Currebant autèm duo ſimùl*, vt citò certi fierent, *& ille alius diſcipulus*, Ioannes, *præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum*,

tum, & cum ſe inclinaſſet vidit poſita lintea-mina, quibus inuolutum corpus; *non tamèn introiuit*, ſatis enim fuit illi videre illa. *Venit*, peruenit *ergò Simon Petrus ſequēs eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſupèr caput eius* Ieſu, *non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatìm inuolutum in vnum locum* monumenti. *Tùnc ergò introiuit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit, nondum enìm* (quandò non credebant) *ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere*. Hæc omnia ponunt, quia ſi furto ſublatus eſſet, non fuiſſent hæc dimiſſa, ſed vnà cum corpore aſportata, & licèt de Petro nō dicat, tamèn videtur illum includere ſub verbo *ſciebant*; Lucas tantùm rem ponit dubiam quòad Petrum, quia dicit: *abijt ſecum mirās quod factum fuerat*; vndè potiùs reor fidem etiàm Ioannis non fuiſſe tùnc, cum tùnc Scripturam de repentè non didiciſſet, ſed de alio tempore quandò Chriſtus apparuit, & illam explicauit, aliòqui difficultèr Ioannes, & Lucas concordabuntur. Sed cur meminit Ioannes, Magdalenam ſolùm Petrum, & ſeipſum certioraſſe? quia ipſi ſoli, & non alij ſepulchrum adierunt, de quo ipſe ſolus fuit ſolicitus, non quòd alijs Apoſtolis Magdalena vnà cum alijs mulieribus omnibus diſcipulis hæc non nunciauerit, vt dicunt alij Euangeliſtæ, & ipſe Ioannes verſ. 18. Sed cum à Magdalena, & alijs audierint Dominum ſurrexiſſe, & ab eis viſum, cur adeunt ſepulchrum? quia quòad viſionem Chriſti mulieribus non crediderunt, nec etiàm fuiſſe ſublatum; ideò putantes poſſe certiorari circà relata de ſepulchro, illud adierunt, & non ſinè prouidentia Dei volentis reſurrectionem claram reddi nedum per mulieres, ſed & per Apoſtolos, & duos, cum in ore duorum, &c. & omnia per eos inſpici, & ſumi argumentum ex linteaminibus, & ſudario in eo relictis, & ſituatis de vera Chriſti Reſurrectione. Hinc, quia non crediderunt Magdalenæ ſupèr Reſurrectione, ſed dubitauerunt furto ſublatum; Euangeliſta non refert niſi dubium Magdalenæ in illa parte in primis verbis, differens infrà relationem eiuſdem: quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. *Abierunt ergò iterum diſcipuli* illi Petrus, & Ioannes *ad ſemetipſos*, redierunt ad locum, vbi erant.

Apparet diſcipulis in Emmaus euntibus.

E*T eccè duo* viri *ex illis* diſcipulis *ibant ipſa die* Dominica *in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalē, nomine Emmaus, & ipſi loquebantur ad inuicèm de his omnibus, quæ acciderant* mortis, & relationis mulierum de reſurrectione Chriſti. *Et factum eſt*, contigit, *dum ſabularentur*, ſermocinarentur, *& ſecum quærerent* de his, *& ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis*, in medio enìm eſt congregatorum in eius nomine, & de illo loquentium, *oculi autèm illorum tenebantur* à Chriſto, *ne eum agnoſcerent*, proùt cum Magdalena exiſtimante eum hortulanum, & ſic ex oculis intuentium hoc procedebat, nō ex Chriſti immutatione; *& ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicèm ambulantes, & eſtis triſtes?* vultus enìm triſtitiam repræſentabant ex colloquio, *& reſpondens vnus, cui nomen Cleophas*, alius ignotus, nominat Cleopham, quia is loquebatur, non alius, *dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus?* damnationem mortis Chriſti, mortem illius, prodigia in eius morte; putant, proùt illis, ità omnibus hæc nota; proùt Magdalena: dicito mihi, ſi tu ſuſtuliſti eum, & ſponſa in Canticis interrogans ſodales, & vigiles, *quibus ille dixit, quæ?* hoc dicit, vt plagam aperiant, & ſanentur, *& dixerunt, De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere, & ſermone coràm Deo, & omni populo*, multa dicunt pro iuſto, non pro Dei Filio; vſquè hùc non credunt in eum vtì Deum, *& quomodò eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis* Pontio Pilato, *& crucifixerunt eum*; illis enìm inſtantibus Pilatus iuſſit crucifigi: *Nos autèm ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael*, & vindicaturus eum in libertatem à ſeruitute Romano-

manorum, eccè alia plaga, putabant enim temporale regnum Chriſti, *& nùnc ſupèr hæc omnia* quod nos angit magìs, *tertia dies eſt hodiè, quòd hæc facta ſunt*, qua dixit ſe ſurrecturum, & adhùc ille non apparet, ſubdunt de mulieribus, & Ioanne, & Petro, de quibus iam dictum, & oſtendunt eis non credidiſſe. *Et ipſe dixit ad eos: ò ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus*, quæ euenerunt ſupèr Ieſum Nazarenum, *quæ loquuti ſunt*, prædixerunt *Prophetæ*. Cum enim ab illis prædicta ſint, proùt Ieſus dixit plurìes vobis diſcipulis, & videatis ea impleta, credere debueratis, *nonnè hæc*, quæ dixiſtis, *oportuit pati Chriſtum, & ità* per paſſionem *intrare in gloriam ſuam* ad Patris dexteram? Phil. 2. *& incipiens à Moyſe* capite Prophetarum, *& omnibus* alijs *prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*, loquebantur, *& appropinquauerunt* his ſermonibus *Caſtello, quò ibant, & ipſe ſe finxit longiùs ire*, compoſuit ſe tanquàm longiùs iturus; ſic Luc. 9. 53. & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ieruſalem. Vt eos alliceret ad ſui hoſpitium, iturus ni feciſſent; vndè nil hìc mendacij, ſed occaſio benè operandi præſtita, fuit actus prudentiæ, proùt Saulis diſſimulantis audire eum deſpicientes. 1. Reg. 10. 27. & exire contrà Dauid. 1. Reg. 23. 13. & Aman diſſimulantis iram. Eſter. 5. 10. *& coegerunt illum* vrbanitèr, *dicentes: mane nobiſcum, quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iàm dies*, eccè vrbanitas, & quomodò coegerunt, *& intrauit cum illis* hoſpitaturus. *Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem*, quaſi Dominus hoſpitij, *& benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*, proùt ſolebat mortalis, & ipſe quoquè comedebat, *& tùnc aperti ſunt oculi eorum*, ab eis velum abſtulit, *& cognouerunt eum, & ipſe euanuit*, diſparuit *ex oculis eorum*, non enim ampliùs erat mortalis, vt cum ipſis diutius morari vellet, ſed more creaturæ intellectualis ſe gerebat, *& dixerunt ad inuicèm: nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* ità vt hoc etiàm ſeruiat pro argumento vero reſurrectionis in illis, *& ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem* nunciaturi theſaurum inuentum, *& inuenerunt congregatos vndecim, & eos*, alios, *qui cum illis erant*, diſcipulos, *dicentes, quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, de quo Paulus. 1. Cor. 15. vndè colligitur priùs apparuiſſe Simoni; quàm his, & fortè poſtquàm viſitauerat ſepulchrum, ſed ſerò, quia hi duo receſſerunt tardè à Ieruſalem, & hoc ignorabant, meruit hoc eius diligentia, & amor ergà Dominum, quæ duo & in Magdalena, & alijs mulieribus concurrebant, *& ipſi narrabant quæ geſta erant in via* in ſermone, *& quomodò cognouerunt eum in fractione panis*, in eſu panis, in ſignũ veræ reſurrectionis, proùt & fecit cum vndecim congregatis: habetis hìc aliquid quod manducetur? & eiſdem dedit reliquias; ſic & ad mare dum piſcarentur. Io. 21. & ipſe filiæ Archiſynagogi in ſignum veræ reſurrectionis iuſſit dare manducare; frangere enìm panem intelligitur comedere panem. Act. 20. 7. cum conueniſſemus ad frangendum panem; & verſ. 11. frangenſquè panem, & guſtans; & quamuis non dixerit his duobus, proùt illis vndecim ſe comeſturum in ſignum Reſurrectionis, quod nec poterat, quia his, proùt illis non ſe manifeſtauerat, ſatis eſt ſignum hoc dediſſe, quod ipſi comprehenderunt, proùt & aliud ſermonis præcedentis, quæ duo recitant vndecim congregatis, ſe ipſum igitur manifeſtauit Ieſus in comeſtione, conſuetum illud faciens intèr eos porrigendi, & diſtribuendi panem, proùt & ad mare Galilææ. Ioan. 21. & hoc modo placuit ſe illis manifeſtare, & oculos eorum aperire, & tamèn eis non credebant ex Marco, vel aliqui, vel omnes, qui poſteà crediderunt Petro. Hos titubantes ſic erexit Dominus, non tamèn ſeipſis propalauit ore proprio, proùt diſcipulis congregatis, quibus id ex ſua miſericordia debebatur maiora aggreſſuris.

Apparet diſcipulis congregatis.

C*Vm ergò ſerò eſſet die illo* iàm dicto *vna prima ſabbatorum, & fores eſſent clauſa, vbi*

ſæ, vbi erant diſcipuli congregati proptèr metum Iudæorum (interrogauerat enim Caiphas de diſcipulis, & timebant quæri ad necem) *Venit Ieſus*, qui iàm diſceſſerat à duobus in Emmaus euntibus, *& ſtetit in medio* diſcipulorum, vt omnes poſſent illum inſpicere, & eo frui, dum illi hæc loquuntur, quæ ſcilicèt eis contigerant cum Ieſu; quibus illi, ſeù aliqui non credebant; vt ex Marco, & Luca, *& dixit eis: pax vobis*. ad tollendum pauorem, & terrorem ex ſubita corporis glorioſi apparitione orientem, *ego ſum, nolite timere? Conturbati verò, & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre*, præſertìm quia clauſis ianuis apparuerat; nō enìm erant capaces corpori glorioſo id quoquè licere; *Et dixit eis: quid turbati eſtis* (hoc apparebat) *& cogitationes aſcendunt in corda veſtra?* (hoc erat occultum) vndè demonſtrat ſe Deum, cuius ſolius eſt corda penetrare. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum, palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet*, ſic ad corda eorum loquitur exiſtimantium ſpiritum eſſe, *ſicùt me videtis habere, & cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes*, Ioannes, *latus*, vt ex cicatricibus, quas in Cruce contraxerat, & retinuerat, illum cognoſcerent; hinc collige, quòd non tetigerunt: quod verò dicit Ioannes: manus noſtræ contrectauerunt, intelligitur de certitudine dicendorum per eum ob continuam conuerſationem trium annorum, & quia recubuit ſupèr pectus eius; ſecum enim verſabantur cum magna reuerentia pòſt Reſurrectionem; vndè Io. 21. *& nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: tu quis es? ſcientes, &c. Adhùc autèm illis non credentibus* firmitèr, ſed aliquo modo, quia aliàs non ſequeretur, *& mirantibus præ gaudio* (gauiſi enim ſunt diſcipuli viſo Domino) de quo gaudio eis prædixerat, *dixit* ad demonſtrationē veræ Reſurrectionis, hanc enim Chriſtus fundare voluit; *habetis hìc aliquid quod manducetur?* ex hoc enim experiemini me ipſum eſſe; *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis, & cum manducaſſet coràm eis* ad manifeſtationem Reſurrectionis *ſumens reliquias, dedit eis*, vt & ipſi manducarent, hinc fit veriſimile manducaſſe cum illis duobus in Emmaus. Tùnc ex Marco cap. 16. *exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia ÿs, qui viderant eum reſurrexiſſe* viuum apparentem, non in actu Reſurrectionis, & hoc colligitur ex alijs Euangeliſtis, & ex Marco ſupra, *& quia viſus eſſet ab ea, non crediderunt*, quia credere debuerant miſſis ab ipſo, & Angelis, *& dixit ad eos: Hæc ſunt verba*, ſeù facta, quæ euenerunt in me, mortis, & illuſionum, *quæ locutus ſum ad vos, cum adhùc eſſem vobiſcum* mortalis. Luc. 18. 44. quandò etiàm dixi me reſurrecturum, vos viſurum iterum, & gaudium magnum vobis allaturum, *quoniàm neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me; tùnc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*, hùc refer fidem Ioannis, quod ſuprà dixi, non quandò fuit ad ſepulchrum, *& dixit eis: quoniàm ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati* (quærit ex animis eorum tollere ignominiam Crucis, qua ſcandalizati remanſerant) *& reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes*, non in Iudæa ſola, *ab incipientibus ab Ieroſolyma*. Act. 1. *Vos autèm teſtes eſtis horum* electi ad hoc munus, qui permanſiſtis mecum, & præſertìm Reſurrectionis. Act. 1. *& ego mitto*, poſtquàm aſcendero (eccè cur per Magdalenam ſignificari voluit: aſcendo ad Patrem meum, &c.) *promiſſum Patris mei* Spiritum ſanctum *in vos*, ſupèr vos. *Vos autèm ſedete in Ciuitate* Ieruſalem *quòadusque induamini virtute ex alto*, Spiritu ſancto è cælo miſſo, fortitudine. *Dixit ergò eis iterum*, iuxtà Ioannem, *pax vobis*; deindè, *ſicùt miſit me Pater* in mundum, *& ego mitto vos*; & ſecundùm Marcum: *euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, omnibus hominibus, ſuſtulit reſtrictionem: in vias gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne introieritis, *qui crediderit & baptizatus fuerit* baptiſmo meo, *ſaluus erit; qui verò non crediderit*, nec repetit (& baptizatus non fuerit) quia ſi non credit, baptiſmo non ſaluatur, ideò etiàm *qui crediderit, & baptizatus fuerit*, quia fides præcedere debet baptiſmum,

condemnabitur, iàm enim iudicatus eſt ex prima ſententia: *ſigna autèm*, miracula *eos*, *qui crediderint*, *hæc ſequentur*, *in nomine meo*, non veſtro, *dæmonia eijcient*, *linguis loquentur nouis*, *ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint*, *non eis nocebit*, vt in Ioanne factum, *ſupèr ægros manus imponent, & benè habebunt*, ſanabuntur. *Hæc cum dixiſſet*, *inſufflauit*, & hinc Spiritum ſanctum ab eo etiàm procedere, nedum à Patre, *& dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis*, abſolueritis, *peccata*, *remittuntur eis*, *& quorum retinueritis* non abſoluendo, *retenta ſunt*, non dimittentur; & hìc ſacramentum pœnitentiæ inſtitutum. *Thomas autèm vnus de duodecim* (etſi deficeret Iudas; reſpicit enim ad congregationem primam) *qui dicitur Didymus*, *non erat cum eis quandò venit Ieſus*. *Dixerunt ergò ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum*, qui nobis apparuit, oſtendit cicatrices, *ille autèm dixit eis: niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius*, *non credam*, non potero mihi perſuadere eum reſurrexiſſe; inuentum Thomæ, quaſi, vos malè egiſtis de facili credentes, non ſic ego: ſed *niſi*, &c. Vniui Marcum cum Luca, & Ioanne, quia mihi videtur idem factum, eadem verba, & quia vltimo tempori non conueniunt verba hæc exprobratoria incredulitatis, quia tùnc omnes credebant. Non obſtant verba Marci, *euntes*, *&c.* quia idem in Luca, & Ioanne de miſſione. Non obſtat mentio vndecim, & tùnc non aderat Thomas, quia reſpicit ad Collegium, proùt & Ioannes dicens de duodecim, & Lucas de vndecim. Non poteſt referri quod dicit Marcus dum apparuit Thomæ, tùm quia cum illo ſolo actum, tùm quia nihil ibì de miſſione, in quam concurrunt cum Marco Lucas, & Ioannes clarè. Marcus dicit *recumbentibus*, & illa hora erat, qua recubuerunt in Emmaus illi cum Chriſto, & fuit ibì quod manducaretur. loquitur de apparitione facta primo die, narrat ſiquidèm de Magdalena, poſthæc de duobus diſcipulis eadem die, nouiſſimè eadem die de hac apparitione facta vndecim; & quòd hoc ſit verùm, die Dominica ſequenti pòſt dies octo apparuit præſente Thoma, ſi enim de alio die, quàm prima ſabbati intellexiſſet Marcus, expreſſiſſet, proùt fecit Ioannes in apparitione Thomæ præſente facta. Vltrà quòd illa Marci non poteſt dici nouiſſima ſimplicitèr, quia aliæ ſubſecutæ ſunt, ſed tantummodò reſpectu primi diei; Ioannes etiàm cap. 21. in apparitione ad mare Galilææ dicit hoc: iàm tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis ſolis congregatis cum reſurrexiſſet à mortuis; prima fuit abſente Thoma; ſecunda illo præſente; tertia ad mare; de quarta dixiſſet, ſi illa Marci eſſet diuerſa. Certum autèm videtur Chriſtum apparuiſſe cum veſte, proùt Angeli ſolent, non nudum; ſic Magdalenæ in forma hortulani, quod ſignificat veſtitum fuiſſe, ſic mulieribus; dedecuiſſet nudum apparere; non enim adhùc aſcenderat in cælum, vbi & omnes erunt ſicùt Angeli, & ideò neque gloriam corporis oſtendit, ſed retinuit, vltrà quòd ſi oſtendit manus, pedes, latus, ergò occultabantur antequàm oſtenderet, & non alitèr, quàm veſte. Sed vbi manſit Dominus, dum non erat cum diſcipulis? eſt probabile fuiſſe in paradiſo terreſtri loco digniori in hoc mundo, & ibi Enoch illum vidiſſe, qui eum non viderat in Transfiguratione.

Apparet Thomæ.

ET *pòſt dies octo* à die apparitionis factæ diſcipulis, *iterùm erant diſcipuli eius intùs*, eodem loco, quo priùs, *& Thomas cum eis*. *Venit Ieſus ianuis clauſis*, *& ſtetit in medio* eorum, *& dixit: pax vobis*, ne terreantur ſubita eius apparitione, *deindè dicit Thomæ: infer digitum tuum hùc*, *& uide manus meas*, *& affer manum tuam*, *& mitte in latus meum*, proba, & fac quod optaſti, dixiſtique cum collegis tuis, *& noli eſſe incredulus*, *ſed fidelis*. *Reſpondit Thomas*, *& dixit ei: Dominus meus*, *& Deus meus es*, non ampliùs incredulus ero. Sed an Thomas verè fecerit, & probarit tactu, quod dicit Dominus? inclinarem non tetigiſſe, quia nec alij tetigerunt, quibus idem dictum, & quia ſi tetigiſſet, actus talis deſcriptus

ptus eſſet ab Euangeliſta, & de Maria Magdalena volente tangere dictum: noli me tangere; de mulieribus, quæ tenuerunt pedes eius dictum clarè; & Thomas potuit ex ſola viſione Chriſti ad fidem reduci, & ex ſola eius exhibitione ſatiari, & confundi, & tactus fuiſſet actus erubeſcētiæ coràm alijs, proùt fuit maioris reſipiſcentiæ non tangere. Et Chriſtus dicit: *quia uidiſti me Thoma, credidiſti*; & quomodò, *vidiſti*, in Thoma intelligendum, cognoſcitur ex ſequentibus, *beati, qui non uiderunt*, & ſic non poteſt intelligi de palpante, ſed vidente ſimpliciter; ſed quia multi Patres ſunt in contraria ſententia, & verbum *uidiſti* poteſt aptari & ad tactum, propterea non eſt excludenda, ſed amplectenda hæc opinio Thomam tetigiſſe, & obediuiſſe Domino dicenti: *Infer, &c. Dixit ei Ieſus, quia uidiſti me Thoma credidiſti* me reſurrexiſſe, ſic Regulo: niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis, noluiſti enim credere referentibus me vidiſſe, qui ſigna reſurrectionis meæ viderant, ſed voluiſti oculis tuis probare, *Beati qui non uiderunt, & crediderunt*, hæc verba ad credituros referuntur: beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me, qui ob ignominiam Crucis non ſcandalizabitur, quin credat & gloriam reſurrectionis. *Multa quidèm, & alia ſigna*, miracula *fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, hæc autèm ſcripta ſunt, ut credatis, quia Ieſus eſt Filius Dei*, hic fuit ſcopus Ioannis, *& ut credentes uitam habeatis in nomine eius*, per nomen eius; hæc eſt autèm vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Apparet iuxtà mare Galilææ.

P*oſteà manifeſtauit ſe iterum Ieſus diſcipulis ad mare Tiberiadis*, in Galilæa: dixerat enim illìc ſe manifeſtandum, & illos viſuros, & illùc abierant vitantes Ieroſolymitas, & ſic nunquàm deeſt Dominus ſuis, *manifeſtauit autèm ſic: Erant ſimùl Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: uado piſcari:* (fortè enim indigebant, quia non aderant loculi, nec magiſter ſolitus eis ſubminiſtrare neceſſaria, non cauſa recreationis.) *Dicunt ei alij: Venimus & nos tecum & exierunt, & aſcenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt*, ex Dei prouidentia, *mane autèm facto, ſtetit Ieſus in littore* è contrà, *non tamèn cognouerunt diſcipuli, quia Ieſus eſt*, fortè ob nimiam diſtantiam, & aliud cogitantes. *Dixit ergò eis Ieſus*, volens ſe manifeſtare, qui idcircò ibì ſtabat. *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* piſces habetis? *reſponderunt ei: non. dicit eis: mittite* (conſulit) *in dexteram nauigij rete, & inuenietis, miſerunt ergò* fidem ei habentes, *& iàm non ualebant illud trahere præ multitudine piſcium*, ſic aliàs: in verbo tuo laxabo rete, & obſerua in principio vocationis horum factum miraculum in captura piſcium, in fine idem, iuxtà inclinationem noſtrā Deus venatur nos. *Dicit ergò diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*, Ioannes, *Petro* perſpicatior, & quia virgo acutior, & captura piſcium expergefactus. *Dominus eſt*, aliòquin quis tantam piſcium multitudinem capiendam obtuliſſet? eſt hoc extraordinarium: *Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare*, natans, *alij autèm diſcipuli nauigio uenerunt (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium* in hoc occupati; dat rationem cur nō & ipſi in mare ſe miſerint; *Vt ergò deſcenderunt in terram* ex naui, *uiderunt prunas poſitas, & piſcem*, ideſt piſces, proùt muſca in clade Aegyptiaca, *ſupèrpoſitum, & panem*, pro panes; non enim præparaſſet tàm arctam annonam pueris ſuis Ieſus, non ex nihilo, ſed ex materia præexiſtenti, vt in principio creationis piſces ex aqua, & ex Adam Euam, vel ex mari piſcem extractum, proùt illum cum ſtatere ad ſoluendum tributum, & coturnices tràns mare arreptas à vento delatas. Num. 11. 31. *Dicit eis Ieſus: afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nùnc, aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quin-*

quaginta tribus, & cum tanti tàm magni *eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Ieſus: uenite, prandete, & nemo audebat diſcumbentium interrogare eum, tu quis es? ſcientes, quia Dominus eſt, & uenit Ieſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimilitèr;* ſic ſolebat; ſic egit cū diſcipulis in Emmaus; hincquè illum cognouerunt, ſeù potiùs ſe- cognoſcendum exhibuit in fractione panis. *Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis* (ſtrictè ad illos) *cum reſurrexiſſet à mortuis*, bis in cœnaculo, & hìc, vndè apparitio Mariæ benè vnita cum alijs. *Cum ergò prandiſſent* in littore, *dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plùs his?* vt in Petro oſtendat humilitatis & charitatis virtutes, & mutationem, & dignum alijs præferri, & poſtpoſiti non ægrè ferant, proùt quandò illum elegit, à Patre id factum manifeſtauit, ad eundem finem illum ſic interrogat. *Diligis me plùs his?* quia ſi non diligeret plùs his, eſſet Simon in primo ſuo ſtatu, non aſſumendus ad primatum; nec dignatur illum eo honore, donèc in charitate radicetur, & catechizetur in ea. *Contriſtatus eſt Petrus*, quia amore ardebat, nèc poterat pati tot interrogationes, *tu ſcis, tu omnia noſti*; ſic Ezec. 37. 3. Domine Deus tu noſti, cautè loquitur ſemèl ictus. Ex verbis *paſce agnos, oues meas*, Chriſtū Petro primatū contuliſſe, quod antè præmiſerat, apud omnes exploratū eſt; & in amore illum fundat, ſicùt enim fundamentum primarium Chriſti in charitate vſquè ad mortem, ità fundamentum ſecundarium in eadem charitate voluit eſſe poſitum, vndè ſubdit: *Amen, amen dico tibi: cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas ubi uolebas*, nullo impediente; *cum autèm ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis; hoc autèm dixit ſignificans qua morte clarificaturus*, glorificaturus *eſſet Deum*; prædicit ei mortem Crucis pòſt primatum datum, inſtruit Petrum quòuſque amor ille protendendus ſit ergà oues paſcendas, nempè vſquè ad mortem, & in hac cum ſequeretur, qui animā ſuam pro ouibus poſuerat, nulla enim maior charitas, &c. & ſic non putaret ad delicias vocari, ſed ad anguſtias, proùt aliàs dixerat: eccè ego mitto vos ſicùt oues intèr lupos, &c. *& cum hoc dixiſſet, dicit ei: ſequere me* progredientem. *Conuerſus Petrus uidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem* eos, *qui & recubuit in cœna ſupèr pectus eius, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te?* cum fiat mentio huius recubitus aliquid innuitur vel myſterij, vel familiaritatis, & ad demonſtrandum maiorem amorem, & vt intelligeremus non fruſtrà motum Petrum ad interrogationem, cum ſciret quali Ieſus Ioannem proſequeretur amore, & quàm familiaritèr eo vteretur. *Hunc ergò cum vidiſſet Petrus* illius ſolicitus, *dixit Ieſu: Domine, hic autèm quid?* faciet. *Dicit ei Ieſus: ſic eum volo manere* abſquè martyrio finali, non me ſequi per mortem violentam, ſicùt tu me ſecuturus es, *donèc veniam*, donèc vocem illum ad aliam vitam, donèc veniam per mortem naturalem illum ad cælum ducturus; tùnc enim Dominus dicitur venire. Apoc. 2. 16. & 3. 3. 1. Cor. 3. 13. 2. Theſ. 5. ille enim dies, qui vt fur venit, ideò ipſe in fine Apoc. veni Domine Ieſu. *quid ad te?* an hoc vel illo modo moriatur? aufert à Petro ſolicitudinem, vel curioſitatem, *tu* verò *me ſequere* per viam Crucis. *Exijt ergò ſermo iſte intèr fratres*, diſcipulos, *quia diſcipulus ille non moritur, & non dixit ei Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere* abſquè martyrio, quod prædixi Petro, *donèc veniam* ad illum recipiendum *quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia uerum eſt teſtimonium eius*. Quòd autèm Ioannes ſic manſerit, & mortuus ſit morte naturali, habetur ex hiſtorijs, & vltrà adductos ab alijs, Teophil. in argum. ad epiſt. ad Epheſios, Epheſi enim dicit relegatum, & mortem oppetijſſe. S. Io. Chryſoſtom. hom. 26. in epiſt. ad Heb. dicit: nàm Petri quidèm, & Pauli, & Ioannis, & Thomæ manifeſta ſepulchra; & Eccleſia eius feſtum celebrat, & ipſe dicit, *non dixit ei Ieſus non moritur*. Non dicas non fuit viſus mortuus, ergò viuit. Nàm ſi in ſepulchro poſitus, vtiquè vel iàm mortuus, vel dum poneretur, alioqui nec ipſe, nec alius ibi eum poſuiſſet, vel demens creditus eſſet, quod abſit de Ioanne, vltrà quòd & ſepulchrum, ſeù ſe-

pulchri

pulchri memoria manſit. Dices, cadauer non fuit repertum, eſto, non tamèn inferre potes, ergò viuit, quia ex hiſtorijs conſtat mortuum eſſe, nequè ex hoc ſolo potes inferre, ergò non eſt mortuus ex prædictis; nempè ſi iungas hiſtorias, & dictum illud: *non dixit ei Ieſus non moritur*. Non dicas Eccleſia celebrat feſtum Eliæ, nàm cum ad extrema tempora reſeruetur, nec poſſit tùnc ei perſoluere laudem, tempus præuenit, & illius meminit in martyrologio vtì viri ſancti, & in gratia confirmati, & ob magna ab eo geſta, ob tranſlationem apparentem, ob impetratum Eliſeo duplicem ſpiritum; quia interfuit transfigurationi, ob memoriam de illo à Chriſto habitam, quod ſecùs in Enoch ſocio Eliæ occultè tranſlato, de quo nullum factum, niſi quòd ambulauit cum Deo, & prædicatio Iudicij, Iudas in Epiſt. ideò illius non facit commemorationem niſi in commēdatione animæ. At Ioannis defuncti feſtum celebrat, & ſicùt certa eſt de vita Eliæ, ità eſt de morte Ioannis, cuius mortem celebrat. Imò videtur illa etiàm veriſimilis opinio translatum eſſe in cælum vnà cum corpore, ibiquè manere, & ità intelligenda verba Chriſti, *ſic eum uolo manere*, proùt nùnc manet in corpore, & anima, ſcilicèt ſuperueſtiri gloria pòſt mortem, corpus non corrumpi, & in cinerem verti, & mecum eſſe in cælo, *donèc ueniam* ad iudicium, quo tempore omnes reſurgent, & verè in his verbis Chriſtus aliquod magnum myſterium ad fauorem Ioannis ſignificauit, & aliud non poſſumus ſuſpicari niſi hoc. Si enìm magnum illud ſequendi Chriſtum ad Crucem in Petro; non minori priuilegio cenſendum dotaſſe Ioannem, & is intellectus videtur priori præponendus, quia primus parùm ſignificat, & quia Ioannes martyr fuit, martyrquè nominatur à Patribus ob ea, quæ paſſus eſt ſub Domitiano, & ſub Cruce ſocius matris; Vndè non applicatur, *ſic eum volo manere*, ſinè martyrio, ſi martyr fuit. Confirmatur quia Angeli docentes Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam immortalem, & æternam, dixerunt. Act. 1. Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælū, ſic veniet ad iudicium quemadmodum vidiſtis eum euntē in cælum; dicentes enìm de iudicio dicunt inſimùl in æternum ſic, duraturum; nàm iudicium eſt vltima actio in mundo ſucceſſura, quia antè illud fiet reſurrectio vniuerſalis, & renouatio omnium creaturarum. Rom. 8. non enim hæc renouatio differretur pòſt iudicium, vt aliqui autumant, quod alibì tenui, & probaui. Dices diuerſam eſſe rationem Chriſti, & Ioannis, verborum Chriſti, & Angelorum, quia Angeli loquuntur de Chriſto mortuo, rediuiuo, in cælis ſtante; Chriſtus de Ioanne nondum mortuo; at ſi iungas quod ſubdit Ioannes, *& non dixit Ieſus non moritur, ſed ſic eum volo manere donèc veniam*, ad iudicium, & ſic verbum, *donèc*, importabit in æternum, vt dixi ſuprà, & mortem Ioannis præſupponas, proùt neceſſariò præſupponenda ex his verbis, profectò de neceſſitate, vt verba Chriſti fidelia, & neceſſariò verificāda, *ſic eum volo manere donèc veniam*, verificentur, non poterunt alio modo verificari, niſi dicas Ioannem mortuum, eundem reſurrexiſſe, & eſſe cum Domino in cælis, quæ eſt ſedes reſurgentium ad vitam; & is vltimus intellectus verborum magìs ſatisfacit, quàm primus, *donèc veniam* in eius morte, qui ex hoc deſtruitur; & nullum eſſet priuilegium Ioannis ſi māſurus erat hìc ſinè martyrio, & mortem naturalem paſſurus. Vltrà quòd non ſic manſiſſet proùt tùnc erat. Et à mortuis rediuiuo (ſic enìm credendum à ſepulchro ſurrexiſſe) aptatur euectio in cælum, proùt in ſanctiſſima Virgine. Confirmatur, quia in terris non reperiuntur vllibi eius reliquiæ, non enìm veriſimile dimiſſas à Deo abſquè honore tanti viri reliquias, quod argumentum ſeruit & pro Sancto Ioſeph, & Moyſe, & alijs. Accedit quia virgo erat, & diù vltrà alios Apoſtolos carnem mortificans, & præuenturus tempus reſurrectionis vniuerſalis ad beatitudinem ſe præparans, fuit in mundo. Et quod de eius reliquijs circumfertur, puto intelligendum de ſepulchro, veſtibus, vel ſimilibus, non corporeis. Et ſi Petrus de illo, *hic autèm quid?* quid credendum de ſolicitudine Virginis magìs perfectæ, & in cælo aſſumptæ recipiendi Ioannem in ſua, in cælum vbì illa Regina, quod Ioannes fecit in terra cum illa? & ſi Ieſus adeò eum dilexit,

 vt il-

vt illi cõmendauerit matrem, dans illi eum in filium, & ipſam illi in matrem; credendum & in cælo voluiſſe cũ matre pòſt mortem in carne conuiuere. Dices, Ioannes Baptiſta, quo nullus maior intèr natos mulierum, non fuit translatus in cælum, quomodò Ioannes? Reſpondeo, Ioannes adimpleuerat officium ſuum; Baptiſta adhùc adimplebat, & adimplet iuſtitiam, nàm quod in vita fecit præcurrendo antè Meſſiam, quod fuerat antè prophetatum, nùnc pòſt mortem adimplet reliquijs ſuis demonſtrando Deum ſatisfeciſſe promiſsis, & prophetijs, & his in mundo extantibus tàm Hebræi, quàm Gẽtiles ad conuerſionẽ adduci, & præparari poſſunt, quod non contingebat in reliquijs Ioannis, eo magìs quia in Euãgelijs fit mẽtio pluriès teſtimonij ipſius Baptiſtę, quod à reliquijs eius extantibus his diebus maius recipit robur; & Act. 1. dicitur: incipiens à baptiſmate Ioannis, &c. Hinc voluit Chriſtus, qui non potuit teneri doloribus Inferni primogenitus mortuorũ, ad eundem finem reſeruari in terris omnia inſtrumenta, & res, in quibus natus, paſsus, ſepultus, cõmoratus à conceptione vſquè ad Aſcenſionem, in qua veſtigia pedũ reliquiſse dicitur, clauos, lanceam, ſpineam coronã, ſepulchrũ, Domum Lauretanam, Vultum Veronicæ, & ſacras cicatrices in corpore diſcipulis oſtenſas. Et dicitur Eliſeum pòſt mortem prophetaſse, dum mortuum ſuſcitauit. 4. Reg. 13. 21. Eccl. 48. & Ioſeph dum eius oſsa exportata ad terram promiſſionis. Eccl. 49. Gen. 50. 24. Non obſtat Ioannem non eſſe paſſum finale martyrium, proùt dixit ei Chriſtus: Calicem quidèm meum bibetis; nàm cum Chriſtus non ſe explicet de martyrio finali, imò hìc videatur illud excludere dicens *ſic eum volo manere*, maximè in concurſum Petri, cui iàm martyrium predixerat, ſatis fuit pati ſub Domitiano, & ſub Cruce. Non obſtãt verba chriſti: ſunt de hic ſtãtibus, &c. Matth. 16. 28. quia illa intelliguntur de viſione gloriæ in Transfiguratione, quæ ſequitur; vel in Reſurrectione, & Aſcenſione, vt ibì dixi; & quia cũ ſint prolata in plurali: ſunt de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donèc videant, &c. ſicùt rectè aptantur ad tres in Transfiguratione, multos in Reſurrectione, & Aſcenſione, ità minùs rectè ad vnum tantùm, cum numerus pluralis ſaltèm duos deſideret. Tertiò quia non poſſunt aptari verba (venientem in regno ſuo) ad tempus iudicij, cum iàm potiatur Regno per multa ſæcula, & quo non ad Regnum, ſed ad iudicium venire dicitur. Non obſtant verba: oportet te prophetare iterum, &c. Apoc. 10. 11. quia id fecit liberatus ab exilio ex Inſula Pathmos, & ex Euangelio promulgato, vt ibì dixi, & cum ſemèl hoc præſtiterit, nõ poſſumus diuinare id reiterandũ eſſe. At volentes dare aliquem honorem Ioanni, dicunt ipſum viuum tranſlatum, & reſeruari in Paradiſo Terreſtri, & venturum cum Enoch, & Elia tempore Antichriſti, & paſſurum martyrium, quæ opinio non videtur veriſimilis. Nàm primò ex hiſtorijs conſtat de eius morte, quæ non iteratur; ſtatutum eſt enim hominibus ſemèl mori. Secundò, venient tùnc Enoch, qui ſub lege naturali gentibus, Elias qui ſub Moſayca Hebræis, pro Euangelica aderũt viui, qui eam defendent, & promulgabunt, & ijdem, ergò fruſtratorius aduentus Ioannis. Si vis venturum Ioannem Hebræis (etſi decipiaris) ſuccedet abſurdum ſi duo ad illos, Ioannes, & Elias, duo etiàm reſeruandi, & mittendi erant gentibus; at ſolus Enoch pro gentibus, ergò ſolus Elias pro Hebræis non Ioannes, aliòqui ad imparia iudicabuntur. Quartò, certi ſumus de Enoch, & Elia venturis, quia Scripturæ paſsim hoc dicunt; de Ioanne nullibì, ideò nõ poſſumus ex aliundè petitis hoc adſtruere: & iàm reſponſum Scripturis, quibus opinio hæc innititur. Quintò, inuèriſimile admodum eſt Deum voluiſſe in tot Scripturis de translatione Enoch, & Elię apparere, proùt etiàm de præcurſore Ioanne Baptiſta: & de Ioanne tanto viro, tot edituro iuxtà hanc opinionem nullam mentionem haberi, ſi is, proùt illi, reſeruaretur, & venturus eſſet cum illis, præſertìm quia illuſtrior illis Ioannes magiſquè dilectus. Et aduertẽdum nõ ab re factũ, vt prædictum fuerit per Prophetas de Io. Baptiſta, Enoch, & Elia, & Chriſtuſmet de Elia prædixerit, ſed vt venturis maior fides haberetur quòad dicta, & perſonas, quod cũ in Ioanne non ſit factum, nec credendũ ad illud tẽpus reſeruatũ eſſe;

Si argumentũ retorques itidẽ non apparere de tranſlatione illius in cælum; quæ eſt contraria opinio. Reſpondeo diuerſam eſſe rationem tranſlationis in Paradiſum Terreſtrem, & aduentus tranſlatorum, & euectionis in Paradiſum cæleſtem, nàm tranſlati in terreſtrem manifeſtè, quia adhùc non habent ſtatum finalem, & ſunt viatores, & expectantur functuri nouo officio, non ſic in tranſlatis ad gloriam, qui habent ſtatum permanentem, æternum, fixum, à quo diuelli non poſſunt, nec ampliùs ad noua munia expectantur. Hinc nemo vidit aſcendentem Beatiſſimam Matrem, quòd ſi hoc in illa, cur non idem in Ioanne? ſic etiàm nemo vidit aſcendentes captiuos, quos ſecum Dominus ducebat, illius ſolius fuit priuilegium ad profectum noſtrum, & fidem ſtabiliendam, ne ſuſpicaremur quò iuiſſet. Sextò, tranſlati ſunt Enoch, & Elias in iuuentute ſua, ne malitia mutaret intellectum, & magno priuilegio donati ſunt, & donabuntur. Apocal. 11. & parùm in vinea Domini laborauerunt, præſertim comparatione Ioannis; non ſic Ioannes ad vltimam, & decrepitam ſenectutem deductus, vt ad Eccleſiam à diſcipulis portaretur, & qui ſempèr in vinea laborauerat, vt illi præmium non eſſet differendum, præſertim à liberali Domino, qui cum conuerſatus fuerat, & ſibi chariſſimus erat, & ſcriptum eſt de magiſtris noui teſtamenti: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, proptereà populi confitebuntur tibi, illicò prædicabunt, & ad Deum adducent populos, & iterum: Sicùt ſagittæ in manu potentis, ità filij excuſſorum. Aliòqui Deus, reſeruando Ioannem ſuum Apoſtolum, faceret contrà eius morẽ; dicitur enim Eccl. 11. 24. Benedictio Dei in mercedẽ iuſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat, & hæc, quæ in Ioanne, non poſſunt in Enoch, & Elia conſiderari. Septimò, Deus nõ diminuit dona ſeruis ſuis, dona enim eius ſunt ſinè pœnitentia; Dominus non priuat bonis ſuis eos, qui ambulant in innocentia; imò auget gratiam ſupèr gratiam, diminueretur autem Ioanni, ſi pro præſentia Chriſti, qua fruitus eſt, pro conuerſatione Matris Sanctiſſimæ, ad ſocietatem Enoch, & Eliæ adſciſceretur, ideò non videtur tenendum. Octauò, in Apocalypſi ipſe Ioannes Propheta, & cap. 11. meminit Enoch, & Eliæ duorum reſtium venturorum; quomodò ergò ipſe, qui prophetauit hæc, præſens illis erit, qui duos tantùm teſtes dicit futuros? cur ſi cum illis ipſe venturus, de ſe tacet? manca ergò eſſet ſua Apocalypſis. Nonò, iam erat vnum ex fundamentis Ciuitatis cæleſtis. Apocal. 21. 14. vndè non eſt ampliùs ad noua ædificia aſſumendus. Non obſtat, è adauer eius non fuit repertum; ergò tranſlatus in Paradiſum terreſtrem, quia hæc conſequentia non currit, nàm ad illum tranſlati ſunt viui morituri, prout Enoch, & Elias, non mortui. Et ad firmandam hanc opinionem fruſtrà diuinamus ibi frui beatifica viſione, quæ non datur viuenti, nec poſſet in mundum reuerti moriturus, & nimium ei daretur, ſi conferretur cum Chriſto, ità vt nunc beatus poſſet illo tempore pati, & omnia eſſent contrà omnes regulas Dei. Dices, verba; *ſic eum volo manere;* non aptantur mortuo, & tranſlato; Reſpondeo de neceſſitate ſic eſſe intelligenda; præſuppoſità enim morte, quæ non poteſt negari ex iàm dictis, *&* quia *non dixit Ieſus non moritur,* ſi ſic manſurus erat, non poteſt mortuo dari alius ſtatus, vel manſio, non mundi, quia iàm mortuus, non Terreſtris Paradiſi, quia mortuus, nec poteſt iterum mori, & à morte violentà præſeruatus, ergò illa manſio in cælo. Dices, non erit ſic; vriquè erit ſic, quia idem numero Ioannes ſed gloria circumdatus, & eſt conforme Euangelio, quia dicit Ioannes ſe moriturum, *& non dixit Ieſus non moritur,* & hoc clarè quod ordinarium erat, neque erat ſuæ laudis, ſed verbis aridis, & ſiccis, *ſic eum volo manere,* non explicat quod ſequebatur extraordinarium, quia in ſuam laudem, & gloriam redundabat; ſic omnes ſancti reticent corum ſecreta. At iunge *non dixit Ieſus non moritur,* moriendum Ioanni, data morte, *ſic eum volo manere,* prout nunc inuenitur; dices, neceſſariò ergò tranſlatus in cælum, quia alio modo ſic manere non poterat. Non dicas moriendum Ioanni, ſed cum Enoch, & Elia tempore Antichriſti; nàm obſtant quæ dixi, & certitudo mortis ex hiſtorijs, & abſurda circà Paradiſum terreſtrem, & venturos, ſed quodnam priuilegium Ioannis ſic reſeruati?

adhùc

adhùc pendentem, & expectantem gloriam ſic dimittere? eſſet hoc abſurdiſſimum; Quarè concludo veriſimiliorem eſſe opinionem, Ioannem rediuiuum ad cælos tranſlatum. Similitèr non placet Enoch, & Eliam frui beatitudine in Paradiſo terreſtri, hæc enim eſt opinio diuinatiua in morituris, & multa miracula congerenda, quòd induti mortalitate Deum videant, quòd gloria animæ non redundet in corpus, quòd ſit ceſſatura, quandò iterum in Antichriſtum procedent in mundo, & quòd anima beata ſit ad mundum reuocanda corpus moriturum informatura; quæ omnia videntur aliena. Sed quandò hi fuerunt beatificati in anima? antè Chriſti reſurrectionem? non, quia Elias non indiguiſſet curru ad petendum cælum, cum agilitas corporis, quæ eſt in beatis, eſſet ſufficiens, & Chriſtus primogenitus, antè ipſum nullus; ſi pòſt, quandò? quis reuelauit? liberalis Deus iuxtà eorum merita, paſcit illos abſquè tot miraculis, & compenſare poteſt tempora multa in æternitate, præcurſores ſuos illos fecit, qualis hæc dignitas ex Ioanne Baptiſta colligitur; dedit illis conuerſionem tùm gentium, tùm Iudæorum; ſuſcitabit illos, & euehet ad gloriam pòſt triduum mortis ſuæ, erunt martyres, quid plura? Et nonnè magnum fuit priuilegium trāſferri, & in tuto poni, ne malitia mutaret intellectum? Sap. 4. 11. 14. nonnè Enoch tranſlatus eſt vt det, prædicet gentibus pœnitentiam. Eccleſ. 44. 16.? Elias ſcriptus in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium, & reſtituere tribus Iacob. Eccl. 48. 10. nempè per primum gentes, ſuo enim tempore non erat diſtinctio populi Iſraelitici, per ſecūdum Iſraelitas, quorum reliquiæ in fine conuertentur; nonnè Elias præueniet ſecundum aduentum Domini. Malach. 4. Matth. 17? nonne hi occidendi ab Antichriſto. Apocal. 11.? & quomodò id fiet cum anima beata? durum eſt enim credete hos beatos in anima (de corpore enim minus dubium) ad mortem vocari, nec poteſt conuenire cum dicto. cap. 11. Apocal. in quo habetur de illorum glorioſa reſurrectione tùnc pòſt tres dies ſecutura in conſpectu omnium, ſi tùnc enim gloriam induent, non antè induerunt, & ſi antè induiſſent, vix fieri poſſet, vt ſcriptura tot præconijs eos celebrans, in maximo omnium illos defraudaſſet; hìnc videntur omnia contraria diuinatiua. Mirum non eſt hos inuocati ad aliquid à Deo impetrandum, nàm priuatim & viuos inuocamus, & exaudimur, vt in exemplo Abrahæ. Geneſ. 20. Lot pro Segor, & ipſemet Elias rogatus ab Eliſeo de duplici ſpiritu, exauditus eſt. 4. Reg. 20. 12. Eccleſ. 48. 13. & hi quales ſint apud Deum, habetur. Eccleſ. 44. & 48. & Apoc. 11. Nonnè impoſitum à Deo amicis Iob, vt eo vterētur deprecatore? & Onias pro Heliodoro impio hoſtias obtulit, & exauditus eſt. 2. Machab. 3. Si dicis, cur hos priuaret Deus per tot tempora beatitudine? dicam ego, cur per tot ſæcula Abel, & omnes iuſti in Limbo fuerunt; cur Mater non illicò Filio aſſumpto in cælum aſſumpta eſt, cur Ioannes dilatus? O altitudo, &c. & omnia in ſapientia feciſti, &c. nonnè figulus aliud vas in honorem, aliud in cōtumeliam? poteſt ne vas dicere figulo, &c. Rom. 9. 21. quid Deo ſi hunc effert, illum differt? etiàm martyribus vindictam expetentibus dictum, vt requieſcerent adhùc modicum, donèc complerentur conſerui eorum. Apocal. 6. At cur Ioannes non eſt paſſus martyrium? & tamèn is erat, quem diligebat Ieſus, & è conuersò ipſe amabat Ieſum? Credo ſub Cruce paſſum eſſe martyrium, proùt Virgo Ioanne charior, cuius animam pertranſiuit gladius, & ſub Domitiano oleo, veneno, relegatione, ſed non ad mortem, quia *ſic eum volo manere. Sunt autèm & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*, hyperbolicè loquitur ad demonſtrādum ſignorum numerum immenſum.

De apparitione in monte Galilææ.

V*NDECIM autèm diſcipuli*, certi de reſurrectione Chriſti ex multis apparitionibus, *abierunt in Galilaam* prouinciam, nō partem Montis Olіueti. Primò, quia ſempèr ſimplicitèr eam ſic appellauit;

dùm

dùm pòſt reſurrectionem in Galilæam eis appariturum ſe dixit, & eos ire illùc iuſſit. Secundò, quia iubendo dicit, vt eant, & Matthæus, *abierunt*, quæ verba denotāt longius iter. Tertiò, quia dicitur *abierunt in Galilæam*, & deindè, *in montem vbi conſtituerat illis Ieſus*. Quartò, quia conſtāt diſcipulos ibi piſcantes à Ieſu inuentos. Quintò, quia voluit ſecum agere liberiùs; quod in Iudæa in parte montis Galilæa dicti (ſi talis erat) non poterat; imò vt eſſent abſquè timore, locus ille erat ſpeciatim aſſignatus; *in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus*, antè, & pòſt mortem, & dixerant Angeli; *& videntes eum adorauerunt* adoratione latriæ, in Deum recognoſcentes, *quidam autem*, parùm firmi *dubitauerunt* ex vndecim; & in illo die; & actu iuxtà contextum Matthæi, & quia dum de dubitantibus agitur apud omnes Euangeliſtas, de diſcipulis his eſt ſermo, præter quàm de Emmaunte petentibus; His tamen obſtat, quòd videntur credidiſſe quandò apparuit Thoma abſente, & præſente; vndè verbum, *dubitauerunt*, videtur referendum ad priores dies, non hunc, præſertim quia Matthæus non dixit alibi de dubitantibus. Vel ad alios in monte cum diſcipulis ſtantes; nàm de facili hæc eſt illa manifeſtatio inſignis facta pluſquàm quingentis fratribus, de qua Paulus. 1. Corint. 15. & illa prædicta à Chriſto: ſed poſtquàm reſurrexero præcedam vos in Galilæam, quam poſtquàm reſurrexit, & ipſe, & Angeli commemorantes mandarunt Apoſtolis nunciari, & admodum congrua fuit hæc apparitio in Galilæa, tùm quia multis facta, tùm in regione, in qua educatus, & coràm illis, qui eum agnoſcebant, & quibuſcum conuerſatus erat, vt reſurrectio magis ſtabiliretur. *Et accedens Ieſus* cominùs *locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi*, nunc poſt paſſionem, *omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Philipp. 2. & David: de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput; aliàs dixerat: non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierūt domus Iſrael; & Apoſtolis: in viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, nunc eos in orbem totum miſſurus præmittit de poteſtate in cælo, & in terra abſquè vlla limitatione tradita iuxtà illud Pſalmi ſecundi: Poſtula à me, &c. ne dicerent quomodò nunc in totum Orbem mittis, quos tantùm ad oues Iſrael tu miſſus mittebas? *Euntes ergò docete omnes gentes* nedum Hebræos ſeruato ordine. Act. 1. imbuite omnes Euangelio meo; *baptizantes* inſupèr *eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; hæc eſt forma baptiſmi *in nomine*, eſſentiam vnam dicens. *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, perſonas tres diſtinguens, & hanc formam nunquàm immutatam exiſtimo; cur enim præſumenda mutatio? & proptereà non credo baptiſmum vnquàm collatum ab Apoſtolis in nomine Chriſti, de hoc tamen fuſiùs in Act. Apoſt. & Marc. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*; niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3. *docentes eos ſeruare omnia quacunque mandaui vobis* integrè, vt vitam æternam conſequantur. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, nàm qui in vno deficit factus eſt omnium reus. *Et eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſquè ad conſummationem ſæculi*, ad augendos animos, proùt Abſalom cum ſeruis in Amnonem, ſcirentquè protegi, & aſſociari ad tantum munus; illudquè libentiùs arriperent, & hoc fuit neceſſarium ouibus intèr lupos euntibus, portantibus nomen Chriſti coràm regibus, gentibus, filijs Iſrael, ſed hæc promiſſio diffunditur ad totam Eccleſiam, quia illi non erant futuri vſquè ad ſæculi conſummationem, vndè: portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

C A-

CAPVT CXLIX.

DE ASCENSIONE DOMINI.

Marc. 16.

19 *ET Dominus quidèm Ieſus, poſtquàm locutus eſt eis, aſ-*
20 *ſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. * Illi au-*
autèm profecti prædicauerunt vbiquè Domino cooperante,
& ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Luc. 24.

50 E*DVXIT autèm eos foràs in Bethaniam: & eleuatis manibus ſuis bene-*
51 *dixit eis. * Et factum eſt, dum benediceret illis: receſsit ab eis, & fereba-*
52 *tur in cælum. * Et ipſi adorantes regreſsi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno:*
53 ** & erant ſempèr in templo, laudantes, & benedicentes Deum. Amen.*

COMMENTARIVS.

PRAESVPPONENDA noua apparitio facta in Ieruſalem, ad quam è Galilæa, vbì in monte eis apparuerat, eos creditur amandaſſe; ſignificans indè ad Cælos aſcenſurum, ibiquè vltimum vale daturum, & posteà ſequi textum Lucæ. *Eduxit autèm eos foras* à Ieruſalem, vbì eis apparuerat, & cum eis comederat, iuſſeratquè ne indè diſcederent, donèc induerentur virtute ex alto, *in Bethaniam*, ad Montem Oliueti, & in monte illo conſtitutus præmiſſis eis, quæ habentur. Acto. 1. *& eleuatis manibus ſuis benedixit eis*, deprecans omnia bona, proùt Moyſes, Iacob, Ioſue abeuntes ad populum ſuum; *& factum eſt dum benediceret illis*, veriſimilitèr ſigno Crucis in aere, *receſſit ab eis, & ferebatur in Cælum* virtute ſua: *Et* (ex Marco) *Dominus quidèm Ieſus poſtquàm locutus eſt eis* diſcipulis *aſſumptus eſt* ab eis propria virtute, quam habebunt omnia corpora glorioſa, *in Cælum*, *& ſedet à dextris Dei* in omni bonorum fruitione, in ſumma gloria, qua illi æqualis, non tamèn in minimo excedens, quia etſi iudicium ei datum, id vtì homini recognoſcenti à quo accepit, nec diminutus qui dedit, & quia tota Trinitas inuiſibilitèr iudicatura; ad quam gloriam denotandam vtitur ſeſſione, quia tùnc dicimus poſſidere pacificè, etſi ipſe in Cælo ſtet, proùt Stephanus dixit, & dextera, quæ præfertur ſiniſtræ, ponitur pro bonorum implemento. *Et ipſi adorantes* eum recedentem, quod & fecerunt in monte Galileæ. Matth. 28. 17. *regreſſi ſunt* illicò *in Ieruſalem*, vndè diſceſſerant, *cum gaudio magno*, pro tùnc ob metum Iudæorum veriſimilitèr ſtantes in oratione in cœnaculo. Acto. 1. & 2. expectantes indui virtute

tute

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tute ex alto, Spiritu ſancto, quo recepto *erant ſemper in templo laudantes, & benedicentes Deum*, & deindè *illi profecti prædicauerunt vbiquè* gentium iuxtà formam eis traditam *Domino cooperante*, qui ſolus incrementum dat, *& ſermonem* eorum *confirmante, ſequentibus ſignis*, quæ in illius nomine faciebant ad mundi conuerſionem. Subijciuntur omnia Sanctæ Matri Eccleſiæ.

LAVS DEO, ET VIRGINI.

Errata

Digitized by Google

Errata nonnulla, quæ preli, vel ſcribentium vitio irrepſerunt, ſic corrige.

Pag.3. col.2.lin.1. deſiderabant, lege, deſiderabat. pag.5 col.1. l.34. & pauit, expauit. pag.11. col.2.l.3. cap.XI. cap.13. pag.34. col.2.l.1.Luc.14. Luc.24 pag.35.col.1.l.36 vt qui, & qui.pag.ead. col.2.l.20. & Ioſeph, ex Ioſeph. pag.36.col.2.l.8. quam, quæ. pag. 43.l.36.qui Malaleel, qui fuit Malaleel. pag 50. col.1.l.26.Dorem, Doctorem. pag.54.col.1.l.19. Meſſia. Meſſias. pag.58.col.2.l.17.alij, alij non . pag.ead. col.ead. l. 34. fœminam ſexaginta , fœminam octuaginta pag.61.col.1.l.36. deferreretur, differretur.pag.63.c.1. l.5.&, vt.pag.65.col.1.l.31.vnigenito, vnigeniti.pag.67.col.2.l.49. ipſi ſi, ipſi. pag.78.col.2.l.44.homines, alij homines. pag.81. col.1. l.18.conferet, conferret. pag.82.l.22.illic, illis. pag.89.col.1.l.33.& non vidiſſet, non vidiſſet. pag.94 col.2.l.39.promulgaturi, promulgaturum. pag.100.col. 1.l.18.retroceſſerunt, retroceſſiſſe. pag.143. col.1.l.37.electos, enectos. pag.ead.col.2.l.13.relinquere, relinquere.pag 152.col.2.l.16.firmatur, firmetur. pag.157. col.2.l.20. ſolebat, ſolebat. pag.166.col.1.l.14.monte, morte. pag.161.col.1. l.16. tribulationibus, tentationibus. pag.161. col.2. l 7. meum, mecum. pag.165.Matth.6 Matth 7. pag.167.col.2.l.13.ſediſſe vtrerquè, ſtetiſſe vndè vtrerquè. pag.168. col.1. l.4 aſpectui, aſpectu. pag.168. col.1.l.15 eos, eas.pag ead.col.ead.l.38. quia Galilæa, quia in Galilaa.pag.169.col.1.l.13. voluit, volunt. pag.170.col.1.l.29.inflammandi, inflammare.pag 172.col.1.l.35. magna Regis, magni Regis. pag.173.col.1.l.2.incitatores, imitatores. pag.ead. col.1. l.9.præmium, proemium. pag.ead.col.2.l.26.Magdalena, Magdalenæ.pag. 176 col.1.l.1. neminem, meminerim. pag.ead.col.2. l.31. cæleſte, cæleſtem.pag.177.col.1 l.48.moti, moti. pag.178.col.2.l.20. excedatur de iudicio temerario. Paolus, excedatur; de iudicio temerario Paulus. pag.179.col.1.l.8.portam tantùm, eſt; portam; tantùm eſt.pag.193.col.1.l.1.in carne induti, carne induti pag.197.col.1. l.32.ſed à Marcus, ſed Marcus. pag.199.col.2.l.1.piſtic, piſtici.pag. 218. De parabo. theſ. & Marg. De parabo. Sagen. miſſæ in mare. pag.220.col.1.l.21.ſcripiura, ſcriptum. pag.236. col.1.l.3. eos, eis. pag.238.col.1.l 9.applicauerunt, applicuerunt.pag.241.col.1.l.40. ſumpſit, ſumpſi. pag.244.col.1.l.4.inſanitis, inſanit is.pag.ea.col.1. l.49.ecce filios tuus, Mulier ecce filius tuus.pag.248.col.1.l.30.imprudenter, impudenter.pag.251.col.1.l.33.Magis, Magia.pag 263 col.2.l.26 parum, parui. pag.264.col.1.l.3. prædicatione, prædicationa.pag.269.col.2.l.6.fulciret, fulciretur.pag.282.parabola decem, &c.vide, Correctione fraterna, & parabola Regis dimittentis decem millia talenta: pag.298. col.1.l. 40. appoſitum; appoſitus. pag.299.col.1. l.38. mundo, mundum. pag.302. col.1. l.47. at, & . pag.306.col.1.l.36.pendebant, pendebat. pag.308 col.2 l.12. hoc, hanc.pag.311.col.1.l.14.ea. pag.314 col 1.l.9. voluit, voluerunt. pag.319. col.1. l.3. poſt verba verum eſt, adde: ideſt ſi iudicarem, quia iam dixit ego non iudico, iudicium meum verum eſſet.pag ea. col.ead.l.13. non, tutò. pag.ead.col.ead.l.14 vado cum, vado, & cum. pag.322.col.1.l.50. ſeruauit, ſeruauerit. pag.325.col.1. l.44. pueri, pulueri.pag.326.col.1.l.41. manditiei, munditiei pag 328. col.2.l.18. oatus eſt, oatus es. pag 335. col. 1.l.31. nullibi, nulli. pag.339.col.1.l.21. commitatur, comitatur. pag 356.col.1. l.2. ſituandus, ſituandum. pag.367.col.2.l 34.recte, rectà. pag.371.col 2. l.5.illum, illam.pag.378.col 2.l.9.docens, docentem.pag.379.col.2. l.30. verbum (igitur) vacat. pag.382.col.2.l 6 in gnum, in regnum. pag.385.col.2.l.10. craturæ, creaturæ. pag.391. col.2.l.7. tendes, tendens.pag.393.col.1.l.4 foris, ſororis. pag. 395.col 2.l.44.cauillaretur, cauillarentur. pag.400. col 1 l.2. moraturus, morituris. pag.416.col.2.l.46.operans, operando. pag 417. col.2.l.46. meminerunt, meminerunt. pag.424. ad cap.130. omiſſus textus Matthæi à verſ.12. vſquè ad fin.cap. ſed habes textum extenſum in commentario.pag.431.col.2.l.13.dicta, dictis. pag 456.col 2.l.47.venient, venient. pag.465. col.2.l.3.ipſis, his. pag.470. col 1.l.12. inuenit, inuenies. pag.472. col.1. l.32. 41. 3. pag 479. Ioan. 22 Ioan. 13. pag.482.col.1 l.38.aduerti, aduerte.pag.482.col.2.l.19.hora, horæ. pag.486.col.1.l.10.poſuit, diſpoſuit pag 491.col.2.l 26. poſtquam, poſt quam.pag 502.col.1.l.12.potatur, putatur. pag 518.col.2 l 15. &, at. pag.529.col.1.l.4.inficere, inficeret.pag.533.col.1 l.1 agnus tanquam, tanquam agnus.pag.538.col.2.l.23.mulcta, iuncta.

REGISTRVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb.

Omnes ſunt Terniones.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Gulielmi Facciotti. M. DC. XIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google